


UNIVERSA
THEOLOGIA
DOGMATICO-SCHOLASTICA

PRO
SACRÆ SCIENTIÆ STUDIOSIS ET AMATORIBUS
CONCINNATA,

A
P. Fr. DALMATIO KICK,
ORD. MIN. S. P. FRANCISCI REFORM. LECTORE EMERITO,
AC PROVINCIÆ ANTONIANO-BAVARICÆ EX-PROVINCIALI
ET DIFFINITORE ACTUALI.

TOMUS IV.

IN DUAS PARTES DIVISUS,

PRIMA PERTRACTAT
MYSTERIUM INCARNATIONIS,
ET
PER MODUM APPENDICIS AGIT
DE
CULTU SS. RELIQUIARUM, SS. ET PRÆROGATIVIS
B. V. MARIÆ.

ALTERA
TOTA ERIT IN EXPLANANDO TRACTATU DE JURE ET JUSTITIA,
ET JUDICIIS PUBLICIS.

PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDEL. & OENIPONTI,
SUMTIBUS JOSEPHI WOLFF, MDCCLXVII.

Approbatio Cenſoris.

IN hoc Tom. IV. Author Clariſſimus de Incarnatione, de cultu SS. Reliquiarum, & de Prærogativis B. V. Mariæ: nec non de Jure & Juſtitia, atque de Judiciis publicis eadem doctrinæ ſoliditate, & perſpicuitate, quibus in præcedentibus Tomis materias Theologicas pertractavit, diſcurrit, adeoque eandem cum prioribus laudem, & Lucem publicam eodem jure hic Tomus meretur. Auguſtæ Vindelicorum die 7. Decembris. 1766.

Imprimatur H. S.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſc. Auguſtani, Landgravii Haſſiæ &c. Conſiliarius Eccleſiaſticus & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Joſephus Herz,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Aug. Conſil. Eccleſ. Viſitator per Diæceſin Gener. ac librorum Cenſor.



Facultas

Reverendissimi Commissarii Generalis totius Cismontanæ Familiæ.

Fr. Joseph Maria de Vedano Ordinis Minorum SS. P. N. Francisci Lector Jubilatus, coram summo Pontifice Episcoporum Examinator, & in universa Cismontana Familia tam Observantium quam Reformatorum & Conceptionistarum Commissarius Generalis, & in Domino Servus.

Cum juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones de mandato nostro idonei Censores Tomum quartum Theologiæ Scholastico-Dogmaticæ ab Authore R. P. Dalmatio Kick nostræ Reformatæ Provinciæ Antoniano-Bavaricæ Lectore Emerito, ac Ex-Provinciali compositum, & in duas partes divisum recognoverint, illudque ab ipsis revisum, & approbatum fuerit: Nos præsentium tenore ad salutaris obedientiæ meritum facultatem facimus, quatenus servatis de reliquo servandis idipsum Typis mandari possit & valeat.

Dat. Romæ ex Aracæli die 17. Septembris 1766.

Fr. Joseph Maria de Vedano
Commissarius Generalis.

(L. S)

De Mandato Reverendissimi in Christo Patris
Fr. Bernardini Maria Tusculanus
Secretarius Generalis.

Appro-



SERIES TRACTATUUM

Dissertationum, Articulorum, Paragraphorum, & aliorum in hoc Tomo IV. Theologiæ universæ Scholastico-Dogmaticæ comprehensorum.

INTRODUCTIO.

TRACTATUS PRIMUS.

Asser-



§. I.





Asser-



Arti-







PARS II.

Tom. IV. Theologiæ, seu Libri III. sententiarum, tractans de Jure, & Justitia, ac Judiciis publicis.







suo

Asser-



d tior,



ARTI-





Asser-



Arti-





INTRO-



INTRODUCTIO.

De Incarnatione Verbi Divini.



Mysterium hoc, quod præsens pars 1. Tom. IV. examinat, variis nominibus exprimi solet. S. Dionysius *ineffabilem Jesu in Carne apparitionem appellat.* S. Gregorius *Cardinem & Verticem omnium miraculorum.* S. Bernardus *mixturam singulariter mirabilem, & mirabiliter singularem:* alii dicunt *adventum, descensum*, missionem, & œconomiam *Verbi Divini.* 1

Magis tamen usitatum est vocabulum & nomen *Incarnatio;* quod Catholicis nihil aliud sonat, quam assumptionem totius naturæ humanæ in unitatem suppositi, & Personæ Divinæ. Quare Incarnatio formaliter spectata est Divinæ naturæ cum humana unio in eadem Verbi Divini Persona: seu est unio hypostatica Verbi Divini cum Natura humana.

Fundamentum hujus Vocabuli *Incarnatio* ministravit Evangelista illis sanctissimis verbis. Joan. 1. *Verbum caro factum est:* quæ exponens D. Augustinus L. 13. de Trinit. C. 19. ait. *cum le-*

go : *Verbum caro factum est ; intelligo verum Dei Filium in carne humana, agnosco verum hominis filium : & utrumque simul in una Persona Dei, & hominis ineffabili largitate coniunctum.*

Ex quibus patet, *Incarnationem* accipi per synechdochen, ita, ut ex parte, seu carne intelligatur totum, seu tota natura humana : sic neque enim Verbum solam carnem, sed totam Naturam humanam ex anima & corpore integro constantem assumpsit. Quæ synechdoche etiam alibi adhibetur à Scriptura, ut Gen. 6. v. 12. *omnis quippe caro corruperat viam suam.* & Luc. 3. *videbit omnis caro salutare Dei :* ubi Li *omnis caro* in utroque textu idem significat, ac *omnis homo.*

Et quamvis non solùm caro, sed & anima pro homine sumatur, tamen assumptio Naturæ humanæ potius à carne, quæ est pars ignobilior, dicta est, qùam ab anima, ob varias congruentias.

Imo enim caro assumpta tamquam pars ignobilior magis quam anima exprimit exinanitionem filii Dei in assumptione humanitatis. 2do. Quia hoc nomen exprimit magis infirmitates nostræ naturæ, quas esse assumptas à Verbo divino difficilius apparet nostro intellectui; unde peculiari vocabulo exprimendum erat. 3tio. Caro magis cadit sub sensus, & est notior nobis, qùam anima; atqui nomina desumi solent à notioribus. 4to. Quia hoc mysterium non videtur satis catholicè posse dici animatio ab anima assumpta, sicut dicitur Incarnatio à carne assumpta; quia animatio significat unionem ad corpus per modum formæ informantis; sed non potest sine errore dici, qùod Verbum habeat rationem formæ informantis respectu corporis Christi, ùt ostendetur in decursu.

Rident quidem Hæretici hanc vocem *Incarnatio*, eo quod, ut ajunt, nec Ciceroniana, aut bene Latina, nec ab antiquis P.P. usitata sit. Verùm ipse Cicero eorum imperitiam ostendit, dum Academicorum 1. dicit: *dabitis profectò, ut in rebus inusitatis utamur verbis interdum inauditis, quod Græci ipsi faciunt.* & 1. *De natura Deorum : sunt rebus novis nova ponenda nomina.* Neque refert, qùod hæc vox in scripturis non reperiatur : etenim saltem

tem fundamentum ejus ex Scriptura conftat. Deinde licet etiam Ecclefiæ ad rem pro varietate temporum melius explicandam, novum & in fcripturis, & P.P. nondum expreffum vocabulum adhibere. Teftatur etiam Antonius Mayr, vocem *Incarnatio* in SS. PP. latinæ Linguæ optimè gnaris reperiri, ùt S. Auguftino L. 10. de civit. c. 24. & 29. & aliis.

Cæterum fcire ea, quæ in hac parte agitantur, maxime decet Sacerdotes, tanquam Chrifti Miniftros, ne dum fermonibus ad populum de capite fuo loquuntur, turpiter hallucinentur, ùt fapienter monet quidam eximius, & jam laudatus Sacræ Theologiæ Doctor in præfatione ad iftum Tractatum. His præmiffis fit.

TRACTATUS I.

DISSERTATIO I.

De poffibilitate, cognofcibilitate, exiftentia, convenientia, & neceffitate Incarnationis Verbi Divini.

ARTICULUS I.

De poffibilitate hujus Myfterii.

ASSERO. Poffibilis eft Incarnatio Verbi Divini: ita omnes Catholici. Prob, 1. Ab actu ad potentiam valet confequentia; atqui actu facta eft Incarnatio; ut fides docet: *Verbum caro factum eft.* Joann. 1. ergo poteft fieri. 2

Prob. 2. Omnes repugnantiæ apparentes, petitæ ex parte Perfonæ affumentis, humanitatis affumptæ, unionis & compofiti refultantis ex tali unione & affumptione poffunt folvi, ut folutio objectionum oftendet, ergo hoc myfterium non implicat. Hæc probatio videri poteft in Scoto. 3. D. 1. q. 1. N. 4.

Ante folutionem objectionum nota ex noftro Fraffen, & R. P. Viva, unionem hypoftaticam, qua natura humana in Chrifto

conjungitur Verbo Divino, esse intrinsecam, & formaliter subjectatam in humanitate Christi, & esse solùm terminatam ad Verbum Divinum, in quo minime recipitur; nec tamen esse penitus extrinsecam Verbo, seu Filio Dei, sed esse mediam inter intrinsecam & extrinsecam. Intrinseca Verbo Divino est, quatenus sicut aliæ uniones reales substantiales, facit unum per se ex Verbo, & natura humana, exigit præsentiam realem Verbi in humanitate, & est ratio, cur humanitati unitæ communicentur Idiomata, seu prædicata divina, & vicissim Deo, ac Verbo communicentur prædicata humanæ naturæ convenientia. Simul tamen est extrinseca Verbo, quia ad hoc solum extrinsecè terminatur, non vero formaliter in eo tanquam subjecto recipitur: etenim Deus, ac Verbum Divinum nullam formam creatam, (qualis etiam est unio hypostatica) recipere, bene verò extrinsecè terminare potest. Ea de causa unio hypostatica à DD. Angelico & Subtili nunc intrinseca, nunc extrinseca Verbo vocatur: est ergo intrinseca Verbo terminativè, non subiectivè, vel informativè.

OBJECTIONES.

Objic. 1. Incarnatio repugnat Verbo Divino; ergo. A. prob.
3 si Verbum D. incarnaretur, mutaretur intrinsece; atqui Verbo Divino repugnat omnis mutatio intrinseca; ùt certum, ac de fide est; ergo Incarnatio repugnat Verbo Divino. R. N. a. ad prob. D. M. Verbum mutaretur, si unionem hypostaticam reciperet intrinsece per modum subjecti C. M. si Verbum Divinum unionem hypostaticam tantùm intrinsecè terminaret per modum termini purissimi, qui perficit quidem, non verò perficitur N. M. Igitur verbum acquirendo per Incarnationem de novo unionem sibi terminative intrinsecam, habet quidem aliud intrinsecum de novo; non tamen se habet aliter intrinsece, nec mutatur intrinsece; quia in se per modum subjecti perfectibilis non recipit istam unionem, sed tantùm terminat.

Dices. 1. Verbum Incarnatum est habens humanitatem. Ergo Deus Verbum est subjectum humanitatis R. d. a. est habens humanitatem receptive & subjective n. a. terminative terminatione intrinseca per unionem physicam in humanitate receptam, & ad Verbum terminatam c. a.

Dices 2.

Dices 2. Murus à me visus non habet meam visionem, licet eam tanquam objectum terminet: ergo etiam Verbum D. Incarnatum non habet humanitatem, si eam tantùm terminet, & non physice in se recipiat. R. N. C. & parit. visio mea non unitur reali unione ipsi muro, nec vi unionis physicæ exigit præsentia intima inexistere murus visioni, sicut Verbum incarnatum naturæ humanæ assumptæ, & hypostaticæ sibi unitæ: ergo.

Dices 3. Verbum Divinum per Incarnationem transiret de potentia unibilitatis ad actum unionis. 2. Transiret de privatione ad habitum, seu de absentia unionis ad habendam unionem; sed sic transire est mutari; ergo. R. ad 1. D. a. Transiret de potentia unibilitatis ad actum unionis in se recipiendum N. a. terminandum intrinsece c. a. verùm hic transitus, qui fit sine forma in se intrinsece recepta non est mutatio, quia per illum Verbum se intrinsece non habet aliter, ut dictum est. Ad 2. N. M. privatio enim est absentia formæ in subjecto capaci; atqui Verbum Divinum non est subjectum capax alicujus novæ formæ recipiendæ: etenim omnis forma nova recepta in subjecto reddit hoc aut perfectius aut deterius; atqui Verbum tanquam Deus non potest fieri perfectius, aut deterius: ergo neque potest recipere formam, per quam fieret perfectius, aut deterius.

Dices 4. Unio hypostatica affert Verbo novam perfectionem: ergo, quamvis verbum hoc hominem tantum terminet, tamen per eam perficitur, & mutatur. *A. prob.* propter hanc unionem potuit Verbum mereri, & condigne satisfacere; atqui posse mereri, & condigne satisfacere est nova perfectio: ergo. R. N. a. utrumque. Neque post unionem hypostaticam potest Verbum divinum, & Deitas Verbi mereri, vel satisfacere: meritum enim & satisfactio sunt actiones solis creaturis propriæ: quia in iis requiritur aliqua subjectio, quæ Deo nequit competere. Unde per unionem ad Verbum tantùm actionibus humanitatis Christi accedit nova perfectio, & condignitas ad merendum, & satisfaciendum.

Dices 5. Saltem complexum ex Verbo & humanitate Christi est quid perfectius, quàm solum Verbum: ergo humanitas Christi addit perfectionem Verbo Divino R. N. a. Jam in Tractatu de

Deo uno dictum eſt, Complexum ex Deo & creatura non eſſe perfectius, quàm ſit Deus ſolus, ex ratione, quia ſolus Deus continet eminenter omnes perfectiones creatas: ergo quia etiam Verbum Divinum eſt Deus, non erit complexum ex Verbo & humanitate Chriſti unita perfectius, quàm ſolùm Verbum; quia etiam hoc ſolum eminenter continet, quidquid perfectionis in unione hypoſtatica & humanitate aſſumpta reperitur.

Dices 6. Si Deus de novo in tempore aliquid cognoſceret, vel vellet, quod non cognovit, aut voluit ab æterno, mutaretur extrinſece: ergo etiam mutatur intrinſece, ſi de novo in tempore unitur humanitati, cui non fuit unitus ab æterno, R. N. C. & parit. Per novam volitionem & intellectionem in tempore conveniret Deo novum exercitium vitale in tempore, quod ei non conveniſſet ab æterno: & ſic mutaretur ſaltem moraliter tali mutatione, quæ maximam imperfectionem in Deo argueret, fieret enim ex neſciente ſciens, ex nolente, vel non volente volens: quod in Deo implicat, ut in Tractatu de Deo uno in quæſtione de immutabilitate Dei dici ſolet. Aſt talis mutatio Deo diſconveniens non ſignificatur per hoc, quòd terminet unionem hypoſtaticam in tempore, ſicut & per hoc Deus non mutatur, quod extrinſece terminet dependentiam creaturæ, quam non terminavit ab æterno.

4 Objic. 2. Repugnat etiam naturæ humanæ aſſumi & perſonari à Perſonalitate divina: ergo. A. prob. natura humana eſt finita, & Perſonalitas divina eſt infinita: ergo nulla eſt proportio inter hanc & illam; conſequenter illa non poteſt per hanc aſſumi & perſonari. R. N. a. Ad prob. D. conſeq. ergo nulla eſt proportio entitativa C. a. in ordine ad unionem N. a. etiam anima rationalis & corpus non habent proportionem entitativam; habent tamen in ordine ad unionem.

Dices 1. Perſonalitas creata eſt aliqua cauſa & effectus formalis; atqui Deus nequit ſupplere cauſam & effectum formalem: ergo Deus, ſeu Verbum nequit perſonalitatem creatam in natura humana ſupplere: ergo neque in ordine ad unionem hypoſtaticam, vi cujus Perſonalitas divina unitur naturæ humanæ, & eam perſonat, habetur proportio inter naturam humanam, & perſonalitem Divinam. R. C. M. & D. m. Deus nequit ſupplere omnem effectum cauſæ formalis. C. m. aliquem N. m. ſub-

ſiſtentia

sistentia & personalitas creata posito, quod consistat in positivo (quod videtur hæc objectio supponere) duo præstat. 1mo. afficit naturam creatam per modum formæ inhærentis: & hunc effectum non potest Deus præstare. 2do. Terminat naturam ultimate, & reddit eam incommunicabilem alteri distincto supposito, & sic terminando denotat illam subsistentem: & hunc secundum effectum Verbum supplere potest, non quidem largiendo connaturalem subsistentiam, qua potius privat, sed aliam æquivalentem, vel digniorem, puta propriam subsistentiam & personalitatem Verbi, quæ terminat ulteriorem communicationem supposito alicui alteri, & quidem longe præstantiori modo, quàm a propria personalitate terminaretur; quia a propria personalitate non haberet natura humana dignitatem illam, quam consequitur à Personalitate divina. Unde natura humana Christi per privationem & absentiam propriæ personalitatis non patitur violentiam, quia absentia hæc compensatur per aliquid melius, nimirum per suppositum divinum.

Dices 2. Personalitas D. Verbi, cum juxta Scotum non sit formaliter perfecta, non potest continere perfectionem personalitatis creatæ: ergo neque potest eam supplere. R. N. Conf. Non ideo Personalitas verbi potest supplere personalitatem creatam in natura humana, quia personalitas Verbi esset formaliter infinita, ac æquivalenter, vel eminenter contineret perfectionem creatæ personalitatis: etenim natura Divina, quamvis formaliter infinita sit, & omnes perfectiones creatas in se eminenter comprehendat, tamen non potest adæquate & ultimate formaliter supplere personalitatem creatam, & naturam creatam per se reddere ultimato formaliter incommunicabilem in ratione personæ, cùm & ipsa Natura Divina in se præcise spectata non sit ita formaliter incommunicabilis: adeoque juxta Doctorem. in 3. D. 1. q. 1. non ex perfectione entis personalis colligitur, quòd personalitas verbi possit supplere personalitatem creatam, sed ex hoc, quia Persona Divina in ratione personandi est independens in se formaliter; atqui omne independens in aliquo genere potest terminare dependentiam alterius, quod in tali genere dependentiam habet, posito, quod dependens ad independens sufficienter applicetur, & uniatur.

Instabis 1. Non potest natura humana existere per existentiam Verbi : ergo neque personari per personalitatem Verbi. R. N. C. existentia est idendificata naturæ humanæ, non vero personalitas, quæ proinde à natura humana separari, & per divinam subsistentiam suppleri potest.

Instabis 2. Subsistere est stare per se ; atqui subsistere per alienam personalitatem non est stare per se, sed per aliud: ergo implicat, aliquam naturam subsistere per alienam personalitatem : ergo &c. R. D. M. subsistere est stare, seu habere suum ultimum complementum substantiale, & non esse unitum alteri supposito, quam illi, quod hic & nunc personat, & facit subsistere C. M. in alio sensu N. M. atqui etiam aliena personalitas impertit hoc ultimum complementum, & hos effectus.

Instabis 3. Sessio aliena non potest me facere sedentem ; ergo neque personalitas aliena potest naturam humanam facere personatam. R. N. C. Sessio aliena non potest me facere sedentem ; quia illi non sum unibilis ; cum vero natura humana sit unibilis personalitati divinæ, ab hac personari potest.

Instabis 4. Humanitas Christi non potest esse immensa per immensitatem Verbi ; neque sapiens per sapientiam Verbi, licet tam immensitati quam sapientiæ Verbi uniatur : ergo neque potest personari per personalitatem Verbi, licet huic uniatur. R. N. C. & parit: Immensitas, Sapientia infinita, Omnipotentia sunt perfectiones soli Deo propriæ ; Personalitas vero, & complementum ultimum substantiale non est ratio soli Deo, sed etiam creaturis conveniens : hinc Verbum Divinum non potest tribuere naturæ humanæ unitæ illas perfectiones, bene vero personalitatem, quia natura humana illarum perfectionum non est capax, est tamen capax personalitatis.

Instabis 5. Si humanitas uniretur Verbo, tunc ubicunque verbum esset, ibi deberet etiam existere humanitas atqui humanitas incarnata non est ubique in sensu Catholicorum, ubi est Verbum : ergo. R. N. M. etiamsi pes uniatur animæ rationali, tamen non est in omni loco, in quo est anima rationalis ; quia hæc est etiam in capite ac reliquo corpore, in quo non est pes. Neque per hoc, quod humanitas unita Verbo moveretur de loco in locum, etiam

etiam deberet localiter moveri ipsum verbum; quia hoc solum fieri deberet, nisi aliunde Verbum propter immensitatem suam jam esset in omni loco, ad quem movetur, vel moveri potest humanitas.

Objic. 3. Incarnatio repugnat etiam ratione unionis & compositi, quod ex tali unione inter naturam humanam & Verbum Divinum deberet resultare: ergo A. prob. Ex verbo & natura humana deberet fieri unum per se; sed hoc repugnat: ergo. prob. m. repugnat unum per se fieri ex ente completo, & ex ente in potentia; sed natura humana in Christo est ens in potentia, & est complebilis per personalitatem, ac Verbum Divinum est ens completissimum & in actu: ergo repugnat ex natura humana & verbo D. fieri unum per se. M. Constat; nam ex materia prima tanquam ente in potentia, & complebili & ex angelo tanquam ente completo non potest fieri unum per se; ergo. R. N. a. ad cujus prob. N. m. ad hujus prob. D. M. ex ente in potentia, & ex ente completo repugnat fieri unum per se in ratione naturæ & principii operativi C. M. in ratione personæ, vel in ratione habentis & habiti, terminantis & terminati, sustentantis & sustentabilis N. M. ita R. P. Viva. R. 2do. forte melius D. m. Verbum Divinum est ens completissimum, & tamen adæquate & complete acceptum secundum omnia sua constitutiva non terminat communicabilitatem naturæ humanæ, nec complet hanc in ratione personæ C. m. secus N. m. Verbum Divinum ut completum, & adæquate acceptum involvit duo constitutiva, naturam scilicet Divinam, ac personalitatem; ast tantum per personalitatem suam formaliter complet naturam humanam in Christo sub ratione personæ, per quod tamen minime negatur, quod natura humana in Christo etiam *mediate* uniatur naturæ Divinæ, & per hanc dignifi etur.

Dices 1. Magis distant Verbum Divinum, & natura humana, quam natura hirci & cervi: ergo magis repugnat naturam humanam & Verbum uniri in unum compositum, quam naturam hirci & cervi coalescere in unum. R. D. a. magis distant entitative C. a. in ordine ad unionem N. a. nam natura

hirci & cervi non possunt coalescere in unam naturam; quia utraque jam est completa, nec in ratione sua ulterius complebilis: ast natura humana in Christo destituta propria personalitate, est incompleta in ratione personæ; adeoque potest personari à personalitate verbi.

Dices 2. Saltem stante Incarnatione Deus foret pars componens cum humanitate Christi, quod dicit imperfectionem in Deo. ergo. R. N. a. pars est aliquid minus perfectum toto, & est perfectibilis à comparte; neutrum convenit Deo, ac Verbo Divino, quod eminenter continet omnem perfectionem humanitatis, nec ab hoc perfici potest. Hinc Verbum Divinum dicitur tantum *terminus* intrinsecus, nom autem pars Christi. Dicitur quidem Christus à Conciliis esse compositus, non vero ex veris partibus, quarum quælibet sit complebilis, & ulterius perficibilis. Ob quod hæc compositio est mirabilis & *singularis sine exemplo*, ut habet Toletanum XI., nihilque aliud dicit, quam plurium realiter distinctorum unionem in ordine ad constituendum unum Christum.

Dices 3. Complexum hoc, quod ex Incarnatione resultaret, esset Deus & homo, foret passibile & impassibile, creator, & creatura; atqui hæc repugnant: ergo. R. C. M. & D. m. repugnant in eodem secundum idem c. m. secundum diversa n. m. esset Deus impassibilis & Creator secundum naturam divinam, esset homo passibilis, & creatura secundum naturam humanam, quæ non sunt contradictoria.

ARTICULUS II.

De Cognoscibilitate Incarnationis Verbi Divini.

6 Incarnatio potest dupliciter accipi. 1mo. Universaliter, ac metaphysice pro Incarnatione Dei, præscindendo an sit trinus in Personis. 2do. Particulariter, ac physice, & prout modo facta est, pro Incarnatione solius secundæ Personæ Divinæ, ita quidem, ut nec prima, nec tertia Persona SS. Trinitatis fuerit Incarnata.

Si

Si Incarnatio accipiatur primo modo, tunc, ut tradunt Lugo, & Gormaz, potuit intellectus creatus naturaliter habere ſuſpicionem de poſſibilitate ejusmodi Incarnationis: quia ex omnipotentia Divina potuiſſet intellectus creatus inferre eſſe poſſibilem totalem unionem inter Naturam Divinam & humanam, qualem nos non poſſemus capere. Vide Antonium Mayr Tr. 9. n. 12. Verum nos hic ſolum loquimur de cognoſcibilitate Incarnationis in ſecundo ſenſu acceptæ, & prout modo peracta eſt. His notatis.

Aſſero 1. Nullus intellectus creatus, ſibi ſoli relictus, 7
ac ſecluſa omni revelatione, vel manifeſtatione potuit evidenter cognoſcere poſſibilitatem hujus Myſterii, antequam illud peractum eſt. Communis. Prob. 1. Incarnatio Verbi Divini à D. Paulo ad Epheſ. 5. vocatur *Sacramentum abſconditum á ſæculis in Deo*, & Toletanum XI, de eo dicit: *ſi ratione oſtendi poſſet, non eſſet mirabile, ſi exemplo, non eſſet ſingulare*: ergo per ſolam rationem naturalem non fuit cognoſcibile, ſaltem antequam peractum eſt.

Prob. 2. Intellectus creatus præciſa omni revelatione & manifeſtatione Divinitus facta, ac ante peractam Incarnationem non poteſt ſuis viribus naturalibus evidenter etiam tantum illative attingere Myſterium SS. Trinitatis, adeoque nec Verbum Divinum, cujus tamen Perſonalitas in Incarnatione, prout modo peracta eſt, involvitur: ergo neque poteſt evidenter & naturaliter attingere ipſum hoc Myſterium, utpote quod non intelligitur evidenter, niſi & illa intelligantur evidenter, quæ in hoc Myſterio neceſſario involvuntur.

Confirm. Loquendo etiam de Incarnatione ſecundum ſe nequit intellectus evidenter cognoſcere, nullam in ea involvi contradictionem; quamvis etiam ratio noſtra lumine fidei illuſtrata apparentes contradictiones ſolvat circa hanc & ipſum Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, non tamen ita, ut hæc Myſteria fiant evidentia: ergo naturaliter (præciſa omni manifeſtatione & revelatione Divina, & ante Incarnationem actu peractam) non poſſunt hæc Myſteria evidenter cognoſci, quamvis de Incarnatione univerſaliter accepta poſſit naturaliter haberi aliqua ſuſpicio, non tamen evidentia, ut n. 6. dictum eſt.

Objic. 1. Angelus novit naturaliter & evidenter, Deum posse, quidquid non involvit contradictionem; atqui Mysterium hoc non involvit contradictionem; ut constat ex articulo præcedente: ergo. R. D. m. Angelus etiam naturaliter novit, quod hoc Mysterium non involvat contradictionem N. m. novit quidem, quod Deus possit omne, quod non involvit contradictionem, non vero novit pro tempore Incarnationem præcedente, quod hoc Mysterium non involvat contradictionem c. m.

Objic. 2. Intellectus creatus non judicat hoc Mysterium esse evidenter impossibile: ergo judicat esse evidenter possibile. R. N. C. Inter possibile & impossibile non datur medium, datur tamen inter judicare, hoc est possibile, & inter judicare hoc esse impossibile; quia datur suspensio omnis judicii, quando non adsunt sufficientes rationes pro affirmanda determinate possibilitate vel impossibilitate.

Objic. 3. Angelus cognoscit evidenter omnia prædicata naturæ humanæ: ergo etiam potentiam ejus obedientialem ad unionem hypostaticam. R. D. a. omnia prædicata absoluta C. a. omnia relativa subdist. entitative spectata c. a. etiam terminative spectata N. a. potentia obedientialis est ipsa potentia suscipiendi omnem formam possibilem, ac supernaturaliter saltem unibilem; sed cognoscens, quod natura habeat potentiam suscipiendi omnem formam possibilem, non statim cognoscit evidenter hanc formam, id est, unionem hypostaticam esse possibilem, & supernaturaliter unibilem: ergo.

8 Assero 2. Intellectus sensibus alligatus non potest ex viribus mere naturalibus evidenter cognoscere hoc mysterium, etiam postquam jam actu peractum est. 2. Bene vero intellectus creatus sensibus non alligatus, qualis est Angelicus, & animarum à corpore separatarum. Herinx p. 4. D. 1. n. 9.

Prob. 1. Nihil sensibile ostendebat in Christo hanc unionem: ergo intellectus sensibus alligatus, & tantum ex sensibilibus arguens latentes veritates, non habet medium evidenter cognoscendi hoc Mysterium, etiam postquam peractum est. A. prob.

tum quia ipsa unio in se non est sensibilis, seu sensu perceptibilis, est enim relatio, quæ nullo sensu in se directe percipitur: neque est sensibilis per causam; quia causa hæc fuit Sanctissima Trinitas, quæ est spiritualis, & nullo sensu attingi potest: neque est sensibilis per effectum; nam miracula & opera, quæ Christus præstitit, absolute potuissent etiam fieri per puras creaturas, si Deus cum illis extraordinario modo concurrisset: ergo.

Prob. 2dum. memb. Unio hypostatica est ens creatum, quod est proportionatum intellectui sensibus non alligato, ut Scotus 4. D. 10. q. 8. §. *Tertia conclusio* ℣. *ad argumentum n.* 11. inter alia ita habet: *quantumcunque aliquid supernaturale ponatur in esse, postquam tamen positum est in esse, est quoddam ens naturale, & proportionatum potentiæ naturaliter cognoscenti, vel cognoscitivæ.* & n. 12. ℣, *ad tertium de malis Angelis*: ait Doctor: *quod si absolute permittatur malus Angelus uti potentia cognoscitiva naturali, potest intelligere quodcunque intelligibile causatum, & sic exponenda est authoritas Ambrosii de Mysterio Incarnationis*: neque obstat, quod Quodlib. 14. n. 22. & seqq. paulo aliter loqui videatur de visione Dei, tamen ibi solum agit disputative, & problematice: ergo.

Objic. contra 2. memb. Unio hypostatica est supernaturalis quoad substantiam: ergo non potest cognosci naturaliter ab intellectu creato. R. N. C. supernaturalitas alicujus entis tantum desumitur à principio effectivo, non vero à potentia cognoscitiva: Illud enim supernaturale est, quod transcendit vires causæ efficientis pure naturalis, & nequit effici, nisi concurrat principium effectivum supernaturale, & quidem qua supernaturale: non vero exigitur, ut entitas supernaturalis solum supernaturaliter, & non etiam naturaliter cognoscatur.

Objic. 2. SS. Patres & D. Paulus negant, hoc Mysterium esse naturaliter cognoscibile: ergo R. SS. PP. & Textus, qui videntur nobis esse contrarii, vel loquuntur de hoc Mysterio pro tempore, quo nondum fuit positum, vel loquuntur de intellectu sensibus alligato, vel de dæmonibus, quos latuit ob extrinsece

ſubtractum concurſum divinum, non vero ob impotentiam naturalem, quamvis & his tempore prædicationis Chriſti videatur fuiſſe permiſſum cognoſcere hoc Myſterium arguitive, conjecturaliter, & probabiliter ex miraculis Chriſti, & impletione ſcripturarum.

Objic. 3. Si naturaliter & intuitive poteſt ab Angelo cognoſci unio hypoſtatica, poſtquam poſita eſt, tunc etiam ſic naturaliter cognoſci poteſt terminus ejus, ſeu Verbum Divinum; atqui Verbum Divinum, ſicut & Myſterium SS. Trinitatis non eſt naturaliter cognoſcibile: ergo. M. prob. tota eſſentia hujus unionis in ordine ad Verbum Divinum, ad quod refert naturam humanam eidem verbo unitam: ergo. R. D. m. Verbum Divinum ſicut & Myſterium SS. Trinitatis non eſt naturaliter cognoſcibile ab anima à ſenſibus dependente C. m. ab anima ſeparata & Angelo, ſubdiſt. non eſt clare intuitive, & in ſe cognoſcibile c. m. non eſt cognoſcibile abſtractive & confuſe, dum cognoſcitur naturaliter unio hypoſtatica N. m. Ad claram viſionem relationis, & unionis non requiritur, ut eadem claritate, qua relatio attingitur, etiam cognoſcatur ipſe terminus: ſic dixi in Tract. de Deo, clare & intrinſece poſſe videri relationem Paternitatis in Patre Divino, quin clare & intuitive videatur filius Divinus tanquam terminus hujus relationis: ſufficit ergo ad claram & intuitivam viſionem relationis, ac unionis hypoſtaticæ, ſi Verbum Divinum cognoſcatur abſtractive, certo tamen. Plura de hac materia dicta ſunt in Tract. de Angelis, quæ videri & relegi debent.

ARTICULUS III.

De Convenientia Incarnationis.

9 Aſſero 1. Myſterium Incarnationis fuit conveniens Deo, Communis.

Prob. Illud convenit Deo, quod ejus perfectiones manifeſtat; atqui Myſterium Incarnationis manifeſtat Perfectiones Dei, nimirum

nimirum, Bonitatem in Communicatione sui adextra, misericordiam erga hominem lapsum, justitiam in præstita satisfactione tam condigna & excellenti pro offensa divina, sapientiam & omnipotentiam in producendo opere tam admirabili: ergo.

Objic. 1. Dedecet Deum fieri creaturam passibilem, ac mortalem: ergo Incarnatio non convenit Deo. R. N. a. Quia Deus non ita factus est homo ut creatura passibilis, ac mortalis ut aliquid de sua Divinitate, impassibilitate, ac immortalitate perdiderit. Unde nec Deus in assumenda carne humana prodigus est, quia tantum donum conferendo creaturæ, nihil de suis bonis amittere potuit.

Objic. 2. Propter Incarnationem magis obligamur Filio, quam reliquis duabus Personis divinis; sed hoc est inconveniens: ergo. R. N. M. Filius Divinus Incarnatus est quidem donum collatum; conferens vero est tota SS. Trinitas, quæ benevola sua voluntate Incarnationem effecit; ast gratitudinem non debemus dono, vg. pecuniis donatis, sed benevole donanti, & conferenti beneficium.

Assero. 2. Incarnatio Verbi Divini fuit etiam conveniens 10
homini, utpote cujus naturam elevavit usque ad dexteram Dei, utilitatemque plurimam ei contulit. Neque obest, quod natura humana Christi fuerit privata Personalitate: quia propria personalitas fuit compensata per meliorem, seu personalitatem D. Verbi; quæ identice est infinite perfecta, sicut ipse Deus.

Assero 3. Incarnatio fuit quoque conveniens toti Universo. 11
Prob. homo habet quamdam cognationem cum omni creatura, ut ait D. Gregor- homil. 29. in Evang. *omnis creaturæ aliquid habet homo: habet namque esse commune cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis:* ergo per assumptionem naturæ humanæ Verbum Divinum dignificavit omnem creaturam.

Præterea convenientius fuit assumpta natura humana, quam 12
Angelica. 1. ob rationem mox datam; quia scilicet natura Angelica non habet talem cognationem cum omni creatura, sicut

natura humana: nam Angelus materiæ & corporis expers non ita convenit cum creaturis corporeis, ficut homo. 2. Quia Verbum Divinum ad reparandam naturam humanam in mundum venit: ergo convenientius fibi univit naturam humanam, quam aliam. 3. Quia fi naturam Angelicam invifibilem affumpfiffet, nulla vifibilia virtutum exempla nobis reliquiffet.

Convenientius etiam reparavit naturam humanam lapfam, quam Angelos lapfos. 1. Quia homines lapfi erant voluntate aliena fui Protoparentis, Angeli propria. 2. Quia Angeli erant expertes carnis fragilis, & fic fortiores natura humana: ergo homines lapfi magis erant digni mifericordia, quam Angeli.

Convenientius etiam Perfona filii, quam Patris & Spiritus S. fuit incarnata. Cujus rationem dat S. Auguft. libr. de Ecclefiafticis dogmatibus C. .z dicens: *non Pater carnem affumpfit, neque Spiritus S. fed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipfe fieret in homine hominis matris filius: ne filii nomen ad alterum tranfiret, qui non effet æterna natifitate filius. Dei ergo Filius factus eft hominis filius, natus fecundum veritatem naturæ ex Deo, Dei Filius, & fecundum veritatem naturæ ex homine hominis Filius, ut veritas geniti non adoptione, non appellatione, fed in utraque nativitate filii nomen nafcendo haberet, & effet verus Deus, & verus homo, unus Filius.* Confirmat hoc D. Anfelmus lib. 2. *cur Deus homo.* c. 9. dicens: *Si quælibet alia Perfona incarnaretur, effent duo Filii in SS. Trinitate, fcilicet Filius Dei, qui & ante Incarnationem Filius eft, & ille, hui per Incarnationem effet Filius Virginis.* 2. Filius Divinus in SS. Trinitate eft imago Patris, ergo cum per Incarnationem reformanda erat imago Dei per hominem deformata, recte affumpta fuit Perfona Filii ceu naturalis Dei imago, ad cujus fimilitudinem homo formatus reformari, & prima Divinæ perfectionis lineamenta æmulari & referre poffet. Plures ejusmodi rationes videre potes apud noftrum Fraffen in Scoto Academico Tom. 3. Tract. 1. Difput. 1. Art. 1. Differt. 2. q. 3.

ARTI-

ARTICULUS IV.

De Neceſſitate Incarnationis.

Aſſero 1. Deus antecedenter ad ſuum liberum Decretum 13
non fuit abſolute neceſſitatus ad ponendam Incarnationem. 2. imo neque fuit ita neceſſitatus ex ſuppoſitione mundi producti. Communis.

Prob. 1. pars. Deus ad omnia opera adextra (intra quæ etiam eſt Incarnatio) eſt ſumme liber, & poteſt vel potuit ea ponere, aut omittere pro libitu: ergo non neceſſario poſuit Incarnationem.

Prob. etiam 2. pars. Mundus naturalis productus non potuit exigere ens ſupernaturale, ſeu unionem hypoſtaticam, & potuiſſet Deus utique homines & Angelos relinquere in ſtatu puræ naturæ, ut Tom. 3. lib. 2. Sententiarum dictum eſt, quo in ſtatu nulla fuiſſet neceſſitas, aut exigentia entis cujuſcunque ſupernaturalis, proinde nec tunc fuiſſet neceſſaria unio hypoſtatica, vel ſi voluiſſet Deus hominem elevare ad ſtatum ſupernaturalem, & gratias ſpirituales ei conferre, potuiſſet id facere ex mera ſua miſericordia abſque ullis meritis Chriſti; ergo etiam ſuppoſita mundi productione non fuiſſet neceſſaria Incarnatio Verbi Divini.

Objic. 1. Deus eſt perfectiſſimus artifex: ergo neceſſario debet ſemper facere optimum; atqui non faceret optimum, ſi non poneret Incarnationem, quæ eſt optima & perfectiſſima Communicatio Dei cum creatura: ergo.

R. D. C. debet facere optimum formaliter C. C. entitative, materialiter, & objective N. C. entitative optimum non debet facere Deus, alias deberet producere melius & perfectius, vel perfectiſſimum Univerſum: debet ergo ſolum producere optimum formaliter, ſeu conforme ſuæ liberæ voluntati: nam regula optimi non eſt perfectio entitatis productæ, ſed voluntas Divina, quæ eſt menſura omnis honeſti, & boni.

Objic. 2. Deus habet fummam inclinationem fe communicandi mundo : ergo faltem mundo fuppofito neceffitatur ad unionem hypoftaticam. R. D. a. habet fummam inclinationem ante decretum Divinum, quo ftatuit fe communicare N. a. poft Decretum c. a. ante Decretum fuit liberrimus ad fe communicandum adextra.

Objic. 3. Amor Dei erga Creaturas eft infinitus : ergo Deum neceffitat ad fe communicandum creaturæ per Incarnationem. R. 1. invert. argument. etiam libertas Dei eft infinita, vi cujus potuiffet omittere Incarnationem : ergo non neceffitatur ad Incarnationem. R. 2. D. a. eft infinitus entitative, non tamen movet infinite C. a. fecus N. a. amor Dei erga creaturas, quamvis entitative fit infinitus, tamen non movet, aut neceffitat infinite ; alias enim Deum neceffitaret ad producendas omnes creaturas, quia omnes amat amore complacentiæ : proportionatur igitur quadam ratione objecto, & utique magis fibi Deus complacet in creaturis perfectioribus, hasque magis amat ; magis etiam diligit B. V. Mariam, quam alium hominem inferioris ordinis &c.

Affero 2. Incarnatio nec fuit neceffaria fuppofito peccato
14 primi hominis. Scot. 3. D. 20. q. un. §. ad iftam, & Th. Th. communiffime.

Prob. Deus non neceffitabatur ad reparandum genus humanum in Adamo lapfum : ergo neque neceffitabatur ad Incarnationem fuppofito peccato primi hominis. C. fluit. a. prob. 1. reparatio generis humani eft gratia, & favor gratuitus, proveniens ex mera mifericordia Dei ; nam *fecundum fuam mifericordiam falvos nos fecit* : ad Tit. 3. v. 5. ergo Deus non neceffitabatur ad iftam reparationem, tanquam indebitum, & prorfus liberum factum. 2. Deus non neceffitabatur ad reparandos Angelos lapfos, fed potuit jufte permittere eorum perpetuum interitum : ergo neque neceffitabatur ad reparandos homines lapfos. 3. *Quis tibi imputabit, fi perierint nationes, quas fecifti ? non enim eft alius Deus, quam tu.* Sap. 12. ergo.

Objic. 1. SS. PP. nominatim S. Anfelmus lib. 1. Cur Deus

Deus homo c. 4. & alibi videntur docere, quod ſuppoſito peccato Adami fuerit neceſſaria Incarnatio: ergo. R. Cum Suarez & aliis, ejusmodi dicta Patrum exaggerare nimium rem, & revera tantum loqui de mera convenientia, vel ſi loquantur de neceſſitate, tunc ſolum intelligenda eſſe de neceſſitate conſequente Decretum Divinum, quo Deus miſericorditer ſtatuit per merita Chriſti reparare hominem lapſum, non vero de neceſſitate antecedente tale Decretum.

Objic. 2. Si Incarnatio & Paſſio Chriſti ſuppoſito peccato Adæ non fuit neceſſaria, tunc Deus injuſte exegit tantam ſatisfactionem ab homine Deo præſtandam; ſequela eſt falſa: ergo &c. R. N. M. Chriſtus factus eſt fideiuſſor pro nobis: ergo juſte Deus Pater ab Ipſo exegit ſatisfactionem pro noſtris culpis.

Objic. 3. Si Incarnatio aliunde non fuit neceſſaria, tunc Deus inordinate egit, dum vitam longe nobiliorem in ſatisfactionem exegit pro vita & ſalute hominum aliorum longe inferiorum: nam inordinate aliquis agit, qui ut bonum minus obtineat, majus prodigit: ſequela eſt falſa: ergo. R. D. M. ſi ſalus hominum reſpectu mortis Chriſti fuiſſet finis ultimatus C. M. ſi finis ultimatus fuit gloria Dei per mortem Chriſti, & ſalutem hominum procuranda N. M.

Aſſero 3. Neque Incarnatio fuit neceſſaria, ſuppoſito, quod 15
Deus voluerit hominem lapſum reparare. Ita communis.

Prob. Deus potuiſſet aliter hominem reparare, quam per Incarnationem & merita Chriſti: ergo etiam ſuppoſita voluntate reparandi hominem lapſum non fuit neceſſaria Incarnatio Verbi Divini. a. prob. S. Auguſt. lib. 13. de Trinit. c. 10. refellit eos, qui dicunt, Deum non potuiſſe aliter reparare hominem, quam per Incarnationem. & S. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arian. dicit: *poterat ſine ullo adventu Chriſti ſolummodo loqui Deus, & ſolvere maledictionem.* S. Bernard epiſt. 190. quis negat, ad manum Omnipotenti fuiſſe alios & alios modos ratione Redemptionis & Iuſtificationis, & Liberationis.

Confirm. Potuiſſet Deus gratis remittere peccatum absque

ulla petita ſatisfactione condigna, idque vel per meram extrinſecam condonationem, vel per infuſionem gratiæ ſanctificantis iudependentis à meritis Chriſti, vel potuiſſet exigere ſatisfactionem tantum congruam, vel etiam condignam non dependentem à meritis Chriſti, de cujus poſſibilitate dicetur inferius: ergo potuiſſet Deus hominem etiam aliter reparare, quam per Incarnationem, & merita Chriſti.

Objic. 1. Judex non poteſt gratis remittere offenſam: ergo neque Deus. R. D. a. offenſam alteri illatam C. a. ſibi illatam N. a. injnriam ſibi illatam judex ſaltem ſupremus gratis remittere poteſt: ergo à fortiori poteſt Deus injuriam ſibi illatam gratis condonare.

Objic, 2. Juſtitia exigit, ut peccatum puniatur: ergo peccatum non poteſt gratis remitti. R, D. a, ita exigit juſtitia juxta modernam ordinationem voluntatis Divinæ C. a. juxta ordinationem Dei abſolute poſſibilem N. a. illud ſolum juſtum eſt, quod voluntati Divinæ concordat: ſi ergo Deus ordinaſſet, ut peccata maneant impunita, & gratis remittantur, etiam hoc juſtum eſſet. Ex his tandem fit, nec methaphyſice, nec phyſice, nec moraliter neceſſariam fuiſſe Incarnationem Verbi Divini: id enim dicta probant.

Sunt hic debellandi hoſtes Incarnationis Verbi Divini Judæi & gentiles. Judæi quidem præcipue ex teſtimoniis veteris teſtamenti, cui & ipſi fidem habent; Gentiles vero maxime ex motivis credibilitatis, quibus omnia myſteria noſtræ fidei & Religionis ipſis ſuadere ſolemus. Sit igitur.

ARTICULUS V.

De Exiſtentia Incarnationis, & adventu Chriſti.

§. 1.

Probatio Prima.

16 Jam diu adveniſſe promiſſum Meſſiam, contra Judæos probatur ex illo oraculo Jacobi. Gen. 49. v. 9. *Non auferetur ſceptrum*

trum de Juda , & dux de femore ejus , donec veniat , qui mittendus eſt (ſeu Meſſias , ut vertit paraphraſis Caldæa) *& Ipſe erit exſpectatio gentium.*

Ex hoc ita argumentor. Iuxta laudatum vaticinium Jacobi tunc venturus eſſe promittitur Meſſias , cum ſceptrum ſeu regia poteſtas & Principatus ex Juda & gente Judaica defecerit : ſed jam diu defecit hæc poteſtas in tribu Juda, & tota gente Judaica : ergo juxta laudatum vaticinium promiſſus Meſſias jam diu advenit. Minor prob. Jam diu eſt , ex quo excluſa gente Aſſamonæorum ſeu Machabæorum intruſus eſt Herodes alienigena , qui teſte Joſepho regnavit 37. annis, & ſub cujus regni finem Chriſtus eſt natus : ergo etiam jam diu eſt , ex quo promiſſus Meſſias venit.

Ad capiendam vim hujus argumenti notandum ex hiſtoriis, non ſimul unico quaſi ictu corruiſſe Rempublicam , & principatum populi Judaici , ſed quaſi per gradus ad ultimam eſſe lapſam ruinam. Primum ad interitum gradum fecit Pompejus, dum teſte Euſebio lib. 1. hiſtor. c. 6. *Hieroſolymam armis expugnavit , & ad intimum uſque ſacrarium progreſſus , templum polluit* , qui umbram quidem , & nomen imperii , ac regni Judæis reliquit , rem vero ademit. Alter ruinæ gradus fuit , dum ab Herode alienigena regnum & principatus Aſſamonæis, ſeu Machabæis ereptus , ac genus eorum extinctum eſt. Tertius gradus fuit , dum Archelao Herodis Filio Viennam relegato Judæa redacta eſt in Provinciam , cui Præſes gentilis à Romanis eſt aſſignatus , cum anno 40. à morte Chriſti ſubverſa per Titum Hieroſolyma Judæi extorres, diſperſi, errabundi , dum ubique ſervitute ſub alieno imperio , ſine duce , ſine templo, ſine victimis, ſine ſacerdote premuntur : quam eorum ruinam prædixit Oſee c. 3. v. 4. inquiens : *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine lege , & ſine principe , & ſine ſacrificio , & ſine altari , & ſine ephod , & ſine teraphim.*

Ex quibus omnibus clare innoteſcit , poteſtatem regiam , ac Principatum omnem à tribu Juda , & Judæis jam multo abhinc tempore eſſe ablatum , adeoque Meſſiam jam pridem adveniſſe.

Solvuntur Objectiones Judæorum.

17 Objic. 1. Jacobi vaticinium intelligi petit de Nabuchodonofore Rege Babylonis, qui mittendus dicitur tanquam Dei flagellum ad punienda peccata populi, ut habetur Jerem. 25. v. 9, & Ezech. 26. v. 7. qui & populum captivum abduxit, urbemque & templum evertit: ergo iftud vaticinium non loquitur de Meffia.

R. N. a. Jacobus illo vaticinio faufta & læta prædicere voluit Judæis, ut patet ex initio oraculi illius, quod ita habet: *Juda te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te fratres tui — Non auferetur fceptrum de Juda &c.*: atqui adventus Nabuchodonoforis Judæis minime fauftus ac lætus fuit. 2. Nabuchodonofor non fuit exfpectatio, fed execratio gentium. 3. Authoritas regia & principatus Judæorum per captivitatem Babylonicam, in quam abducti fuerant Judæi, non fuit penitus extincta: ex licentia enim Regis fecundum fuas leges vixerunt Judæi, Ducem ac Principem captivitatis habuerunt, & Evilmerodach Nabuchodonoforis Filius & Succeffor Joachim Regi Judæ regium titulum, & infignia conceffit. 4. Reg. c. 25. v. 28.

Objic. 2. Oraculum Jacobi poteft intelligi de Cyro Rege Perfarum, qui à gentilibus exfpectandus, imo & Chriftus dicitur; *hæc dicit Dominus Chrifto meo Cyro.* Ifa. 45. v, 1. ergo &c. R. N. a. non poteft de Cyro intelligi vaticinium Jacobi; omnes enim ejus partes Cyro convenire nequeunt. Quippe Jacob prædixit, tunc fceptrum & principatum à Juda & Judæis auferendum, cum veniret, qui mittendus eft; fed cum Cyrus venit, liberans Judæos à captivitate non tam ablatus eft ab illis, quam reftitutus principatus. 2. Quamvis cit. capit. 45. & præcedente 44. Ifaias fere ducentis annis ante Cyrum aliqua de hoc, ceu liberatore populi Judaici prædixerit, tamen omnia illa c. 45. prænunciata de Cyro intelligi non poffunt, fed de ipfo Meffia funt dicta: vg. ifta: *rorate cœli defuper, & nubes pluant juftum: aperiatur terra, & germinet falvatorem. Tantum in te eft Deus, absque te non eft Deus. Vere tu es Deus abfconditus, Deus Ifrael falvator.*

ſalvator. 3. Cyrus fuit figura Meſſiæ liberantis nos à captivitate dæmonis.

Objic. 3. Toties laudatum oraculum Jacobi in hebræo ita habet : *non auferetur &c. usquequo veniat Siloh, & erit obedientia populorum* : ſed per to Siloh intelligitur urbs hujus nominis ſita in tribu Ephraim, in qua ſunt ductæ ſortes pro diviſione terræ promiſſionis Joſue 18. & in qua manſit arca uſque ad tempora Samuelis 1. Reg. 4. Conſequenter textus ille de urbe Siloh, non de Meſſia intelligendus venit : ergo.

R. N. m. non poteſt per to Siloh intelligi urbs illa ſine ſenſu ſatis abſurdo; nam ſi accipis verba, ut jacent, tum faciunt hunc ſenſum per ſe abſurdum, *non auferetur ſceptrum* de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat urbs Siloh. Si accipis in ſenſu, quem affingunt Judæi, nimirum hunc; quando urbs Siloh devaſtabitur, vel ſedes arcæ deſinet eſſe, accedet ſceptrum & ducatus ad tribum Judæ, tunc manifeſte loquuntur contra ipſum textum, qui loquitur de ablatione & diſceſſu ſceptri à Juda, & tu accipis de acceſſu ſceptri & ducatus ad Judam. Neque toleranda eſt iſta expoſitio : *non auferetur ſceptrum de Juda, uſquequo veniat Saul & Jeroboam in Siloh*, ubi unguntur in Reges. Etenim ante Saulem non fuit ſceptrum in Juda, ſed huic tribui primum delatum eſt poſt Saulem in Davide : ergo non potuit ſceptrum tunc auferri à Juda, qui ipſum nondum habuit. Neque defecit in Jeroboam, licet hic imperaverit decem tribubus Iſraelis à Juda ſeparatis, tamen perſtitit regnum tribus Judæ, & Reges, qui tribui Judæ præerant, præcipui erant.

Adde : quando unctus eſt Saul, arca non erat in Siloh, ſed Cariathiarim in domo Aminadab 1. Reg, 7. v, 1. Et quando unctus eſt Jeroboam, arca erat Jeroſolymus, quo translata fuerat è Davide de Domo Aminadab. 2. Reg. 6. 2. Nec Saul, nec Jeroboam uncti ſunt in Siloh; ſed primus in Ramatha 1. Reg. 10. alter in Sichem. 3. Reg. 12. v. 2.. 3, Nec Saul, nec Jeroboam erat exſpectatio gentium. Taceo plura alia, quæ huic expoſitioni ex ſacra ſcriptura poſſunt opponi.

Vox *Siloh* tribuitur hic uni Meſſiæ : vel enim derivatur à verbo

verbo, quod fignificat mittere: ut c. 9. v. 7. dicitur: vade: *lava in natatoria Siloe, quod interpretatur miffus*. Vel defumitur à verbo, quod fignificat *pacificum effe*, ut vertit textus famaritanus: & fic optime congruit Meffiæ, qui Ifai. 9. v. 6. *appellatur Princeps pacis.*

Objic. 4. Per fceptrum in citato textu intelligitur virga doloris, ut fenfus fit: *non recedet à Judæis virga afflictionis, donec veniat Meffias.*: ergo nondum advenit Meffias, quia à Judæis nondum receffit virga afflictionis, ut palam eft. A. prob. quia in hebræo adhibetur vox *fchebet*, quæ virgam doloris fignificat.

R. N. a Verba fubfequentia: *& dux de femore ejus* clare fignificant, non hic de virga doloris, fed regiminis effe fermonem. 2. Vox *Schebet* non fignificat virgam afflictionis, nifi aliquid additum fuerit, quod illam determinet ad hujusmodi fignificationem, prout fit Pfal. 2. v. 9, *reges eos in virga ferrea.* & Jfa. 10. v. 5. Væ Affur *virga furoris mei ipfe eft.* Si fine fimili addito eft, tunc poteftatem imperandi fignificat, cujus fymbolum eft virga, feu fceptrum, ut Efther. 4. v. 5.

Objic. 5. Particula *Donec* in oraculo Jacobi non fignificat finem fceptri & Ducatus in Juda, fed ejus continuationem & perpetuationem etiam poft adventum Meffiæ. Sic Gen. 8. v. 7. de corvo ex arca Noe dimiffo dicitur. *Non* revertebatur, donec ficcarentur aquæ: ubi particula *donec* fignificat corvum ne quidem poft ficcatas aquas effe reverfum. Ita quoque Matth. 1. v. 25. dicitur: *Non cognofcebat eam* (fcilicet Jofeph Mariam) *donec peperit filium fuum Primogenitum.* Ibi tamen minime afferitur, quod poft Nativitatem filii fui Jofeph Mariam cognoverit: ergo à pari particula *donec* non fignificat finem fceptri & ducatus in Juda, fed ejus continuationem: atque adeo ifte textus à nobis male applicatur, & ad noftrum propofitum, fi fic exponitur, non fervit.

R. N. a. ratio negandi primo eft: in facra fcriptura particula *donec* fignificat quidem frequenter continuationem, fed multo frequentius finem rei. Ut patet ex illo Gen. 26. v. 13. *Ifaac ibat fuccrefcens, donec magnus effectus eft*; id eft, Ifaac cef-

fabat

ſabat creſcere, cum magnus eſt factus. Eum in modum legitur alibi S. Textus, ut Judicum 4. v. 24. *Flii Iſrael forti manu opprimebant Jobin Regem Canaan, donec delerent eum.* 2do. quomodo poteſt to *donec* ſignificare continuationem ſceptri, & ducatus, quem jam ante plura ſæcula non habent Judæi? Hinc 3. eſt contra Judæos, quod to *donec* importet continuationem ſaltem ſceptri à Juda aliquando obtenti uſque ad Meſſiam venturum, ſicut in allatis textibus emiſſio corvi uſque ad ſiccationem aquarum, & omiſſio uſus matrimonii uſque ad Nativitatem filii primogeniti, vel unigeniti adſtruitur: ſed hoc eſt contra Judæos exſpectantes etiamnum adventum Meſſiæ, cum tamen jam ante mille & plures centenos annos ſceptrum & Principatus ab ipſis fuerit ablatus. Adeoque perperam confugiunt ad ſimilem explicationem moderni Judæi, eique plus æquo tribuunt. Id quod ulterius roboratur, quia to *donec*, uſquedum in citatis & aliis textibus, ut in illo; *dixit Dominus Domino meo, ſede à Dextris meis, donec ponam inimicos tuos* ſolum ſignificat, quid antea vg. ante ſiccationem aquarum, ante partum B. V. Mariæ, & in ſententia Judæorum ante adventum Meſſiæ factum, vel non factum ſit, non vero quid poſtea: ergo to *donec* ſignificat in citato textu non eſſe auferendum ſceptrum, & poteſtatem imperii à Juda ante adventum Meſſiæ, quidquid ſit futurum poſt adventum: ergo cum jam dudum ablatum ſit ſceptrum de Juda, Meſſiam jam pridem adveniſſe oportet: alias certe falſus eſſet textus ſcripturæ.

Neque dicant Judæi, ſe adhuc habere ducem quempiam ex Juda oriundum, imperantem in extremis Aſiæ partibus. Benjamin Tudelenſis ſcribit eum Bagdadi ſedem habere. Nam hoc figmentum eſt inſulſum, ad quod ſtabiliendum fuit neceſſe confugere ad incognitas mundi plagas. Præterea incredibile videtur, malle Judæos tam dura ubique ſervitute premi, quam ad ſuum ducem confugere, ſub quo in pace vivere poſſent.

Solvuntur aliæ objectiones partim à Judæis, partim à modernis criticis factæ.

18 Objic. 1. Strabo, Josephus Scaliger, Cosaubonus, Tomiellus, Henricus Valesius, Huetius & c. videndi apud Honoratum Tournelii, existimant, Herodem non fuisse alienigenam: ergo dum Herodi delatus est ducatus populi Judaici, is non est ablatus à Judæis, nec translatus in alienigenam.

R. Non obstante præfatorum opinione Herodes, sub cujus regimine Christus natus est, alienigena & minime Judæus fuit. Nam. 1. S. Justinus Dial. cum Triphone Judæo refert ex Judæis ipsis, Herodem Ascalonitam, id est, Philistæum ex genere Canaan fuisse: Herodem, inquit, Ascalonitam fuisse dicitis. 2. Antigonus è Familia Assamonæorum, qui de regno cum Herode contendit, apud Josephum l. 14. Antiquit. c. 27. Herodem vocat hominem privatum, & Idumæum, hoc est semijudæum, qui nempe genere Idumæus, Judaicæ tamen religioni inutritus fuerat. 3. Julius Africanus apud Eusebium lib. 1. histor. c. 6. Herodem similiter alienigenam appellat, idem faciunt Ipse Eusebius, S. Hieronymus, August. Theodoretus &c. 4. S. Epiphanius hæres. 20. ait, Herodem & Idumæum, & Ascalonitam dici posse: quod nimirum ex Avo Ascalonita oriundus in Idumæa natus sit. 5. Varii secuti Julium Africanum (teste Herinx) faciunt illum genere Ascalonitam, etsi in Idumæa natum. Ex quibus habetur certum esse, quod fuerit alienigena, non descendens è tota gente Judaica Ab Abrahamo NB. per Isaac & Jacob prognata, seu dein fuerit Ascalonita ex genere Canaan, seu Idumæus ex familia Esau Fratris Jacob, qui distinctam à Judaica, gentem condidit.

Dices cum Scaligero: Idumæi fuere veri Judæi, utpote, qui postquam à Joanne Hircano 90. annis ante Christum natum fuere subacti, circumcisi, & iisdem ritibus ac Privilegiis cum Judæis usi sunt: ergo. R. D. a. fuere vere Judæi religione tanquam proselyti c. a. fuere Judæi genere & sanquine ex Jacob oriundi, de quibus hic quæritur. N. a. Prophetia Jacobi intel-

ligenda

ligenda eſt de Judæis ex ſanquine Jacob deſcendentibus : *& dux de femore ejus &c.* Ex quo patet diſparitas inter Chriſtianos & Judæos : Chriſtiani enim fiunt per Baptiſmum , Judæi vero , de quibus nunc agitur , naſcuntur.

Nec obeſt , quod Herodes pro vero Meſſia fuerit ab aliquibus Judæis habitus. Hoc enim accidit ex ſimulatione & adulatione hominum inertium. 2. Simon magus ac Doſithæus , Ambo ſamaritani , conſequenter non Judæi , ab aliquibus Judæis fuere pro Meſſia habiti. 3. Joſephus Aſſamonæus ſacerdos eruditiſſimus adulationis ſtudio Jacobi vaticinium in Veſpaſiano adimpletum eſſe dixit. 4. Ex his ſaltem deducitur , ſub illud tempus , quo ſub Herode , & Veſpaſiano collapſus eſt ducatus Judaicus , inſediſſe Judæis ſententiam , Meſſiam jam veniſſe.

Dices 2. Nicolaus Damaſcenus teſte Joſepho L. 14. Antiq. c. 2. ait , *Herodem eſſe ortum ex primis Judæis redeuntibus ex Babylonia.* R. ex eodem Joſepho L. 14. Antiq. c. 11. Nicolaum Damaſcenum ex adulatione , ut gratiam Herodis ſibi conciliaret , illuſtre ei genus ex Judæis è captivitate reducibus aſſeruiſſe.

Unde quæ hinc inde affert Joſephus pro aſſerto Damaſceni ſacientia , tantum recitat , non approbat. Ipſe enim eſt contrariæ ſententiæ , ut ex variis locis patet. Cæterum Herodes, licet alienigena , tamen religionem judaicam coluit , tum quia circumciſus erat , & religione judæus , tum quia vidit id expedire rebus ſuis. Neque in obſervantia legis adeo ſcrupuloſus fuit , ſed eam ſæpius violavit , ut ex Joſepho ſcimus.

Denique , transmiſſo , quod in Herode nondum defecerit , ducatus & regia poteſtas à Judæis , ſaltem perfectiſſime defecit, quando amoto poſt Nativitatem Chriſti Archelao Herodis filio, judæa eſt redacta in provinciam , Præſide gentili à Romanis ei deſignato , vel certe tunc , dum extremum excidium Jeroſolymæ à Tito ſuſtinuit.

Neque hic mathematice tempus dimetiendum eſt : ſed ſufficit , quod ſub , vel circa illud tempus , quo Meſſias advenit , aliqui-

aliquibus annis ante, vel poſt ablata ſit ſuprema Ducalis & regia poteſtas, & ſic ablatio hujus, & adventus Meſſiæ ſe aliqualiter in æſtimatione morali contingant.

Objic. 2. Imperium & regia poteſtas ſerius incepit in tribu Juda: ergo illa prophetia Jacobi ad venturum Meſſiam non ſpectat. A. prob. à vaticinio Jacobi usque ad Davidem, in quo poteſtas regia ad tribum Juda devoluta eſt, effluxerunt anni fere ſexcenti & triginta; Euſebius integros mille annos numerat: ergo. R. C. a. N. c. in illo vaticinio Jacobi non eſt ſermo de initio regiæ poteſtatis in Juda, ſed de ejus ceſſatione: ſenſus enim eſt, ſceptrum, poſtquam ad tribum Juda pervenit, non eſſe ab eo auferendum, donec veniat Meſſias: ergo non obſtat, quod ſerius in Juda poteſtas regia inceperit.

Objic. 3. Sceptrum Judæ jam fuit ablatum tempore captivitatis Babylonicæ, quando Joachim vel Sedecias à Nabuchodonoſore captus, Jeroſolyma everſa eſt, & omnes judæi 70. annis ſub triſtiſſima ſervitute Babylonica gemuerunt: quæ omnia contigere quingentis fere annis ante Herodem: ergo vi oraculi prædicti jam 800. circiter annis ante Herodem Meſſias veniſſet. R. N. a. quamvis Joachim ſeu Jechonias Rex fuerit captus, Rex tamen manſit, quem judæi etiam Regem venerabantur, quantum eorum præſens ſtatus conceſſit: vel ſaltem poteſtas regia, & Ducatus non videtur eſſe ablatus à Judæis per captivitatem illam Babylonicam, *tum* quia in ipſa captivitate judæi adhuc habebant ſuos Duces & Judices, qui etiam exercebant poteſtatem in vitam, ut patet ex hiſtoria Suſannæ Dan. 13. *Tum* quia Joachim 37. anno captivitatis nomen & ſolium regium iterum obtinuit ab Evilmerodach rege Babylonis, ut ſupra jam dictum eſt. *Tum* quia interruptio ſeptuaginta annorum non eſt notabilis, & tamquam parva pro nihilo reputanda reſpectu tot centenorum annorum, quibus tam ante quam poſt captivitatem rerum ſumma penes Judæos manſit poteſtas.

Objic. 4. Saltem poſt captivitatem Babylonicam principatus non fuit amplius apud tribum Judam, ſed apud ſacerdotes, qui fuere de tribu Levi, non de Juda, quingentis fere annis uſque

que ad Herodem perduravit: ergo vel Prophetia Jacobi non loquitur de Messia, vel si de eo loquitur, tunc jam venit quingentis fere annis ante Herodem.

Ad hanc difficultatem respondent alii 1. Sacerdotes istos, qui imperabant, maxime Machabæos fuisse per lineam maternam ex tribu Juda prognatos, regiæque Davidis familiæ insertos.

Verum contra hanc responsionem est 1. apud hebræos nulla habetur ratio generis materni, apud quos receptum est illud. *Matris familia non est familia.* 2. Esto deinde quod tribus Juda, & Levi licite contraxerint matrimonia, tamen quod Assamonæi, vel sacerdotes ante ipsos regentes similia connubia cum fæminis tribus Judæ inierint, aut ex simili matrimonio procreati sint, nullibi legitur. 3. Hac ratione oraculum Jacobi videretur æque tangere tribum Levi, ac Juda: Ast hoc nequit dici: quia fuit specialis benedictio Judæ, non vero Levi, aut alteri tribui data. 4. Sic etiam dici posset, B. Virginem solum secundum lineam maternam esse de tribu Juda, ac Familia David, & hoc satis esse, ut Christus dicatur esse de tribu Juda, & Domo David: quod nemo facile dixerit, aut concesserit.

Neque illa quorumdam responsio roboratur per illud 1. Machab. c. 5. v. 63. *viri Juda magnificati sunt in conspectu omnis Israel.* Ibi Assamonæi dicuntur viri Juda, consequenter de tribu Juda. Per viros Juda intelliguntur illi, qui sequebantur Judam Machabæum. Quod amplius claret ex textu græco, qui ita sonat: *& vir Judas, & Fratres ejus glorificati sunt.*

Neque obest, quod S. Cyrillus cum aliis illam responsionem det. His enim oppono S. Ambrosium, qui Lib. 3. in Lucam docet aperte, regnum Davidis in Jechonia penitus defiisse, & à sacerdotibus occupatum fuisse.

Rdent alii. 2. Ex tribu Juda sub regimine Machabæorum fuisse conflatum magnum Concilium Sanedrin, penes quod proinde perstiterit potestas imperii. Verum contra est 1. Isti 70. viri, qui constituebant Sanedrin, non fuere Reges aut duces, sed potius

tius consiliarii Regum & Ducum. 2. Et certe collegium istud supremam authoritatem non habuit tempore Machabæorum, sed his subjectum fuit. 3. Istud Concilium potius sacerdotum, quam aliorum fuit, eique præfuit summus sacerdos juxta illud Deutero. 17. v. 8. & 9. *ascende ad locum, quem elegerit dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis:* quamvis & alii de tribu Juda, & aliis tribubus in illo senatu sederint.

Rdent alii 3. Jus regnandi penes Judam semper mansisse; usumfructum & administrationem penes Machabæos, qui regnum possederunt tanquam depositum, consentiente tribu Juda.

Ast Contra est 1mo. Nulla apparet vel minima hujus depositi, & ususfructus umbra. Quippe Machabæi, ac Sacerdotes post solutam captivitatem delatum sibi Ducatum velut rem propriam, & non tantum ad tempus sibi creditam occuparunt: unde in regimine illo sacerdotum sine electione alia filii parentibus successerunt. Neque facile quisquam sibi persuaserit, tribum Juda tot per annos ejusmodi depositum sponte penes Assamonæos reliquisse. Adde, tali modo ad sensum scripturæ non defecisset sceptrum à Juda etiam per alienigenam Herodem, si Judæi in illum consensissent, prout *teste Josepho* postea in Ipsum, præstito eidem fidelitatis juramento, consenserunt.

Neque Dicas: penes tribum Judam semper remansisse spem recuperandi Principatus. Nam contra est 1. Non dicitur actu quis rem habere, cujus habendæ spem tantum habet. 2. Hodie etiamnum possent judæi dici possidere regnum, & sceptrum ob prætensam spem recuperandi regni & sceptri. 3. Non apparet, quomodo Judæ certa spes affulgere potuerit recuperandi sibi regnum, quod adeo in sacerdotibus firmatum vidit.

Rdent nonnulli 4. Sceptrum innuere aliquam specialem in tribu Juda dignitatem, quam habet, quod Christus ex ea nasciturus esset.

Contra est: hæc dignitas omnino improprie dicitur sceptrum: & hæc responsio videtur omnino gratis ac contra textum

tum data. 2. Admissa hac responsione, nihil ex Jacobi vaticinio probaretur contra Judæos, in quorum opinione adhuc perseverat hæc dignitas, quod Christus adhuc ex Juda sit nasciturus. 3. Juxta hanc explicationem, sceptrum non auferetur à Juda, quia hæc dignitas, nempe Christi Nativitas ex tribu Juda semper maneret, etiam post Nativitatem: non enim major est dignitas, quod Messias sit nasciturus, quam quod sit natus ex hac tribu. His itaque responsionibus missis.

R. 5. D. a. post captivitatem Babylonicam imperium fuit penes sacerdotes, tunc quodammodo incorporatos, & insitos tribui Judæ. C. a. secus N. a. quando soluta captivitate Babylonica tribus Juda cum respective paucis ex tribu Benjamin, Levi seu sacerdotali, & aliis tribubus in Palæstinam & Patriam rediit, tunc nulla distinctio inter has tribus aut regno, aut loco, aut nomine, ut antea fuit habita, sed omnes *teste Josepho l. 11. Antiq.* c. 5. communi nomine vocati sunt Judæi, & terra Judæa, gensque & regnum judæorum. Unde *per Judam* in oraculo non intelligitur sola tribus Juda, sed & totum complexum ex contribulibus, & ex illis, qui huic tribui sunt quodammodo incorporati, ac eodem nomine vocantur.

Ex his habes, qua ratione illud oraculum & Benedictio Jacobi specialiter ad tribum Juda pertinuerit; nam primo illa tribus per suos contribules à Davide usque ad captivitatem Babylonicam potestatem regiam & sceptrum habuit: post hanc captivitatem vero iterum Ducatus ad hanc tribum spectat, quia eum gesserunt oriundi quidem ex alia tribu, tribui tamen Judæ quodammodo inserti, & ab eo nomen Judæorum trahentes.

§. II.

Probationes ulteriores.

Messiam in scriptura S. promissum jam venisse etiam pro- 19
bat prophetia Danielis 9. v. 24. ubi Gabriel Archangelus ita loquitur Prophetæ: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consumetur præ-*

varica-

varicatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus ſanctorum.

Dicitur in hoc oraculo. 1. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*, id eſt, breves, ſeu paucæ à Deo decretæ ſunt uſque ad Chriſti adventum, cum Deus longe plures decernere potuiſſet, & in multo remotius tempus differre adventum Meſſiæ, niſi hujus accelerationem Daniel, & antea Iſaias, aliique SS. PP. & Prophetæ, de congruo meruiſſent, ac ſuis ſuſpiriis ac precibus impetraſſent, ut S. Bonavent. Gabriel, Richardus Alenſis, aliique apud Tirinum allegati docent. Simili phraſi Matth. 24. v. 22. dies perſecutionis Antichriſti dicuntur *breviati*, id eſt, breves ſeu pauci à Deo definiti & decreti. Unde iſtæ hebdomades dicuntur breves reſpectu temporis, quo jam exſpectabatur Meſſias: quid ſint hebdomades iſtæ Danielis, inferius dicetur.

Dicitur 2. Ut conſumetur *prævaricatio*: quibus & ſequentibus verbis ad vivum depingitur Meſſias, & ejus officium, ut patebit. Pergit in prophetia citata Archangelus Gabriel: *ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem*, id eſt: initium ſeptuaginta hebdomadum iſtarum ſumendum eſt *ab exitu ſermonis*, ſeu Decreto regis, quo dabitur plena facultas dirutam Jeruſalem reædificandi, ab hoc initio fluent 7. hebdomades ſeu 49. anni, extra quod anguſtum ſeu perbreve tempus inſtauratio templi, ac urbis & platearum, atque murorum eſt abſolvenda: & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum (id eſt interim, dum currunt hæ ſexaginta novem hebdomades) *ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus., & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt.* Id eſt, poſt 7. hebdomades ſeu 49. annos, intra quos ædificabitur Jeruſalem, fluent adhuc ſexaginta duæ hebdomades ſeu 69. poſt quos, ſeu 69. hebdomades occidetur Chriſtus in ipſa hebdomade ſeptuageſima, *& civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus* (Romanus) *cum Duce*, (Tito) *venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmatur autem pactum multis hebdomada una*

(id eſt

(id eſt ultima) *& in medio hebdomadis* ultimæ deficiet hoſtia, & ſacrificium) abrogata ſcilicet lege antiqua, & ſacrificiis ejus per mortem Chriſti) *& erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio*: id eſt, templum non amplius reſtaurabitur in uſus Sacrificiorum Judaicorum. Semel quidem atque iterum Judæi ſunt aggreſſi templi Jeroſolymitani inſtaurationem, ſed maximo ſuo damno. Nam cum anno à reparata ſalute 134. Hadriano Imperatore idcirco turbas quasdam excitarent, centum millibus eorum occiſis, reliqui per omnem orbem diſperſi ſunt. Sub annum vero Chriſti 363. dum manum reſtaurationi hujus templi admovere, cæleſtibus prodigiis fuerunt impediti, Flamma è fundamentis erumpente, ac fabrilia inſtrumenta abſumente, & rubris crucibus apparentibus in operariorum veſtibus. Anno vero Chriſti 643. reſtauratum à Saracenis aliquatenus, antiquam magnificentiam nec à longe recuperavit, eaque reſtauratio ſolum facta eſt in uſus Saracenorum. Unde vel ob ipſam ſuperſtitionem Machometanam ibi vigentem deſolatio in eo permanet.

Ad prævertendas aliquas cavillationes prævie nota, hic 20
non, ut in aliis quibusdam locis S. Scripturæ, numerum incertum annorum vel temporis poni pro certo. Nam. 1. univerſim non ponitur in SS. literis numerus incertus pro certo. 2. hic ipſa ratio indicat certum deſignari numerum, quia certi characteres certis annis adſcribuntur, ut ædificatio civitatis intra annos 49. & occiſio Chriſti in medio hebdomadæ 7mæ.

Ex hac prophetia ita infero. Ex una parte vi prophetiæ hujus Meſſias in lege promiſſus debuit venire ſub finem illarum 70. hebdomadum: Ex altera parte illæ 70. hebdomades jam pridem ſunt finitæ: ergo Meſſias in lege promiſſus jam pridem debuit venire. Ant. quoad 1. memb. videtur liquidum, nam ille, cujus adventus ſub finem 70. hebdomadum prædicitur, non poteſt alius eſſe, quam Meſſias in lege promiſſus, utpote cui conveniunt hi characteres: Sanctus Sanctorum, Chriſtus ungendus & occidendus, qui adducturus ſit juſtitiam ſempiternam, impleturus viſionem, & prophetiam, quæ nempe de Meſſia eſt facta, & deleturus, ac expiaturus ini-

quitatem, finemque daturus peccato. Et quæſo, cui conveniunt hæ notæ? Certe ſoli Salvatori in lege promiſſo, & tamdiu exſpectato. Certe non conveniunt Hircano Machabæorum ultimo legitime electo Pontifici, & ab Herode occiſo, ut comminiſcuntur Judæi: hic enim non fuit Sanctus ſanctorum, nec reliquas in oraculo Danielis delineatas notas habuit.

Neque Dicas, Danielem vel potius Angelum Gabrielem de duobus Chriſtis locutum fuiſſe, proinde has notas omnes non debere uni Chriſto convenire. Nam hoc iterum commentum eſt, & ipſe textus oſtendit, ſermonem tantum de uno Chriſto eſſe. Igitur prob. 2. memb. A. Vel illæ 70. hebdomades ſunt dierum vel annorum? ſed ſive hæ, ſive illæ ſint, jam ſunt finitæ: ergo 70. hebdomades jam ſunt finitæ: ergo promiſſus in lege Meſſias, qui ſub finem harum hebdomadum debuit vi prophetiæ Danielis venire, jam venit. M. videtur patere, quia in S. Scriptura non leguntur aliæ hebdomades quam illæ duæ: ſcilicet hebdomas dierum, quæ ex 7. diebus conſtat, & hebdomas annorum, quam 7. anni conficiunt. m. vero iterum patet: quamvis difficile ſit ob priſcæ Chronologiæ obſcuritatem determinare initium, & finem harum hebdomadum, tamen palam eſt, effluxiſſe uſque nunc longe majus tempus, quam 70. hebdomades dierum, quæ nec 6. integros annos conſtituunt, imo quam & 70. hebdomades annorum, quæ ſunt 490. anni: ergo etiam palam eſt, illas 70. hebdomades jam eſſe finitas.

Notes autem, textum Danielis eſſe intelligendum de hebdomadibus annorum, non dierum: ratio eſt: quia 70. hebdomades nimis parvum tempus conſtituerent, & ſub finem illarum ſeu intra tam breve tempus non contigerunt illa, quæ in prophetia Danielis prædicuntur, nimirum occiſio Chriſti, diſſipatio urbis Jeroſolymitanæ, & perpetua deſolatio &c. uti certum eſt: ergo intelligi debet de ſeptimanis annorum juxta phraſin veteris teſtamenti, ut Levit. 25. v. 8. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomades annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem.*

Dices: Archangelus Gabriel apud Danielem intellexit hebdomades

domades jubilæorum parvorum, ſeu ſemper ſepties quadragin-
ta novem annos. Contra eſt 1. ſacra ſcriptura non agnoſcit
hebdomades jubilæorum, bene hebdomades annorum. 2. Ta-
les ſeptuaginta hebdomades jubilæorum facerent annos 24010.
quod ſpatium eſſet nimis longum, contra vaticinium Aggæi,
qui c. 2. v. 7. dixit: *adhuc modicum eſt, & veniet deſideratus
cunctis gentibus.* 3. Poſt illas hebdomades juxta vaticinium Da-
nielis deſtruendum eſt templum & Urbs, non autem antea:
cum tamen hæc jam pridem deſtructa ſint, nec tamen nume-
rus ille annorum, quem 70. hebdomades jubilæorum confice-
rent, effluxerit: ergo non poteſt vaticinium iſtud intelligi
tali modo de ſeptimanis Jubilæorum.

Solvuntur aliquæ objectiones.

Objic. 1. Daniel à Judæis non recenſetur inter Prophe-
tas: ergo ex hujus prophetia contra illos nihil probatur. R. 21
trans. a. N. C. Mera eſt nominis æquivocatio: Judæi quippe
ſolum eos Prophetas agnoſcunt, qui procul ab aulæ tumultu
vitam ſolitariam agebant. Verum parum refert, an Prophe-
tæ nomen Danieli tribuant, vel denegent, modo fateantur, ſicut
revera fatentur, librum Danielis inter Hagiogriphos ſeu divini-
tus inſpiratos habendum eſſe. Et revera Davidis pſalmi a Ju-
dæis habentur authentici, & a Deo inſpirati, quamvis Davi-
dem inter Prophetas non numerent: ergo à pari. Re ipſa au-
tem Daniel verus Propheta fuit, quem Chriſtus Ipſe Matth.
24. v. 15. Prophetam appellat, dicens: *cum ergo videritis abomi-
nationem deſolationis, quæ dicta eſt á Daniele Propheta.*

Objic. 2. Non poſſumus dicere, unde ſumendum ſit ini-
tium hebdomadarum Danielis: ergo ex illis nihil poſſumus pro-
bare. A. conſtat ex variis ſententiis etiam Catholicorum circa
initium harum hebdomadum. R. N. C. initium harum hebdo-
madum ſumi debet *ab exitu ſermonis, ut iterum ædifi-
caretur Jeruſalem*, ſeu à tempore, a quo permiſſum eſt
Judæis iterum ædificare civitatem. Circa quod tempus,
quamvis ſit diſcrepantia Authorum, tamen non obeſt efficaciæ
probationis ex hac prophetia deductæ. Conſtat enim, initium

 debere

debere ſumi à tempore durantis Imperii Perſarum, à quo uſque ad noſtra tempora ad minimum quater fluxerunt quadringenti nonaginta anni. Unde Meſſias jam dudum debuit veniſſe: hinc recte Lyranus dicit in cap. 9. Daniel. Non veniet judæis excuſatio à diverſitate computorum, cum tempus 70. hebdomadum, qualitercunque computetur, jam per mille annos tranſierit in præteritum, & amplius: Sola ergo obſtinatio malitioſa tenet cor in perfida exſpectatione Meſſiæ.

Interim, ut eruditorum deſideriis aliqua ex parte faciam ſatis, quædam de initio 70. hebdomadum adnectere oportet. Igitur prævie.

Obſervandum 1. Septuaginta illas hebdomades computari debere *ab exitu ſermonis, ut iterum ædificaretur Jeruſalem*, id eſt à promulgato eo Regis Decreto, quo Judæis poteſtatem fecit inſtaurandæ urbis. Ut igitur initium harum hebdomadum determinetur, quis ille Perſarum Rex fuerit, & quo regni ſui anno decretum illud in gratiam Judæorum dederit.

Obſervandum 2. Quatuor à Regibus Perſarum data eſſe edicta in favorem judæorum: Primum à Cyro anno imperii ſui primo lib. 1. Eſdræ c. 6. v. 3. ibi: *Anno primo Cyri Regis: Cyrus Rex decrevit, ut Domus Dei ædificaretur, quæ eſt in Jeruſalem*, Secundum à Dario Hyſtaſpe, quo prius Cyri decretum confirmatur lib. 1. Eſdræ c. 6. Tertium ab Artaxerxe Longimano (qui creditur ab aliquibus fuiſſe ille magnus Aſſuerus maritus Reginæ Eſtheris) anno regni ſui 7mo. lib. 1. Eſdræ c. 7. v. 7. Quartum ab eodem Artaxerxe Longimano anno imperii ipſius vigeſimo l. 2. Eſdræ c. 2. v. 1. & ſeqq. ubi ſolemniſſime concedebatur reſtauratio ipſius civitatis Jeruſalem, murorum, platearum &c. quæ etiam à Nehemia peracta eſt. His ſupp.

Cum pleriſque dico 1. Hebdomades 70. non eſſe inchoandas à Decreto Cyri, & Darii Hyſtaſpis: nam inchoandæ ſunt à Decreto illo, quo fuit conceſſa poteſtas iterum ædificanid urbem: ſed priora Decreta id non conceſſerunt, verum tantum conceſſerunt poteſtatem denuo extruendi templum. Ob

Ob eamdem rationem existimant non ignobiles critici contra alios, neque computandas esse 70. hebdomades à Decreto Artaxerxis primo nempe anno 7. regni edito : quia & illud Esdræ tantum permittit reædificationem templi , de instauratione urbis nihil habet , Putant tamen alii adversarii, ut Didacus à S. Antonio , Enchirid. script. tom. 3. pag. 358. Cornelius à Lapide in Danielem , anno 7mo regni sui Esdræ non solum concessisse potestatem restaurandi templum , sed & civitatem , quod Rex hic *Esdræ omnem petitionem ejus dederit* : 1. Esdræ 7, v. 6. Verum exinde non constat , quod Esdras etiam petierit facultatem ædificandi Jerusalem. Inde mihi videtur longe verisimilius, exordium harum hebdomadum esse ducendum ab altero edicto ejusdem Regis facto anno 20. Regni sui , quo clare & ample fuit hæc potestas concessa : ita sentiunt Honoratus , Tournelius Tom. 1. cursus Theologici. In Prælectionibus de Incarnatione Verbi Divini q. 3. de existentia Incarnationis. De prophetia ista Danielis. Gallus Cartier Tom. 2. Tract. 3. c. 2. Folio mihi 44. Ludovicus Habert de Incarnatione c. 5. §. 1. pag. 87. Antonius Mayr. Tract. Theolog. de primo & secundo adventu Christi l. 1. c. 1. n. 8. pag. 7. Faciunt hic critici varias oblocutiones ex Chronologia & annorum Epochis : Verum placita Chronologorum inter se mire divisorum valde sunt incerta , ut in defensione scriptorum Agredanornm in utroque libro pluribus ostendi : unde propter ea aliquis non debet turbari. Nihilo tamen secius , ut aliqualiter illa objectio diluatur , ab anno Artaxerxis vigesimo pauciores annos fluxisse , quam 490. usque ad Christum , dicendum esse pluribus videtur , Artaxerxem quasi 13. annis regnasse cum Xerxe Patre , & hunc annum , quem hic statuimus , fuisse vigesimum, ex quo à Patre Xerxe contra Græcos profecturo in regni collegam fuerat assumptus ; septimum vero ex quo solus regnavit, ab hoc autem anno juxta computum peritorum annos solares numerantium finis hebdomadæ sexagesimæ nonæ incidit in Christi Baptismum , quando à Patre declaratus populi Dux clarissime mundo apparuit : exactis autem deinde tribus annis prædicationis cum aliquot mensibus , seu in medio hebdomadæ septuagesimæ fuit Christus occisus. Ne autem gratis conficta videatur assumptio Artaxerxis in regni consortem, sci-

endum id Regibus Persarum ut aliis in more fuisse, maxime dum isti expeditionem gravem susciperent, sic ipse Xerxes à Patre collega fuit renunciatus. Ita discurrit R. P. Antonius Mayr.

Prophetiæ Danielis accedit illa Aggæi c. 2. v. 7. *Hæc dicit Dominus, adhuc modicum est, & ego commovebo cælum & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus gentibus.* Et licet quingenti & 17. vel. 20. anni (quos Aggæus ante Christum prophetavit) respectu temporis elapsi ab origine mundi, & futuri usque ad interitum mundi possunt dici modicum tempus, non tamen modicum tempus conficiunt respectu ætatis nostræ bis mille ducenti & plures anni ab Aggæo ad nostra tempora elapsi: ergo juxta hanc prophetiam jam ante multum tempus venit Messias. Jam sic concluditur.

Ostenso itaque, Messiam jam venisse, sine difficultate infertur, eum fuisse Christum Dominum: quippe in nullum alium illa signa conveniunt, quæ de Messia prædicta sunt. Ipso enim adveniente sceptrum Juda defecit, & impletæ sunt 70. hebdomades Danielis. Accedunt & alii Characteres à Prophetis de adventu Messiæ prænunciati, qui nulli nisi Christo convenire queunt. Sic Christus debuit nasci ex virgine. Isai 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hoc oraculum impletum est in Christo Matth. 1. v. 18. & seq. Nasci debuit in Bethlehem juxta illud Michææ. 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus* es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. Et hoc impletum est teste Matthæo. Præterea Christus cæcos illuminavit, claudos erexit, pauperibus prædicavit, passus & mortuus est, habuitque gloriosum sepulchrum, quæ omnia à Prophetis sunt aperte prædicta de Messia.

Judæi vero, dum omnia vaticinia ista nimis materialiter exponunt, errant non modice: quædam enim necessario solum in sensu allegorico & figurato accipienda sunt: eg. habitatio lupi cum agno &c. & alia ejusmodi.

Errant

Errant Inſuper enormiter, dum non diſtinguunt duplicem Chriſti adventum, primum in humilitate, & paupertate ad redimendum genus humanum, alterum in gloria ad judicandum mundum: quem cum primum Meſſiæ futurum credunt, ſic Chriſtum, qui humilis primo apparuit, reſpuunt.

Gentilibus, a quibus ſcripturarum authoritas non admittitur, veritas hæc de Chriſti adventu optime probatur mediate, quatenus ex ſignis credibilitatis oſtenditur veritas Catholicæ Eccleſiæ, ex cujus doctrina infertur dogma de Chriſti Dei & hominis adventu, & aliis ejus prærogativis & geſtis nobis per Eccleſiam propoſitis &c.



ARTICULUS VI.

An Chriſtus fuerit verus Homo, & Verus Deus.

Quod ſpectat ad Judæos, iis probari non debet, Chriſtum 22
ſeu Meſſiam verum hominem fuiſſe, vel fore, quando adveniet, ſicut jam adveniſſe dicta convincunt abunde; cum ipſis perſuaſiſſimum ſemper fuerit, Ipſum ex ſemine Abraham naſciturum, imo eum filium Davidis futurum. Ipſimet Chriſto de hac re interroganti reſponderunt Matth. 22. v. 42. ibi *quid vobis* (ita interrogat Chriſtus) *videtur de Chriſto?* cujus filius eſt? dicunt ei David. Id etiam deducunt tanquam certiſſimum ex vaticinio Moyſis Deutero. 15. v. 18. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus.*

Attamen probanda eſt vera humanitas contra Manichæos, & quosdam alios hæreticos, ad quos reducuntur Eutichiani & alii, qui duarum naturarum in Chriſto confuſionem, vel humanitatis in Divinitatem converſionem finxerunt: hi enim negarunt, Chriſtum Dominum verum fuiſſe hominem. Verum probatio hujus dogmatis eſt omnino facilis. Itaque.

23 Assero 1. Christus Dominus est verus Homo. Ita fides Catholica.

Prob. breviter. Christus Dominus se ipsum sæpissime vocat filium hominis, & vocatur à Judæis filius David: dicitur natus, circumcisus, comedens, ambulans, dormiens, passus & mortuus: ad Rom. 5. v. 15. dicitur. *Multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis JESU Christi in plures abundavit.* Profecto plurima de Christo homine sunt in scripturis passim obvia testimonia, quæ omnia velle in alienum sensum detorquere de phantastico tantum homine, est penitus irrationabile.

Assero 2. Christus est Deus verus. Ita fides orthodoxa contra Judæos, & multos hæreticos, singulariter antiquiores, Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, quibus sæculo XVI. accessere Sociniani. Hæc veritas probatur ex utriusque testamenti pagina. Sic Psal. 109. quem Psalmum de Christo agere judæi non negant, ut colligitur ex illo Matth. 22. v. 43. dicit Pater divinus de Christo: *ex utero ante luciferum genui te:* quibus verbis indicatur æterna ejus generatio tanquam Dei de Deo. 2. Isaias c. 9. v. 6. ait: *parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi:* Idem Isaias c. 35. v. 4. dicit. *Deus ipse veniet, & salvabit nos.* Et mox subdit signa in favorem hominum facienda, quæ & præstitit Jesus: *aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt &c.* 4. Baruch. c. 3. v. 36. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum: Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo, Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Ubi sermo est de Deo vero, qui legem tradidit populo Israelitico, & dicitur postea apparuisse non quomodocunque in alio, scilicet in Angelis, prout non solum posthac sed jam prius sæpius apparuerat, sed apparuisse speciali modo in assumpta natura humana.

Dubium, quod aliqui movent de prophetia Baruch, jam sublatum

sublatum est Tomo 1. de Prolegomenis. Itaque Deus Verbum juxta mox ante allatam prophetiam Baruch in terra videri voluit, sed non statim in corpore virili, verum ut magis se similem nobis exhiberet, voluit infans nasci, & quidem ex matre, ut Evangelistæ nos docent.

Jam roboratur hæc veritas ex novo Testamento. 1. Isaias c. 6. v. 1. de se ipso Deum vidente dicit: vidi Dominum sedentem &c. & S. Joan. Evang. c. 12. v. 41. scribit, quod Isaias viderit Christum. Sic enim ait: Hoc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de Eo, tanquam Deo. 2. Clarissime Joannes C. 1. v. 14. *pronunciavit: verbum caro factum est,* de quo versu primo asseruit: *Deus erat Verbum.* 3. Thomas Joan. 20. v. 28. dicit ad Christum: *Dominus meus, & Deus meus.* Nec tamen Christus eum ullo modo corrigit. 4. S. Paulus Rom. 9. v. 5. de Christo Domino habet: *qui est super omnia Deus Benedictus in sæcula,* Plura alia, quæ brevitatis ergo transilio, testimonia de Divinitate Christi passim in sacris literis occurrunt. Veritates hujus articuli varie sequentibus dissertationibus confirmabuntur.



DISSERTATIO II.

De unione Hypostatica, ejusque Subjecto & termino.

ARTICULUS I.

Quid & qualis sit unio Hypostatica?

SUPPONO 1. ex Philosophia, duplicem esse modum, unum intrinsecum, alterum extrinsecum. De intrinseco realiter aut 23
omnino ex natura rei formaliter identificato cum re modificata (quales modi sunt finitas & existentia rerum creatarum, ac infinitas in Deo) hic nobis non est sermo, bene vero de

modis extrinsecis, Potest autem modus extrinsecus definiri, quod sit actualis determinatio rei alicujus indifferentis, ac ex se indeterminatæ, vel quod sit forma physica determinans in actu 2do. essentialiter subjectum ad aliquid, ad quod erat prius indeterminatum.

Suppono 2. Omnem unionem realem, ac physicam à nostris inter modos numerari, & quidem dici modum relativum, seu esse relationem extrinsecus advenientem; Ratio hujus est: quia unio in suo primario conceptu importat habitudinem unius ad aliud, videlicet extremi uniti ad alterum extremum, cui unitur; sed relatio nihil aliud est, quam habitudo unius ad aliud: ergo. Quod sit relatio extrinsecus adveniens, probant Scotistæ; quia ista relatio non exurgit ex natura extremorum, & ambo extrema unibilia possunt existere sine unione, nisi ab extrinseco adveniat causa & actio producens unionem.

Suppono 3, Ex historia Ecclesiastica. Nestorium Patriarcham constantinopolitanum post annum 428., quo Episcopus creatus est, docuisse, quod in Christo duæ dentur personæ, Divina & Humana, & quod inter has non detur vera realis unio, sed tantum moralis & affectiva, qualis datur inter duos amicos ob consensum voluntatum, ob quem interdum tales amici dici solent una persona, quamvis non sint, sicut & duo conjuges ob unionem ejusmodi moralem & affectivam jam non sunt duo moraliter, sed una caro. Qui proinde negavit, Filium Dei esse vere Incarnatum, ac ex virgine natum. Unde & B. Virginem noluit appellari Deiparam, sed Christiparam, contra quem errorem in salutatione Angelica addita sunt hæc verba: *Mater Dei.* Fuit hic Hæresiarcha damnatus, & ob blasphemas in Christum & Deiparam voces Dignitate Episcopali privatus in 3tia Synodo generali, seu I. Concilio Ephesino contra eum celebrato anno Christi 430. circiter, Papa Cælestino, Imperatore Theodosio Juniore, & Valentiniano III., præsidente Cyrillo Alexandrino Archiepiscopo. & aliis Papæ Legatis.

Assero 1. Unio hypostatica, per quam natura humana in
24 Christo uniebatur Verbo Divino, est physica ac modalis entitas

tas, non tamen eſt entitative ſubſtantialis, ita communis Scot. cum Scoto. in 3. d. 1. q. 1. n. 3. §. *de primo dico, quod,* ubi dicit: *Iſta unio* (hypoſtatica) non dicit per ſe quid abſolutum.

Prob. 1. pars. Illa entitas eſt phyſica ac modalis, quæ phyſice ac realiter determinat ſubjectum ad aliquid, ad quod ex ſe erat indeterminatum; atqui unio hypoſtatica determinat phyſice naturam humanam tanquam ſubjectum ad aliquid, ad quod erat ex ſe indeterminatum, ſcilicet ad eſſe unitum Verbo Divino: ergo. M. patet ex notandis: m. eſt de fide ex Concilio Epheſino mox citato, & ex communi conſenſu omnium Catholicorum.

Prob. 2. pars. Unio hæc eſt tantum relatio prædicamentalis extrinſecus adveniens; atqui relatio prædicamentalis entative eſt tantum accidens: ergo. 2. Illud debet eſſe accidens entitative, quod magis dependet à ſubjecto, quam accidens abſolutum; atqui omnis unio, ceu modus magis dependet à ſubjecto, quam accidens abſolutum vg. quam quantitas: ergo. M. videtur conſtare: quia videtur inconveniens, ut ens entitative ſubſtantiale magis dependeat à ſubjecto, quam accidens aliquod. m. eſt palam; quia quantitas poteſt divinitus eſſe extra omne ſubjectum; aſt modus, aut unio neque ſupernaturaliter extra ſuum ſubjectum exiſtere poteſt: ut adverſarii quoque concedunt.

Prob. 3. Ariſtoteles L. 2. *de anima text* 2. & l. 8. methaphyſ. t. 15. enumerat omnes entitates ſubſtantiales, & tamen ibi ſolum meminit materiæ, formæ, & compoſiti, neque alibi entitatem aliquam modalem inter ſubſtantias recenſet.

Prob. 4. Admiſſo, quod hæc unio ſit entitative merum accidens, poſſunt omnia ſalvari, quæ circa hoc myſterium ſunt ſalvanda: ergo fruſtra recurritur à RR. & aliis ad modum entitative ſubſtantialem.

Prædictis non obſtantibus unio hypoſtatica poteſt & debet dici *ſubſtantialis.* Nam 1. ita dicitur à SS. PP. & Conciliis præſertim lateranenſi ſub Martino 1. can. 6. 2. Unio 25

 hypoſta-

hypostatica, licet entitative sit accidens, tamen unit extrema modo substantiali in unum compositum ac complexum substantialis; ergo ratione modi uniendi dici debet vere substantiale: A. prob. unit naturam humanam tanquam ens suppositabile & personabile Personalitati verbi tanquam supposítati; sed hæc ratio uniendi est substantialis; quia ratio suppositi, ac subsistentiæ pertinet ad modum per se essendi substantiæ, estque ipsius complementum substantiale: ergo. Atque ideo unio hypostatica est vere substantialis non quidem intrinsece, & entitative, sed extrinsece ac denominative accipiendo denominationem ab extremis, quæ unit, & à modo, quo unit.

Ex hoc fit, nostram sententiam esse alienam ab hæresi Nestorii. Hic enim tantum unionem & relationem moralem, qualem habet amicus ad amicum, admisit inter naturam humanam Christi, & Verbum, nos vero admittimus veram physicam, quæ realiter unit humanitatem cum Personalitate Verbi in unum suppositum, ac complexum reale & substantiale. Reliqua, quæ conclusioni nostræ opponi possunt, jam sunt soluta in Physica, in quæstione de unione inter materiam & formam.

26 Assero 2. Unio hypostatica quoad entitatem non est maxima, seu nobilissima. 2. Est tamen maxima in ratione unionis. 3. Et Doni. Herinx & alii Scotistæ pariter.

Prob. 1. pars. Entitas substantiæ est nobilior entitate accidentis, & entitas accidentis absoluti est nobilior accidente respectivo; atqui unio hypostatica est accidens relativum: ergo entitas substantiæ, & accidentis absoluti in ratione entitatis est nobilior unione hypostatica: ergo unio hypostatica non est nobilissima in ratione entitatis.

Prob. 2. pars. Unio qua talis dignificatur ab extremis, quæ unit; atqui hæc sola unio habet dignitatem uniendi infinitam: ergo hæc sola in ratione unionis est maximæ dignitatis.

Prob. 3.

Prob. 3. pars. Quæ est Scoti 4. d. 49. q. 2. n. 10. §. *quæ autem adducuntur istarum duarum responsionum*: ubi dicit: *perfectissimus illapsus est in naturam humanam, ut personaliter unitam Verbo*, & aliorum communiter contra Durandum. 1. Sacra Scriptura hoc donum præ aliis extollit: ita Joan. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Et Joan. 10. *Pater, quod dedit mihi, majus est omnibus.* Accedit D. August. qui lib. 13. de Trinit. c. 19. ait: *in rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate personæ conjunctus est Deo*: ergo. 2. Si majus donum foret, tunc vel foret beatitudo supernaturalis vel gratia sanctificans; atqui ista dona non sunt majora, quia animam tantum uniunt accidentaliter cum Deo in ordine ad operari, unio vero hypostatica unit eam substantialiter, ac intime cum Deo, ac illam elevat ad esse Personale Divinum; ita, ut vocetur Deus, & adoretur cultu Latriæ: ergo.

Assero 3. Unio hypostatica est supernaturalis quoad substantiam. Communis omnium. 27

Prob. Illud est intrinsece supernaturale, seu quoad substantiam, quod absolute excedit vires causæ naturalis naturaliter agentis, & non supernaturaliter elevatæ, ac adiutæ, & exigentiam entitatum naturalium; atqui tale ens est unio hypostatica: ergo unio hypostatica est intrinsece, & quoad substantiam supernaturalis. M. est conceptus & notio entis intrinsece supernaturalis. m. facile conceditur ab omnibus. Certe si omnes causas creatas naturales percurras, nulla habebit virtutem producendi unionem adeo mirabilem: & ipse Deus, dum eam producit, non agit ut causa & Author naturalis, sed ut supernaturalis; qui non agit juxta exigentiam causarum & entium naturalium creatarum, cum nullum ex entibus naturalibus, imo nec omnia simul sumpta naturaliter exigant unionem hanc inter extrema tam diversa; hinc ista unio est prorsus gratuita, & favor extraordinarius Dei ut Authoris supernaturalis.

Confirm. S. August. priori numero allegatus unionem hypostaticam vocat summam gratiam: ergo debet esse summopere seu in summo gradu supernaturalis; atqui summopere su-

pernaturalis non esset, nisi esset supernaturalis quoad substantiam: ergo est supernaturalis quoad substantiam.

28 Objic. 1. Contra conclus. 2. Beatitudo est summum bonum: ergo antecellit unioni hypostaticæ. R. D. a. Beatitudo objectiva, quæ est ipse Deus C. a. Beatitudo formalis, quæ est visio, & amor fruitivus Dei N. a.

Objic. 2. Finis est melior medio; atqui beatitudo formalis est finis, & unio hypostatica est medium ad obtinendam beatitudinem formalem; ergo beatitudo formalis est melior unione hypostatica. R. N. M. universaliter subsumpt. Nam arbor est perfectior & æstimabilior suo fructu, & tamen est medium ad fructum: quare si vult arborem propter fructum, vult perfectius propter minus perfectum: ergo &c.

Objic. 3. Si alicui daretur optio eligendi vel solam beatitudinem formalem, vel solam unionem hypostaticam, tunc beatitudo esset magis eligenda, quam unio: ergo beatitudo est melior. R. D. a. esset magis eligenda, quia magis foret necessaria in talibus circumstantiis, vel magis utilis C. a. quia foret perfectior & melior N. a. tempore famis ob urgentem necessitatem magis eligendum frustillum panis, quam magna summa auri, licet hæc illo sit æstimabilior.

Objic. 4. Lapis est capax unionis hypostaticæ, non vero visionis beatificæ: ergo unio illa est minus nobilis, quam visio beatifica. R. N. c. Lapis est copax unionis hypostaticæ, & non est capax visionis sensitivæ, quæ fit per oculum corporeum, & tamen unio hypostatica in ratione doni est major illa visione sensitiva.

Ojic. 5. Juxta D. Paulum 1. Corinth. 3. in donis Dei nullum majus est charitate: ergo R. D. a. in donis Dei includentibus aliquem actum, aut operationem vitalem nullum est majus charitate C. a. in donis Dei omnibus, ac universaliter loquendo N. a.

ARTI-

ARTICULUS II.

Quomodo facta ſit unio hypoſtatica, an ſcilicet ſine prævia diſpoſitione, & an in unitatem naturæ, vel ſuppoſſiti?

ASSERO 1. Unio hypoſtatica eſt immediate facta in natura humana ſine præcedente diſpoſitione. Communis cum Scoto. 3. *D. n.* 2. *q.* 2. *§. quantum ad ſecundum articulum.* n. 12. & ſeqq. 29

Prob. 1. Conveniebat, naturam humanam prius per unionem ſubſtantialiter compleri in ratione perſonæ & ſuppoſiti, quam accidentaliter per gratiam, aut aliam formam accidentalem prævie diſponentem: ergo ante unionem hypoſtaticam non præceſſit aliqua diſpoſitio.

Prob. 2. Unio hypoſtatica eſt potius radix, & fundamentum, ob quod humanitati Chriſti plenitudo omnis gratiæ fuit conceſſa; ſed fundamentum eſt, & ſupponitur ante illud, cujus eſt fundamentum: ergo unio hypoſtatica fuit præſuppoſita ante omnem gratiam in humanitate Chriſti: ergo nulla gratia diſpoſitiva præceſſit unionem hypoſtaticam in humanitate Chriſti. Eſt etiam Deo & unioni hypoſtaticæ magis honorificum, quod ejus intuitu omnia reliqua dona ſupernaturalia conferantur animæ Chriſti: ergo.

Objic. 1. Rex ducturus ſponſam pauperem, eam prius ornat: ergo etiam Verbum volens aſſumere naturam humanam ex ſe gratia deſtitutam, eam prius exornavit gratia. R. N. c. illa ſponſa jam habet eſſe ſubſtantiale completum: unde bene poſſet antecedenter ornari: aſt natura humana Chriſti ante unionem hypoſtaticam non habuit eſſe ſubſtantiale completum: ergo non conveniebat eam tunc jam antecedenter prævie ornari, antequam eſſet completa ſubſtantialiter in ratione perſonæ.

Objic. 2. Ad viſionem Beatificam prærequiritnr diſpoſitio ſupernaturalis prævia, nimirum lumen gloriæ: ergo etiam

ad

ad unionem hypoſtaticam ſupernaturalis prærequiritur diſpoſitio. N.C. & parit. VifioBeatifica eſt operatio vitalis ſupernaturalis,quæ non poteſt dari ſine præſuppoſito comprincipio ſupernaturali, quale eſt lumen gloriæ ; unio vero hypoſtatica non eſt operatio vitalis ; adeoque non præſupponit ejusmodi principium ſupernaturale operativum.

30 Affero 2. Unio hypoſtatica facta eſt in unitate Perſonæ, ita, ut in Chriſto una ſit perſona. 2. & duæ diſtinctæ, inconfuſæ naturæ. Ita fides Catholica.

Prob. 1. pars. 1 Ex Concilio Epheſino, ſeu III. generali contra Neſtorium celebrato, ubi prima pars noſtræ concluſionis eſt definita, quæ definitio confirmata eſt in conciliis Calcedonenſi, Lateranenſi I. Hiſpalenſi II. Toletano IV. ergo. Adduco verba unius concilii Calcedonenſis, anno 451. celebrati, quod in profeſſione fidei ita habet: *Confitemur unum eundemque Chriſtum Flium Dei, Dominum, unigenitum in duabus naturis inſeparabiliter, inconfuſe, indiviſe, immutabiliter agnoſcendum &c.*

Prob. 2. Sacra ſcriptura & Symbola loquuntur de Chriſto Deo Homine, ut de una perſona : ergo in Chriſto eſt tantum una perſona. A. prob. Symbolum Apoſtolorum habet : *Filius Dei unicus, qui conceptus de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine.* Symbolum conſtantinopolitanum. *Unum Dominum JESUM Chriſtum, natum ante omnia Sæcula, qui incarnatus ex Maria Virgine, crucifixus &c.* Symbolum S. Athanaſii : *qui licet Deus ſit & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus, unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Plane, ſi eſſent duæ Perſonæ, Concilia & Symbola non poſſent ita loqui, & alius eſſet ex Deo natus ante ſæcula, & alius natus ex Maria Virgine in tempore.

Accedit S. Script. unum Chriſtum modo Deum, modo hominem, nunc æqualem, nunc minorem Patre Divino appellans, quod non recte fieret, ſi eſſent duæ Perſonæ in Chriſto : ergo.

Prob. 3.

Prob. 3. eadem prima pars. Veræ ſunt hæ propoſitiones : Deus eſt homo , homo eſt Deus, ſed non niſi ratione identitatis , non quidem inter naturas , ſed inter perſonas : ergo una eſt perſona in Chriſto , quæ ſuppoſitat utramque naturam, Divinam & humanam.

Confirm. 1. Duæ ſubſtantiæ tantum accidentaliter unitæ, tantum denominantur accidentaliter non ſubſtantialiter ; atqui homo & Deus , ſeu ſubſtantia humana & divina in Chriſto , ſe mutuo denominant ſubſtantialiter , & Deus dicitur homo , ac homo Deus : ergo Natura humana & Divina in Chriſto non ſunt tantum accidentaliter ſed ſubſtantialiter in unitatem Perſonæ coadunatæ. M. patet : ſic homo ratione veſtis ipſi accidentaliter unitæ , & applicatæ non dicitur *veſtis* , ſed veſtitus , & veſtis non dicitur homo , ſed humana vel hominis.

Confirm. 2. Hæc propoſitio *album eſt dulce* , ideo vera eſt , quia uni ſuppoſito ineſt albedo & dulcedo : ergo etiam ideo vera eſt hæc propoſitio : *homo eſt Deus , & Deus eſt homo* , quia natura Divina & humana in una Perſona conveniunt.

Prob. 4. eadem 1. pars. In ſententia Neſtorii tota SS. Trinitas eſſet incarnata , cum tota SS. Trinitas ratione illa accidentali , & morali , qua amicus amico conjungi ſolet , uniatur Naturæ humanæ Chriſti , ac eam amet , & diligat tanquam amicam. 2. In hac ſententia hæretica omnes Sancti eſſent Verbo Divino uniti ; quia Verbum Divinum eos tanquam amicos habet , & ſic unione amicitiæ eidem conjungitur , quæ ſequelæ ſunt contra fidem. 3. Secundum fidem Chriſtus eſt ſimpliciter unus , ſecundum Neſtorium eſſet ſimpliciter duo , utpote duplex realiter diſtinctum ſuppoſitum : ergo.

Prob. jam ſecunda pars Aſſert : contra Eutychianos hæreticos , unam tantum naturam in Chriſto aſſerentes. 1. ex S. ſcriptura. Joan. 1. v. 4. dicitur : *Verbum caro factum eſt , & habitavit in nobis.* Quomodo autem eſt caro factum ? an converſione divintatis in carnem , vel carnis in Divinitatem ? aſt utrumque hoc inſulſum eſſe , rationes ſequentes docebunt : ergo aſſumptione huma-

humanitatis ut distinctæ, & inconfusæ in Deum. 2. Christus est verus Deus, & verus homo ; atqui si duæ naturæ Divina, & humana essent in Christo confusæ, & in unam coalescerent, tunc Christus nec esset verus Deus, nec verus homo, sed aliquid tertium ex confusione utriusque naturæ exurgens: ergo istæ duæ naturæ post unionem possent coalescere in unam per commixtionem, ita, ut una cum altera misceatur; quia implicat duas essentialiter diversas naturas taliter inter se commisceri, ut omnis sana Philosophia docet : alias certe essent possibiles hirco-cervi, & vulpanseres. Neque duæ completæ naturæ, quales sunt Divina & humana, possunt per compositionem in unam transire, sicut natura leonina, & humana non possunt in unam aliquam tertiam componi : ergo. 3. Error Eutychianus fuit damnatus actione 5. in Concilio Calcedonensi contra Eutychen congregato, & in pluribus aliis, ac proinde nostra conclusio approbata est tanquam dogma fidei : quod etiam clare docet Symbolum S. Athanasii pro probatione primæ partis hujus conclusionis allegatum, ubi etiam verba Concilii Calcedonensis habentur : Patres, qui videntur huic conclusioni oppositi, negant solum dualitatem naturarum in Christo, quarum quælibet propria subsisteret personalitate.

32 Objic. 1. contra 1. part. conclus. In hymno Ambrosiano Verbum dicitur suscepisse hominem ; ergo Verbum assumpsit naturam humanam cum propria personalitate humana: ergo in Christo est personalitas humana, & Divina verbi : consequenter duplex persona. R. D. a. in hymno Ambrosiano Verbum dicitur assumpsisse hominem, accipiendo concretum pro abstracto, vel intelligendo per *hominem*, naturam humanam singularem, & individuam C. a. intelligendo naturam humanam subsistentem propria personalitate creata. N. a. & c.

Objic. 2. Leo Papa Epist. 10. ad Flavianum c. 4. ait: in Christo unum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis, atqui hic modus loquendi indicat aliam esse personam humanam in Christo succumbentem injuriis, & aliam Personam Divinam coruscantem miraculis : ergo. R. N. m. To *aliud* & *unum* in neutro indicat diversitatem naturarum: To *alius* vero & *unus* in masculino (quod hic non licet loqui) diversitatem Personarum.

rum. Hinc in Divinis poteſt dici, alius Pater, alius Filius, & alius Spiritus Sanctus: non vero aliud Pater, aliud filius: quia To *aliud* ſic multiplicatum indicaret pluralitatem naturarum in SS. Trinitate: alius vero in Maſculino ſignat pluralitatem perſonarum. Igitur è converſo hic To *unum*, & *aliud* in neutro indicat duas naturas in Chriſto, non vero duas perſonas.

Objic. 3. B. V. Maria genuit hominem: ergo etiam produxit perſonam humanam: ergo præter Perſonam Divinam in Chriſto datur quoque humana &c. R. D. c. perſonam humanam denominative C. c. entitative. N. c. perſonalitas Divina, quatenus perſonat & facit ſubſiſtere naturam humanam in Chriſto, poteſt etiam denominative & æquivalenter dici humana; quia æquivalet, ac vices ſupplet perſonalitatis humanæ, ac naturam humanam ultimo complet.

Objic. 4. contra 2. partem Concluſ. Joan. 1. dicitur: *Verbum Caro factum eſt:* ergo Verbum verſum eſt in carnem. R. N. c. ut recte advertit Gregorius L. 9. Epiſt. 61. *Verbum carnem dicimus factum, non immutando quod erat, ſed ſuſcipiendo, quod non erat.* Neque te moveat verbum *factum eſt:* ſiquidem Chriſtus ad Galat. 3. v. 13. dicitur pro nobis *factus maledictum*, & tamen nemo audebit dicere, Chriſtum in maledictum peccati converſum eſſe. Eſt ergo factus maledictum, quia pro nobis crucifixus ſimilitudinem geſſit hominis à Deo maledicti, talisque reputatus eſt ab hominibus. Uſurpavit autem Evangeliſta verbum *Factum eſt*, tum ut realem unionem inter perſonam Verbi, & naturam humanam exprimeret, tum ut doceret Verbum aſſumpſiſſe veram carnem, & non ſolum imaginariam carnis ſpeciem, ut aliqui hæretici docuere. Quam ultimam rationem adducit D. Chryſoſtomus homil 10. in Joannem.

Aſſero 3. Non potuit Verbum Divinum aſſumere natu- 33
ram humanam ſuppoſitatam propria perſonalitate. Prob. 1. propria ſuppoſitalitas eſt negatio unionis ad alienum ſuppoſitum; ſed hæc negatio indiſpenſabiliter deſtruitur per unionem ad alienum ſuppoſitum, ſeu ad Verbum Divinum, ſicut tenebræ vel negatio luminis per præſentiam luminis: adeoque Verbum Divinum non potuit aſſumere naturam humanam cum pro-

 pria

pria perfonalitate ; ergo. M. conftat : nam propria fuppofitalitas naturæ eft ejus ultimum complementum, reddens eam fui juris (ut loquitur Pafchafius citat. in epiftola fynodic Concilii francofordienfis) in fe fubfiftentem, faciensque illam alteri tanquam fuppofito incommunicabilem : ergo neceffario importat negationem unionis ad alienum fuppofitum. Si enim hæc negatio abeft, natura non amplius manet fui juris, nec in fe fubfiftit, fed communicatur ipfa cum fuis idiomatis, & prædicatis alieno fuppofito.

Prob. 2. ex SS. PP. Rufticus Diaconus in Difp. contra Acephalos, ut habet Bibliotheca PP. t. 10. part. 375. inquit: *ex præexiftentibus* per fe perfonis unitio fecundum fubftantiam fieri nequit. S. Maximus Martyr in opufculo de S. Cyrilli fententia negat, ex duabus hypoftafibus feparatis quid unum poffe confici. Boetius L. *de duabus naturis*, & una Chrifti Perfona ante medium. *Omnino ex duabus perfonis nihil unquam fieri poteft.*

ARTICULUS III.

De fubjecto actuali unionis hypoftaticæ, feu quid Verbum actu affumpferit in Incarnatione?

§. 1.

Refolvuntur aliquæ conclufiones.

ASSERO 1. Verbum affumpfit, feu fibi univit totam & integram naturam humanam. Ita omnes Catholici.

Prob. 1. Concil. Lateranenfe fub Martino I. habitum anno 642. Can. 9, ait: *fi quis fecundum SS. Patres non confitetur, proprie & fecundum veritatem naturales proprietates Deitatis ejus, & humanitatis indiminute, & fine deminoratione falvatas* (in Chrifto) *condemnatus fit.* S. Damafcenus l. 3. orthodoxæ fidei. c, 6.

c. 6. dicit: *Neque enim Deus Verbum quidquam eorum, quæ, cum nos initio fingeret, naturæ nostræ inseruit, prætermisit: sed omnia assumpsit, hoc est corpus, animam intelligentem, & ratione præditam, eorumque proprietates.* S. August Enchiridio c. 34. *nihil humanæ naturæ in illa susceptione fas est dicere defuisse.* Accedunt alii SS. PP. plures: ergo Verbum assumpsit veram integram, totam naturam humanam.

Prob. 2. Christus est perfectus homo; sed non esset, nisi assumpsisset veram totam, ac integram naturam humanam, & sic illa in Christo daretur; nam ille non potest dici totus & integer homo, qui non habet totam & integram naturam humanam: ergo Verbum assumpsit veram, totam, & integram naturam humanam.

Confirm. Tanto operi & mysterio non conveniebat defectus alicujus, quod requiritur ad veritatem, & integritatem naturæ humanæ, ergo

Igitur Verbum Divinum assumpsit corpus non mutilum, sed integrum, per consequens etiam carnem & ossa, ac reliquas partes integrantes corpus humanum: quia hæc omnia spectant ad veritatem corporis humani, quod Verbum assumpsit.

Credibiliter etiam immediate sunt assumpti capilli, & ungues, *tum* quia juxta probabilem sententiam informantur ab anima, quia non sunt meræ partes excrementitiæ, sed integrantes & ornantes corpus, & ob hanc rationem, etiamsi non viverent, fuissent immediate assumpti à Verbo. Non tamen ita fuere, vel manent assumpta saliva, sudor, lachrymæ, postquam à reliquis humoribus partialibus immediate assumptis sunt segregati: quia sunt mera excrementa, nec erunt in corporibus gloriosis: item Chylus, nondum commixtus massæ sanguineæ, quia nec iste inter partes corporis venit, nec requiritur ad veritatem naturæ humanæ integræ & perfectæ, nec est in corpore glorioso.

Ex his deduces 1mo. Verbum Divinum assumpsisse verum corpus humanum, naturamque humanam per omnia nostræ

naturæ fimilem & confubftantialem. Item de fide eft contra Marcionem, & Lucanum quemdam, qui finxerunt, à Verbo affumptum effe corpus apparens tantum & phantafticum. Quem errorem fecuti funt Manichæi, Prifcillianus & alii. Quod patet tum ex dictis, tum ex S. Scriptura. Joann. 1. dicitur: *Verbum Caro factum eft:* & Luc. 24. *palpate & videte, quia fpiritus carnem & offa non habet, ficut me videtis habere.* Recte ergo dicit S. Auguft. L. 83. Quæftionum Quæft. 14. *fi phantafma fuit corpus, fefellit Chriftus, & fi fallit, veritas non eft: eft autem veritas Chriftus, non igitur phantafma Corpus Chrifti.* Ad Rom. 1. *qui factus eft ex femine David fecundum carnem.* Accedunt alia teftimonia fcripturarum, quibus Chriftus fimpliciter dicitur homo, conceptus, natus, locatus, paffus, comediffe, & bibiffe: integra ejus genealogia texitur, quæ omnia indicant, verum Jefum fuiffe hominem, ex hominibus oriundum, confequenter ejusdem naturæ & corporis cum reliquis hominibus.

Deduces 2do. A Verbo effe affumptum corpus terrenum ex Virgine, eft contra Valentinum & Gnofticos, dicentes: à verbo effe affumptum corpus non terrenum, fed cæleſte, nec natum ex virgine, fed per Illam transfufum. Qui error dicitur innovari ab Anabaptiftis. Patet ex dictis, juxta quæ verbum affumpfit veram noftræ confubftantialem carnem, & quidem ex Maria virgine, juxta illud: Lucæ 1. *quod enim ex te nafcetur.* Præterea Chriftus vere fuit ex ftirpe Adæ, Abraham, David, ut fcriptura varie teftatur, quod fieri non poffet, nifi ratione corporis ex illis defumpti in utero Virginis. Neque obftat, quod ad Philip. 2. Chriftus dicatur *in fimilitudinem hominum factus:* nam hic textus non eft intelligendus de fimilitudine meræ apparentiæ, fed de fimilitudine effentiali in natura, qualiter unus homo alteri fimilis eft. 2. Neque obeft, quod 1. Corinth. 15. Chriftus dicatur *homo cæleftis:* nam nequaquam dicitur cæleftis ob corpus aliquod cæleſte, fed ob vitam cæleftem, nulli fubjectam peccato.

35 Affero 2. Sanguis Chrifti fuit proxime & immediate unitus Verbo. Eft Communiffima.

Prob.

Prob. Concilia passim de sanguine assumpto explicant illud ad Hebr. 2. v. 14. *quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse* (Christus) *similiter participavit eisdem.* 2. Concil. Æcumenicum III. seu Ephesinum I. *Verbum Dei carnem esse factum, dicit Joannes; quia æque ac nos carnis & sanguinis particeps effectum est.* 3. S. Cyrillus epist ad Nestorium, quæ habetur actione 1ma. Concilii Calcedonensis. *Verbum carnem fieri, nihil aliud est, nisi quia juxta nos participatus est carni & sanguini.* Denique Clemens VI. extravagant: Unigenitus *de pœnitentiis & remissionibus ait: guttam modicam sanguinis Christi propter unionem ad Verbum sufficisse ad redemptionem generis humani.* Jam laudati textus dicunt sanguinem esse assumptum, sanguinem uniri Verbo: qui modus loquendi in sensu obvio (in quo dicta scripturæ, Conciliorum & SS. PP. accipi debent, nisi aliquid obstet) significant unionem immediatam 2. Hi textus æqualiter loquuntur de carne ac de sanguine; atqui caro fuit immediate unita: ergo & sanguis.

Prob. 2. Sanguis, licet non animatus, est pars naturæ humanæ integræ, & ideo datur in corporibus gloriosis, & hanc ipsam ob rationem juxta Trident. Sess. 13. c. 3. *vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi, qui ex mortuis resurrexit, inter se copulantur,* ponitur sanguis etiam sub speciebus panis consecratis; atqui Verbum assumpsit immediate naturam humanam, & omnes partes: ergo etiam sic assumpsit sanguinem.

Respondet Cajetanus, sanguinem *naturalem* ac vere decoctum, non vero *nutrimentalem* nondum perfecte decoctum esse immediate à Verbo assumptum.

Contra est 1. hæc distinctio sanguinis in nutrimentalem & naturalem est contra communem, ac voluntaria: ergo. 2. Rationes & authoritates absque ulla distinctione probant de toto sanguine, vel massa sanguinea, quæ fluit in venis ac reliquis vasis, per quæ sanguis circulatur: ergo & nos absque ulla distinctione debemus dicere totum illum sanguinem esse immediate assumptum. 3. Omnis sanguis, qui pro nobis effusus est

eſt in pretium redemptionis, fuit immediate à Verbo aſſumptus, ut colligitur ex Clemente VI. ſed inter ſanguinem effuſum non erat modica pars ſanguinis illius nutrimentalis: ergo.

Contra eſt 4. Cajetanus procedit ex falſo ſuppoſito, credens ſanguinem perfecte decoctum vivere, nam ex una parte probabilius nos Scotiſtæ negamus, ſanguinem quemcunque vivere; & deinde negatur, quod tantum partes viventes & ab anima informatæ fuerint immediate unitæ verbo: nam omnes partes, ſeu vivas, ſeu non viventes aſſumpſit immediate, quæ ad integram vitæ humanæ conſtitutionem pertinent, qualis etiam eſt ſanguis ſive vivus, ſive non vivus; ideo enim eſt etiam in corporibus glorioſis, quia hæc decet habere omnes partes, quæ ad integram conſtitutionem ac perfectionem naturæ humanæ requiruntur.

36 Aſſero 3. Verbo etiam immediate uniti fuerunt reliqui tres humores, pituita, bilis flava, & atra. Communis.

Prob. 1. Verbum aſſumpſit immediate id, quod communiter vocatur ſanguis, ſeu fluit in venis, ut colligitur ex concluſione præcedente; atqui quod fluit in venis, & communiter vocatur ſanguis, eſt complexum ex quatuor humoribus: ergo Verbum immediate aſſumpſit hoc complexum, conſequenter & pituitam ac bilem flavam & atram.

Prob. 2. Etiam iſti humores cum ſanguine pro noſtra ſalute ſunt effuſi; ergo etiam fuere uniti immediate Verbo, ut iterum ex præcedentibus deducitur. 3. Iſti quoque humores ſpectant ad integritatem & convenientem ſtatum corporis humanæ naturæ, & ideo etiam ſunt in corporibus glorioſis; atqui Verbum immediate aſſumpſit integram & completam naturam humanam, conſequenter etiam omnia, quæ ad ejus completum & convenientem ſtatum pertinent: ergo.

Idem, quod de prædictis humoribus, aſſeritur de ſpiritibus animalibus & vitalibus, qui ſunt puriſſimus ſanguis, item de cambio, rore, & glute, in quæ prius ſanguis tranſit, antequam

tequam in carnem & ossa vertatur: quia isti humores quoque sunt sanguis, & ab aliis humoribus immediate à verbo assumptis non differunt, nisi in hoc, quod partibus alendis jam sunt apportati, ac appropriati, & quodammodo impacti, ut ex mente Galenicorum tradit Magnificus D. Morash in Nucleo philosoph. p. 2. c. 1. §. 1. n. 24. 2. Isti humores, cambium, ros & gluten immediatius conferunt ad vitæ conservationem, quam sanguis & reliqui humores à Verbo assumpti: ergo à fortiori hi humores sunt immediate à Verbo assumpti.

Objic. 1. Si Verbum assumpsisset immediate sanguinem, 37
posset denominari sanguis; sed non potest denominari sanguis: ergo non assumpsit immediate Sanguinem. M. prob. quia Verbum assumpsit humanitatem, potest denominari homo: ergo etiam, si assumpsisset sanguinem, posset denominari sanguis. R. 1. retorq. argument: Verbum non potest denominari pes, manus, quamvis & pedes, & manus assumpserit. R. 2. N. M. Non datur communicatio idiomatum, & prædicatorum inter naturam Divinam, & partes naturæ humanæ; sed illa prædicata ob unionem hypostaticam Verbo tantum tribuuntur, quæ alias tribui solent toti homini: quia ergo ex usu recepto (juxta quem significationes terminorum solum usurpari debent) nunquam de toto homine prædicatur sanguis vg. dicendo *Petrus est sanguis*, *Petrus est effusus*: ideo neque de Verbo, quamvis assumpserit sanguinem, potest dici, *Verbum est sanguis*, *Verbum est effusum pro nobis*: popterea neque potest dici: *Verbum est anima*, *Verbum est manus aut pes*: *aut Verbum est corpus.* Aliquæ tamen denominationes, solis partibus propriæ toti homini attribui solent. Sic dicitur, homo sepultus, licet solum corpus fuerit sepultum; dicitur damnatus, detrusus ad inferos, elevatus ad cælos, post mortem apparuisse, quamvis sola anima damnata sit, vel in inferno, aut appareat &c. Unde etiam filius Dei recte appellatur sepultus, quia corpus Christi fuit sepultum, denominatur descendisse ad inferos, quia anima Christi sic descendit. Non tamen licet similes tropos & Synechdoches ubique adhibere, sed tunc duntaxat, quando ab Ecclesia vel DD. communiter usurpantur, ut colligitur *ex Scoto. 3. d. 22. q. un. §. ad primum principale ℣. ad tertium. n.* 21.

Objic. 2. Sanguis est alia natura, quam corpus vivens: ergo Verbum non assumpsit sanguinem. R. D. a. est alia natura subordinata tantum corpori viventi, & cum hoc connectitur C. a. secus N. a. Sanquis vere subordinatur, & connectitur cum corpore vivente: quæ connexio consistit primo in stabili inexistentia intra corpus, in quo elaboratus est, & 2. in jure mutuo, quod corpus ad hunc sanguinem, & hic sanguis ad hoc corpus habet.

Objic. 3. Sanguis solum est pars in potentia respectu corporis viventis: ergo non fuit immediate assumptus à Verbo. R. N. a. Nam sanguis & reliqui humores sunt partes actu simul & potentia. *Actu sunt*, quatenus faciunt ad integram, & perfectam constitutionem naturæ humanæ, & simul serviunt tanquam instrumenta ad varias operationes hominis. *Sunt etiam potentia*, quatenus ulterius transmutari possunt in alias partes. Neque absurdum est, quod homo nutriatur ex suis partibus, si hæ sint transmutabiles ulterius, & possint proinde habere rationem partis, & alimenti simul.

Objic. 4. Sanguis non est pars animalis juxta Arist. l. 2. de part. animalium: ergo non fuit immediate unitus Verbo. R. D. a. non est pars animalis vivens C. a. non est pars animalis sub quacumque consideratione N. a. Ipse Aristot. L. 3. de hist. animalium c. 2. sanguinem refert inter partes corporis animalis: ergo. L. 2. de part. animalium tantum vult, quod non sit pars viva; alias sibi contradiceret. Hanc distinctionem etiam approbat Scotus 4. D. 8. q. 1. §. hic tria videnda, ibi: *corpus Christi potest accipi stricte, prout includit partes animatas anima Christi, cujusmodi non est sanguis. Alio modo potest accipi, ut omnia illa includat, quæ pertinent ad totum corpus organicum, sive sint partes animatæ, sive sint alia non formaliter animata, ut humores, & spiritus: & hoc modo sanguis est aliquid corporis.*

Objic. 5. Sanguis Christi non est pars corporis Christi primaria: ergo non eadem ratione seu immediate est assumptus, sicut aliæ partes primariæ, & viventes. R. D, a. non est pars primaria sumendo corpus Christi præcise secundum artes animatas C. a. sumendo illud secundum eas partes, quæ spectant

spectant ad totum & perfectum corpus organicum constituendum, subdist. non est pars primaria, seu una ex principalissimis C. a. non est pars primaria in hoc sensu, quatenus vere ad corpus organicum perfectum requiritur N. a. Ad perfectam corporis organici constitutionem etiam sanguis primario spectat: quia certe sine sanguine non est perfecte constitutum corpus humanum; & ideo propter perfectam constitutionem corporis humani organici datur sanguis cum reliquis humoribus quoque in corporibus gloriosis alimento non egentibus: & esto sanguis non sit inter partes omnino principalissimas, quales vg. sunt cor, cerebrum &c. tamen adhuc Verbum etiam reliquas partes respectu priorum minus principales, imo capillos quoque & ungues assumpsit immediate; quid ni & sanguinem, licet non sit adeo nobilis pars corporis organici ac reliquæ.

Objic. 6. Sanguis non est pars integralis corporis organici: ergo non spectat ad ejus integritatem. A. prob. quia partes integrales corpori uniuntur unione continuativa non vero sanguis. R. D. a. non est pars integralis, si sub ratione partis integralis veniant partes solum continuatæ cum toto corpore C. a. si veniant partes omnes spectantes ad perfectionem corporis humani N. a. sanguis, etiamsi non continuative uniatur cum corpore reliquo, tamen cum eo habet sufficientem connexionem naturalem, & requiritur ad statum perfectum ejusdem.

Objic. 7. Sanguis & reliqui humores continuo variantur: ergo non convenienter assumuntur immediate à Verbo. R. N. c. etiam partes solidæ continuo variantur, dum aliquæ eorum particulæ calore naturali absumuntur, & aliæ per nutritionem vitalem iterum adgenerantur, & tamen omnes partes solidæ sunt immediate à Verbo assumptæ: ergo à pari.

Objic. 8. Aer licet ad hominis vitam conservandam requiratur, non est assumptus à Verbo: ergo neque sanguis. R. N C. aer non est pars hominis, nec ei unitur, sed accedit ad corpus, & iterum recedit, sicut hospes è diversorio.

Objic. 9. Si ſanguis eſſet pars corporis, tunc vi verborum Conſecratoriorum poneretur ſub ſpeciebus conſecratis panis; ſed ſequela eſt falſa: ergo. R. N. M. vi verborum ſub ſpeciebus panis ponitur ſolum corpus ſpectatum ſecundum partes ſolidas; nam ibi eſt per modum cibi, cui ſolæ partes ſolidæ aptæ ſunt. Partes vero fluidæ ſunt vi verborum ſub ſpeciebus calicis, quæ habent rationem potus.

Objic. 10. Verbum Divinum tantum aſſumpſit naturam humanam; ſed hæc eſt vivens: ergo Verbum non aſſumpſit aliam naturam quam viventem; conſequenter non aſſumpſit ſanguinem, qui non vivit. R. 1. retorq. argum, ſed natura humana eſt corruptibilis, ergo Verbum non aſſumpſit aliam naturam, quam corruptibilem: ergo non aſſumpſit animam rationalem, quæ eſt incorruptibilis. R. 2. D. m. ſed natura humana eſt vivens ſecundum potiores & principaliores partes C. m. ſecundum omnes N. m.

Objic. 11. Sanguis non ſubſiſtit ſubſiſtentia naturæ humanæ; ergo Verbum non ſupplet ejus ſubſiſtentiam, & ſic non aſſumpſit ſanguinem; nam illorum, quæ aſſumpſit, ſubſiſtentiam ſupplet. Prob. 1. memb. c. Verbum Divinum tantum ſupplet ſubſiſtentiam naturæ humanæ: ergo ſi ſanguis non ſubſiſtit ſubſiſtentia naturæ humanæ, tunc hanc non ſupplet. R. N, a. Verbum Divinum ſupplet ſubſiſtentiam totius naturæ humanæ, & omnium ejus partium: ergo & ſanguinis, qui eſt vera pars naturæ humanæ integræ.

§. II.

Ponuntur aſſertiones reliquæ.

38 Aſſero 4. Verbum etiam in triduo mortis fuit immediate unitum corpori & animæ. 2. imo & ſanguini, ſaltem illi, qui in reſurrectione iterum erat aſſumendus intra corpus. Prima pars eſt indubitata inter DD. Prob. 1. omnes partes concluſionis. Juxta receptum Div. Damaſceni, *quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*; ſed ſecundum dicta

Verbum

Verbum assumpsit, & univit sibi immediate animam & corpus ac sanguinem: ergo nunquam, consequenter neque in triduo mortis dimisit.

Prob. 2. Specialiter prima pars conclusionis. Ratione corporis sibi immediate ac vere uniti in triduo dicitur Filius Dei esse sepultus, & ratione animæ sic unitæ dicitur descendisse ad inferos: alias hæ denominationes Filio Dei non possent convenire: ergo corpus & anima fuerunt immediate unita Verbo Divino in illo triduo.

Confirm. unio hæc immediata præcessit in vita, & ejus cessatio in morte Christi non constat: ergo dicendum est, quod unio hæc etiam post mortem durarit.

Accedit Authoritas D. Damasceni, qui L. 3. de fide c. 27. ita de Christo loquitur: *quamquam mortuus est ut homo, & sancta ejus anima ab incontinuato separata corpore, non tamen divinitus ab utroque separata remansit, ab anima inquam & corpore,*

Prob. 3. pars 2. Conclusionis, quæ est longe communior, quam opposita. Corpus & anima in triduo mortis immediate manserunt unita Verbo: ergo & sanguis. Prob. c. ideo corpus & anima manserunt tunc immediate unita, quia in vita sic uniebantur, & in resurrectione iterum erant reassumenda ad constituendum corpus gloriosum Christi; atqui hæc ratio etiam pugnat pro sanguine, ut patet: ergo sanguis etiam in triduo illo mansit Verbo immediate unitus.

Confirm. ex Scoto, qui in 4. D. 20. q. 4. *§. hic duo sunt videnda:* ita discurrit: *possibile fuit totum sanguinem fuisse separatum á corpore Christi in morte, & tamen, si tunc Eucharistia fuisset consecrata, fuisset vere eadem sicut nunc:* ergo sicut modo, ita tunc fuisset sanguis sub speciebus vini, sicut nunc nempe cum Divinitate: atqui Divinitas modo est sub speciebus vini solum concomitanter ob unionem sanguinis ad Verbum: ergo & tunc hæc unio adhuc dabatur.

 Objic. 1.

39 Objic. 1. Sanguis effusus à Christo non fuit in resurrectione reassumptus ad perfectionem corporis: ergo non mansit in triduo mortis unitus Verbo: nam si mansisset unitus, tunc ob reassumptionem futuram in resurrectione Christi. A. prob. S. August. epist. 85. Consentium respondens ad quæstionem, an Corpus Christi gloriosum ossa & sanguinem habeat, dicit, ipsum habere carnem & ossa, ac de sanguine silet: ergo agnovit in corpore Christi glorioso non esse sanguinem.

R. 1. indirecte. Hoc argumentum est contra ipsos adversarios, qui supponunt, in corpore Christi glorioso esse sanguinem, & contra Trident. superius citatum, quod sess. 13. c. 3. indicat, in corpore glorioso Christi existere sanguinem, & ideo vi naturalis connexionis una cum corpore poni sub speciebus panis consecratis.

R. 2. Ad secundum D. August. ibi nihil respondit ad illam quæstionem de sanguine, quæ forte ei difficilior accidit: ut ex contextu colligitur: per hoc tamen non negavit positive; sanguinem in corpore Christi glorioso esse.

Objic. 2. Sanguis in circumcisione effusus non mansit unitus Verbo: ergo etiam sanguis in passione effusus. R. N. c. & parit. sanguis in circumcisione effusus non erat amplius assumendus ad integritatem corporis, sicut sanguis in passione effusus; ast vero tantum mansit Verbo unitus ille sanguis, qui erat iterum ad integritatem corporis in resurrectione assumendus; alius vero, qui non erat sic assumendus, fuit dimissus penitus à Verbo. Igitur sanguis Christi effusus in circumcisione, sicut & particulæ sanguinis hic in terris relictæ, præputium, ac particulæ omnis materiæ, quæ aliquando in Christo fuerunt immediate unitæ Verbo, ac postea resolutæ sunt in lachrymas, sudorem &c. vel deperditæ sunt per actionem & reactionem caloris naturalis, item capilli, qui in vita è Christi capite & barba deciderunt, ista omnia sunt à Verbo dimissa, seu non manserunt Verbo unita. Ratio hujus est: quia alias aliqua essent Verbo unita, quæ nec in Cælo nec in Evcharistia forent. Proinde axioma illud: quod

quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, intelligendum eſt de partibus neceſſariis vel determinatis ad integritatem, & veritatem Corporis Chriſti reſurgentis; has enim Verbum nunquam, neque in triduo mortis dimiſit. Ex quo ſequitur, totum ſanguinem Chriſti moraliter loquendo, non vero totum phyſice fuiſſe aſſumptum ad integritatem corporis in reſurrectione.

Objic. 3. Synodus 6. act. 18. & varii PP. dicunt: *Verbum aſſumpſit carnem mediante* anima, animam mediante ſpiritu. Ergo anima & corpus tantum mediate ſunt aſſumpta. R. N. c. illud dictum SS. Patrum ſenſum facit: Verbum aſſumpſit carnem non ibi ſubſiſtendo, ſed ſimul cum anima, & quidem ſpirituali, ſeu rationali: vel anima fuit cauſa congruentialis, cur caro aſſumeretur, & anima ſpiritualis ſeu rationalis fuit cauſa, ob quam aſſumeretur caro animata: quia non congruebat carnem aſſumi ſine anima, nec animam aliam, quam ſpiritualem, imo talem aſſumi oportebat ob meritum, quod ab anima ſpirituali & rationali poni petit. Ita dictum hoc exſplicat S. Bonavent. 3. D. 2. art. 3. q. 1.

Quamvis autem longe probabiliorem noſtram ſententiam de unione immediata ſanguinis in triduo mortis æſtimem, tamen oppoſitam, quam S. Jacobus de Marchia prædicavit, nolo aut erroris accuſare, aut cenſura aliqua perſtringere; id enim inhibuit Pius II. Imo ſententiam D. Jacobi de Marchia vere probabilem agnoſco. Videantur Theſes de hac re Neoburgi in noſtro conventu defenſæ anno 1740. fol. 45. & ſeqq.

Aſſero 5. Anima & corpus, ac omnes partes Chriſti ſunt 40
eodem inſtanti reali à Verbo aſſumptæ cum tota humanitate. Communis ac certa. Et conſtat ex Synodo 6. act. 11. ubi dicitur: *ſimul caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro animata rationalis, ſimul Dei Verbi caro animata rationalis*; ergo illo inſtanti reali, quo extitit caro animata, vel fætus animatus in Virgineo utero, ſimul fuerunt aſſumpta corpus & anima, ac tota natura humana ex his conſtans.

Nihilo-

Nihilominus hic fermo eft de corpore completo, & perfecte organizato. Nam utique materia prima, ex qua compofitum eft corpus Chrifti, fuit & extitit prius fine unione hypoftatica, non vero totum corpus organicum ex materia & forma corporeitatis perfecte compofitum, confequenter nec materia prima, ut pars actu cum forma corporeitatis perfecte conftituens corpus organicum Chrifti extitit fine unione hypoftatica. Præterea juxta communem Doctrinam conceptio ac formatio corporis Chrifti, & infufio animæ rationalis unico inftanti reali miraculofe completa eft, ut habet communis Doctrina, & clariffime docet D. Damafcenus L. 3. de fide c. 2. dicens: *Dei Filium per Spiritum S. fibi ipfi corpus condidiffe, non ita ut paulatim, tacitisque incrementis figura corporis abfolveretur, fed uno eodemque momento perficeretur.* Illo autem ipfo momento, quo perficitur corpus humanum, infunditur anima: ergo eodem momento vel inftanti reali fuit totum corpus perfectum, & infufa anima. Unde patet, conceptionem Chrifti fuiffe miraculofam & fupernaturalem quoad modum, tum quia fuit peracta absque opera viri: tum quia unico inftanti reali fuit completa, ac verifimiliter illo, quo B. V. Maria abfolvit hæc verba. Ecce ancilla Domini fiat mihi fecundum Verbum tuum.

Ex his fic concludes, eodem inftanti reali, quo completum corpus Chrifti extitit. eo etiam extitit anima rationalis tali corpori unita, & fimiliter illò ipfo inftanti refultavit tota humanitas: ergo illo eodem inftanti reali omnia ifta unita fuerunt Verbo: quia quamprimum extitere, etiam fuere hypoftatice unita Verbo Incarnato, ut ex Synodo 6. act. 11. conftat.

Ex quo habes; quod natura humana illo ipfo inftanti, quo cæpit exiftere, fuerit quoque unita Verbo, & fic femper per Perfonalitatem Verbi, nunquam vero per propriam fubfiiterit. Prout colligitur ex dictis, & ulterius eft communis Patrum & Conciliorum fententia, ac confenfus fidelium: & clare habetur in Concil, Ephefino c. 13. cui inferta eft epiftola S. Cyrilli ad Neftòrium, in qua dicitur: *Neque enim primum natus eft homo communis de S. Virgine, & tunc demum inhabitavit*

habitavit in eo Verbum, sed in ipsa vulva, uteroque virginali se cum carne conjunxit, & sustinuit generationem carnalem, carnis suæ nativitatem suam faciens. & S. August. L. contra serm. Arian c. 8. ait: naturam humanam non sic assumptam esse, *ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur.* Deinde non erat ulla ratio, cur differretur ejusmodi assumptio in tempus subsequens productionem humanitatis. Adde: si Verbum in primo instanti productionis non assumpsisset naturam humanam; tunc B. V. Maria non esset Deipara, seu non genuisset Deum, aut personam Divinam; sequela est contra fidem: ergo. M. prob. alioquin enim genuisset meram personam humanam.

Dices: quæ habet filium, qui fit postea Pontifex, vere dicitur Mater Pontificis, etiamsi talis filius non fuerit Pontifex in instanti conceptionis: ergo B. V. adhuc esset Mater Dei, etiamsi ejus Filius non fuisset Deus in instanti conceptionis, dummodo fuisset factus Deus propter naturam ejus primum postea à Verbo assumptam.

R. N. C. & parit. Mater illa foret adhuc Genitrix illius personæ, quæ est, & fit postea Pontifex. Ast B. V. Maria, si in primo instanti conceptionis Verbum non fuisset unitum naturæ à se conceptæ, non genuisset personam Divinam, seu talem, quæ postea Deus fieret; verum aliam, nimirum mere humanam, quæ à Verbo non esset assumenda.

Assero 6. Quamvis Verbum uno instanti reali simul assumpserit naturam humanam, & ejus partes, tamen in hac assumptione intervenit aliqua prioritas signorum naturæ. Bellutus, & ex hoc Mastrius disp. 1. de Incarnat. n. 113. & seqq. ac alii Scotistæ communius. Et quidem, si ordinem executionis spectemus, corpus supponitur ante animam, anima & corpus ante totum essentiale humanitatis: ergo etiam prius supponitur corpus esse unitum Verbo, deinde anima, ac tandem tota humanitas. A. patet: quia ordo ab imperfectioribus incipit, & ascendit ad perfectiora: & aliunde vi naturalis præsuppositionis corpus animæ, & corpus ac anima tanquam partes constitutivæ præintelliguntur toti homini. C. prob. 41

In fignis illis prioribus corpus & anima fuerunt capaces unionis faltem per modum fimplicis terminationis, tendentiæ: ergo taliter fuerunt, vel intelliguntur effe unitæ pro illis fignis, quia nulla caufa differendi, vel pro alio figno ftatuendi iftas uniones in anima & corpore fubjectata erat.

Jam in ordine intentionis prius intendebatur unio humanitatis cum Verbo, deinde primum unio animæ, ac tandem corporis, & partium ejus: ratio hujus eft: quia, quæ priora funt in executione, funt pofteriora in intentione: & quia à Deo primario tanquam finis intendebatur unio hypoftatica totius humanitatis cum Verbo, hinc propter iftam demum intendebatur unio etiam cum partibus; nam totum femper primo eft in intentione, & propter totum deinde intenduntur partes.

Iftud quoque notes, velim, debere admitti, quod fpecialibus unionibus humanitatis, anima & corpus fuerint unita Verbo: tum, quia funt fpecialia ac diftincta fubjecta: tum, quia humanitas Chrifti fuit unita immediate unione perfonalitatis in unitatem perfonæ: partes vero uniebantur unionibus fimplicis terminationis. Tum quia anima & corpus in triduo mortis manferunt immediate unita Verbo; ubi tamen non manfit unita humanitas: quod non potuiffet fieri, fi non habuiffent diftinctam unionem ab illa, quam habuit tota humanitas: quia unio hypoftatica totius humanitatis cum hac in triduo mortis fuit deftructa. Imo ex hoc patet, animam & corpus habere etiam diftinctas fpecialiter uniones hypoftaticas: quia in triduo fuerunt inter fe feparatæ, & tamen manferunt realiter Verbo unitæ: ergo non propter unionem quamdam communem, fed propter fpeciales & diftinctas. Ex his

42 Habes 1. Quod unio hypoftatica totius humanitatis fuerit facta vel in tertia entitate, fi hæc detur, aut poffibilis fit, vel in anima & corpore, qua phyfice ac fubftantialiter unitis. Unde mirum non eft, quod hæc unio hypoftatica in triduo mortis non extiterit, quia vel tertia entitas, vel certe anima & corpus qua phyfice & fubftantialiter unita ibi non extitere. Habes 2.

Habes 2. Verbum assumpsisse partes immediate per modum simplicis terminationis, dependentiæ. Nam partes in se immediate & præcise, ac pro priori ad humanitatem totam spectatæ non sunt suppositabiles, vel personabiles; cum suppositalitas vel personalitas præsupponat completam essentiam humanam: ergo talis unio partium in se spectatarum non potuit esse alia, quam simplicis terminationis, dependentiæ, quam rationem articulo sequenti clarius explicabo.

Habes 3. A Verbo primario esse personatam naturam humanam totam, partes vero ejus secundario ac mediate principiative personatas mediante toto: quia personalitas primario afficit totum, & secundario tantum partes, quatenus constituunt totum. Id, quod Scotus vult 3. D. 2. q. 2. §. *ideo quantum ad istum articulum V. ad propositum potest dici n.* 5. dicens: quod tota natura humana fuerit immediate primo assumpta à Verbo: loquitur enim ibi solum *de unione personationis in unitatem personæ*, & ostendit naturam totam esse immediate & primo personabilem, non vero partes: ubi tamen minime negat, partes esse pro priori signo ante naturam unitas unione simplicis terminationis, dependentiæ, de qua ibi Scoto nullus sermo; videatur Mastrius pro hac conclusione citatus.

Habes 4. Non esse admittendam illam sententiam quorumdam Scotist. qui cum Poncio defendunt, solam humanitatem esse immediate unitam Verbo, & partes hominis, seu corpus & animam in morte Christi destructa humanitate, & ejus unione hypostatica ex anima & corpore esse exortas duas novas uniones ad Verbum. Nam præter dicta superiora contra hanc sententiam est 1. Quia Scotus in tertio. D. 16. q. 2. §. *sed contra ista* explicans illud dictum Damasceni: *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit*, ait: *partes principales semper fuisse unitas Verbo, licet dimiserit totum.* Et eodem 3. D. 2. q. 2. n. 4. §. *quantum ad primum* arguit contra Varronem asserentem, Verbum assumpsisse corpus mediante anima, & ipsum deducit ad hoc inconveniens, *quod tunc in morte Christi fuisset nova assumptio;* quia tunc fuit corpus Christi immediate unitum Verbo, & non per animam: ergo quia Scotus rejicit novam

unionem & assumptionem corporis in morte tanquam inconvenientem, supponit Corpus Christi fuisse ab initio statim immediate per propriam unionem assumptum à Verbo. 2. In triduo mortis corpus & anima immediate fuere unita Verbo, ergo etiam antecedenter. Nam unio immediata illa in triduo ideo præcipue asseritur, quia antecedenter præcessit.

Inferes 5. Verbum assumpsisse naturam humanam cum propria naturæ humanæ existentia, idem dic de corpore & anima &c. ratio est, quia Verbum assumpsit essentiam humanitatis: ergo & existentiam, quæ ab essentia non distinguitur. Unde natura humana in Christo existit per propriam existentiam humanam, non vero supponitur, vel subsistit per personalitatem propriam, sed alienam & divinam.

43 Quæres, an post resurrectionem quædam particulæ sanguinis Christi in Passione effusi in terris remanserint, nunc vero omnis omnino sanguis fuerit reassumptus intra corpus gloriosum Christi? Rdet. 1. Joannes à Turre-Cremata in Can. *invitat Dominus de consecrat.* dist. 2., non esse in terris similes particulas sanguinis relictas, dicitque, oppositam sententiam non posse absque nota erroris defendi. Huic videtur favere D. Thomas in 3. p. q. 54. art. 2. ubi ait, in corpore glorioso Christi resurgentis esse carnes, ossa & sanguinem integraliter absque diminutione. Verum hæc verba congruam patiuntur explicationem, scilicet illum sanguinem esse integre in corpore Christi glorioso, qui ad illud integrandum erat necessarius. Unde

R. 2. aliter: probabilius est, aliquas particulas sanguinis Christi effusi in Passione esse in terris relictas. Ita Doct. Seraph. 4. Sent. D. 2. dubio 2. Lugo, Viva, Mastrius, Herinx, Frassen, Panger & alii.

Prob. 1. Leo III. fertur ivisse Mantuam ad videndum sanguinem in Abbatia S. Benedicti in templo S. Andreæ asservatum, quem eo attulisse Longinum fama est, eumque ut verum sanguinem Christi approbasse. 2. Pius II. in Bulla ad Abbatem Monasterii S. Mariæ Diecæsis Xantonensis ait; *veritati*

fidei

fidei nullatemus repugnat affirmare, Redemptorem animarum de sanguine præfato ob ipsius Passionis memoriam aliquam partem in terris reliquisse. 3. Permittente & approbante Ecclesia publico cultui exponuntur particulæ sanguinis Christi, ut Augustæ in nostra Ecclesia ad S. Sepulchrum. Teste Goneth apud Viva asservatur apud S. Maximianum, ubi S. Maria Magdalena pænitentiam egit, in ampulla vitrea sacer sanguis, ab ipsa S. Magdalena sub cruce collectus, qui toto tempore, quo legitur passio Domini die Parasceves ebullire cernitur, ut plures testes occulati in regio Conventu S. Maximiani commorati retulerunt. Accedit ratio: quia verisimilius est, in corpore Christi patientis necdum glorioso fuisse aliquas particulas sanguineas non necessarias ad integrationem corporis gloriosi alimento non indigentis: ergo verisimilius est, illas particulas non necessarias, fuisse relictas in terris ad devotionem fidelium. Addit D. Bonaventura, nec Christum propterea, quia reliquit aliquam partem sanguinis, non esse integrum, quia homo ille adhuc integer est, qui vel totum suum sanquinem, vel maximam ejus partem retinet, & plane homo, qui per venæ sectionem aliquot uncias sanguinis emittit, adhuc integer est.

R. 3. Ejusmodi particulæ in terris relictæ non sunt amplius unitæ Verbo: tum ob rationem datam n. 39. in responsione ad objectionem secundam. tum quia istæ particulæ non amplius sunt partes corporis Christi integri: ergo cessat ratio unionis hypostaticæ, quæ tantum afficit partes corporis Christi.

Neque dicas, ejusmodi particulas esse iterum uniendas corpori Christi in die extremi judicii. Nam hoc gratis dicitur sine ulla probatione. 2. Etiam sine his particulis corpus Christi gloriosum est integrum & perfectissimum: ergo non est necessitas hujus reassumptionis.

Per hoc tamen non negaverim, quod istæ particulæ sanguinis Christi sint revera adorandæ cultu latriæ: Nam etiam Crux Christi est sic adoranda, quia olim tetigit Corpus Christi, ejusque Passionem repræsentat; ergo etiam istæ particulæ sanguinis Christi, quia & istæ repræsentant Passionem, in qua sunt effusæ, & simul aliquando fuere Verbo unitæ. Quin

imo & sanguis, qui miraculose fluxit ex aliqua imagine Christi, est cultu latriæ adorandus; ob repræsentationem veri sanguinis Christi, ut bene advertit R. P. Panger.

Petes; Quandonam guttæ sanguinis Christi in terris relictæ unionem ad Verbum amiserint? R. nil certi circa hoc punctum dici potest, quia nec Authoritas, nec ratio ostendit, quando cessarit unio ad Verbum. Dupashquier cum aliis censet, statim ac effusus est sanguis, portionem in terris relinquendam deperdidisse unionem hypostaticam; quia non erat amplius in resurrectione intra corpus gloriosum assumenda. Illustrissimus Herinx ex opposito judicat, totum sanguinem in Passione effusum, etiam illum, qui in terris relinquendus erat, toto triduo mortis mansisse unitum Verbo. Ratio ejus est: quia tunc separatio sanguinis denuo ad integritatem corporis assumendi ab illo, qui in terris relinquendus erat, nondum fuit facta, sed erat primum facienda in resurrectione: & illo triduo totus ille sanguis per modum unius fuit in pari veneratione fidelium: ergo & unio ad Verbum respectu totius illius sanguinis fuit conservata usque ad resurrectionem, ubi sanguis reassumendus à reliquo in terris relinquendo fuit separatus.

ARTICULUS IV.

De subjecto possibili unionis hypostaticæ.

44 Discussis illis, quæ à Verbo actu sunt assumpta, restat declarare, quæ de absoluta potentia Dei potuerint assumi, etsi non sint assumpta in moderna providentia: ero autem brevis, quantum licet; quia hæ quæstiones parum sunt utiles, & serviunt solum ad lucem clariorem afferendam dictis de actu unitis Verbo.

Notandum est 1. Sustentare aliquid in genere, nihil aliud esse, quam conservare rem in suo esse, & terminare ejus dependentiam; cum ergo dependentia ab alio sit varia, vel

vel tanquam à causa efficiente, vel tanquam à causa materiali, vel tanquam à supposito; ita quoque sustentatio alia est in genere causæ efficientis, alia in genere causæ materialis, alia hypostatica seu in ratione suppositi. Sustentatio positiva in genere causæ efficientis est productio positiva, seu est ratio, qua effectus dependet ab alio tanquam a sua causa efficiente, sicut & sustentatio activa causæ efficientis est ejus influxus, quo producit effectum. Sustentatio in genere causæ materialis est illa ratio, qua subjectum tanquam materialis causa influit in formæ productionem & conservationem. Sustentatio hypostatica est ratio terminans dependentiam, quam natura completa habet ad suppositum.

Notandum 2. In formis præsertim accidentalibus triplicem habitudinem, quam habent ad subjectum, spectari posse. Una est sustentationis, quando à subjecto tanquam causa materiali influente dependet, quoad fieri, esse, & conservari. Altera est informationis, quando dependet à subjecto, non ut sustentante, sed recipiente, sic forma aliqua non educta, sed creata recipitur in subjecto, & ei unitur, ut anima rationalis, vel accidens aliquod, quod Deus absque concursu causæ materialis creans, uniret alicui subjecto. 3tia. est habitudo posterioris ad prius, vi cujus quæcunque forma, esto à solo Deo creata, etiam extra subjectum, naturaliter exigit subjectum tanquam aliquid prius: sic etiam anima rationalis, quamvis non petat produci dependenter à corpore tanquam causa materiali influente, petit tamen produci præsupposito corpore, cui dein uniatur: idem judicium est de aliis formis, quamvis in aliquo casu supernaturaliter non habeant dependentiam à subjecto tanquam sustentante vel recipiente, habent tamen dependentiam ab illo tanquam priore præsupposito, sub hac autem ratione, quatenus accidens vel forma respicit subjectum tanquam aliquid prius, & præsuppositum, non perficit ejusmodi subjectum, sed tantum petit, ut ab eodem terminetur ipsius naturalis dependentia, & exigentia.

Not. 3. Verbum Divinum esse independens ab alio, omni independentia: sic est independens ab alio tanquam subjecto;

jecto;

jecto ; item tanquam ſuppoſito , vel tanquam forma perficiente , vel tanquam à comparte ; quare per hanc ſuam omnimodam independentiam poteſt terminare dependentias omnes creaturarum. H.

45 Aſſero 1. Potuiſſet à Verbo aſſumi non ſolum natura Angelica. 2. verum & irrationalis. Communis.

Prob. 1. memb. S. Paulus ad Hebræ. 2. v. 16. ait: *Nuſquam enim Angelos apprehendit , ſed ſemen Abrahæ apprehendit:* quem textum SS. PP. & Interpretes paſſim intelligunt de unione hypoſtatica, ut fatetur Cornelius , quamvis ipſe aliter explicet : ergo videtur D. Paulus ſupponere , quod Verbum naturam Angelicam per unionem hypoſtaticam potuiſſet apprehendere, vel aſſumere ; alias non rite intuliſſet.

Prob. 2. Perfectio naturæ Angelicæ non reddit eam incapacem tanti favoris : & inſuper ab Angelis perſonalitas propria realiter diſtinguitur, adeoque ſupplebilis eſt per alienam perſonalitatem Verbi : ergo.

Prob. 2. memb. Concluſ. 1. corpus & ſanguis ſunt creaturæ rationis expertes , & tamen in triduo mortis fuerunt unitæ Verbo : ergo & natura alia irrationalis vg. aſini , poteſt ſic uniri.

Prob. 2. Quælibet creatura irrationalis eſt capax ſubſiſtentiæ , per quam terminetur : ergo etiam terminari poteſt per ſubſiſtentiam Divinam.

Prob. 3. Aſſumptio talis creaturæ irrationalis poſſet habere finem à Deo prudenter intendibilem, neque dedeceret Deum : ergo non implicat. Prob. 1. memb. A. poſſet Deus talem aſſumptionem ordinare ad oſtendendam exinanitionem ſuam , & confundendam noſtram ſuperbiam. Prob. etiam 2. memb. A. ſi non eſt indecens , quod Deus dicatur infans , mortuus , crucifixus , flagellatus , & methaphorice *vermis , & non homo , opprobrium hominum , & abjectio plebis* , utique indecens non foret, ſi diceretur *Leo , lapis &c.* Unde Tertullianus L. de carne Chri-

ſti ;

ſti contra Marcionem apud Vivam ait: *ſi de lupo Deus prodire voluiſſet, & feræ, aut pecoris corpore indutus prædicare regnum cœlorum, ei videretur indecens, qui res Divinas provideat ſenſu ſuo, non advertens, quod ſtulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Ex quo ruit argumentum Honorati Tournelii, qui ob indecentiam, quam putat intervenire, ſi Verbum aſſumeret naturam irrationalem, negat, ejusmodi aſſumptionem etiam de potentia abſoluta eſſe poſſibilem. Nihilominus hujusmodi propoſitiones: quod *Deus eſſet leo, lapis, aſinus,* ſi aſſumeret naturam leonis, lapidis &c. non ſunt proferendæ coram rudibus, qui non rite intelligerent ſimiles modos loquendi, & inde ſcandalizarentur.

Porro natura irrationalis, ſi aſſumeretur à Verbo, non perſonaretur, cum eſſet incapax perſonalitatis, hæc enim ſolis creaturis rationalibus convenit: ſuppoſitaret tamen Verbum ejusmodi naturam, & independentiam ab alio diſtincto ſuppoſito tribueret. Neque natura irrationalis aſſumpta fieret ſancta ſanctitate accidentali, ſeu amica Dei, neque poſſet beatifice videre Deum: hæc enim dona ſolis creaturis rationalibus competere poſſunt, ſuntque diverſi ordinis, quam eſt unio hypoſtatica, nec cum hac neceſſario connectuntur.

Nihilominus talis natura ferina, vel alia, eſſet ſancta ſanctitate alia, minus proprie tali, qua res etiam inanimatæ ob contactum vel repræſentationem rei ſacræ, aut ob benedictionem, uti imagines, dicuntur ſanctæ, id eſt veneratione & cultu dignæ.

Aſſero 2. Poſſet una perſona immediate aſſumere plures naturas humanas. Ita Communis cum Scoto 3. D. 1. q. 3. 46

Prob. Non eſt repugnantia ex parte naturarum, neque ex parte Perſonæ Divinæ aſſumentis: ergo. A. prob. quoad 1. memb. omnes naturæ creatæ quoad hoc ſunt in potentia obedientiali: ergo, deinde de facto in una perſona Verbi ſe compatiuntur duæ naturæ, una infinita & Divina, altera finita & humana: ergo etiam eſſent compoſſibiles plures naturæ finitæ in eadem perſona. Quod ulterius firmatur; quia perſona

ſona Verbi in triduo mortis manſit hypoſtatice unita duabus ſubſtantiis finitis realiter diſtinctis, & ſeparatis, ſcilicet corpori & animæ: ergo.

Prob. etiam 2. memb. A. nam idem terminus, ac eadem perſonalitas poteſt plures uniones & relationes, ac dependentias terminare, præſertim quia perſonalitas Verbi ſaltem identice eſt infinita: ergo.

Objic. 1. Virtus generativa in Patre Divino habet unicum terminum, ſeu unicum Filium Divinum: ergo etiam virtus terminativa Verbi habet unam naturam creatam, quam terminare poteſt. R. N. c. virtus generativa in Patre Divino habet unicum terminum, ſcilicet Filium Divinum; quia hic eſt infinitus: aſt creaturæ plures terminabiles & aſſumptibiles à Verbo forent tantum finitæ, adeoque hæ non poſſunt adæquare, & ſuſcipere in perſona Divina infinita vim terminandi & aſſumendi plures & plures alias novas creaturas. Advertendum quoque pro aliis inſtantiis ſolvendis, quod perſonalitates Divinæ terminent quidem fæcunditatem & communicabilitatem naturæ Divinæ adintra, non vero fæcunditatem, & potentiam terminandi adextra.

Objic. 2. Si Verbum aſſumeret plures naturas humanas, non poſſet dici, an eſſet duplex vel unus homo, ſed hoc debet poſſe dici: ergo. R. N. M. eſſet enim tantum unus homo; quia ad multiplicationem concretorum ſubſtantialium requiritur multiplicatio & naturæ & ſuppoſiti; atqui hic ſolum multiplicarentur naturæ, non vero ſuppoſitum; & ideo unus tantum eſt Chriſtus ob unitatem ſuppoſiti, quamvis in eo multiplicentur naturæ. Porro non eſſet contradictio, ſi Verbum aſſumeret plures naturas ſpecie diſtinctas; quia tunc hæ naturæ eſſent ſolum unum ratione ſuppoſiti, non vero ratione naturarum. Etſi nunc in Chriſto duæ naturæ primo diverſæ & infinite diſtantes naturæ Divina & humana in unum ſuppoſitum uniuntur, cur non aliæ quoque ſpecie diſtinctæ, & non ita diſtantes vg. natura Angelica & humana à Verbo aſſumptæ in unam perſonam Verbi combinari poſſunt?

47 Aſſero. 3. Poteſt verbum Divinum etiam immediate aſſumere partes eſſentiales, ſeu unitas, ſeu non unitas phyſice. Communis.

Prob. 1.

Prob. 1. Verbum Divinum ſic de facto aſſumpſit partes tam unitas, quam non unitas: non unitas inter ſe in triduo mortis, in quo unio phyſica non interceſſit inter animam & Corpus Chriſti, licet utrumque, id eſt anima & corpus illo triduo fuerit adhuc phyſice unitum Verbo, ut certum eſt. Phyſice vero unitas partes easdem animam nempe & corpus Verbum aſſumpſit ante mortem in vita, ac poſt triduum mortis in reſurrectione.

Prob. 2. Quamvis partes eſſentiales ut tales non poſſint immediate aſſumi in unitatem ſuppoſiti & perſonæ, cum partes qua tales non immediate & ratione ſui, ſed tantum mediate & ratione totius ſint perſonalitatis capaces; poſſunt tamen aſſumi per modum ſimplicis terminationis, dependentiæ, quam habet una pars ad aliam, vi cujus una cum altera conjungi petit: ergo.

Aſſero 4. Poſſet Verbum etiam immediate aſſumere accidentia abſoluta, 2. non vero relativa. Maſtrius contra plures alios. 48

Prob. 1. pars. Licet enim accidens non ſit capax perſonalitatis, poteſt tamen aſſumi per modum ſimplicis terminationis, dependentiæ, quam habet ad ſubjectum: omne enim accidens ex ſe petit connaturaliter produci in ſubjecto, & hoc reſpicit tanquam aliquid prius; proinde ab eo tanquam priori dependet; eſto etiam, quod tale accidens non educatur, tamen in ſubjecto petit produci, ut dictum eſt: atque hæc dependentia poteſt terminari à Verbo. Altera vero dependentia, quæ eſt ſuſtentationis, & importat concurſum eductivum, non poteſt à Verbo terminante unionem, ſed à cauſa efficiente ſupplente concurſum cauſæ materialis & ſubjecti terminari: ergo.

Prob. 2. memb. accidentia reſpectiva neceſſario à ſuo ſubjecto & fundamento pendent: ergo eorum dependentia à ſubjecto non poteſt ſuppleri aut terminari per Verbum, ſed debet terminari per proprium ſubjectum & fundamentum.

Objic. 1. Si Verbum habet albedinem immediate unitam, poſſet dici album; ſequela eſt abſurda: ergo. R. D. M. Verbum in tali caſu diceretur ſolum habens vel terminans albedi-

nem dependentem, non vero diceretur album; quia album solum prædicatur de subjecto, quod informatur per albedinem; aſt Verbum talis informationis non eſt capax.

Objic. 2. Verbum Divinum non poteſt ſupplere vel exercere cauſalitatem materialem; atqui ſi aſſumeret accidens, hoc deberet facere: ergo. R. N. M. ſi Verbum aſſumeret accidens, non exerceret munus ſubjecti ut ſuſtentantis, vel recipientis accidens; ſed tantum ut ſuppoſiti terminantis dependentiam & unionem accidentis, & habentis accidens.

Objic. 3. Saltem noſtræ concluſiones non procedunt de partibus unitis, & de accidentibus, quæ nimirum inhærent ſuis ſubjectis: ergo. A. prob. in talibus partibus & accidentibus jam terminata eſt dependentia per unionem ad compartem, vel ſubjectum: ergo non poteſt amplius terminari per Verbum: R. N. a. ad prob. D. a. aliqua dependentia eſt terminata c, a. omnis poſſibilis dependentia N. a. Eſto accidens ſit actu unitum ſuo ſubjecto, vel pars ſuæ comparti, tamen ejus dependentiam adhuc terminare poteſt Verbum Divinum. Nam talis pars non obſtante unione ad unam compartem poſſet ſupernaturaliter uniri pluribus aliis ejusmodi partibus, & unum accidens unitum huic ſubjecto ſupernaturaliter poſſet inhærere & uniri pluribus aliis ſubjectis: ergo non obſtante unione ad unum ſubjectum vel partem, dependentia talis accidentis vel partis ulterius ſupernaturaliter terminabilis eſt in ordine ad alia ſubjecta, vel partes, quibus adhuc ſimultanee unibilis foret talis pars, & tale accidens.

§§

ARTICULUS V.

De termino actuali unionis hypoſtaticæ.

49 ASSERO 1mo. Sola ſecunda Perſona ex SS. Trinitate eſt incarnata. Eſt de fide. Prob. de ſola 2da. Perſona Scriptura, Symbola, Concilia, ac SS. PP. affirmant, quod ſit incarnata: ergo hæc ſola eſt incarnata.

Prob. a.

Prob. a. Joann. 1. dicitur: *Verbum caro factum est.* Joan. 3. *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* ad Gal. 4. *misit Deus filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Idem dicunt Symbola Apostolorum, Constantinopolitanum, & S. Athanasii, ac Patres passim.

Assero 2. Verbum Divinum unitum est immediate humanitati secundum personalitatem propriam, & proprietatem 50 relativam filiationis, non secundum essentiam communem omnibus tribus personis. Ita SS. PP. communiter cum Suarez, Vasquez, Gormaz, Antonio Mayr, ac ipso S. Thoma. 3. p. q. 3. art. 2. in Corp. ac cum Doctore subtili 3. D. 1. q. 5. §. *in ista quæstione* contra Durandum admittentem duplicem unionem hypostaticam, quarum una ad personalitatem, altera ad naturam Divinam terminetur, nec non contra Nominales, Vivam, & alios docentes, unionem hypostaticam immediate terminari ad totum Verbum, seu Deitatem & personalitatem simul.

Prob. 1. Concil. Tolet. 6. & 11. in professione fidei (quorum ultimum Innocent. Papa ad Petrum compostellanum vocat *authenticum*) dicit: *ad Incarnationem quoque hujus Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est.* Quia inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen filius *formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate Divinæ naturæ, NB. in id, quod proprium est filii, non quod commune est Trinitati:* ergo Verbum tantum secundum prædicatum illud, quod ipsi est singulare & peculiare, & quod non est commune SS. Trinitati, consequenter secundum solam personalitatem, non vero naturam Divinam communem, & unam in tribus personis immediate terminavit unionem hypostaticam.

Confirm. VI. Synodus generalis Constantinopoli habita act. 8. refert sententiam D. Dionysii: *Pater & Spiritus Sanctus in Incarnatione nihil habent commune, nisi benignissimam voluntatem,* qua nimirum effecerunt una cum filio Incarnationem; sed si natura Divina immediate terminaret unionem hypostaticam, tunc præter benignissimam voluntatem haberent aliquid cum filio commune, scilicet ipsam rationem terminandi immediate unionem hypostaticam per naturam Divinam communem, & unam

 in

in omnibus tribus perſonis Divinis: ergo. Eandem ſententiam D. Dionyſii etiam profert S. Damaſcenus L. 3. de fide.

Prob. 2. Ex ſententia adverſariorum ſequitur, omnes tres Perſonas Divinas eſſe incarnatas; ſequela non admittitur: ergo. M. prob. omnes tres Perſonæ Divinæ terminarent unionem hypoſtaticam in ſententia adverſariorum: ergo omnes tres Perſonæ eſſent incarnatæ. A. prob. omnibus tribus perſonis ineſſet ratio terminandi unionem hypoſtaticam, ſcilicet ſubſiſtentia abſoluta, vel eſſentia Divina, quæ (uti & reliqua prædicata abſoluta) neceſſario & æqualiter inexiſtunt omnibus tribus Perſonis Divinis, & quidem pro ſigno priori, antequam terminaret, vel terminare poſſit unionem hypoſtaticam: ergo etiam omnes tres Perſonæ Divinæ terminant unionem hypoſtaticam. A. eſt certum quoad omnia membra. Nam certum ſte 1mo. quod omnia prædicata abſoluta æqualiter & absque omni diſcrimine communia ſint, & inſint omnibus tribus Perſonis Divinis, alioquin hæ non eſſent æquales in perfectione. 2do. certum eſt, quod hæc prædicata, quæ ſunt adintra, prius ſupponantur ineſſe, & communicari omnibus tribus perſonis Divinis; antequam in Deo ſupponatur aliqua operatio, vel terminatio adextra, qualis terminatio adextra etiam eſt terminatio unionis hypoſtaticæ. Prob. igitur C. ultimi enthymematis, & confirm. tota hæc 2da. probatio 1. ratio terminandi unionem hypoſtaticam, ſcilicet eſſentia Divina vel ſubſiſtentia abſoluta æqualiter ineſt omnibus tribus perſonis, & quidem pro priori, antequam terminet unionem hypoſtaticam: ergo non eſt ulla ratio, cur potius ſit ratio terminandi in una perſona, quam in altera: ergo vi eſſentiæ communis omnes tres Perſonæ Divinæ terminant unionem hypoſtaticam. 2. Quia voluntas Divina ac omnipotentia ſupponitur eſſe communicata adintra pro priori, antequam ſupponantur aliquæ creaturæ productæ adextra, vel determinatæ ad exiſtentiam, ideo omnes tres perſonæ operantur adextra, & per communem voluntatem ac omnipotentiam producunt creaturas: ergo etiam ſic omnes tres perſonæ Divinæ terminant unionem hypoſtaticam per unam communem eſſentiam, vel ſubſiſtentiam abſolutam. 3. Quia filiatio tanquam ratio terminandi eſt in filio, ideo recte dicitur, quod filius terminet per filiationem unionem hypoſtaticam: ergo

go quia essentia Divina est in omnibus tribus personis, recte quoque dicitur, quod per eam tanquam rationem terminandi omnes tres personæ Divinæ terminent unionem hypostaticam, & Incarnationem. 4. Quod convenit naturæ Divinæ ratione sui, convenit omnibus tribus personis communiter & æqualiter: ergo si essentiæ Divinæ convenit terminare immediate unionem hypostaticam, tunc hoc convenit communiter & æqualiter omnibus tribus personis: ergo non solus filius, sed tres personæ sunt incarnatæ.

Prob. 3. Quamvis in sententia Nominalium, & Vivæ Verbum esset ex duplici capite, nimirum ratione naturæ Divinæ & personalitatis unitum, & sic magis incarnatum, quam reliquæ personæ, quæ ratione personalitatis non essent immediate unitæ cum natura humana, tamen Pater & Spiritus Sanctus adhuc ratione naturæ Divinæ communis essent vere incarnati, quia adhuc vere ratione naturæ Divinæ communis immediate unirentur cum humanitate; atqui sequela non potest admitti; quia est contra fidem, & ut testatur S. Anselmus L. de Incarnatione Verbi c. 1. est damnatum in aliquo Concilio Rhemensi, estque hæresis Theopaschitarum, & Patripasianorum, vel Petri Cnaphæi Episcopi Antiocheni, de qua hæresi Joan. Damascenus L. 3. orthodoxæ fidei: ergo.

Confirm. si Verbum per impossibile præter communem influxum omnipotentiæ haberet etiam specialem influxum notionalem, & personalem in creaturas, item si præter scientiam communem tribus personis, haberet suam peculiarem personalem, tunc Verbum censeretur quidem specialiter influere in productionem creaturarum, & specialiter scire, quo tamen non obstante, Pater adhuc & Spiritus S. vere influerent, & scirent per influxum, & scientiam omnibus tribus personis communem: ergo à pari, quamvis Verbum præter communem essentiam etiam per personalitatem propriam terminaret immediate unionem hypostaticam, tamen etiam Pater & Spiritus S. per essentiam communem vere immediate terminarent illam unionem.

Objic. 1. Quamvis intellectus Divinus sit æqualiter in omnibus tribus personis, tamen per illum solus Pater Divinus non

non reliquæ Personæ generant filium ; ergo etiam quamvis essentia Divina sit in tribus personis, tamen in solo filio potest esse ratio terminandi unionem hypostaticam R. N. c. & parit. intellectus Divinus in solo Patre est, pro priori signo originis ante generationem filii: ergo solus Pater potest per intellectum generare filium ; non vero reliquæ personæ, quæ filium jam supponunt esse generatum. Et ob hanc causam Pater & Filius simul spirant Spiritum S. non vero Spiritus sanctus, quia voluntas tanquam principium spirationis pro priori signo communis ante spirationem Spiritus sancti inest Patri & Filio, non vero Spiritui sancto. Jam vero, ut ostensum est, essentia Divina supponitur inesse omnibus tribus personis, antequam hæ aliquid supponantur operari, & terminare adextra; ergo si essentia Divina esset ratio terminandi aliquid adextra, vg. unionem hypostaticam, tunc eam terminarent simul omnes tres Personæ per communem essentiam.

Dices: saltem potest dici, quod essentia, ut modificata personalitate Verbi, sit ratio terminandi unionem hypostaticam; sed essentia ut modificata personalitate Verbi est in solo Filio: ergo essentia in solo Filio est ratio terminandi unionem hypostaticam. R. 1. indirecte, si ita licet loqui, tunc possum quoque dicere: essentia vel omnipotentia ut modificata personalitate Patris est ratio producendi creaturas: ergo essentia in solo Patre vel solus Pater producit creaturas. R. 2. N. M. ratio negandi patet, tum ex retorsione, tum ex Scoto pro conclusione allegato. ubi n. 6. ostendit, quod nulla personalitas Divina possit esse conditio vel modificatio sufficiens ad hoc, ut essentia Divina, aut alia perfectio absoluta Divina sit ratio formalis proxima præstandi aliquid in una tali persona, ita, ut ejusmodi perfectio absoluta non sit etiam talis ratio immediata in reliquis personis, supposito, quod omnes præsupponantur illi rei, ad quam præstandam vel acquirendam essentia Divina est ratio illa formalis, ac immediata. Certe per personalitatem D. essentia Divina in una persona non magis quam altera restringitur, aut extenditur quoad virtutem suam operandi, aut terminandi adextra, sed eam æqualiter retinet, stante quacunque personalitate.

Objic. 2.

Objic. 2. Personalitas Verbi non est perfectio: ergo non potest ei uniri humanitas. R. D. a. non est perfectio gradualis c. a. non est entitativa perfectio, & quid reale N. a. & in hoc est dispa-ritas inter personalitatem creatam & Divinam; illa enim est me-ra negatio & nihil positivum, consequenter non potest termi-nare positivam realem unionem: Ast personalitas Divina est entitas positiva entitative, non tamen formaliter aut infinite perfecta. Hos terminos suppono ex tract. de Deo Trino.

Objic. 3. Verbum Divinum subsistit per subsistentiam absolutam: ergo etiam terminat unionem hypostaticam per subsistentiam absolutam. R. D. a. per subsistentiam absolutam subsistit essentialiter & communicabiliter c. a. subsistit persona-liter & incommunicabiliter N. a. per id autem terminatur na-tura humana Christi, per quod ultimo & incommunicabiliter constituitur in ratione personæ, consequenter per subsistentiam personalem Verbi.

Objic. 4. Si dicatur, quod totum complexum ex natura Divina, & personalitate filii uniatur immediate cum natura humana, & ejus unionem terminet, jam habetur, quod Ver-bum uniatur secundum esse proprium, & non secundum esse commune omnibus tribus Personis: ergo tali modo salvantur concilia & dicta PP. quæ in prima probatione sunt adducta. A. prob. totum hoc complexum indivisibiliter sumptum, seu to-tum Verbum ex essentia & personalitate Verbi constitutum non est in Patre, nec Spiritu Sancto, sed in solo filio: ergo hoc esse & complexum est proprium soli filio, & consequen-ter si dicatur, quod totum complexum ex natura Divina unia-tur Verbo &c. hic enim modus loquendi est gratis excogi-tatus ab adversariis, & videtur esse contra genuinum, ac ob-vium sensum Concilii Toletani & SS. PP., qui per singularita-tem personæ, ac esse proprium filii non intelligunt totum complexum filii, vel filium Divinum adæquate acceptum, sed tantum unum prædicatum personalitatis, & filiationis, & qui-dem ut distinctum ab essentia Divina, prout expendenti ad-ductos textus patet. 2. Quando totus filius uniretur imme-diate cum natura humana, tunc etiam uniretur immediate se-

cundum id, quod est commune omnibus tribus Personis, nimirum secundum essentiam, sed hoc videtur, esse contra adductos textus, ac contra nostras rationes; nam textus absolute negant, quod secundum quid commune filius immediate uniatur cum natura humana, & rationes nostræ probant, quod in adversariorum sententia etiam Pater & Spiritus S. debeant incarnari, si essentia Divina quoque sit ratio terminandi unionem hypostaticam.

Objic. 5. In Concil. Lateranensi sub Martino I. Consult. 5. Can. 6. dicuntur in Christo duæ naturæ (scilicet Divina & humana) substantialiter unitæ: & in Concil. Rhemensi dicitur *natura Divina incarnata in filio*, qua definitione fuit confixus error Gilberti Porretani dicentis, non esse incarnatam naturam Divinam: ergo etiam natura Divina terminat unionem hypostatic[am]. R. D. a. Natura Divina est incarnata, & unita cum natura humana mediate, mediante nimirum personalitate Verbi C. a. immediate N. a. id, quod declarat Concil. Rhemense, quod addit *in filio*, id est, secundum personalitatem filii. Gilbertus Porretanus omnino admisit distinctionem realem inter Naturam Divinam, & personalitatem Verbi, & ideo dixit non esse incarnatam Naturam Divinam, nequidem mediate, saltem ex ratione, qua nos dicimus, videlicet ob identitatem, quam habet Natura Divina cum personalitate Verbi immediate incarnata.


Dices. 1. Personalitas Patris etiam mediate unitur cum humanitate assumpta à Verbo, & tamen Pater non potest dici incarnatus, hoc enim dicere, esset hæresis Patripassianorum: ergo si natura Divina dicitur incarnata, debet esse immediate unita cum humanitate assumpta. R. D. a. Personalitas Patris mediate unitur, longe tamen aliter quam natura Divina in Verbo c. a. secus N. a. Personalitas Patris mediate quidem unitur humanitati assumptæ à Verbo, sed longe remotius, quam essentia Divina, quæ utpote realiter identificata personalitati Verbi unitur mediate substantialiter secundum eamdem hypostasin, & personalitatem sibi realiter immediate identificatam; ast personalitas Patris & Spiritus S. uniuntur tantum unione latius

dicta

dicta circum in sessionis ob identitatem realem, quam habent cum natura Divina mediate unita cum humanitate assumpta. Unde Natura Divina in filio potest dici incarnata, non vero Pater vel Spiritus Sanctus.

Dices. 2. Nullum exemplum habemus hujus mediatæ unionis in creatis: ergo neque in Divinis debemus adstruere. R. N. c. nullum hujus unionis mediatæ exemplum invenimus in aliis rebus creatis, quia nullum ibi est Mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis: & ideo hæc ratio singularis est sine exemplo juxta Tolet. XI.

Dices. 3. Quamvis personalitas Verbi sit producta immediate, tamen non sequitur, quod natura Divina personalitati Verbi realiter identificata sit mediate producta, sed est simpliciter improducta: ergo quamvis personalitas Verbi sit immediate unita humanitati, tamen non sequitur, quod natura Divina ei identificata, sit mediate unita humanitati: R. N. C. & parit. ad hoc, ut aliquid sit mediate vel immediate productum, debet esse realiter distinctum à producente: natura vero divina non est realiter distincta à Patre producente Filium. Ast ex hoc, quod personalitas Verbi immediate, & essentia Divina sit mediate unita humanitati, non sequitur, essentiam Divinam debere realiter distingui à Patre, sicut & per hoc non distinguitur realiter à Patre, quod identificetur cum filio realiter distincto à Patre.



ARTICULUS VI.

De termino possibili unionis hypostaticæ.

NOta ex tract. de Deo uno & trino: in Deo dari tres subsistentias relativas, & unam absolutam. Tres subsistentiæ relativæ sunt tres personalitates Divinæ, vel illæ relationes paternitatis seu generationis activæ, filiationis seu generationis passivæ, ac spirationis passivæ, per quas tres Personæ Divi- 52

næ in esse personali constituuntur, & terminatur ultimato communicabilitas ac fæcunditas Naturæ Divinæ adintra. Subsistentia vero absoluta est modus essentiæ Divinæ, quo illa est substantia per se existens scilicet independenter à subjecto sustentante, & parte complente, nec non incommunicabilis redditur à complemento & termino extrinseco à se realiter distincto. *Dixi à se realiter distincto.* Nam terminos intrinsecos realiter identificatos, scilicet tres personalitates Divinas, quæ ultimato essentiæ Divinæ communicabilitatem *adintra* terminant, non excludit, imo exigit. Datur ejusmodi subsistentia absoluta in Deo & essentia Divina; tum, quia conceptus hujus subsistentiæ absolutæ omnino convenit essentiæ Divinæ: tum, quia eam adstruit S. Augustinus L. 7. de Trinit. c. 4. dicens: *omnis substantia ad se ipsam existit, quanto magis Deus?* H. S.

53 Assero 1. Essentia Divina, ut præscindit à personalitatibus, & subsistit subsistentia absoluta, potest terminare dependentiam naturæ creatæ, eamque assumere, ac reddere subsistentem. Scotus 3. D. 1. q. 2. §. *ad quæstionem igitur.* n. 6. ubi ait: *quod autem ipsa essentia per se existens posset terminus* esse illius unionis, videtur &c. Neque obstat, quod Doctor eodem 3. D. 5. q. 1. §. *contra* n. 2. dicat: Item, *quod* (essentia Divina) *non potuit assumere naturam humanam, probo.* Etenim Doct. q. illa prima distinctionis quintæ disputat in utramque partem, & resolutionem differt usque ad quæstionem sequentem, seu secundam in eodem l. 3. & dist. 5. ubi §. *ad primam quæstionem* n. 2. iterum in nostram conclusionem propendet, & se reflectit ad jam citatum locum pro nostra conclusione: ait enim: *Essentia D. non est ratio formalis terminandi istam unionem: potuit tamen ipsa esse formalis ratio terminandi, sicut dictum fuit q. 2. primæ disputationis* scilicet eodem L. 3. & paulo post addit: *Natura Divina non est ratio terminandi defacto, tamen posset forte esse ratio terminandi.*

Prob. 1. Verbum Divinum per suam subsistentiam relativam potest assumere, & immediate terminare dependentiam naturæ humanæ, hancque modo convenienti ejusmodi subsistentiæ

ſtentiæ relativæ reddere incommunicabilem : ergo etiam eſſentia D. per ſuam ſubſiſtentiam abſolutam poteſt aſſumere, vel immediate terminare dependentiam naturæ humanæ, & hanc modo convenienti ſubſiſtentiæ abſolutæ Divinæ reddere incommunicabilem, ſuppoſito realiter diſtincto à Deitate.

Confirm. Verbum Divinum poteſt terminare dependentiam & communicabilitatem creaturæ ſub ea ratione, ſub qua eſt independens ac incommunicabilis ob ſuam ſubſiſtentiam relativam : ergo etiam natura Divina poteſt ſub ea ratione terminare dependentiam & communicabilitatem creaturæ, ſub qua eſt independens & incommunicabilis ad ſubſiſtentiam abſolutam, & ſic reddere naturam humanam incommunicabilem alicui actuali ſuppoſito realiter diſtincto a natura Divina.

Prob. 2. Subſiſtentia abſoluta, ceu perfectio formaliter infinita eſſentiæ Divinæ habet virtutem infinitam ſubſiſtendi in ſe, & terminandi dependentias alias realiter diſtinctarum naturarum : ergo nulla eſt ratio, cur per ejusmodi ſubſiſtentiam abſolutam non poſſit immediate terminari dependentia & ratio naturæ humanæ, maxime quia ejusmodi aſſumptio naturæ humanæ facta immediate per ſubſiſtentiam abſolutam haberet ſuum finem, & effectum formalem in natura humana ſic aſſumpta, utpote quæ fieret immediate incommunicabilis ſuppoſito realiter diſtincto ab eſſentia D. ac mediate & ultimato compleretur per tres perſonalitates Divinas, ſicut & ipſa eſſentia Divina per ſubſiſtentiam abſolutam redditur incommunicabilis ſuppoſito realiter diſtincto, ac per tres perſonalitates Divinas ultimo terminatur.

Objic. 1. Scot. 3. D. 1. q. 1. §. *de ſecundo dico* n. 4. docet : ideo perſonam Divinam poſſe aſſumere naturam humanam, 54
quia perſona eſt incommunicabilis, & ideo eſſentiam Divinam non poſſe aſſumere, quia communicabilis eſt : ergo noſtra concluſio eſt contra Scotum. R. 1. indirecte opponendo Scotum pro concluſione citatum, ubi noſtram concluſionem non ſolum aſſerit, ſed & probat, & argumenta adverſantia ſolvit. R. 2. Scotus ibi tantum vult, quod D. Thomas

mas & Varro male concludant, ideo perſonalitatem Divinam poſſe formaliter ac per ſe ſuppoſitare & perſonare creaturam humanam, quia perſonalitas D. eminenter, vel virtualiter continet perſonalitatem creatam, cujus rationem loco in objectione citato dat 1. Quia ſic concludentes dicunt D. perſonalitatem non eſſe perfectionem ſimpliciter, qualis tamen deberet eſſe, ſi in ſua perfectione virtualiter contineret perfectiones aliarum perſonalitatum. 2. Contra eos arguit, quod neque eſſentia Divina, etſi eminenter in ſe contineat omnes naturas & perfectiones creatas, poſſit per ſe ipſam *formaliter* ſupplere vicem NB. *naturæ creatæ*; Nam ſi ſuppleret formaliter naturam humanam, tunc ipſa eſſentia D. eſſet formaliter natura humana, quod eſt impoſſibile: ergo dicit Scotus; neque perſonalitas D. ob continentiam perſonalitatis creatæ hanc formaliter ſupplere poteſt, ſed ob independentiam formalem, ob quam etiam naturam creatam poteſt reddere formaliter independentem. In quibus omnibus nec verbulum contra nos, ut amplius patebit legenti.

Objic. 2. Subſiſtentia abſoluta non poteſt ſupplere perſonalitatem creatam: ergo per eam non poteſt aſſumi immediate natura creata. A. prob. perſonalitas creata reddit naturam humanam incommunicabiliter ſubſiſtentem, & eſt terminus ultimus, non ſic ſubſiſtentia abſoluta: item perſonalitas creata reddit hominem perſonam, non ſubſiſtentia abſoluta &c.

R. N. a. ad prob. D. a. ſubſiſtentia abſoluta non eſt terminus ultimus ſimpliciter, nec reddit naturam humanam incommunicabilem ſimpliciter C. a. ſecundum quid N. a. Deinde licet per abſolutam ſubſiſtentiam non immediate perſonaretur natura, fieret tamen perſona mediate, quatenus per unionem immediatam cum eſſentia Divina ſimul mediate uniretur tribus perſonalitatibus cum eſſentia D. identificatis, à quibus ultimum complementum, & ipſam unionem formalem Perſonæ ac ultimæ incommunicabilitatis reciperet. Ex quo ſequitur, quod bene adhuc ſubſiſtentia abſoluta poſſit ſupplere ſuppoſitalitatem Naturæ humanæ, tum, quia hanc redderet immediate incommunicabilem ſecundum quid, nimirum reſpectu

ſuppoſiti

suppositi realiter distincti ab essentia Divina : tum quia mediate redderet simpliciter incommunicabilem , ac vere personaret.

Objic. 3. In casu nostræ conclusionis vel assumeretur natura humana ab essentia Divina in unitatem naturæ, vel suppositi. Non potest dici primum: quia alias natura Divina & humana in unam essentiam coalesceret, quod est hæreticum: nonsecundum , quia subsistentia absoluta non importat suppositalitatem, quæ dicit incommunicabilitatem simpliciter : ergo.

R. Cum Scoto in 3. D. 1. q. 2. §. *sed contra secundum* n. 10. N. M. nam assumptio naturæ ad subsistentiam Dei absolutam non esset ad unitatem suppositi ; vel personæ, ut patet , & conceditur : neque ad unitatem naturæ ; quia hoc ex modo loquendi significaret identitatem naturæ humanæ & Divinæ , seu unam naturam, sed implicat ita ab essentia D. assumi humanam, ut utraque in unam naturam coeat: igitur ait Scotus, natura humana in tali casu potius assumeretur ad unionem cum natura Divina, quam ad unitatem naturæ vel suppositi.

Dices. PP. loquentes de hoc mysterio tantum duplicem unionem recensuerunt , unam in persona , quam admiserunt, alteram in unitate naturæ , per quam natura humana & Divina in unam essentiam coeunt, & hanc unionem negarunt: ergo non agnoverunt nostram unionem , quam nos hic adstruimus, ut possibilem, quæ est alia à dictis duabus unionibus.

R. trans. a. D.C. & tamen nostram non reprobaverunt C. c. secus N. c. PP. tantum egerunt de eo, quod factum est, & de quo loquendi ansam præbuerunt hæretici: Jam vero tantum prima unio, de qua dictum est in moderna providentia, est peracta, & de altera tantum, non autem de nostra hæretici ansam præbuerunt loquendi: ergo mirum non est, quod de nostra , quam hic dicimus esse possibilem, siluerint. Cæteroquin quæstionem , quam tractamus hac conclusione, est mere speculativa ; quæstiones autem speculativas non multum curant Patres.

Dices. 2. in hypothesi nostræ conclusionis : *hic homo esset hic Deus*; sed hic homo est suppositum & persona : ergo natura

natura sic assumpta, assumeretur in unitatem personæ, & suppositi, quod tamen non potest admitti, quia subsistentia absoluta non est suppositalitas, vel personalitas; alias enim in Deo forent quatuor supposita vel personæ, tres relativæ, & una absoluta.

R. N. m. sicut enim in Deo persona non significatur per hunc terminum *Deus* concretive sumptum, ita neque per istum terminum *homo*, semper & universaliter significatur suppositum, vel persona; sed potest etiam significari natura singularis, in quo sensu D. August. & Ambrosius in suo hymno cantant: *tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti &c.* id est, suscepturus *naturam humanam singularem*; nam suppositalitatem propriam humanæ naturæ Verbum non assumpsit. Igitur in casu nostræ conclusionis per terminum hic *homo* immediate significaretur natura humana singularis subsistens subsistentia absoluta & communicabili, quamvis mediate possit etiam per illum significari persona, quia natura humana sic per subsistentiam absolutam immediate assumpta mediate etiam uniretur Personis Divinis: atque etiam in tali hypothesi quælibet ex tribus Personis esset incarnata, & esset homo; quia omnibus tribus personis immediate communicaretur natura humana. Denique ejusmodi unio non foret in omni rigore hypostatica, quia non est primario in hypostasi seu personalitate facta; foret tamen unioni hypostaticæ multum similis, & talis in sensu latiore.

55 Assero 2. Plures Personæ Divinæ nequeunt simul immediate assumere eamdem naturam humanam. Scot 3. D. 1. q. 2. §. ad quæstionem, igitur n. 5. ac S. Scot. communiter contra extraneos.

Prob. 1. S. Anselmus L. *cur Deus homo* c. 9. ait: *Plures Personæ nequeunt unum eumdemque hominem assumere in unitate personæ*: quare in una tantum persona hoc fieri necesse est, & L. de Incarnatione Verbi c. 4. *Filio incarnato non est necesse alias quoque personas incarnari, sed impossibile*: quæ authoritas ita clara est, ut etiam Larca adversarius dicat, eam non admittere ullam explicationem. Unde effugia adversariorum parum proficiunt,

proficiunt, maxime contra textum secundum, qui manifeste est pro nobis.

Prob. 2. Per unam personalitatem terminatur adæquate dependentia naturæ humanæ, ergo non potest ulterius terminari per alias personalitates: C. patet.: quia alias talis dependentia non esset terminata adæquate; quia ulterius per aliam personalitatem terminari posset: & sic posset dari duplex actio totalis, uti consideranti liquet. A. prob. defacto utique per unam personalitatem Verbi adæquate est terminata dependentia naturæ humanæ in Christo: ergo per unam personalitatem terminatur adæquate dependentia naturæ humanæ.

Prob. 3. Natura humana habens personalitatem propriam non potest assumi à Verbo, vel alia Persona Divina: ergo neque potest assumi à Patre, vel Spiritu Sancto, quando jam est personata per personalitatem filii, quia per personalitatem Verbi æque vel magis completur, quam per propriam.

Confirm. Ideo natura humana affecta personalitate propria non potest assumi à Verbo, vel alia Persona Divina, quia est adæquate completa, & terminata substantialiter per propriam personalitatem, ergo etiam natura humana assumpta & personalizata à Verbo non potest assumi ab alia Persona Divina, quia jam est substantialiter completa, & terminata per personalitatem Verbi.

Prob. 4. Natura creata habet indigentiam & capacitatem ad suum complementum substantiale, & quidem determinate respicit suam propriam personalitatem, non vero indifferentem quamlibet, sicut materia quamlibet formam: ergo per unam propriam personalitatem adæquate satiatur capacitas naturæ, vel certe per unam alteram, quæ propriam personalitatem supplet.

Confirm. Si plures personalitates assumerent eandem naturam humanam, tunc vel cum eadem natura constituerent plures personas vel unam: non secundum: quia plures etiam

personalitates cum una natura Divina constituunt plures & tres personas; & sola personalitate multiplicata multiplicatur concretum personale, ut in Philosophia dicitur. Non primum: quia natura creata ac finita ob limitationem suam videtur tantum esse capax unius personæ constituendæ, quod patet: quia alias natura humana personalizata propria personalitate maneret adhuc supernaturaliter personabilis personalitate Divina, quod tamen communiter negatur. Ad hæc ob solam infinitam fæcunditatem naturæ Divinæ tres in Deo personalitates dantur: ergo cum talis infinita fæcunditas in essentia creata non reperiatur, neque in ea datur capacitas plurium personalitatum: atque adeo per unam personalitatem tota ejus suppositalitas exhauritur: ergo.

56 Objic. 1. Natura humana potest mediate assumi à tribus personis Divinis, si nempe ea assumeretur immediate ab essentia Divina per subsistentiam absolutam, & sic mediate uniretur cum omnibus tribus personalitatibus, ut dictum est conclusione præcedente, & tenet Scotus citatus §. *ad quæstionem igitur* ✠. ad primum in oppositum n. 8. ergo etiam immediate sic assumi potest; quia ex mediata assumptione videntur sequi eadem contradictoria, quæ ex immediata inferuntur. R. cum Scoto D. a. & hoc convenit naturæ humanæ assumptæ ratione sui N. a. ratione naturæ Divinæ infinitæ, cui primo & immediate unitur natura humana C. a. & N. c. ratio distinctionis patet ex ultima probatione.

Objic. 2. Supernaturaliter potest una materia simul informari pluribus formis; ergo etiam una natura creata potest simul suppositari pluribus personalitatibus. R. N. C. & parit. materia ex se est indifferens ad hoc vel illud compositum constituendum, & nata est cum qualibet forma constituere compositum, adeoque habet inclinationem & potentiam ad quasvis formas, & ideo earum plures simul in se recipere potest, si adsit agens supernaturale, quod illas introducat, ast natura humana ex se tantum ordinatur ad unam determinatam personalitatem, per quam adæquate ejus communicabilitas sistitur.

Objic. 3.

Objic. 3. Natura creata est in potentia obedientiali in ordine ad tres Personas Divinas, ita, ut ab his tribus possit assumi: ergo etsi ab una persona fuerit assumpta, tamen adhuc est in potentia, ut ab alia assumatur: consequenter plures personæ Divinæ simul possunt assumere eamdem naturam humanam.

R. D. a. natura creata est in potentia obedientiali ad tres personas divisim, ita ut ab una solum vel hac vel illa ex his tribus possit assumi C. a. ut ab his tribus conjunctim, & simul possit assumi. N. a. habet quidem natura humana simultatem potentiæ obedientialis ad tres Personas Divinas, non vero potentiam simultatis: seu potest assumi à Patre ex hypothesi, quod non aliunde sit personalizata per Verbum, vel Spiritum sanctum, aut propriam personalitatem, taliter quoque seu sub simili hypothesi est assumptibilis à Filio, & Spiritu Sancto.

DISSERTATIO III.

De causis Incarnationis.

ARTICULUS I.

De actione & causa physica Incarnationis.

ASSERO 1. Actio Incarnativa, vel incarnatio active spectata, 57
& sumpta pro actione productiva hujus mysterii est actio productiva unionis hypostaticæ. Communis Scotist.

Prob. Illa actio est incarnativa, per quam ponitur mysterium Incarnationis, sed per actionem productivam unionis hypostaticæ ponitur mysterium Incarnationis, seu Christus: ergo actio productiva unionis hypostaticæ est actio incarnativa.

Ex quo inferes, actionem incarnativam non esse creativam animæ rationalis, vel productivam humanitatis Christi.

 Ita

Ita Scot. 3. D. 1. q. 1. cum fuis & RR. ac Gonet, Mezger, & plures Thomift. contra alios Thomift. Ratio eft 1. Illæ actiones funt diftinctæ, quæ habent diverfos terminos totales: fed actiones creativa animæ rationalis Chrifti, & productiva humanitatis Chrifti, & actio incarnativa habent diverfos terminos totales: ergo funt etiam actiones diftinctæ. M. eft communiter recepta, & inductione probari poteft. m. prob. terminus totalis actionis creativæ animæ eft anima rationalis, terminus totalis actionis, qua producitur humanitas, eft tota humanitas Chrifti, & terminus adæquatus actionis incarnativæ eft totus Chriftus conftitutus non folum ex humanitate, fed etiam Verbo Divino; atqui: ergo. 2. Illæ actiones realiter diftinguuntur, quæ poffunt realiter feparari; fed actio productiva animæ rationalis & humanitatis Chrifti, & actio incarnativa poffunt realiter feparari: ergo realiter diftinguuntur. m. prob. potuiffet produci anima, & tota humanitas Chrifti, ficque dari actio creativa animæ, & productiva humanitatis Chrifti, quin daretur actio incarnativa, & quin ejusmodi anima & humanitas affumeretur à Verbo: ergo iftæ actiones poffunt invicem feparari. 3. Actio productiva humanitatis & animæ Chrifti, & actio incarnativa funt diverfi ordinis, priores enim, quoad fubftantiam faltem, funt ordinis naturalis, hæc vero feu incarnativa eft ordinis fupernaturalis in fupremo gradu; fed actiones diverfi ordinis petunt realiter diftingui: ergo hæ actioner petunt realiter diftingui.

Objic. 1. Juxta S. Leonem Papam epift. 11. ad Julianum: natura hamana Chrifti ipfa affumptione, feu incarnatione fuit creata. & S. Fulgentius L. *de incarnatione & gratia* c. 3. *ipfa acceptio carnis eft conceptio virginis*: ergo actio productiva humanitatis Chrifti eft fimul incarnativa. R. illi PP. tantum affeFunt contra hæreticos, prius tempore non effe creatam vel productam humanitatem Chrifti, quam fuerit affumpta à Verbo: de hoc autem, an ejusmodi affumptio & productio humanitatis Chrifti fit una vel duplex actio, non difputant Patres.

Objic. 2. Si actio productiva humanitatis Chrifti fuit diftincta ab actione incarnativa, tunc B. V. M. non fuit Mater Chri-

fti

sti & Dei, quia physice non influxit in productionem Christi, sed tantum in productionem humanitatis Christi; sequela est hæretica: ergo. R. D. M. si fuit distincta, & simul prior tempore actione incarnativa C. M. si non fuit tempore prior actione incarnativa N. M. illo ipso instanti reali, quo B. V. Maria influxum suum generativum completum præstitit in humanitatem, & hæc physice ac complete concepta est in utero virgineo, fuit simul unita Verbo, ut verum fuerit tunc dicere: *hoc instanti virgo concepit Verbum Divinum vel Deum.* Ratio est, quia actiones & passiones denominant supposita & personas; atqui illo instanti reali conceptionis humanitas Christi jam subsistit per suppositum Verbi, ergo illo instanti jam hoc suppositum Verbi fuit denominatum conceptum ex virgine.

Assero 2. Causa efficiens Incarnationis & unionis hypostaticæ est tota SS. Trinitas. Ita omnes Catholici. 58

Prob. 1. ex Concil. Lateranensi relato cap. *firmiter de summa Trinitate*: ubi *unigenitus* Dei Filius Ipsus Christus dicitur à tota Trinitate communiter incarnatus. Et Concil. Tolet XI. habet in professione fidei. *Incarnationem quoque hujus filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis*: ergo.

Prob. 2. Omnia opera adextra à tota SS. Trinitate tota indivisim fiunt; sed incarnatio Verbi Divini est opus Dei adextra: ergo hoc indivisim à tota SS. Trinitate peragitur.

Ex dictis sequitur, quod Verbum Divinum non exerceat aliquem specialem influxum effectivum respectu Incarnationis, quem non exerceat simul tota SS. Trinitas, ratio est, nam, quicunque adstruatur influxus, debet is esse opus Dei adextra, quod est commune toti SS. Trinitati, ut ex tract. de Deo uno & trino palam est.

Dices. Verbum Divinum solum potest immediate uniri naturæ humanæ: ergo etiam solum Verbum Divinum potest specialiter influere physice in unionem hypostaticam. R. N. c.

& parit. nam prædicatum & potentia, per quam Deus operatur adextra, & efficit unionem hypoftaticam, eft perfectio Divina abfoluta conveniens omnibus tribus perfonis Divinis æqualiter, adeoque per illlam omnes tres Perfonæ æqualiter debent cooperari ad opera adextra. Aft ratio, fecundum quam Verbum Divinum immediate terminat unionem hypoftaticam, eft prædicatum tantum relativum perfonalitatis, ac filiationis, proprium foli Filio Divino, proinde fecundum illum tantum immediate unitur Filius Divinus, non reliquæ perfonæ.

59 Affero 3. Nec B. V. Maria, nec alia caufa phyfice influxit etiam ut caufa inftrumentalis in unionem hypoftaticam, & incarnationem. Ita communis Scot. cum quibus fentit etiam Mezger, exiftimans hanc conclufionem effe de mente D. Thomæ contra Vivam, Bernal, & alios RR.

Prob. 1. Scriptura incarnationis effectum tribuit foli Deo: ergo folus Deus eft caufa phyfica ejus. A. prob. Habacuc 3. dicitur *Domine opus tuum*, quod explicant PP. de Incarnatione. Matthæi 1. *quod in ea natum eft, de Spiritu S. eft.* Luc. 1. *fecit mihi magna, qui potens eft. Fecit potentiam in brachio fuo.* ergo.

Prob. 2. Evertendo præcipuum argumentum adverfariorum. Si B. V. Maria phyfice influxiffet in unionem hypoftaticam, tunc ideo, quia alias non effet vera Mater Dei, fed hæc ratio nihil probat: ergo. M. eft adverfariorum, ut videre eft apud Vivam. m. prob. 1. aliunde fatis oftenditur, quomodo B. V. Maria fit Mater Dei dicenda cum Scoto 3. D. 4. n. 12. quod B. Virgo produxerit humanitatem in ipfo reali inftanti productionis unitam cum Verbo Divino, adeoque hominem Deum, feu humanitatem, cui ob unionem hypoftaticam communicata funt idiomata & prædicata Divina. 2. Dato etiam, quod B. V. phyfice tanquam caufa inftrumentalis influxerit in unionem hypoftaticam, tamen exinde minime fequeretur, eam effe Matrem Dei, tum, quia nec tota SS. Trinitas, quamvis ut caufa principalis efficiat unionem hypoftaticam, propterea dicitur Pater, vel Mater Chrifti vel Dei; ergo multo minus B. V. fic dici poffet, aut deberet Mater Dei propter influxum

fluxum tantum instrumentalem in unionem hypostaticam. Tum, quia (ut argumentatur clarissimus D. Mezger) solus influxus *instrumentalis* in unionem hypostaticam, esto sit activus, non sufficit ad dandam denominationem & dignitatem Maternitatis; nam ad hanc denominationem requiritur concursus causæ principalis, nec sufficit influxus ille, qui etiam à non vivente potuisset præstari; atqui influxus instrumentalis, quem B. V. supernaturaliter elevata præstitisset ad effectum unionis hypostaticæ, posset etiam præstari a non vivente; ut ipsi AA. fatentur; quia in B. V. Maria hunc influxum personalem esse defendunt ob potentiam obedientialem quodlibeticam, vi cujus etiam res inanimatæ possent ad similem influxum elevari: ergo. M. pariter constat; quia influxus matris qua talis, semper est alicujus viventis ut viventis: ergo hæc ratio nihil probat. Unde infert laudatus D. Mezger nostros adversarios per concursum hunc instrumentalem B. Virginis non salvare, sed potius deprimere, aut tollere dignitatem maternitatis. Ratio hujus est, quia illi per hunc concursum instrumentalem rem non explicant, ut satis liquet ex dictis, & simul indicant, aliter non posse salvari maternitatem, nisi per ejusmodi instrumentalem influxum in unionem hypostaticam: ergo tali modo omnino non posset salvari, aut explicari, quomodo B. V. Maria esset Mater Dei: quod utique deprimere, non vero exaltare est Maternitatem Dei.

Prob. 3. Nec B. V. nec ulla creatura potuit elevari ad influxum physicum & effectivum, qualem juxta AA. etiam causa instrumentalis habet, præstandum ad unionem hypostaticam: ergo neque actu sic influit B. V. aut alia creatura. A. prob. 1. ideo B. V. vel alia creatura sic elevari potuit; quia datur potentia obedientialis activa quodlibetica; sed hæc non datur juxta Scot. ergo. M. est adversariorum, minorem suppono ex philosophia nostra. Idem a. prob. 2. causa efficiens sive principalis, sive instrumentalis unionis hypostaticæ debet attingere extrema infinite distantia, eaque physice unire; sed videtur absolute repugnare alicui creaturæ puræ, quod attingat extrema infinite distantia, ea physice uniendo: ergo.

Objic. 1.

Objic. 1. B. V. Maria ſecundum PP. fuit inſtrumentum incarnationis, ſed non fuiſſet, niſi habuiſſet influxum cauſæ inſtrumentalis in unionem hypoſtaticam: ergo. R. N. m. B. V. fuit cauſa inſtrumentalis, quatenus in conceptione cooperata eſt phyſice ad formandum corpus, & ſic ad producendam totam humanitatem Chriſti, quæ primo inſtanti productionis ſuæ erat unita Verbo Divino.

Objic. 2. Si B. V. tantum influxiſſet phyſice in humanitatem puram, eam phyſice cauſando, tunc ſolum influxiſſet in hominem producendum, qui vi influxus hujus eſſet indifferens ad hominem purum, & ad hominem Deum: ergo vi talis influxus B. V. non eſſet proprie & determinate Mater Dei, ſed potius eſſet indifferens ad Maternitatem Dei hominis, vel puri hominis. R. D. a. ſi influxiſſet in humanitatem puram, id eſt, non unitam phyſice cum perſona Divina C. a. ſecus N. a.

Objic. 3. Mater puri hominis, ut talis dici queat, debet non ſolum miniſtrare materiam corporis, ſed & phyſice influere in unionem, qua ejusmodi corpus unitur animæ: ergo etiam, ut B. V. dici queat Mater Dei, debet non ſolum præbere materiam formando corpori Chriſti, ſed & concurrere ad unionem hypoſtaticam inter humanitatem & Verbum Divinum. R. N. a. nam Scotiſtæ cum ſuo Doctore tenent, quod nec Pater nec Mater concurrant phyſice ad unionem animæ rationalis cum corpore, & tamen phyſice efficiunt hominem, quia producunt corpus unitum animæ rationali. Videatur Maſtrius in lib. de generat: & corrupt. diſp. 8. n. 33. & ſeqq.

Objic. 4. B. V. Maria debet glorificari magis & magis, quantum poteſt; ſed magis glorificaretur, ſi diceretur phyſice effective influxiſſe in unionem hypoſtaticam: ergo. R. admiſſ. M. N. m. nam 1. non ſic magis glorificaretur, ut patet ex probatione ſecunda concluſionis, ſed potius ejus gloria minueretur. 2. Non poteſt ſic glorificari, quia talis concurſus abſolute implicat.

Objic. 5.

Objic. 5. In sententia nostræ conclusionis B. V. Maria non vi influxus physici, sed tantum improprie virtute contingentis unionis hypostaticæ cum Verbo esset Mater Dei, sed hoc videtur esse contra honorem B. V. Mariæ : ergo. R. 1. non est contra honorem Christi, quod contingenter, seu non necessario humanitas ejus sit unita Verbo Divino : ergo neque potest esse contra honorem B. V. Mariæ, quod tali modo contingenter sit Mater Dei. R. 2. N. M. nam in nostra sententia non contingenter, & accidentaliter, vel improprie, ut loquitur Viva, est Mater Dei; sed vere proprie, quia vere attigit physice naturam humanam realiter suppositatam personalitateDivina.

Objic. 6. In nutritione, & accretione partes Christi uniebantur de novo Verbo Divino, & hæc nova unio fuit producta per animam Christi : atqui, si anima Christi, quæ est creata, potuit hanc novam unionem ad Verbum producere, tunc & primitus hoc potuit B. V. Maria : ergo. R. N. 2. memb. M. anima Christi in tali nutritione & augmentatione non plus faciebat, quam cæteræ animæ hominum in simili negotio : novam autem unionem hypostaticam ad Verbum producit semper sola SS. Trinitas.

Quæres, quisnam sit terminus actionis Incarnativæ? R. 1. terminus totalis actionis incarnativæ est *Christus*, seu *homo Deus*. Ratio est : terminus adæquatus activus est illud compositum, vel totum, quod posita actione productiva resultat; atqui posita actione Incarnativa resultat Christus : ergo. 61

R. 2. Terminus formalis Incarnationis, prout ea sumitur *pro actione unitiva*, est unio hypostatica, *Ratio est* : terminus formalis est ratio specificans aliquod concretum, vel terminum totalem productum : sed forma specificans hoc concretum *humanitatem unitam* Verbo, quod primario per actionem ut unitivam intenditur, est unio hypostatica : ergo. 2. Ut actio incarnativa est communicatio personalitatis Divinæ, pro termino formali habet personalitatem Verbi : hæc enim sub hac consideratione in termino totali habet quasi rationem formæ specificantis. 3. Si vero Incarnatio sumitur pro huma-

natione vel ipſa incarnatione, tunc terminus formalis eſt natura humana: hæc etenim in hoc concreto Deus humanatus vel incarnatus habet quaſi rationem formæ denominantis.

ARTICULUS II.

De cauſa finali, ſeu de fine & motivo Incarnationis.

62 Gravis hæc quæſtio eſt, & verſatur in eo, an Chriſtus veniſſet, ſi Adam non peccaſſet: vel an motivum & finis Incarnationis Verbi Divini fuerit ſola redemptio, & reparatio generis humani, in Adamo lapſi, ita, ut Chriſtus neutiquam veniſſet, ſi homines non fuiſſent lapſi, nec reparatione indiguiſſent. Duplex eſt ſententia, una Thomiſtarum dicentium: redemptionem generis humani in Adamo lapſi fuiſſe unicam rationem motivam & finalem adventus Chriſti; proinde juxta hos Chriſtus abſolute non veniſſet, ſi Adam non peccaſſet. Altera eſt Scotiſtarum cum plurimis RR. aſſerentium; quod duplex fuerit motivum & finis incarnationis Dominicæ. Et quidem primus finis, qui reſpicit ipſam ſubſtantiam hujus myſterii, & ipſa Excellentia incarnationis Verbi Divini. Alter vero eſt redemptio generis humani, qui reſpicit incarnationem quoad modum; nam ob reparationem hominum in Adamo lapſorum Chriſtus venit ſpeciali quodam modo, nempe in carne paſſibili, alias, ſi Adam non peccaſſet, venturus in carne extrinſece impaſſibili. Igitur Scotiſtæ & alii in hoc puncto ſcotiſtice ſentientes ajunt; incarnationem quoad ſubſtantiam eſſe à Deo efficaciter decretam independenter à peccato Adami, & ſine connexione cum redemptione hominum in Adamo lapſorum, adeoque Chriſtum vi talis decreti etiam Adamo non peccante fuiſſe venturum, quamvis alio modo, nimirum in carne impaſſibili: pro quo.

Advertendum, quamvis unum in Deo entitative ſit Decretum, illudque ſit idem à parte rei indiviſibilis & immultiplica-

tiplicabilis actus voluntatis Divinæ, tamen hoc ipsum unicum decretum in plura non realiter, nec ex natura formaliter, sed per rationem distincta decreta dividi solere ratione objectorum distinctorum, in quæ tendit. Verbo, Decreta Divina non sunt plura entitative, sunt tamen plura objective. Imo interdum idem objective Decretum in plura signa, tendentias vel formalitates (ut vocant RR.) secari potest & debet. Sic Decretum incarnationis ex mente Scoti ad minimum in tria signa dismembrari potest & debet. *In primo signo* decrevit Deus decreto intentivo, efficaci incarnationem, præscindendo ab impassibilitate vel passibilitate Christi, ob excellentiam solam hujus mysterii, consequenter independenter à peccato Adami, & redemptione generis humani. In secundo signo decrevit Deus existentiam reliquarum creaturarum, & Adami &c. cujus lapsum etiam permisit, & prævidit absolute. In tertio signo decrevit modum incarnationis, ut veniret Christus in Carne passibili, in ea redempturus genus humanum lapsum in Adamo.

Hæc pro prævia notitia signorum ad hoc decretum pertinentium, quamvis plura de his signis dicenda sint, præsertim, quod in primo signo hujus decreti non quidem fuerit determinate, absolute intenta & decreta formalis passibilitas humanitatis Christi, bene tamen radicalis: quia in eo fuit Christo assignata natura humana intrinsece, & in actu primo passibilis, & simul in illo instanti nihil fuit decretum, quod passibilitatem in actu secundo impediret. Similiter dicam, quod pro primo signo jam fuerit indeterminate, ac conditionate decreta vel passibilitas vel impassibilitas formalis. De quo n. 65. Object. 5.

Denique hic non indagatur, an Deus potuerit mittere Christum, si Adam non peccasset: de hac enim possibilitate nemo dubitat. Liberum enim fuit Deo, vel omnino non mittere Christum, vel ipsum mittere independenter à peccato, aut in reparationem hominis lapsi. Neque quæritur, an Christus Adamo non peccante venisset vi alicujus decreti primum ponendi, si Adam non esset lapsus: nam an Deus decretum

tale posuisset primum, tunc de Christo mittendo, est res incerta. Controvertitur ergo solum, an vi moderni decreti, per quod Incarnatio decreta est in moderna providentia, Christus venisset, si Adam non peccasset.

Tota autem difficultas in hoc recidit, an Christus fuerit efficaciter decretus pro signo priori ad peccatum, & sine connexione cum peccato, propter solam excellentiam in mysterio Incarnationis relucentem; si enim hoc est verum, tunc Christus venisset, etiamsi Adam non peccasset: quia decretum efficax de Christo venturo, quod est infrustrabile, & in opus exire debet, prius peccato Adami absolute prævifo, & independenter ab illo, & illius reparatione fuisset factum, substitissetque ejus motivum, scilicet excellentia hujus mysterii, etiamsi nec Adam extitisset, nec peccasset, nec redemptione indiguisset. Hoc igitur ut rite probemus, controversia in tres §. secabitur; primus motivum & finem Incarnationis quoad substantiam; alter objectiones. Tertius motivum Incarnationis quoad modum proponet.

§. I.

Motivum & finis Incarnationis quoad substantiam spectatæ.

63 Assero. Vi præsentis Decreti Christus & Incarnatio quoad substantiam est efficaciter decreta ante prævisum Adæ peccatum, & independenter ab eo, atque adeo Christus venisset, si Adam non peccasset. Scot. 3. D. 7. q. 7. n. 3. §. *sed hic sunt duo dubia.* Alexander Alensis, Albertus, Catharinus, Suarez, Gormaz, Esparza, Thyrsus, Gonzalez, Ulloa, Pallavicinus, Viva Antonius Mayr & alii plures; inter quos est S. Franciscus Salesius' L. 2. de amore Divino c. 4. dicens: se hanc sententiam hausisse è S. Scriptura & doctrina antiquorum. est autem hæc conclusio contra Thomistas communiter, & multos alios &c.

Prob. 1. authoritate, ex qua hæc quæstio ferè unicè probari debet: nam illa, quæ à libera voluntate Dei pendent, uti

usi incarnatio Verbi Divini, nonnisi ex revelatione, quæ per authoritatem nobis constat, innotescere possunt. Igitur Proverb. 8. v. 22. & seq. dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret á principio: ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego concepta eram.* Septuaginta Interpretes loco *possedit me &c.* legunt: *Dominus creavit me, initium viarum suarum:* quæ verba ingens numerus PP. & nominatim Clemens Romanus, Bassilius, Athanasius, Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, imo & Concilium Hyspalense IX. c. 13. &c. intelligunt de sapientia Divina incarnata, & de Christo ut homine, quod etiam colligitur ex ipso modo lequendi 70. Interpretum; qui dicunt, *Dominus creavit me;* atqui sapientiæ Divinæ increatæ non potest convenire esse creatum, bene vero sapientiæ Divinæ creatæ & incarnatæ hoc convenit secundum humanitatem: ergo. Et Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*: quod de Christo qua homine intelligit Concilium Sardicense in epistola ad omnes Episcopos. Et ad Colossenses 1. dicit D. Paulus de Christo, *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa, in cœlis & in terra, visibilia, & invisibilia &c. omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, Primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens.* Qui textus aperte loquitur de Christo qua homine: nam juxta Concilium Sardicense in epistola allegata per to *Primogenitus* semper Christus indicatur qua homo, & per to *Unigenitus* significatur ipse qua Deus: & hunc textum de Christo qua homine accipit D. Chrysostomus apud Suarez: ipsaque verba textus id indicant, nam *caput* corporis Ecclesiæ est Christus secundum naturam visibilem humanam. Et *Primogenitus ex mortuis* est Christus utique qua homo, & non qua Deus.

Itaque ex hac authoritate Sacræ Scripturæ ita argumentor. Hi textus non loquuntur quidem de ipsa productione actuali Christi, utpote quæ non fuit prior omnibus, sed posterior multis creaturis antea productis: ergo loquuntur de inten-

intentione & decreto efficaci, quo Deus statuit incarnationem: ergo in decreto Divino Christus & incarnatio Verbi est efficaciter intenta ante omnem creaturam intentam, proinde est ante Adamum; atqui si incarnatio est prior à Deo intenta ante Adamum, tunc etiam ante permissionem & prævisionem absolutam ejus peccati: ergo incarnatio est prior intenta ante permissionem & prævisionem peccati Adami. Ultima C. patet: quia textus allati dicunt, Christum fuisse in mente Divina, antequam quidquam faceret in intentione, seu decreto suo, & sic esse Primogenitum in mente & decreto Divino ante omnem creaturam. m. subsumpta iterum patet, quia peccatum non potuit prævideri vel permitti absolute, antequam videretur absolute exstiturum subjectum, & creatura, quæ peccare posset, scilicet Adamus: adeoque si decretum absolutum de Adamo aliquando condendo, & exstituro non præcessit intentionem efficacem Dei de incarnatione Verbi, tunc neque potuit præcedere permissio vel prævisio absoluta peccati Adami: ergo à primo ad ultimum vi horum textuum Christus & Verbi incarnatio est decreta efficaciter independenter à peccato Adami absolute futuro: ergo vi hujus decreti Christus adhuc venisset in casu, quo absolute non exstitisset peccatum Adæ.

Rdent. aliqui 1. Christus tantum fuit decretus, antequam mundus fuerit actu conditus, non autem antequam fuerit mundus decretus.

Contra est 1. Per hos textus specialis prærogativa adscribitur Christo & incarnationi præ aliis creaturis; atqui si Christus tantum fuisset decretus, antequam mundus fuisset actu conditus, non haberet specialem prærogativam præ aliis creaturis, cum omnes etiam vilissimæ creaturæ jam ante mundum conditum ab æterno fuerint in mente Divina decretæ: ergo.

Rdent. alii 2. Christus est initium tantum viarum redemptionis creaturæ, non autem operum & creaturarum omnium. Contra est: contrarium colligitur ex textibus allatis, quibus Christus vocatur: *Primogenitus omnis creaturæ*, & dicitur fuisse inten-

intentus, antequam quidquam Deus faceret à principio, ante terram, fontes, colles, abyssos &c.

Rdet. 3. Lugo cum multis aliis: Christus est prior aliis creaturis prioritate excellentiæ, & dignitatis, non prioritate causalitatis & intentionis. sic enim Behemot Job. 40. dicitur: *ipse est principium viarum Dei*, id est, quoad nobilitatem creaturæ. Et de nobis Jacobi 1. voluntarie enim genuit nos *verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus*, id est, primatum habeamus inter visibiles creaturas. Et exodi 4. *filius meus primogenitus Israel*, id est, excellentia & nobilitate exaltatus super alios populos.

Contra est 1. Quamvis alii textus non loquantur de ordine causalitatis, quando de principio, initio, vel primogenito mentionem faciunt, tamen textus à nobis adducti non possunt aliter intelligi, quam de prioritate causalitatis: quid enim aliud indicant illa verba: antequam quidquam NB. *faceret* à principio, ab æterno *ordinata sum*, antequam terra NB. *fieret*? Textus S. Pauli ad Colossenses clarissime loquitur de primatu in causalitate, de hoc enim ipsi præcipuus sermo est. Et addit tandem, ut Christus sit in omnibus primatum tenens; atqui non haberet in omnibus primatum, si eum non obtineret quoque in ordine causalitatis & intentionis: ergo. Ex quibus facile colliges, quid reponendum ad textus à Lugone nobis oppositos: nam verba illorum satis solvuntur per prioritatem dignitatis, non vero nostrorum textuum.

Prob. 2. authoritate PP. satis liquide dicentium, quod Christus in decreto Divino præcesserit Adamum, ejusque peccatum, & fuisset venturus, etiamsi Adam non peccasset. S. Irenæus L. 3. adversus hæres. c. 33. ait: *cum præexisteret in decreto Divino salvans* (seu salvare potens)*oportebat, & quod salvaretur, fieri, ut non in vacuum sit salvans.* S. Cyrillus Alexandrinus l. 5. thesauri c. 8. in fine ait: *Creator noster Christum nostræ salutis fundamentum etiam ante initium mundi fundavit, ut si prævaricatione caderemus, in ipso rursus renovaremur*: Quantum igitur ad præscientiam & consilium, & propositum Pa-

tris

tris & omnis Deitatis Christus ante omnia sæcula fundatus est. Qui modus loquendi sonat peccatum necdum absolute prævisum ; alias enim non potuisset dicere conditionate, ut si *prævaricatione caderemus ;* sed *quia casuri sumus.* Significat tantum S. Pater Christum, dum fuit absolute decretus ante absolute prævisum peccatum, fuisse simul conditionate intentum, ut redemptorem in carne formaliter passibili nos renovaturum, *si prævaricatione caderemus.* Quod non obstat nostræ sententiæ, imo etiam facilitat, ut ex dicendis in objectione 5. patebit, nosque solum volumus, quod peccatum Adami *absolute* prævisum non præcesserit decretum intentivum incarnationis.

Prob. 3. Christus ejusque gloria est finis, propter quem reliquæ creaturæ sunt creatæ, & decretæ : ergo Christus in intentione & decreto est prior omnibus creaturis : nam finis in intentione seu decreto & proposito est prior aliis, quæ post talem finem intenduntur. A. prob. ex illo ad Hebr. 2. *propter quem* (Christum) *omnia.* Item Rupertus Abbas asserit : *religiose dicendum, quia propter istum filium hominis gloria & honore coronandum, Deus omnia creavit.* & idem L. de glorificatione SS. Trinitatis c. 20. & 21. habet, quod propter hominem JEsum Christum & Angeli & homines facti sint. Tandem S. Bernardus serm. 3. *super salve Regina* ait de B. Virgine : *propter hanc omnis scriptura facta est : propter hanc totus mundus factus est :* ergo B. V. Maria tanquam finis mundi fuit in decreto Divino intenta ante totum mundum : ergo à fortiori Christus tanquam finis mundi & B. Virginis fuit intentus ante mundum.

64 Rdebis 1. cum Lugone, etiamsi Christus fuerit finis à Deo intentus & dilectus in creaturarnm productione, & ex affectu Christi fuerint reliquæ creaturæ productæ, prout scriptura & PP. videntur indicare, tamen ad hoc non requiritur, ut decretum & intentio efficax incarnationis præcessevit decretum condendi mundum, sed sufficit præcessisse decretum condendi creaturas ex affectu & complacentia simplici erga Christum, non absolute aut efficaciter intentum : sicut & Deus reprobis quoque dat auxilia sufficientia ex affectu simplici

plici ad beatitudinem : & hoc sufficit, ut Deus dicatur etiam reprobis dare gratias sufficientes propter beatitudinem, & salutem, quamvis voluntatem effective efficacem non habeat salutis reproborum.

Contra est. Textus à nobis tam ex S. scriptura quam PP. allati indicant, Christum esse effective efficaciter decretum ante omnes creaturas, & non solum affective efficaciter, sicut salus reproborum : ergo. A. constat. nam termini *Dominus creavit me, ordinata sum, concepta eram, primogenitus* non significant simplicem complacentiam & affectum erga Christum, sed veram ejus productionem & ordinationem effective efficacem in mente Dei : ergo.

Rdebis 2. Christus ante reliquas creaturas fuit tantum conditionate & non absolute volitus.

Contra est. Hoc gratis dicitur; nam textus allegati indicant absolutum & effective efficax decretum Dei.

Rdebis. Christus in mente & decreto Divino est creaturis prior intentus in ratione finis *qui*, vel *cujus gratia*, in ratione autem finis *cui* sunt priores homines lapsi, quorum bono intenditur Christus.

Contra est. Christus absolute & sub omni ratione est intentus in Decreto Divino ante creaturas, quæ primum post Christum sunt decretæ : ergo non potuerunt prius intendi tanquam finis *qui*. Verum est, quod homines lapsi respectu Christi ut Redemptoris sint finis *cui*, & priores Christo, sed Gonet, qui ita respondit, debet primum probare, quod Christus in primo signo decreti intentivi fuerit ordinatus Redemptor hominis lapsi : atque adeo hæc responsio petit principium.

Prob. 4. S. Augustinus L. 1. de nuptiis ac concupis. c. 21. docet, in statu innocentiæ, si perseverasset, seu si Adam non peccasset, futura fuisse tria bona matrimonii, scilicet propagationem sobolis, immunitatem à libidine, & sacramentum magnum in Christo & Ecclesia : ergo etiam tunc fuisset futurus

Christus; alioqui ibi non potuisset dari hoc sacramentum, seu mysterium significans conjunctionem Christi cum Ecclesia.

Prob. 5. Nostra sententia magis conciliat authoritates quam opposita: ergo est præferenda oppositæ. A. prob. aliquæ authoritates & textus dicunt aperte, Christum fuisse primum in intentione & decreto intentivo, adeoque ipsum esse venturum, etiamsi Adam non peccaret: quia erat independenter & pro priori ad peccatum Adæ decretus, & determinatus ad existentiam. Aliæ authoritates volunt, Christum esse venturum, si Adam peccaret; atqui has authoritates nos facile conciliamus, non vero adversarii: ergo nostra sententia magis conciliat authoritates, quam opposita. m. prob. nos admittimus in eodem decreto duas formalitates & tendentias, quarum una, seu prior intendit & determinat incarnationem quoad substantiam ante omnem aliam creaturam decretam, consequenter etiam antequam decretus esset Adam, aut permitteretur, & prævideretur ejus peccatum. Altera vero tendentia seu formalitas decreti, præsupponit decretum de existentia Adæ, uti & decretum permissivum lapsus Adami, & decernit Christi adventum quoad modum passibilitatis, ut veniat in carne passibili ad remedium & reparationem generis humani in Adamo lapsi. Unde juxta nos Christus quoad substantiam, & quasi præscindendo à carne passibili & impassibili fuit primario intentus propter se & propriam excellentiam, & propter ipsum, deinde Angeli & homines & creaturæ aliæ tanquam ejus famulitium. Et cum postea Adamus fuerit prævisus tanquam lapsurus, & cum illo etiam peccaturi ejus Posteri, fuit Christus alia formalitate vel tendentia decreti determinatus, ut veniret passibilis & moriturus pro populo. Per has ergo duas formalitates conciliantur facillime omnes authoritates, & quidem primæ per primam formalitatem decreti, reliquæ, quæ supponunt peccatum Adæ, per secundam tendentiam. Cum vero adversarii primam tendentiam & formalitatem decreti à peccato Adami penitus independentem nolint agnoscere, sic nec authoritates pro nostra conclusione adductas sufficienter solvere possunt: ergo illas authoritates nos facile solvimus, non vero adversarii.

Confirm. I.

Confirm. 1. Deus homines alios & Angelos prædeſtinavit ante lapſum Adami prævifum: ergo à fortiori ſic prædeſtinavit, & decrevit tanquam caput & Regem Angelorum & hominum.

Confirm. 2. Non videtur ſatis credibile, quod Chriſtus non ſit bonum abſolute tale, vel ſaltem non abſolute, ſed tantum occaſione alterius, nempe occaſione generis humani reparandi omnes intendatur, & taliter perfectiſſimum Dei opus adextra ſit tantum bonum occaſionatum: ergo Chriſtus fuit abſolute propter ſe, & propter excellentiam intentus & decretus.

Confirm. 3. Decretum intendens Chriſtum propter ſe, & ejus gloriam eſt Chriſto honorificentius, ut patet, & ſimul magis commendat charitatem Dei, qua voluit viſitare non ſolum infirmos & lapſos, ſed etiam ſanos in ſtatu innocentiæ: ergo tale decretum eſt adſtruendum, maxime, quia Deus Chriſtum adeo amat, & ejus gloriam & honorem quærit, ut habetur Joan. 8. v. 50.

Confirm. 4. Deus credibiliter delicias ſuas, quæ teſte S. Scriptura ſunt eſſe cum filiis hominum, non alligavit peccato: ergo etiamſi nec Adam, nec alius peccaſſet; Chriſtus adhuc veniſſet, & delicias ſuas cum hominibus innocentibus habuiſſet.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Plurimæ authoritates poſſunt afferri, quæ aſ- 65
ſerunt, Chriſtum non fuiſſe venturum, ſi Adam non peccaſſet: ergo noſtra ſententia eſt contra authoritatem. R. D. a. aſſerunt, Chriſtum non fuiſſe venturum in carne paſſibili, & ut Redemptorem c. a. non fuiſſe venturum in carne intrinſece quidem paſſibili, ſed extrinſece impaſſibili N. a. Hæc diſtinctio plane adhiberi debet ad plurimas authoritates, quæ nobis videntur adverſæ; alias enim ejusmodi textus non poſſent concordari cum aliis, qui dicunt, Chriſtum ante peccatum Adæ, & inde-

pendenter ab eo esse decretum &c. Deinde multi ex similibus textibus satis exprimunt, quod tantum intelligendi sint de adventu Christi in carne passibili; addunt enim Christum, si Adam non peccasset, non fuisse passurum, & moriturum. Quare textus tales integri, & non secundum aliqua verba truncata expendi debent. Adde, plerumque PP. & alios loqui de completo incarnationis mysterio, prout modo peractum est, & involvit vitam, passionem & mortem Christi, ac redemptionem generis humani, ut sic excitent fideles ad gratiarum actionem pro redemptione; Denique secundum usum scripturæ & Patrum non raro per carnem & sanguinem, quem Verbum in incarnatione assumpsit, intelligi solet res obnoxia corruptioni, & hinc dum dicunt, Verbum non fuisse venturum in carne humana, si Adam non peccasset, volunt, non fuisse venturum in carne passibili, ut notat Suarez.

Porro id quoque advertas; aliqui textus assignant quidem pro motivo incarnationis redemptionem generis humani lapsi; per hos tamen non negant alterum motivum, quod est ipsa excellentia hujus mysterii. Item, esto dicant aliqui PP. Adamo non lapso non fuisse necessariam incarnationem, per hoc tamen non negant, non fuisse futuram; multa enim a Deo libere ordinata sunt, quæ non sunt necessaria. Imo etiam lapso Adamo incarnatio non fuit necessaria, ut dictum est n. 63. & tamen à Deo libere & misericorditer est ordinata.

Objic. 2. Hæc propositio: *Princeps non veniret in urbem, si seditio non esset compescenda*, male explicaretur hoc modo: *Princeps non veniret cum exercitu, veniret tamen sine exercitu*: ergo etiam male exponitur ista propositio SS. PP. *si Adam non peccasset, Christus non venisset*: dicendo: *Christus non venisset in carne passibili, bene vero venisset in carne impassibili.*

R. D. a. male ita explicaretur, nisi hæc explicatio ex circumstantiis colligeretur C. a. secus N. a. & similiter D. C. Nostram explicationem colligimus ex circumstantiis saltem æquivalenter talibus, id est, ex textibus sacræ Scripturæ pro nostra conclusione allegatis, quibus nec PP. nec alii textus Sacræ

Scripturæ

Scripturæ contradicunt, item ex textibus aliis SS. PP. & ex intento illorum; atqui similes explicationes & restrictiones debent sæpe admitti, ut dicta sacræ Scripturæ inter se concilientur. Ita Christus quoque, dum Joan. 7. v. 8. dixit: *ego autem non ascendo ad diem festum istum*, restrinxit sua verba ad ascensum publicum: nam v. 10. refertur de ipso: *ascendit quasi in occulto.* Non tamen hujusmodi restrictio universaliter fieri potest, quando sufficiens ratio eam non exigit: unde non potest dici: *Christus non surrexit*, subintelligendo, *publice:* quia nullæ circumstantiæ, nullæ authoritates, quæ istam propositionem sic restrictam adhiberent, id expetunt. Ex hac ultima ratione non potest dici: *Christus non venit*, subintelligendo in carne impassibili: quia hic modus loquendi non roboratur authoritate, vel quodam usu communi, sicut alter, quem nos allegamus. Quod præter dicta dilucidat P. Viva dicens: homo in communi acceptione non sumitur pro homine impassibili, bene vero in communi sensu sumitur pro aliquo ente passibili,, ac mortali, & quando PP. & Scriptura loquuntur de Christo, fere semper, & ordinarie loquuntur de eo ut homine mortali, ac doloribus obnoxio: propterea recte & conformiter communi modo loquendi dico: *Christus, Adamo non peccante, non venisset*, quia non venisset ut homo passibilis, licet ut impassibilis & immortalis adhuc venisset: non vero possum dicere: *Christus de facto non venit:* propterea quod non venerit in carne impassibili, quamvis venerit ut passibilis.

Objic. 3. In nostra sententia Deus habuisset duos fines totales respectu incarnationis, scilicet excellentiam hujus mysterii, & redemptionem; sed videntur implicare duo fines totales respectu ejusdem rei: ergo.

R. D. M. habuisset duos fines totales respectu incarnationis secundum se, & quoad substantiam consideratæ N. M. duos fines totales, unum respectu incarnationis quoad substantiam, & alterum respectu incarnationis quoad modum C. M. verum taliter nulla implicantia ostendi potest.

Objic. 4. Vi decreti præſentis & deſacto habiti debuit Chriſtus venire, prout defacto venit; ſed defacto venit ut Redemptor in carne paſſibili: ergo vi præſentis decreti aliter venire non potuit, ſed debuit venire ut Redemptor, & in carne paſſibili, proinde Chriſtus vi moderni decreti tantum veniſſet dependenter à peccato Adami.

R. D. M. vi moderni decreti adæquate ſpectati ſecundum omnia ſigna & formalitates C. M- vi moderni decreti ſecundum unam & primam formalitatem ac ſignum ſpectati, qua decerneretur incarnatio ſecundum ſubſtantiam N. M. dum dicimus, Chriſtum vi præſentis decreti adhuc venturum fuiſſe, quamvis Adam non peccaſſet, non accipimus, decretum Divinum de adventu Chriſti adæquate ſecundum omnes ſuas formalitates, ſed tantum volumus, quod per unam ſaltem formalitatem à peccato Adami independentem fuerit actu jam decreta incarnatio, & non fuiſſet primum decernenda per aliquod decretum ponendum tunc, ſi Adam non peccaſſet, prout aliqui RR. dicunt.

Objic. 5. Si Chriſtus veniſſet vi præſentis decreti, Adamo non peccante, tunc vi præſentis decreti in tali hypotheſi veniſſet ut impaſſibilis; ſed hoc non poteſt dici; ergo. M. eſt SS. PP. m. prob. ſi Chriſtus non peccante Adamo veniſſet, tunc ideo, quia adventus Chriſti jam eſt decretus in prima formalitate decreti moderni: ergo etiamſi veniſſet ut impaſſibilis, tunc hæc impaſſibilitas debuiſſet fuiſſe decreta in prima formalitate decreti; atqui ſi fuit ibi decreta impaſſibilitas, tunc non potuit in formalitate altera poſt peccatum Adæ prævifum decerni adventus Chriſti in carne paſſibili; ſecus enim hæ duæ tendentiæ decreti ſibi contradicerent, & poſterior priorem inverteret & mutaret: quod in decretis divinis implicat. R. D. M. veniſſet vi præſentis decreti ut radicaliter impaſſibilis C. M. ut formaliter impaſſibilis ſubdiſt. abſolute & determinate N. M. conditionate & indeterminate C. M. vi decreti intentivi, vel primæ formalitatis decreti, qua Chriſtus quoad ſubſtantiam venturus decernebatur, fuit ſimul decreta radicalis ejus paſſibilitas, dum fuit ipſi aſſignata caro ex ſe intrinſece paſſibilis, & determinate, ac abſolute non fuit additum pro illo primo ſigno donum extrinſe-

trinſecum impaſſibilitatis, vel impediens paſſibilitatem formalem, dolores & alias pænalitates. Quare in illo ſigno erat Chriſtus quaſi indifferens ac indeterminatus ad paſſibilitatem vel impaſſibilitatem formalem; erat tamen jam conditionate decreta formalis paſſibilitas, ſi Chriſtus pro ſigno poſteriori eſſet decernendus venturus tanquam Redemptor creaturæ lapſæ; ſic etiam pro eodem ſigno decreti conditionate erat decreta formalis impaſſibilitas humanitatis Chriſti, ſi pro poſteriori ſigno ipſe eſſet decernendus tanquam glorificator hominis in innocentia permanſuri. Neque hoc Decretum conditionatum gratis aſſeritur: nam illud adſtruit D. Cyrillus Alexandrinus allegatus in probationibus noſtræ concluſionis: & aliunde conſtat ex tractatu de Deo uno, talia Decreta conditionata in Deo dari.

Objic. 6. Decretum intentivum Chriſti, vel prima formalitas hujus Decreti, qua Chriſtus decretus eſt quoad ſubſtantiam, non potuit præſcindere à formali paſſibilitate humanitatis Chriſti: ergo in primo ſigno hujus decreti Chriſtus intendebatur ut paſſibilis, conſequenter tantum ut venturus, ſi Adam peccaret. A. prob. paſſibilitas formalis eſt aliqua proprietas naturæ humanæ: ergo pro eodem ſigno, quo natura humana Chriſti eſt decreta, & intenta, ſimul eſt intenta ejusmodi paſſibilitas formalis: nam natura non poteſt intendi, niſi ſimul intendantur ejus proprietates. R. D. a. eſt proprietas conſequens naturam humanam neceſſitate methaphyſica, & divinitus inimpedibli N. a. neceſſitate phyſica, quæ per Deum, ſi vult ſupernaturaliter agere, impediri poteſt C. a. Eſto proprietates methaphyſice connexæ cum natura humana, ſimul cum eadem pro eodem ſigno decernantur, non tamen ſic pro eodem ſigno decernuntur cum eadem etiam proprietates tantum phyſice connexæ, ſaltem in caſu, quo Deus pro ſua libertate & poteſtate ſuprema decernit aliquam creaturam ſimul ſtatuendo, ut ea certa poſita conditione ſuas proprietates connaturales habeat, non poſita vero tali conditione eas non habeat.

Objic. 7. Noſtrum ſyſtema arguit confuſionem in ſcienentia & decretis Divinis: atqui omnis confuſio repugnat Deo:

Deo : ergo etiam nostrum systema repugnat Deo. A. prob. pro primo signo decreti nostri Deus nec sciret, nec decrevisset Christi adventum determinate in carne passibili, sed tantum indeterminate, vel in carne passibili vel impassibili; atqui tali modo daretur confusio in scientia & decreto Divino : ergo.

R. N. M. Non omnis cognitio vel volitio præcisiva, & indeterminata, simul est confusa, ac imperfecta. Nam confusio & obscuritas inde procedit, quod non cognoscantur omnia, quando & quomodo cognoscibilia sunt: ergo si pro signo primo, quo decernitur caro Christi indifferenter ad passibilitatem, vel impassibilitatem, ibi tantum cognoscitur ut taliter indeterminata, tunc non cognoscitur confuso modo, quia aliter non est cognoscibilis, cum pro illo signo nec sit determinata ad passibilitatem, neque ad impassibilitatem. Pariter non est confusio, vel imperfectio in voluntate Divina, si pro illo signo, quo datur indifferentia ad utrumque, habet disjunctivam volitionem, qua utrumque indeterminate vult, videlicet hoc, si hæc conditio ponatur, alterum, si alia conditio addatur. Nam in illis, in quibus Deus est liber, non est imperfectio, si ea omnino non intendat, vel si intendat hoc vel illo modo, vel ex hoc, aut alio motivo, & quidem (quis enim impediet in hoc Deum) potest primo absolute intendere substantiam alicujus rei ex motivo excellentiæ hujus mysterii, modum vero ejus in carne passibili pro illo signo primo tantum conditionate & indeterminate, si aliqua certa conditio ponatur; in eodem vero signo, in quo purificatur conditio illa, potest ejusmodi modum absolute intendere: hoc enim exigit libertas Dei, quæ aliquibus suis decretis, vel formalitatibus Decreti potest apponere certas conditiones, aliis vero nullam addere conditionem. Sic Dens in lege veteri petebat par turturum, vel duos pullos columbarum, indeterminate quidem, sed tamen non confuse aut imperfecte.

Hinc duplex potest esse præcisiva & indeterminata volitio : una, qua volo aliqua præcisive vel indeterminate, quæ à me non sunt distincte & clare cognita, ut si volo unum ex equis tuis, vel equum tuum id genere, quin prius cognoverim clare,

clare, quos & quales equos habeas. Altera est, qua peto, unum indeterminate ex tuis tribus equis, quos clare cognovi. Prima volitio repugnat Deo, qui ante omnem volitionem suam habet clarissimam cognitionem omnium rerum possibilium, quas proinde vel determinate, vel indeterminate vel sine, vel cum conditione aliqua decernere potest ad existentiam. Altera vero volitio indeterminata nec imperfecta est, nec repugnat Deo, sed arguit tantum libertatem & indifferentiam in Deo. Hanc doctrinam in materia Decretorum sæpius necessariam quilibet bene imprimat. Videatur quoque Gormaz de incarnatione n. 838.

§. III.

Motivum Incarnationis quoad modum spectatæ.

Assero 1. Christus venit in carne passibili ob redemptionem generis humani. Est communis omnium contra Abialadum docentem, quod Christi incarnatio non ad redemptionem, sed solum ad exemplum & doctrinam nobis profuerit. 66

Prob. Matth. 18. *venit filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat.* Et passim SS. PP. sic D. August. L. 10. de peccatorum meritis c. 38. *Non fuisset caro Christi in similitudinem carnis peccati, nisi caro fuisset ista peccati:* accedit ratio Scoti, quam 3. D. 7. q. 3. *§. sed hic duo* dat sequentibus verbis: *Non venisset Christus, ut Redemptor, neque forte ut passibilis, nisi homo cecidisset: quia non fuit aliqua necessitas, ut illa anima à principio gloriosa unita fuisset corpori passibili, nisi redemptio fuisset facienda.*

Assero 2. Christus venit defacto in carne passibili, ut Redemptor reparativus non solum ob peccatum originale, sed & ob personalia, principalius tamen ob originale. Herinx, Henno, & alii. 67

Prob. 1. Joan. 1. dicitur: *Sanguis JESU Christi emundat nos ab omni peccato.* Ad Tit. 2. *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Et D. Ambros. in

Psal. 36. *bonum aurum est sanguis Christi, profluens ad lavandum omne peccatum*: & ratio est: Christus ut passibilis & Redemptor venit, ut nobis aperiret cælum: ergo etiam ut deleret omnia peccata mortalia; quia omnia cælum clauserant: imo Christus defacto etiam venit propter venialia delenda; quia id indicant Scripturæ dicentes universaliter, quod sanguis Christi nos emundet ab omni peccato, proinde & à venialibus Adde, venialia, licet non privent jure cæli, tamen impediunt ab usu hujus juris, donec deleantur: quia nemo maculatus aliquo veniali potest introire in cælum. Venit autem principaliter in carne passibili ad delendum originale; quia illo captivum tenebatur totum genus humanum, & est velut radix, & fons reliquorum peccatorum personaliter à nobis commissorum, & committendorum.

68 Assero 3. Ob solum peccatum originale venisset Christus in carne passibili, etiamsi nullum personale à nobis fuisset committendum.

Prob. 1. Stante originali solo adhuc substitisset motivum istius adventus, scilicet redemptio generis humani à captivitate dæmonis per originale incursa. 2. Ecclesia canit: *ô necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est*: ergo peccatum Adæ est motivum principale hujus adventus Christi in carne passibili, & consequenter eo solo stante Christus venisset in carne passibili. Unde Herinx, & Henno cum aliis judicant, quod adventus Christi in carne passibili fuerit absolute decretus post absolutam prævisionem solius peccati originalis; & ante absolutam prævisionem actualium seu personalium peccatorum. Per hoc tamen adhuc explicatur, quomodo Christus etiam sit Redemptor & liberator à peccatis actualibus. Nam dum Deus præviso solo peccato originali statim decrevit absolute liberare homines per passionem Christi à labe originali, simul conditionate statuit, eosdem per passionem Christi quoque redimere à peccatis actualibus, si aliqua essent commissuri: postquam vero pro signo posteriori absolute prævidit, esse peccata personalia ab hominibus committenda, pro illis etiam absolute ordinavit, & acceptavit passionem filii sui.

Assero 4.

Assero 4. Christus in carne passibili non venisset vi præsentis Decreti propter sola peccata personalia, si Adam per originale non inquinasset genus humanum. Herinx Dupasquier, contra Vivam, Gormaz & alios.

Prob. 1. Si sola essent peccata personalia, & actualia, cessaret motivum principale passionis Dominicæ, scilicet peccatum originale, & infectio universalis totius naturæ humanæ: ergo si sola essent peccata actualia, tunc Christi passio non fuisset, nec Christus in carne passibili venisset. 2. Ecclesia in Cantico. *Exultet*, vocat peccatum Adæ necessarium ad Christi mortem, & passionem; atqui si etiam propter sola peccata actualia Christus fuisset passus & mortuus, peccatum Adæ seu originale non fuisset necessarium ad passionem Christi: ergo Christus non fuisset passus & mortuus propter sola peccata actualia. 3. inquinati peccato originali sunt magis venia digni, quam qui propria voluntate peccaverunt: deinde cessante originali peccata actualia forent graviora, utpote non ex infirmitate naturæ per peccatum originale sauciatæ provenientia: ergo secluso originali ob sola peccata actualia non videtur credibile, Christum in carne passibili venisse.

Objic. 1. Peccatum actuale est gravius, quam originale: ergo si propter solum originale venisset Christus in carne passibili, tunc à fortiori propter actuale. R. D. a. est gravius intensive; quia magis voluntarium, utpote propria personali voluntate commissum c. a. est gravius extensive, seu etiam inquinans universaliter omnes homines N. a.

Objic. 2. Christus eo affectu quemlibet hominem in particulari redemit, ac si iste homo solus fuisset: ergo si unus vel alter tantum personaliter peccasset, pro isto mortuus fuisset. R. D. a. & hic affectus tamen subordinatus fuit voluntati Divinæ, quæ Christum vi præsentis decreti noluit mori pro solis personalibus peccatis C. a. secus N. a. per hos loquendi modos indicatur simplex affectus Christi, non vis moderni decreti. Dum dicitur, quod singuli tam perfecte redempti simus, ac si soli fuissemus, nihil obest huic conclusioni: nam

singulis, etiam hac stante conclusione, passio Christi ita perfecte prodest, ut nullus ob redemptionem aliorum detrimentum patiatur. Recte quoque dicimus, per peccata nostra moraliter crucifigi Christum; qui pro peccatis actualibus nostris, utpote præsupponentibus peccatum originale etiam mortuus est Christus; sed quæstio non est de illis peccatis actualibus, quæ non præsupponunt originale; & negamus, quod Christus vi decreti præsentis pro illis fuisset mortuus; quia alias *necessarium non fuisset Adæ* peccatum.

ARTICULUS III

De causa meritoria Incarnationis.

70 Not. 1. ex L. 2. sententiarum, meritum esse obsequium Deo præstitum, natum movere Deum ad retributionem, esseque duplex, unum *de condigno*, quod est æquale præmio & mercedi. quam accedente Dei præmiantis promissione exigit quasi ex justitia, sine tali promissione vero illam exigit solum connaturaliter. Alterum est *de congruo*, quod non est æquale præmio, ac mercedi ‘ adeoque hanc non connaturaliter, sed tantum ex aliqua decentia exigit. Quare meritum *de condigno* importat exigentiam præmii suo modo rigorosam, fundatam in ipsa præstantia operis, quod in se dignum, & æquale est tali præmio. Meritum *de congruo* licet dicat aliquam proportionem operis ad præmium, & aliqualiter fundetur in bonitate operis, tamen plurimum & principaliter fundatur in liberalitate p æ niantis.

Not. 2. Quamvis promissio Divina compleat meritum de condigno, & faciat, mercedem esse debitam tali operi, tamen ejusmodi promissio & acceptatio Divina non facit opus condignum, sed præsupponit jam ejus valorem & condignitatem. Cujus rationes videre potes in Tract. de gratia n. 224. & seq.

Not. 3.

Not. 3. Meritum à quibusdam Theologis ulterius dividi in *impetratorium*, & *compenſativum* : *Impetratorium*, remunerandum, ſeu attractivum eſt, quod per modum cauſæ pure moralis, ſeu *quia eſt*, vel *quia fuit*, movet ad præmium : ſicut victoria obtenta, quia jam eſt, vel quia fuit, movet principem ad dividenda præmia militibus victoribus : ſicque opera ſupernaturalia in ſtatu gratiæ facta movent Deum, *quia ſunt*, ad dandum augmentum gratiæ ſanctificantis, & gloriæ. *Meritum compenſativum*, vel ſolutivum juxta ſuos Authores eſt illud, quod non movet per modum cauſæ pure moralis, quia eſt, ſed per modum cauſæ finalis, ut ſit, e. g. ſi quis anticipato operario ſolvit mercedem, tunc labor eſt *meritum compenſativum*; nam ad anticipandam mercedem non movet labor, ut jam poſitus, vel quia eſt, ſed ut promerendus, & ut ſit, ut compenſet vel ſolvat mercedem. H. N.

Sequentes Quæſtiones proximis Paragraphis tractandæ veniunt. 1. An Chriſtus incarnationem per opera eam præcedentia. 2. vel ſubſequentia fuerit meritus, vel mereri potuerit. 3. An Chriſtus ſibi meruerit ſcientiam infuſam, gratiam ſanctificantem viſionem Beatificam, gloriam corporis. 4. An Chriſtus, B. V. & PP. antiqui meruerint aliquas circumſtantias incarnationis ? 5. addetur ſyſtema ſignorum, quæ in decretis Divinis circa hoc myſterium obſervanda erunt. Sit igitur.

§. I.

An Chriſtus Incarnationem, & unionem hypoſtaticam quoad ſubſtantiam fuerit meritus, vel mereri potuerit per opera illam præcedentia?

Aſſero 1. Nec Chriſtus in concreto, 2. nec natura humana vel anima Chriſti in abſtracto merita eſt ipſam incarnationem quoad ſubſtantiam per opera præcedentia eandem. Communis Theolog. ita, ut contrarium ſine gravi nota ſuſtineri nequeat juxta Præpoſitum ab Herinx allegatum. 71

Prob. 1. pars. Chriftus in concreto pro priori ad incarnationem non extitit: ergo tunc non potuit ponere opera meritoria incarnationis.

Prob. 2. memb. fi anima vel humanitas Chrifti per opera præcedentia incarnationem, hanc meritus effet, tunc talia opera unionem hypoftaticam præceffiffent, vel pro inftanti temporis, vel pro figno naturæ: neutrum poteft dici: ergo anima vel humanitas Chrifti per opera præcedentia Incarnationem, hanc non eft merita. m. prob. anima vel humanitas Chrifti nec momento vel inftanti uno reali temporis extitit ante unionem hypoftaticam & Incarnationem: ergo ante Incarnationem pro inftanti reali temporis non potuit operari, & operando mereri.

Neque anima vel humanitas Chrifti, merita eft Incarnationem pro figno priori naturæ, quo præfupponebatur unioni hypoftaticæ & Incarnationi: 1. quia communis Theolog. tale meritum præcedens unionem hypoftaticam negat. 2. Sacra fcriptura refert Incarnationem unice in puram mifericordiam & charitatem Dei, non vero in aliquod meritum creatum: ergo anima vel humanitas Chrifti ipfam Incarnationem quoad fubftantiam nullatenus eft merita. A. prob. Luc. 1. v. 78. dicitur: *per vifcera mifericordiæ Dei, in quibus vifitavit nos.* Ephef. 2. *Deus autem, qui dives eft in mifericordia, propter nimiam charitatem fuam, qua dilexit nos, convificavit nos in Chrifto.*

Confirm. ex S. Auguft. qui L. 82. in Joan. ait: *Neque illam fufceptionem hominis ulla merita præcefferunt, fed ab illa ejus fufceptione merita cuncta cæperunt.* Idem L. 2. de peccatorum meritis c. 7. dicit de Chrifto: *neque ipfe, ut ipfa conjunctione unus filius Dei, & unus Filius hominis fieret, præcedentibus voluntatis fuæ meritis fecit*: plura teftimonia hujus S. Doctoris adducit nofter Fraffen.

Prob. 2. Principium meriti non cadit fub meritum, fed unio hypoftatica eft principium & fundamentum omnis meriti in Chrifto, & in nobis: ergo unio hypoftatica non cadit fub meritum, feu illam nemo poteft mereri. M. eft axioma Theologicum à RR. contra Semipelagianos ufurpatum.

Prob. 3.

Prob. 3. Quamvis forte abſolute humanitas Chriſti pro priori ſigno ante unionem hypoſtaticam potuiſſet operari, & operando mereri, non tamen congruebat, ut prius operaretur, & operando accidentaliter perficeretur, quam mediante unione hypoſtatica ultimum complementum ſubſtantiale, & eſſet perſona, ac ſuppoſitum, ut jam dictum eſt prius: ergo pro priori ſigno naturæ ad unionem hypoſtaticam humanitas vel anima Chriſti non habuit actionem meritoriam.

Objic. 1. Pſal. 44. dicitur: *dilexiſti juſtitiam, & odiſti* 71 *iniquitatem; propterea unxit te Deus oleo lætitiæ*, id eſt Divinitatis per unionem hypoſtaticam, ut intelligunt Nazianzenus, Auguſtinus, Beda, & alii; ergo propter amorem juſtitiæ, & odium iniquitatis tanquam meritum natura humana Chriſti unita eſt Verbo Divino. R. 1. PP., qui per oleum lætitiæ intelligunt unionem hypoſtaticam, nolunt per *to propterea* ſignificari cauſam meritoriam, ut ſenſus ſit: *quia dilexiſti juſtitiam, ideo unxit, ſeu univit te Deus Verbo*: ſed ita exponunt: ut juſtitiam diligeres, unxit te Deus. R. 2. alii PP. ut S. Hieronymus, qui to *propterea* in ſenſu cauſali pro cauſa meritoria accipiunt, per oleum lætitiæ non intelligunt ipſam Incarnationem quoad ſubſtantiam, ſed aliquas ejus circumſtantias, v. g. triumphum de hoſte, gaudium de victoria, reſurrectionem & aſcenſionem &c. quas circumſtantias potuit Chriſtus mereri per opera Incarnationem ſubſequentia.

Objic. 2. Apocal. 5. dicitur: *dignus eſt*: (ſeu meritus eſt) *agnus accipere Divinitatem*: ergo. R. D. a. id eſt manifeſtationem Divinitatis, quæ ante adhuc multum occulta erat c. a. ipſam acceptionem & unionem ad Divinitatem N. a. manifeſtationem Divinitatis ſuæ Chriſtus meritus eſt per opera ſubſequentia Incarnationem.

Objic. 3. S. Baſilius de humana Chriſti generatione ait: humanitas Chriſti digna fuit conjungi Verbo: ergo unionem hypoſtaticam præceſſerunt merita, per quæ humanitas Chriſti ad talem unionem fuit dignificata. R. D. a. digna fuit dignitate meriti, vel diſpoſitionis ſupernaturalis præcedentis N. a. dignitate capacitatis C. a.

Objic. 4.

Objic. 4. Gloriofius fuiffet Chrifto mereri unionem hypoftaticam; atqui quod gloriofius eft, debet Chrifto tribui: ergo debet ei tribui, quod meritus fit unionem hypoftaticam. R. D. M. hoc tamen non fuiffet poffibile fine aliquo inconveniente C. M. fecus N. M. quod gloriofius eft, debet quidem Chrifto tribui, fi cæteroquin nullum inconveniens inde fequatur. Inconveniens tamen fequeretur ex tali merito 1. quia Deus non amplius oftendiffet mifericordiam fuam in Incarnatione, in qua tamen voluit illam unice oftendere. 2. Quia inverteretur aliqualiter ordo, fi natura prius operaretur, antequam perfonaretur. 3. Chrifto tantum debet tribui, quod gloriofius eft, fi id poffit fieri falva authoritate fcripturæ & PP. atqui PP. & fcriptura nos docent, unionem hypoftaticam non cadere fub meritum: ergo.

73 Affero. 2. Neque de abfoluta potentia Dei Chriftus aut humanitas Chrifti potuiffet de condigno mereri Incarnationem quoad fubftantiam per opera præcedentia pro figno naturæ unionem hypoftaticam. Herinx difput. 1. de Incarnat. n. 83. eftque recepta alias apud Th. doctrina contra aliquos Scot.

Prob. opera præcedentia unionem hypoftaticam, & confequenter non dignificata ab unione hypoftatica, & dignitate Verbi non videntur effe æqualia dono Incarnationis; fed meritum condignum debet effe æquale præmio: ergo per talia opera non potuiffet humanitas Chrifti etiam de abfoluta potentia Dei mereri de condigno unionem hypoftaticam & Incarnationem.

Neque Dicas: opera bona de fe inæqualia præmio poffe reddi æqualia per acceptationem & promiffionem Dei. Nam hoc jam refutatum eft in Tract. de merito.

74 Affero 3. De potentia Dei abfoluta potuiffet humanitas Chrifti mereri de congruo Incarnationem pro priori figno naturæ, quam uniretur Verbo, faltem fi meritum de congruo in fenfu largiori fumatur. Ita videntur quoad rem plures Scotiftæ contra Thomift. qui cum negent humanitatem in illo priori, quam

quam uniretur Verbo, habuisse existentiam, ita quoque negant, illam potuisse operari, adeoque mereri.

Prob. 1. Si de potentia Dei absoluta non potuisset natura humana pro priori signo naturæ ante Incarnationem mereri de congruo unionem hypostaticam, tunc implicantia inde oriretur, quia vel nulla omnino operatio humanitatis, vel certe nulla operatio meritoria potuisset pro priori naturæ Incarnationem tanquam mercedem suam præcedere, vel quia Incarnatio nullo modo posset cadere sub meritum: sed ex nullo capite oritur implicantia: ergo.

Prob. 1. memb. m. De absoluta Dei potentia natura aliqua potest agere pro priori signo ante personalitatem propriam vel alienam; tum; quia personalitas non est principium & virtus, sed tantum modus agendi, quem utique Deus supplere potest; tum; quia accidentia Evcharistica sine subjecto existentia habent competentes sibi actiones, quas in nostris sensibus producunt; ergo etiam natura ut præscindens à personalitate, & pro priori ad personalitatem potest de absoluta Dei potentia habere aliquas operationes: nam non videtur magis requiri ad operationem naturæ humanæ suppositalitas, quam ad operationem accidentis subjectum. Tum, quia natura pro priori ad suppositalitatem habet existentiam, & potentiam operandi. Ex quibus omnibus sequitur, quamvis suppositalitas connaturaliter tanquam complementum ultimum substantiale exigat præcedere operationem naturæ, tamen de absoluta potentia Dei, quæ exigentiis rerum naturalium non ligatur, posse operationem naturæ esse priorem personalitate.

Prob. etiam 2. memb. m. quod etiam operatio ut meritoria Incarnationis possit præcedere pro signo tantum naturæ Incarnationem. Nam ad meritum non requiritur, ut illud existat pro priori aliquo instanti vel duratione temporis, sed possunt meritum & præmium dari simul in uno instanti temporis, dummodo meritum pro signo naturæ præsupponatur suo præmio: sic ipsi Thomistæ, & multi Scotistæ cum ipsis dicunt: Angelos in primo instanti reali suæ creationis accepisse gra-

tiam sanctificantem, hancque tamen pro priori signo naturæ de congruo meruisse: idem probabiliter asseritur de primo homine Adamo, & in eodam instanti reali, quo ponitur actus meritorius de condigno, datur augmentum gratiæ sanctificantis tanquam merces.

Prob. etiam 3. membr. quod neque sit implicantia ex eo capite, quo defenditur, quod Incarnatio nullo modo possit cadere sub meritum. Nam, quod Incarnatio in moderna providentia non possit cadere sub meritum, est ratio unica fundamentalis; quia Incarnatio in moderna providentia est principium omnis meriti; sed hæc ratio non amplius pugnat, si loquamur de absoluta potentia Dei. Etenim Deus agens ut absolutus Dominus posset humanitati pro primo signo naturæ, antequam uniretur hypostatice, concedere gratias actuales, & habitualem ex sola sua infinita misericordia, & independenter ab unione hypostatica, & meritis Christi, & per hanc gratiam posset humanitas Christi meritorie operari, in quo casu haberet meritum, cujus principium non esset unio hypostatica, vel Incarnatio; quia principium hujus meriti esset sola misericordia Dei, & gratia misericorditer concessa independenter ab Incarnatione, & absque intuitu ad alia præcedentia merita Christi, quæ Deum movissent ad collationem ejusdem: ergo in tali casu quidem caderet sub meritum Incarnatio, sed non esset principium illius meriti, sub quod caderet.

Dixi in conclusione 1. Quod humanitas Christi pro priori signo naturæ ante Incarnationem potuerit hanc mereri de congruo, saltem si meritum congruum latius accipiatur. Nam natura humana præcedens unionem hypostaticam non potest Incarnationem mereri de condigno, ut in conclusione secunda est dictum: imo juxta P. Antonium Mayr neque humanitas pro tali signo per opera præcedentia potest mereri unionem hypostaticam merito de congruo in sensu strictiori vel strictissimo: in sensu enim strictissimo meritum de congruo debet habere aliquam proportionem ad præmium, & illud imperfecte exigere; atqui nullum opus præcedens Incarnationem, & consequenter non dignificatum per unionem hypo-

staticam

ſtaticam & perſonam Divinam videtur habere proportionem ad præmium Incarnationis, neque videtur exigere illam tanquam præmium etiam exigentia tantum imperfecta. Verum hoc non obſtante ſaltem in ſenſu latiori talia opera præcedentia Incarnationem, & in maximo fervore charitatis elicita, ac dignificata per gratiam habitualem, independenter ab unione hypoſtatica, & pro priori ſigno collata poſſent eſſe talia, ut Deus intuitu illorum accedente miſericordia ac liberalitate toti humanitati uniret Verbum, & ſic ejusmodi opera mererentur aliqualiter ac minus ſtricte de congruo Incarnationem, maxime, quia exigentia præmii, quam dicit meritum de congruo, fundatur potiori ex parte in liberalitate præmiantis, & minus principaliter in opere meritorio, & hujus præſtantia, & ſufficit, dum non omnino mere aliquid gratis, & ex mera liberalitate & miſericordia concedatur, ſed aliquis reſpectus ſaltem minus principaliter ad opus tale habeatur, & intuitu illius quoque conferat præmium, quod etiam in noſtro caſu fieret.

Objic. 1. Actiones ſunt ſuppoſitorum, atqui pro priori ad unionem hypoſtaticam natura humana non eſt ſuppoſitata: ergo pro illo priori nec agere, conſequenter nec mereri poteſt. 75

R. 1. Apud Ariſtot. 1. metaphyſ. c. 1. unde illud axioma deſumitur, textus græcus habet: *actiones ſunt ſingulorum*; atqui natura humana pro priori ſigno ante aſſumptionem à Verbo erat ſingularis: ergo jam poterat tunc agere, ſaltem de potentia Dei abſoluta. R. 2. hoc axioma tantum intelligendum eſſe de lege ordinaria, non de potentia Dei abſoluta.

Dices: Joannes Theologus in Concil. florent. ſeſſ. 18. dicit, quod eſſentia Divina non generet, ſed Pater; quia actiones ſunt ſuppoſitorum: ergo illud axioma etiam intelligendum eſt de poſſibili, & potentia Dei abſoluta. R. 1. illa diſputatio Joannis Theologi, & Græcorum non eſt aliquis articulus fidei, nec deciſio Concilii, cum in illo Concilio nihil authoritate Divina definitum habeat, quam litteræ unionis & decretum Armenorum. Fuit igitur tantum aſſertio Doctoris cujusdam, & quidem Thomiſtæ ac Dominicani, qui conformiter

ter suis principiis loquebatur, quæ tamen assertio non est approbata à Concilio, sicut nec cæteræ disputationes DD. ibi habitæ. R. 2. D. a. in Divinis processionibus c. a. in creatis N. a. in Divinis processionibus habet locum hoc principium; quia suppositum Patris, non vero natura Divina realiter distinguitur à filio producto, & sic actio generativa filii est suppositi Patris, non naturæ Divinæ; quia inter producentem, & productum debet dari distinctio realis.

Objic. 2. Prius est esse quam operari; ergo prius est esse naturam humanam suppositatam, quam eam operari, & mereri. R. D. a. prius est esse quoad existentiam & potentiam operandi, quam operari C. a. quoad modum operandi, qualis est personalitas N. a.

Objic. 3. Nullum opus creatum, quod non dignificatur per unionem hypostaticam potest exigere etiam tantum imperfecte unionem hypostaticam: ergo neque potest illam de congruo mereri; quia etiam ad meritum de congruo requiritur, ut saltem imperfecte exigat præmium. A. prob. nullum opus creatum non dignificatum per unionem hypostaticam habet proportionem aliquam ad Incarnationem, & unionem hypostaticam: ergo hanc neque imperfecte potest exigere: quia hæc exigentia meriti de congruo fundatur in proportione operis ad præmium.

R. D. a. nullum opus creatum solum & præscindendo etiam à liberalitate præmiantis C. a. secus N. a. exigentia meriti de congruo & proportio ipsius ad præmium non fundatur, nec consistit in sola præstantia operis, sed præcipue in liberalitate præmiantis: ergo licet opus tale secundum se nullam dicat proportionem, & nec imperfectam exigentiam Incarnationis, tamen prout dicit ordinem ad infinitam misericordiam Dei, & liberalitatem ejus, potest exigere imperfecte, ac minus stricte Incarnationem, vel saltem decens esset, ut Deus liberalissimus propter talia opera concederet unionem hypostaticam, præsertim si ea essent facta ex intentione obtinendi hanc unionem: quod sufficit ad meritum de congruo, maxime in sensu latiori sumptum.

§. II.

§. II.

An Christus per opera subsequentia Incarnationem, fuerit eandem meritus, vel saltem mereri potuerit.

ASSERO. Christus per opera Incarnationem subsequentia, & ab ea in ratione meriti dependentia non est meritus Incarnationem, imo nec potuit mereri. Est communis contra Haunoldum, & aliquos alios RR. Scotus ex professo nihil de hac re habet; videtur tamen colligi ex 2. D. 5. q. 1. ubi tenet; Angelos non potuisse Beatitudinem mereri per opera eam subsequentia. 76

Prob. 1. Si Christus fuisset meritus Incarnationem per opera eam subsequentia, & ab ea dependentia, tunc ejus meritum fuisset compensativum, ac causans in ratione causæ finalis; atqui meritum Christi non fuit compensativum aut causans in ratione causæ finalis, nam tale meritum compensativum non datur: ergo Christus non est meritus per opera subsequentia &c. M. est adversariorum. m. prob. sacra Scriptura & Concilia non agnoverunt aliud meritum, quam *remunerandum* & *impetratorium*, non vero compensativum: ergo meritum compensativum non est proprie dictum meritum. A. prob. sacra Scriptura præmium vocat passim *retributionem* meritorum: ut Psal. 118. Concil. trident. causam meritoriam optime distinguit à causa finali: nam Sess. 6. l. 7. pro causa finali nostræ justificationis assignat gloriam Dei, & vitam æternam, pro causa vero meritoria ejusdem justificationis passionem & merita Christi. Nec SS. PP. aliud meritum agnoscunt, quam impetratorium, & inde negant, primam gratiam posse cadere sub meritum. S. Thomas q. 29. de veritate (quæ est de gratia Christi) art. 6. ait: *meritum est causa præmii, non quidem per modum finalis causæ; sic enim magis præmium est causa meriti.* Et addit ibi: quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio Domino suo servit, magis habet rationem gratiarum actionis, quam meriti. Et P. Gormaz de merito n. 29. dicit, qui propter acceptam

anticipato pecuniam laborat, ut debitum expungat, non dicitur mereri, fed folvere & compenfare. Demum tefte Antonio Mayr de Incarnatione: antiqui Theologi omnes ad meritum exigunt æqualiter, ut fit obfequium, & ut fit caufa moralis caufans quia eft: ergo ficut juxta hos antiquos Theologos ratio obfequii eft de effentia meriti, ita quoque ei effentiale eft, ut non caufet per modum caufæ finalis, fed moralis explicatæ. Ergo à primo ad ultimum, cum facra Scriptura, Concilia, PP. & Theologi fub ratione meriti intelligant tantum impetratorium, non vero compenfativum, neque nos debemus aut poffumus aliquid aliud intelligere: nam ejusmodi fignificationes non poffunt pro libitu fingi, fed quoad illas debemus ftare authoritate tam Scripturæ quam Patrum & Theolog. præfertim antiquorum: per authoritatem enim quæftiones de nomine, & fignificationes decidi folummodo poffunt & debent: qualis quæftio eft etiam præfens, qua fere unice quæritur, quid nomen meriti proprie importet, an dicat caufam mere moralem caufantem *quia eft*, vel an fignificet etiam caufam finalem, caufantem *ut fit*; confequenter an fit impetratorium vel compenfativum.

Neque Dicas, noftra merita folum non poffe effe compenfativa. Contra eft 1. nec merita Chrifti poffunt effe compenfativa: ergo nulla refponfio. A. prob. merita Chrifti fuere vera & proprie dicta merita: ergo habuerunt effentiam meriti, ad quam requiritur, ut fit impetratorium, non compenfativum, ut patet ex dictis. A. etiam conftat; quia dum Patres fcholaftici & Concilia loquantur de meritis Chrifti, loquuntur de vere & proprie dictis meritis.

Contra eft 2. Sacra fcriptura, Concilia, PP. &c. tantum tribuunt Chrifto meritum tale, quod eft à facra Scriptura & PP. agnitum; fed non eft aliud agnitum, quam impetratorium: ergo hoc tantum & non aliud Chrifto tribuunt. Atque adeo per opera ejusmodi fubfequentia Chriftus folviffet potius, vel gratus fuiffet pro accepta Incarnatione, quam meritus fuiffet, ut loquitur D. Thomas cum aliis.

Prob. 2.

Prob. 2. Principium meriti non potest cadere sub meritum; sed Incarnatio Verbi Divini est principium meritorum Christi; ergo non potest cadere sub meritum. M. est axioma inconcussum PP. & Theolog. contra Semipelagianos, ob quod contra hos constanter asserunt primam gratiam, eo quod sit principium meriti in homine, non posse cadere sub meritum. m. est certa: quia ab Incarnatione merita Christi dignificantur in ratione meriti, & valorem suum accipiunt.

Prob. 3. Meritum & præmium debent necessario esse distincta; atqui juxta Adverf. non distinguerentur, sed identificarentur meritum & præmium: erga Adverf. sententia non subsistit. M. est certa; nam qui habet præmium, debet esse ditior, quam qui habet solum meritum; sed si meritum & præmium non distinguuntur realiter, tunc qui habet meritum & præmium simul, non esset ditior, quam habens solum meritum; quia meritum est ipsum præmium. Prob. etiam m. primi sylogismi: juxta RR., inter quos sunt Adversarii nostræ conclusionis, & plures alios, merita Christi principaliter important Incarnationem Verbi, vel Verbum Incarnatum tanquam constitutivum formale dignificans actiones meritorias, & hoc ipsum Verbum Incarnatum, vel Incarnatio Verbi esset simul præmium, quia caderet sub meritum in adversariorum sententia: ergo juxta hos non distinguerentur realiter meritum & præmium. Hæc ratio etiam stringit in sententia illorum, qui dicunt, Verbum non constituere formaliter merita Christi. Nam in omni sententia præmiatus debet plus habere, quam solum habens meritum; sed etiam in hac sententia non haberet plus præmiatus, quam habens solum meritum: ergo. m. prob. præmiatus haberet etiam solum meritum, & principia ad illud concurrentia; atqui hæc jam habet quoque ille, qui solum habet meritum, ut patet; quia meritum istud sine se & suis principiis esse nequit: ergo. M. prob. Christus ut præmiatus haberet pro præmio unionem hypostaticam, quæ est aliquod principium necessarium & essentiale meriti Christi; atqui hanc ipsam unionem hypostaticam jam haberet Christus, ut ponens actionem meritoriam: & pro priori ad præmium: ergo Christus ut præmiatus haberet solum meritum, & principium

cipium concurrens ad meritum, proinde ut præmiatus non haberet plus quam ut ponens meritum.

Prob. 4. Merita Christi, de quibus hic loquimur, prævidentur à Deo vel ante, vel post Incarnationem efficaciter decretam? Non ante Incarnationem efficaciter decretam; quia Incarnatio, ut existens, & consequenter efficaciter decreta, est principium horum meritorum, utpote quæ ab Incarnatione essentialiter etiam juxta Adversarios dependent: ergo Incarnatio debet esse prius decreta, quam possint videri merita, quia prius debet esse principium, quam effectus principii.

Neque potest dici secundum. Si enim merita Christi primum videntur, & decernuntur post Incarnationem iam efficaciter decretam, & determinatam, tunc non influunt in Incarnationem, nec movent ad eam decernendam; quia jam ante illa, & absque respectu ad illa Incarnatio supponitur esse decreta.

Dices 1. Cum Suarez. Incarnatio ut intenta, seu in intentione & prævisione præcessit Incarnationem in executione, & consequenter Incarnatio ut intenta fuit principium, in executione vero ipsum præmium meritorum Christi.

Contra est 1. Unio hypostatica est principium meritorum Christi, prout est in executione: ergo. A. prob. unio enim hypostatica non dignificat ulla merita Christi, nisi quatenus executioni mandata: ergo est principium meritorum Christi, prout est in executione, neque movet Deum ad aliquod præmium dandum, nisi quatenus prævidetur ejus executio, ut certo posita in tempore, ac executive dignificans merita Christi.

Neque obstat, quod merita Christi ut prævisa consequenter etiam unio hypostatica ut prævisa Deum moverit ad decernendas nobis, & progenitoribus Christi gratias. Nam licet unio hypostatica & merita Christi mere prævisa moverint Deum ad dandas & decernendas gratias, tamen non moverunt aliter nisi prævisa, ut re ipsa ac executive à parte rei extitura. Nam.

Contra

Contra eſt 2. Tali modo etiam prima Gratia poſſet cadere ſub meritum, & eſſe præmium, quatenus eſt in executione, & eſſe principium meriti, quatenus eſt in intentione & prævifione Dei; ſequela negatur à PP. & omnibus Theologis: ergo & id unde ſequitur. M. patet à pari.

Contra eſt 3. Tali modo omnia merita juſti poſſent compenſari per ſe ipſa; poſſent eſſe enim merita, prout ſunt à Deo intenta, & præviſa, & poſſent quoque eſſe præmium, prout ſunt executioni mandata; ſequela eſt abſurda: ergo &c.

Dices 2. Saltem efficaciter & abſolute decretam Incarnationem præcedit ſcientia conditionata operum & meritorum Chriſti, quæ fierent, ſi unio hypoſtatica adeſſet.

Contra eſt: Præviſio conditionata non ſufficit, ut opera ſic præviſa habeant rationem meriti, prout contra Semipelagianos certum eſt: alias enim ille peccator, qui conditionate præviſus eſt acturus pænitentiam, ſi diutius viveret, propter hanc ſolam conditionatam præviſionem mereretur remiſſionem peccatorum, nec poſſet damnari, ſi ſtatim moriatur poſt peccatum grave ante abſolute peractam pænitentiam &c. ergo.

Objic. 1. Juxta illos, qui dicunt, prædeſtinationem eſſe 77
factam ante præviſa merita, gloria æterna intenta, & præviſa eſt principium meritorum reſpectu prædeſtinatorum, & executioni mandata eſt præmium meritorum: ergo à pari Incarnatio ut intenta, & præviſa poteſt eſſe principium meritorum Chriſti, & ut executioni mandata poteſt eſſe præmium eorumdem meritorum. A. patet: quia in hac ſententia Deus pro primo ſigno tanquam finem intendit gloriam æternam, & propter hanc aſſequendam ordinat in actu ſecundo gratias, ac merita, & tandem propter merita iſta præviſa in executione confert gloriam æternam tanquam mercedem & præmium.

R. 1. Retorq. argument. ergo etiam gratia prima, prout præviſa, poteſt eſſe principium meriti, & ut executioni mandata poteſt eſſe præmium.

R. 2. N. C. & parit. gloria æterna eſt tantum cauſa finalis meritorum, & ſui ipſius; ad cauſam autem finalem, dum cauſat, non requiritur ejus phyſica exiſtentia, vel abſoluta prævia prævifio phyſicæ exiſtentiæ, nam finis non cauſat, *quia eſt*, ſed *ut ſit*. Aſt unio hypoſtatica non dignificat ad merita Chriſti aliter, quam *quia eſt*, vel quia pro priori ſigno ad merita abſolute prævidetur eſſe; ideo enim merita Chriſti tam eminentem habent valorem, quia procedunt à natura actu unita Verbo, & non primum unienda, vel indifferente ad unionem hypoſtaticam. 2. Non convenit meritis cauſare præmium per modum cauſæ finalis, ut patet ex prima probatione. 3. Gloria æterna reſpectu prædeſtinatorum non eſt principium formale conſtitutivum meriti; per conſequens adhuc ſatis diſtinguitur meritum à præmio; ſed in Adverſ. ſententia Incarnatio ac Verbum Divinum eſt principium formale conſtitutivum, & dignificativum meriti: quo pacto non amplius præmium diſtinguitur à merito.

Dices. Finis poteſt cauſare medium, & à medio recauſari: ergo etiam Incarnatio in intentione poteſt cauſare merita Chriſti, & ab his recauſari.

R. 1. Retorq. ſicut prius, ergo etiam gratia prima prout in intentione poteſt cauſare merita, & ab his recauſari.

R. 2. N. c. & parit. ut jam dixi, finis movet, *ut ſit*, meritum *quia eſt*: vel aliter, meritum ex ſua natura non movet, ut ponatur ipſum, vel aliquod medium ad ipſum, ſed ut ponatur aliquid aliud, ſcilicet præmium ob exiſtentiam meriti, & taliter, qui meretur, locupletior fiat, quod alias non fieret. Certe in Adverſ. ſententia non plus acciperet ille, qui haberet ſimul meritum & præmium, quam ille, qui habet ſolum meritum: nam uterque haberet meritum, & principia ad illud requiſita; ſed hoc eſt contra naturam præmii, quia habens præmium debet eſſe ditior, quam ille, qui habet ſolum meritum.

Objic. 2. Si Rex anticipato dat arma militi in præmium victoriæ per illa obtinendæ, arma tanquam principium meriti, ſeu

seu victoriæ cadunt sub meritum : ergo etiam Deus anticipato potuit humanitati Christi concedere unionem hypostaticam in præmium meritorum per illam unionem obtinendorum.

R. 1. Retorq. argument. ergo etiam Deus potuit anticipato gratiam primam concedere in præmium meritorum per illam obtinendorum.

R. 2. N. a. si illud intelligatur de absoluta, & non conditionata donatione armorum ; nam arma ejusmodi tunc non dantur ob victoriam tanquam meritum, sed tanquam finis, ut miles victoriam obtineat. Quare, si taliter Rex absolute donavit arma, miles eorum manet Dominus, etiamsi victoria non sequatur : ergo hæc concessio armorum non habet rationem præmii, quod absolute requirit, & supponit meritum, quale tamen in proposito casu non adesset, cum victoria non sequeretur. Si vero dicas, ejusmodi anticipatam largitionem armorum esse tantum imperfectam, & sub conditione, si miles iisdem vincat hostem, tunc potuit miles tali victoria & usu armorum mereri absolutum & perfectum Dominium, quod prius anticipato non acceperat : ast unio hypostatica non sic conditionate concessa fuit, sed debuit absolute unire humanitatem Christi ad dignificanda ejus merita, & ad hoc, ut merita humanitatis ab unione tanquam principio dignificato potuerint dependere : ergo absoluta unionis hypostaticæ concessio pro illo instanti, quo erat principium meriti, non potuit cadere sub meritum, quia hæc concessio absolute facta jam præcessit omnia merita Christi.

R. etiam 3. Est etiam disparitas alia; quia valor & meritum hujus militis non derivatur ab armis, sed à virtute & arte tractandi arma; ast valor meritorum Christi dependeret ab unione hypostatica tanquam à principio formali dignificativo.

Objic. 3. In contractibus sufficit, sive hic sive alter ponat prius suam actionem, sive emptor det prius pretium, sive venditor mercem : ergo etiam sufficit, sive præmiator det prius præmium, sive merens ponat prius meritum. R. 1. retorq.

 argu-

argument. ergo etiam taliter poffet Deus prius dare gratiam primam tanquam præmium, & poftea primum fequi meritum ab eadem gratia tanquam principio. R. N. c. & parit. cafus in antecedente pofitus ideo gratis admittitur, quia in eo una actio non eft neceffaria ad alteram via; fed merita funt neceffario via ad præmium, & ideo præmium faltem tanquam principium non poteft præcedere merita.

Objic. 4. Saltem Chriftus de potentia abfoluta potuiffet dicto modo mereri fuam Incarnationem: ergo. R. N. a. quia etiam de potentia abfoluta debet præmium diftingui à merito, vel faltem præmiatus qua talis plus habere, quam habens folum meritum. Et principium meriti non poteft cadere fub meritum, & meritum non poteft movere ad præmium ut caufa finalis, fed ut præcife moralis, quæ ad efficientem reducitur.

§. III.

An non Chriftus meritus fuerit, vel mereri potuerit continuationem & extenfionem unionis hypoftaticæ, & aliquas ejus quafi proprietates?

ASSERO 1. Chriftus non eft meritus 2. de potentia ta-
78 men abfoluta potuiffet mereri continuationem unionis hypoftaticæ. Deducitur ex Scoto 3. D. 18. q. unica §. *hoc vifo.* verba allegabuntur conclufione fequenti. Eftque Communis contra P. Viva & alios.

Prob. 1. memb. 1. Illa, quæ funt connaturalia unioni hypoftaticæ, non debuit Chriftus fpecialiter promereri: fed continuatio & perpetuitas unioni hypoftaticæ eft connaturalis, ergo Chriftus non debuit eam fpecialiter promereri. m. conftat. nam unio hypoftatica eft connaturaliter incorruptibilis, & exigit perpetuo durare, neque habet ullam caufam naturaliter fui deftructivam, ficut anima rationalis. M. prob. illa, quæ tanquam proprietates, vel paffiones connaturaliter fequuntur unionem

unionem hypostaticam, debent censeri eo modo esse collata, quo primitus est collata unio hypostatica, id est, gratis ac sine merito, nisi aliud constet ex authoritate, sicut in hoc puncto nihil constat.

Confirm. Gloriosius est Christo habere connaturaliter, & quasi ex debito & exigentia connaturali continuationem sui esse, & unionis hypostaticæ, quam tantum ex merito; sed id, quod gloriosius est, debet semper de Christo asseri, ut Communis habet Th. Th. cum Scoto, dummodo nihil obstet, sicut nihil hic obstat: ergo debet asseri de Christo, quod continuationem unionis hypostaticæ habeat connaturaliter, vel ex exigentia connaturali, & non ex merito.

Prob. jam. 2. memb. conclus. Deus de absoluta potentia potuisset unionem hypostaticam primo instanti concessam statim altero instanti destruere: ergo etiam potuisset de absoluta potentia tantum velle eam continuare, si Christus in primo instanti habitæ unionis hypostaticæ per certa opera præstita hanc continuationem meruisset.

Objic. 1. contra 1. partem. Christus juxta dicenda meritus est gloriam sui corporis, quamvis ea fuerit quodammodo connaturalis Christo: ergo etiam Christus meritus est continuationem suæ unionis hypostaticæ, quamvis ea fuerit connaturalis unioni hypostaticæ.

R. N. C. Deus enim ex speciali causa inferius indicanda impedivit supernaturaliter gloriam corporis: ergo bene Christus eam potuit mereri: sed non habemus ullam rationem vel authoritatem, quod sic supernaturaliter, & miraculose voluerit impedire continuationem unionis hypostaticæ: ergo ea connaturaliter secuta fuit, & sic Christus eam non debuit promereri.

Objic. 2. contra secundam partem conclusionis. Christus neque de absoluta potentia potuit mereri ipsam Incarnationem, & unionem hypostaticam primo instanti factam,

 per

per opera eam subsequentia, ut §. priore vidimus: ergo neque continuationem hujus unionis. R. N. C. & parit nam si Christus meritus fuisset continuationem unionis hypostaticæ, tunc principium meriti non fuisset simul præmium: etenim principium meriti fuisset unio hypostatica, & præmium fuisset conservatio vel non destructio unionis hypostaticæ.

79 Ex his deduces 1. Quod Christus probabilius non sit meritus extensionem unionis hypostaticæ ad novas partes in humanitate sua acquisitas per augmentationem, & nutritionem. Ratio est: quia & hæc extensio est connaturalis unioni hypostaticæ, quæ exigit unire Verbo totam & integram naturam humanam cum omnibus suis partibus, consequenter etiam cum partibus per nutritionem & augmentationem acquisitis: sicut & unio physica animæ ad partes corporis de novo per nutritionem est connaturalis, & connaturaliter sequitur.

Deduces 2. Christum tamen meruisse replicationes unionis hypostaticæ in Eucharistia, & præsentias ejus sacramentales. Herinx. Disput. 1. de Incarnat. q. 8. n. 81. Ratio est: quia Christus meritus est potestatem instituendi sacramentum Eucharistiæ, in quo ejusmodi præsentiæ sacramentales, & replicationes unionis hypostaticæ involvuntur.

80 Assero 2. Christus non meruit sibi scientiam infusam, gratiam sanctificantem, aut gloriam animæ suæ, seu visionem beatificam & fruitionem, nec lumen gloriæ, aut alios habitus infusos. Scot. 3. D. 18. q. un. §. *hoc viso* dicens: *igitur Deus liberaliter sine merito aliquo præcedente conjunxit voluntatem istam per fruitionem ultimo fini, & ita non meruit sibi fruitionem.* Est Communis aliorum contra aliquos antiquos.

Prob. 1. Sacra Scriptura tribuit gratiam & gloriam essentialem non meritis Christi, sed potius dignitati filii Dei. quam Christus habebat vi unionis hypostaticæ: ergo Christus vi unionis hypostaticæ habuit connaturaliter, & non ex merito prædicta dona. A. prob. Joannis 1. dicitur de Christo: *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ*

gratiæ & veritatis. In quæ verba S. Chryfoft. *vidimus gloriam, qualem decebat, & conveniens eft habere Unigenitum, & naturalem filium:* ergo in dignitate filii, & non ex merito habuit Chriftus gloriam effentialem animæ: idem eft; de reliquis in conclufione dictis donis.

Prob. 2. Ratio dictat, quod in Chrifto propter dignitatem Verbi fuerit fumma convenientia, ut ftatim humanitati absque merito & intuitu folius Verbi, cui unitur, conferantur maxima fcientia & gratia, ac beatitudo animæ: ergo eam etiam fic contuliffe cenfendus eft Deus, utpote qui femper fupponendus agere modo magis connaturali, & magis convenienti; nifi conftet de contrario: de quo tamen hic non conftat.

Prob. 3. De Chrifto debet afferi, quod eft gloriofius, nifi aliunde jam contrarium conftet; fed Chrifto gloriofius eft effe connaturaliter, quam tantum ex merito, fapientiffimum, fanctiffimum, beatum &c. & aliunde non conftat contrarium: ergo hoc de Chrifto debet afferi.

Objic. 1. Chriftus eft meritus fuam gloriam per paffionem: ergo gloriam habuit ex merito. A. prob. Lucæ ult. dicitur: *nonne oportuit hæc pati Chriftum, & ita intrare in gloriam fuam.* & D. Anfelmus in Cap. 2. ad Hebr. dicit *JESUM propter paffionem gloria & honore coronatum fecundum animam & corpus.*

R. D. a. gloriam effentialem confiftentem in vifione & beatitudine N. a. gloriam accidentalem corporis & animæ confiftentem in impaffibilitate cum exclufione triftitiæ C. a. Ne ergo credas per gloriam animæ à D. Anfelmo intelligi gloriam effentialem: debes fcire, quod etiam in anima detur gloria accidentalis, confiftens in exclufione triftitiæ, & paffibilitatis, quæ gloria accidentalis animæ, uti & corporis ob redemptionem noftram peragendam fuit in Chrifto fupernaturaliter impedita, adeoque talem gloriam potuit Chriftus poftea mereri, non vero effentialem, quæ nunquam fuit impedita à Deo.

Objic. 2. Gloriofius eft effe beatum fimul connaturaliter & ex merito: ergo debit dici, quod Chriftus habuerit beatitudinem

titudinem ſimul ex duplici titulo, nimirum, ut connaturalem vi unionis, & ſimul ex merito. R. N. a. Nam Deo glorioſius eſt, quod ſit ſolum beatus ex natura, quam quod ſit etiam ex merito. Sic igitur etiam Chriſto erit glorioſius, quod ipſius humanitas quaſi naturaliter, & vi unionis cum Deo, ſit ſancta, ſapiens, beata, & omnes perfectiones ſolum poſſideat tanquam proprietates connaturales, quæ non cadunt ſub meritum. Unde antecedens in objectione poſitum tantum verum erit de pura creatura, non vero de creatura, quæ ſimul per unionem hypoſtaticam eſt Deus, ſaltem ſi velimus univerſaliter loqui.

81 Aſſero 3. De potentia tamen abſoluta potuiſſet Chriſtus mereri omnia in priori concluſione ſpecificata. Ita Communis. Ratio eſt. Quia de abſoluta potentia potuiſſet Deus humanitati Chriſti non concedere iſta dona in primo inſtanti, & ſimul nolle pro poſteriore aliquo inſtanti largiri, niſi præcederent certi actus meritorii: ergo in tali caſu non abſolute impoſſibili potuiſſet Chriſtus mereri hæc dona ſupernaturalia.

Confirm. Quamvis gloria accidentalis eſſet debita Chriſto vi unionis hypoſtaticæ, tamen, ut audivimus, & iterum dicetur, eam meritus eſt Chriſtus per paſſionem ſuam, eo quod ſupernaturaliter Deus talem gloriam ab initio Incarnationis non conceſſerit humanitati Chriſti: ergo idem aſſeri poteſt de gloria eſſentiali, ſi eam Deus ab initio Incarnationis de potentia ſua abſoluta non ſtatim concederet. Imo in primo inſtanti reali Incarnationis potuiſſet Deus nolle concedere hæc dona ſupernaturalia, niſi pro priori ſigno naturæ præceſſiſſent aliqua merita: ergo etiam in tali caſu Chriſtus mereri potuiſſet. A. conſtat: nam unio hypoſtatica non dicit exigentiam methaphyſicam, vel ſtrictiſſimam horum donorum, ita, ut Deus debeat neceſſario vi illius, & non aliter, vel ex alio titulo conferre; cum Deus de abſoluta ſua potentia ſtante unione hypoſtatica poſſet illa dona omnino denegare humanitati Chriſti: ergo à fortiori poſſet ea ex titulo alio, nempe ob merita Chriſti conferre. Neque obeſt Scotus, qui tantum negat de potentia ordinaria, non vero extraordinaria Chriſtum potuiſſe mereri

ri gratiam ſanctificantem, ac gloriam. Patet ex verbis, quæ cit. loco in concluſione ſecunda addit, ubi ait: *ad unionem iſtam* (hypoſtaticam) *concomitanter ſequitur gratia fruitionis defacto. Ideo fuit ſumma gratia ſine meritis præcedentibus.* Nota, quod Scotus dicat: *defacto*: adeoque de poſſibili agnoſcit, Chriſtum poſſe mereri fruitionem, & cætera dona ſupernaturalia.

Aſſero 4. Chriſtus tantum meritus eſt gloriam corporis & animæ accidentalem. Communis ac certa contra Calvinum & alios hæreticos. 82

Prob. 1. Luc. 24. dicitur: *nonne oportuit hæc pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Hebræ. 2. *vidimus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Ad Phil. 2. *humiliavit ſemetipſum, factus obediens, propter quod & Deus exaltavit Illum:* ergo.

Prob. 2. Quamvis gloria accidentalis debeatur Chriſto vi unionis hypoſtaticæ; tamen quia venit ſatisfacturus pro noſtris delictis, conveniens fuit, ut aliqua portio, nempe inferior ejus humanitatis ſubjaceret pænalitatibus, & gloria corporis ſuſpenderetur: ergo potuit Chriſtus poſtea mereri ablationem iſtius ſuſpenſionis, & taliter indirecte gloriam corporis, quatenus meruit remotione miraculi impedientis gloriam corporis, & accidentalem animæ. vide P. Herinx n. 54. & Scot. 3. D. 18. q. un.

Objic. 1. Anima habuit beatitudinem eſſentialem propter unionem hypoſtaticam ſine merito: ergo & corpus habuit ſuam beatitudinem ſine merito vi ſolius unionis hypoſtaticæ.

R. N. c. & parit. beatitudo eſſentialis non fuit ſupernaturaliter ad tempus ſuperinfuſa, uti beatitudo corporis: conſequenter Chriſtus potuit bene mereri poſteriorem non ſtatim collatam, non vero priorem ſeu eſſentialem, quæ ſtatim vi unionis hypoſtaticæ fuit conceſſa.

Objic. 2. Beatitudo Corporis debebatur jure Chriſto; ergo eam non potuit mereri. R. D. C. directe trans. C. indirecte

merendo amotionem miraculi impedientis redundantiam gloriæ ob unionem hypoftaticam. N. C.

Objic. 3. Gloriofius eft gloriam corporis competere Chrifto vi unionis , quam ob meritum : ergo debet dici, quod vi folius unionis conveniat Chrifto. R. N. a. quamvis gloriofius fit deberi vi folius unionis hypoftaticæ, ea quæ ftatim ab initio incarnationis infuêre humanitati Chrifti, aliter tamen loquendum de illis, quæ ab initio ob bonum noftrum non congruebat ineffe : hæc ergo deberi Chrifto non folum vi unionis, fed etiam ex merito faltem indirecto . quatenus meretur amotionem miraculi impedientis, eft nobilius.

Objic. 4. Chriftus faltem ut paffibilis, venit propter nos & noftram falutem : ergo tantum nobis meruit. R. D. a. principaliter C. a. minus principaliter N. a. & C. per hoc tamen non dicimus, quod Chriftus fimpliciter pro fe fit mortuus; id enim fonaret, Chriftum effe à fe ipfo redemptum.

§. IV.

An Chriftus, Beatiffima Virgo, ac Patres antiqui meruerint aliquas circumftantias Incarnationis?

83 ASSERO 1. Chriftus meruit varias circumftantias fuæ Incarnationis, quæ neceffariam connexionem cum fubftantia Incarnationis non habent, feu fine quibus potuiffet Incarnatio dari, five fint antecedentes, concomitantes, aut fubfequentes actualem executionem Incarnationis. Hujusmodi circumftantiæ funt Maternitas B. V. Mariæ, ejus præfervatio ab originali, & debito peccati originalis, vaticinia Prophetarum. annuntiatio per Angelum, Genealogia Patriarcharum, à quibus Chriftus fecundum carnem defcendit, adoratio Magorum, acceleratio Incarnationis, refurrectio à mortuis, & aliæ ejusmodi. Ita deducitur ex Scoto. 4. D. 2. q. 1. circa finem, ubi admittit, B. V. meruiffe accelerationem Incarnationis : ergo & Chrifto id concedendum eft. Prob. 1.

Prob. 1. omne illud Christus meruit, quod potuit mereri sine aliquo inconvenienti; sed has circumstantias potuit mereri sine aliquo inconvenienti: ergo eas meruit. M. constat, quia Christus & merita ejus debent extolli, quantum possunt; sed magis extolluntur, si dicitur, Christum meruisse omne illud, quod potuit mereri sine aliquo inconvenienti. prob. ergo m. omnes illas circumstantias Incarnationis sine inconvenienti potuit Christus mereri, ante quarum existentiam potuerunt decerni, & prævideri merita Christi, saltem aliqua; sed merita Christi saltem aliqua potuerunt prævideri ante omnes circumstantias Incarnationis non habentes necessariam connexionem cum Incarnatione, sive sint illæ antecedentes, sive concomitantes, vel consequentes, ergo omnes illas circumstantias potuit Christus mereri. M. patet consideranti, & sufficienter colligitur ex hactenus dictis. m. tum hoc, tum sequenti Paragrapho declarabitur. Et utique Christus decerni potuit prius, & independenter à circumstantiis cum ipso non necessario connexis: ergo etiam prius potuerunt decerni, & videri aliqui actus meritorii Christi, qui non habuerunt necessariam connexionem cum talibus circumstantiis, nec cum ipsa passibilitate, passione formali, & morte Christi: uti actus amoris &c. quos elicuisset, etiamsi venisset in carne impassibili, & independenter à prædictis circumstantiis: proinde ob hos actus meritorios pro priori prævisos potuerunt à Deo decerni prædictæ circumstantiæ.

Prob. 2. omnes speciales gratiæ antiquis PP. & Primogenitoribus concessæ sunt ex meritis Christi; sed inter has gratias etiam sunt prædictæ circumstantiæ: certe sensus omnium est, quod mediantibus gratiis Divinis per Christum acceptis se illi Progenitores dispofuerint, & dignos reddiderint, ut Christum inter suos descendentes numerarent, & ex unanimi sententia B. V. Maria ex meritis Christi fuit præservata ob originali labe, & ad Maternitatem Dei evecta: ergo.

Objic. 1. Decretum Dei Incarnativum fuit efficax, sed decretum Dei efficax attingit suum objectum secundum omnes circumstantias: ergo Decretum Incarnativum attingit Incarna-

tionem ſecundum omnes circumſtantias : ergo nec Incarnatio, aut Chriſtus, nec ejus merita fuere decreta ante circumſtantias : conſequenter propter merita Chriſti prius decreta & prævisa non potuerunt primum poſtea decerni prædictæ circumſtantiæ.

R. D. m. decretum Dei efficax adæquate ſecundum omnia ſigna ſumptum C. m. inadæquate ſumptum N. m. potuit Deus primo ſigno efficaciter decernere Chriſtum, & poſtquam in ſecundo ſigno decrevit, & vidit ejus merita ſaltem aliqua, propter hæc etiam decernere potuit tales vel tales circumſtantias, in quibus veniret Chriſtus.

Objic. 2. Chriſtus mereri non potuit ea, quæ tempore & duratione præceſſerunt ipſum Chriſtum cum omnibus ſuis meritis; ſed circumſtantiæ antecedentes Incarnationem tempore & duratione præceſſerunt Chriſtum cum ſuis meritis : ergo has non potuit mereri. R. 1. Tali modo Chriſtus neque ſuis Progenitoribus potuiſſet mereri gratias, utpote quæ Chriſtum præceſſerunt tempore. R. 2. N. M. ſufficit Chriſtum præceſſiſſe progenitores, & has circumſtantias in decreto.

Objic. 3. Maternitas Chriſti eſt principium ſaltem mediatum meritorum Chriſti : ergo hanc Chriſtus non potuit mereri. C. patet, quia principium meriti etiam mediatum non cadit ſub meritum. A. prob. Maternitas Chriſti eſt principium proximum elicitivum actuum meritoriorum Chriſti : ergo Maternitas Chriſti eſt principium ſaltem mediatum meritorum Chriſti, quia eſt principium principii proximi ac elicitivi meritorum Chriſti.

R. D. a. eſt principium ſaltem mediatum meritorum Chriſti per ſe tale, & neceſſario requiſitum ad merita Chriſti N. a. per accidens tale, ſine quo adhuc potuiſſent dari, & fuiſſent data merita Chriſti. C. a. & N. c. B. V. & progenitores Chriſti non fuerunt principium aliquod mediatum per ſe tale meritorum Chriſti : Etenim Chriſtus & ejus merita, præſertim illa, de quibus hic agitur, à Deo ſunt abſolute determinata & intenta pro priori ſigno independenter à progenitoribus,

toribus, vel hac Matre, quæ est B. V. Maria. Unde vi moderni decreti Christus adhuc venisset, & operationes elicuisset, etiamsi nec hæc Mater, nec hi Progenitores fuissent futuri. Nam Deus potuisset creare humanitatem Christi per se ipsum sine ullo concursu Matris vel aliorum Progenitorum, vel illam producere per aliam matrem, aut alios progenitores. Quare merita Christi, saltem illa, de quibus modo quærimus, sunt decreta ut prævisa, & independentia à matre & progenitoribus. Dixi, *saltem illa, de quibus quærimus.* Nam nolim negare, quod aliqua merita Christi fuerint essentialiter dependentia à Maternitate B. V. ut obedientia huic individuo humano ut Matri præstita, item gratiarum actio à Christo præstita Patri pro hac Matre in individuo concessa: hi & similes actus maternitatem Virginis Mariæ jam præsupponebant: unde per illos Christus non potuit mereri maternitatem. Verum dantur alii actus à maternitate penitus abstrahentes, ut amor Dei tanquam summi Boni, adoratio Dei, gratiarum actio pro unione hypostatica &c.

Objic. 4. In nostro systemate non potest dici, per quæ merita Christus fuerit meritus maternitatem & præservationem B. V. Mariæ ob originali? nam non est meritus per merita ponenda in carne impassibili; cum talia non posuerit Christus, qui tantum in carne passibili venit, & alias B. V. dicitur esse præservata ab originali per passionem & mortem Christi. Neque potest dici, quod Christus sit meritus per actus bonos positos in carne passibili, & per passionem suam &c.; nam juxta nostrum systema articulo præcedenti insinuatum B. V. fuit intenta pro priori signo ante lapsum Adami, & ante decretum de Christo venturo & operaturo, vel morituro in carne passibili: ergo in nostro systemate non potest dici, per quæ merita Christus fuerit meritus maternitatem & præservationem B. V. Mariæ ab originali culpa.

R. N. a. Deus acceptavit merita Christi absolute prævisa, à carne passibili independentia, consummanda tamen per passionem & mortem Christi, *si Christus esset venturus* ut Redemptor reparativus. Talia merita prorsus independentia à carne

 passibili,

paſſibili, ſunt actus amoris Dei, ut infinite Boni &c. propter hæc ergo abſolute decrevit B. V. gratias exemptionis à peccato originali, & Maternitatis &c. addita tamen conditione, ut iſta merita conſummentur per paſſionem & mortem Chriſti, *ſi eſſet paſſurus*, ut non ſic conſummentur, vel nulla alia conſummatione indigeant, ſi Chriſtus non eſſet paſſurus, nec in carne paſſibili venturus.

Ex quo habes, quod Decretum collativum harum gratiarum poſſit dividi in tria ſigna. In primo ſigno, & efficaci intentione fuit abſolute decreta Maternitas B. V. cum ſuis privilegiis ante abſolutum prævifum Adæ peccatum, & ante abſolute decretam paſſionem & mortem Chriſti ob ſola merita Chriſti independentia à paſſione & morte, quæ tamen eſſent conſummanda per paſſionem, ſi Chriſtus eſſet paſſurus & moriturus. In altero ſigno fuit prævifus lapſus Adami, in tertio ſigno vero fuit decretum, ut Chriſtus paſſione ac morte ſua conſummet omnia ſua merita oblata & acceptata pro quibuscunque etiam B. V. In hoc ergo tertio ſigno fuit B. V. Maria conſummate præſervata, & gratiis dotata per paſſionem Chriſti, & ſic redempta, quamvis hac conſummatione non indiguiſſet, ſi Chriſtus non veniſſet in carne paſſibili, vide etiam dicenda n. 135. ubi hæc Adverſ. replica iterum recoqui debebit in alia materia.

85 Aſſero 2. B. V. Maria merita eſt maternitatem Dei. 2. non tamen de condigno, ſed ſolum de congruo. Eſt Communis Th. Th.

Prob. 1. memb. ex authoritate Eccleſiæ, quæ in Regina cæli canit: *quem meruiſti portare.* Et in oratione poſt ſalve Regina: *ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur.* Eccleſiæ conſonat D. Auguſt. l. de natura & gratia c. 36. dicens Beatiſſima Deipara: *quæ concipere ac parere meruit eum*, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum: ergo B. V. merita eſt maternitatem.

Confirm. ratione. B. V. tot præſtantes virtutum actus elicuit ante Incarnationem Verbi Divini, ut ſuppoſito decreto Divino

Divino de eo Incarnando nulla fæmina magis congrue potuisset pro Matre illius assumi: ergo B. V. Maria de congruo per hos actus virtutum est merita maternitatem Verbi Incarnati.

Prob. 2. memb. conclus. Totum meritum de condigno B. V. Mariæ satis compensatur per gratiam & gloriam tam excellentem, quæ ipsi fuit concessa; sed hæc conceditur ultra condignum; quia merita B. V. Mariæ condigna jam exhausta per gloriam & gratiam non possunt ulterius exigere de condigno novum & distinctum præmium, seu maternitatem Christi. A. videtur liquere: si enim gratia & gloria non sufficienter, & adæquate compensarent merita Mariæ, tunc non essent præmium condignum meritis B. V. Mariæ: quod est absurdum.

Confirm. Duo præmia de condigno non respondent eidem operi; alias enim unum necessario non foret condignum & sufficiens, si præter se admitteret alterum: ergo præter gratiam & gloriam, quæ constituunt unum præmium condignum, meritis B. V. Mariæ non respondebit adhuc aliud, seu Maternitatis Christi.

Prob. 2. Nec ratione nec authoritate constat, quod Deus voluerit B. Virginem alia, quam ordinaria via remunerari; sed via ordinaria satis compensantur merita de condigno per gloriam & gratiam: ergo etiam merita de condigno B. V. Mariæ satis compensantur per gratiam & gloriam, & proinde non merentur aliud adhuc præmium de condigno.

An autem de potentia absoluta Beata Virgo mereri potuerit de condigno maternitatem, est alia quæstio, quam vide breviter tactam apud R. P. Antonium Mayr tr. 9. n. 521. ubi ait: saltem probari non posse, dignitatem Maternitatis Dei esse tantam, ut nullum meritum B. V. præventæ ineffabilibus gratiis potuerit esse condignum respectu illius maternitatis, intellige, si Deus aliunde hoc meritum per gratiam & gloriam non jam compensasset de condigno, & ad æqualitatem.

Objic. contra 1. memb. conclus. 1. Merita B. V. jam satis sunt compensata per gratiam & gloriam: ergo non possunt aliquid ultra mereri de congruo. R. N. C.

86

R. N. C. Præmium de congruo non importat æqualitatem cum merito, & fundatur præcipue in liberalitate præmiantis, & semper debet esse majus, quam meritum fuerit: potest ergo ex congruitate superaddi præmio de condigno.

Objic. 2. Si B. Virgo meruit maternitatem Christi, tunc etiam meruit Incarnationem; atqui Incarnationem non potuit ipsa vel ulla creatura mereri in moderna providentia, in qua Incarnatio est principium omnis meriti: ergo neque potuit mereri maternitatem Christi. M. prob. maternitas Christi necessario post se trahit incarnationem: ergo si maternitatem B. V. Maria meruit, tunc quoque meruit Incarnationem necessario cum maternitate Dei connexam.

R. D. M. Si meruit Maternitatem pro signo priori, quam decreta esset Incarnatio C. M. si primum pro signo posteriori. N. M. explicatio distinctionis petitur ex responsis datis ad objectiones contra primam conclusionem.

Objic. 3. Christus meruit maternitatem B. V. Mariæ: ergo Ipsa Beata Virgo non potuit illam mereri. R. retorq. argum. Christus meruit nobis salutem & gloriam: ergo illam non possumus amplius mereri. R. 2. D. a. ita tamen, ut simul Christus non excluserit cooperationem B. V. Mariæ per propria ejus merita C. a. secus N. a.

Assero 3. PP. antiqui de congruo meruerunt circumstantias aliquas Incarnationis, ut circumstantias stirpis, patriæ, temporis, seu accelerationis &c. Communis.

Prob. 1. PP. antiqui ex una parte ferventer orabant pro his circumstantiis, & ex altera parte congruum erat eos, tanquam amicos Dei exaudiri: ergo de congruo per suas orationes has circumstantias meruerunt. Prima pars patet ex illis clamoribus PP. antiquorum, ut Isaiæ 45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum.* Et cap. 64. *utinam disrumperes cœlos & descenderes*, & Psal. 105. *visita nos in salutari tuo:* quibus suspiriis PP. antiqui non orabant pro substantia Incarnationis, utpote quam aliunde ex revelatione jam sciebant decretam,

cretam, & certe futuram esse, sed orabant pro acceleratione hujus mysterii.

Accedit, quod PP. etiam posuerint talia opera, quæ meruerint de congruo præfatas circumstantias: sic obedientiæ Abrahami & pietati Davidis promittitur, quod ex eorum semine & stirpe sit oriturus Messias Genes. 22. quia Abraham ex Dei jussu voluit immolare filium suum, promittitur: *benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* & Psal. 131. Davidi: *juravit Dominus David -- -- de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ita quoque promittitur acceleratio quærentibus, & desiderantibus apud Malachiam. *Ecce statim veniet ad templum suum Dominator Dominus, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis &c.*

Objic. 1. SS. PP. orabant pro substantia Incarnationis, non pro circumstantiis: ergo meriti sunt Incarnationem quoad substantiam. 88

R. N. a. SS. Patres agnoscebant ex revelatione aliunde jam esse decretam Incarnationem, & dependenter ab hoc decreto credebant se accipere gratias suas, eamque agnoscebant esse principium omnis meriti, adeoque non cadere sub meritum. Igitur solum pro circumstantiis orabant: & dato, quod crediderint falso, se posse mereri substantiam Incarnationis, tamen eam non fuissent meriti: quia esto peccator gravis credat, se per actum contritionis de condigno mereri gratiam sanctificantem, tamen non sic de condigno eam meretur.

Objic. 2. PP. non potuerunt mereri substantiam Incarnationis: ergo neque ejus circumstantias. R. N. c. substantia Incarnationis fuit decreta ante prævisa merita Patrum, non vero circumstantiæ ejusdem.

Objic. 3. Quia nos non possumus mereri de congruo primam gratiam actualem actibus pure naturalibus, ita neque accelerationem primæ gratiæ per actus pure naturales mereri possumus: ergo quia Patres actibus suis meritoriis de congruo

non potuerunt mereri incarnationem, ideoque neque accelerationem ejus mereri potuerunt.

R. N. c. & parit. Quia actus pure naturales nullam habent proportionem ad obtinendum præmium ſupernaturale, ſive in ſe, ſive in ſuis circumſtantiis ſpectatum. Aſt actus meritorii PP. fuerunt ſupernaturales, & in eodem ordine, quamvis non in eodem gradu ſupernaturalitatis, in quo eſt unio hypoſtatica. Hinc licet unionem hypoſtaticam quoad ſubſtantiam non potuerint mereri, ne alias principium meriti caderet ſub meritum; habuere tamen proportionem ad merendas circumſtantias Incarnationis jam efficaciter decretæ.

Objic. 4. Circumſtantia accelerationis non fuit adeo exoptanda Patribus; cum etiam ex prævifa tantum Incarnatione habuerint gratias, ſicut nos habemus ex poſita & exhibita: ergo ipſam ſubſtantiam, & non tantum accelerationem petierunt.

R. N. a. Acceleratio Incarnationis merito fuit exoptanda Patribus, tum quia merita Chriſti actu exhibita in lege gratiæ majores promeruerunt hominibus gratias, quam tantum merita prævifa ante Incarnationem executioni datam. Tum quia merita Chriſti exhibita aperuerunt januam cæli, non vero merita mere prævifa.

Objic. 5. Chriſtus venit tempore opportuniſſimo: ergo PP. non meruerunt accelerationem adventus Chriſti: C. videtur liquere: ſi enim Chriſtus in adventu ſuo tantum reſpexit ad opportunitatem temporis, tunc non reſpexit ad merita juſtorum. R. D. a. & tempus erat opportuniſſimum, quo præceſſerunt illa merita juſtorum & PP. C. a. ſecus N. a. Chriſtus venit tempore opportuniſſimo, accipiendo opportunitatem pro complexo conflato ex pluribus rebus convenientibus, inter quas non ultimum locum habent illa merita juſtorum.

Obiic. 6. S. Auguſt. Tom. 4. q. 83. ſuper novum Teſtamentum ait: *idcirco tunc venit, quando venire debuit, voluntatis ſuæ rationem ſecutus non meritorum: nam ſi merita perpendas,* *venire*

venire non debuit: ergo circumstantias temporis vel accelerationis non meruerunt Patres. R. S. Doctorem loqui de merito de condigno, non de merito de congruo: posterius solum concedimus Patribus antiquis; primum denegamus ex illis fundamentis, ex quibus negavimus, B. V. Mariam fuisse de condigno meritam Maternitatem Dei.

DISSERTATIO IV.

De intellectu & Scientia Christi qua hominis.

Certum est, ac de fide contra Monothelitas, in Christo esse duplicem intellectum, unum Divinum, alterum humanum. prout dicetur, & probabitur dissertatione 5. agendo de duplici voluntate Christi. De intellectu Divino agitur in Tractatu de Deo uno. Hic restat tractanda scientia humana Christi, seu conveniens Christo qua homini. Jam præter scientiam Divinam in Christo triplex est scientia humana. Prima est *Beatifica*, quæ est ipsa visio beatifica, per quam humanitas & anima Christi in Verbo, seu in essentia Divina Deum clare videt, imo & omnes creaturas, quarum cognitio ejus statui beatifico congruit. Altera est *infusa*, quæ nec labore, nec industria, nec frequentatis actibus acquiritur, sed solum speciali Dei supernaturaliter concurrentis influxu, & infusione. Tertia est *acquisita*, quæ proprio labore intellectus creati acquiritur. His notatis.

ARTICULUS I.

De Scientia Christi Beatifica.

§. I.

Statuuntur aliquæ Conclusiones.

ASSERO. 1. Anima Christi adhuc in terris, & in mortali corpore existens habuit intuitivam & beatificam Dei visionem. 89

nem. Hæ conclusio est communis, & licet non omnino sit certa de fide, tamen teste Suarez sine temeritate negari nequit.

Prob. 1. Joan. 3. Christus ait: *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo.* Quibus Christus, qua mortalis homo, & adhuc in terris agens, asserit se esse in cælo; sed non erat in cælo præsentia locali, & corporea, ergo mentali & spirituali: ast esse in cælo ratione animæ & spiritus nil aliud est, quam Deum videre mente: ergo Christus ut homo degens adhuc in mortali corpore visione beatifica fruebatur.

Confirm, cit. capite Joan. 3. v. 11. Christus iterum dicit: *quod scimus, loquimur, & quod vidimus testamur* ubi aperte loquitur de se ut homine, & loquitur inter alia de mysterio SS. Trinitatis: ergo hoc mysterium vidit visione beatifica, & intuitive; quia aliter hoc mysterium proprie videri nequit. In eumdem sensum ait Dominus Joan. 8. v. 38. *ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor.*

Huc quoque faciunt illa, quæ dicuntur Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Dei filius, qui est in sinu Patris, ipse ennarravit:* quasi diceret, unigenitus filius, qui *vidit, ennarravit:* ergo sicut unigenitus Dei filius ennarravit per humanitatem, ita etiam vidit per humanitatem.

Accedit. quod Christus, qua homo in mortali corpore dixerit Joan. 12. *ubi ego sum, illic & minister meus erit* scilicet in gloria per visionem & fruitionem Dei: ergo Christus jam ut homo mortalis, fruebatur hac gloria & visione Dei; quia ut mortalis homo dixit; *ubi sum, & non ubi ero.* Allegatur quoque D. August. l. 4. de consensu Evangelistarum cap. ult. aperte autem nobis favet. q. 63. de octoginta tribus, ubi docet, nos primum post mortem facie ad faciem esse visuros Deum; contra vero Christum jam sic vidisse ante mortem suam. Verba ejus videre potes apud Frassen tom. 3. tr. 1. Disput. 2. art. 2. sect. 3. q. 2. n. 4.

Prob. 2.

Prob. 2. ratione : Natura humana per unionem hypoſtaticam elevata eſt ad ſupremum eſſe : ergo pariter debuit elevari ad ſupremam operationem , qualis eſt beatifica viſio & fruitio. Unde 2. viſionem beatificam exigebat jam in hac vita unio hypoſtatica , præſertim , quia ejusmodi viſio non obſtabat operi redemptionis , & paſſionis Chriſti. 3. Chriſtus qua homo erat filius naturalis, vel proprius Dei : ſed non erat congruum tanto tempore mortalis vitæ filium Dei privari hæreditate , & filium dilectiſſimum non frui conſpectu Patris ſui ſupra omnia dilecti : ergo.

Objic. Chriſtus habuit in monte Oliveti ſummam triſtitiam: ergo tunc non habuit viſionem beatificam, quæ excludit triſtitiam, & generat ſummam lætitiam. R. N. C. lætitia quidem ſumma connaturaliter excludit triſtitiam ; de potentia tamen abſoluta, poſſunt ſimul ſtare triſtitia maxima , & ſumma lætitia , ſi verſentur circa diverſa objecta , uti tunc fiebat; ubi anima Chriſti delectabatur maximopere Deo beatifice viſo, & poſſeſſo , & ſimul triſtabatur ob imminentem paſſionem graviſſimam , acerbam portioni inferiori hominis, peccata , ingratitudinem , & damnationem plurimorum hominum , pro quibus paſſio & mors tam pretioſa eſſet offerenda &c.

Aſſero 2. Anima Chriſti ſtatim à primo inſtanti infu-
ſionis in corpus, & conceptionis habuit viſionem beatificam. 90
Communis.

Prob. Ex una parte nihil impediebat , quin humanitas Chriſti ſtatim in primo inſtanti conceptionis videret Deum , cum tunc jam haberet perfectum uſum rationis , & quoad hunc Chriſtus qua homo jam in utero materno eſſet vir, juxta illud Jerem. 31. v. 22. *fœmina circumdabit virum.* Ex altera parte conveniebat humanitati Chriſti,ſtatim videre beatifice Deum; quia in hoc primo inſtanti jam habebat unionem hypoſtaticam, quæ exigit viſionem beatificam. Unde Richardus l. 2. de Emmanuele c. 22. ait : *quod nos exſpectamus in conſummatione , illi datum eſt in ſua conceptione* , ſcilicet gloria , viſio, ac fruitio beatifica.

91 Affero 3. Vifio beatifica humanitatis Chrifti non eft comprehenfiva Divinitatis. Communis ac certa.

Prob. Divinitas eft infinita, & anima Chrifti eft finita tam entitative, quam quoad potentiam intellectivam, & habitum luminis gloriæ, quo adjuvatur ad videndum Deum; atqui ens infinitum non comprehenditur à finito: alias enim eo ipfo ens non foret amplius infinitum, fi ejus cognofcibilitas ab ente finito poffet exhauriri: ergo.

Objic. Anima Chrifti videt effentiam Divinam qua infinitam: ergo eam comprehendit. R. D. a. videt eam infinitam non tamen modo infinito, nec fecundum omnem gradum (ut ita loquar) cognofcibilitatis ejus C. a. fecus N. a. videt quidem anima Chrifti omnia prædicata Divina, confequenter & prædicatum infinitatis, non tamen videt modo infinite perfecto, fed limitato.

§. II.

Examinatur præcipua difficultas hujus Articuli.

92 Affero 4. Probabiliter anima Chrifti per vifionem beatam actu videt omnia, quæ ipfum Verbum intelligit, proinde omnes creaturas præteritas, præfentes, & futuras, ac poffibiles. Scotus hac in re eft problematicus, ac in utramque partem difputat in 3. D. 14. q. 2. nobis autem favet *§. tertio modo poteft dici* n. 16. dicens: *tertio modo poteft dici, quod anima Chrifti actualiter videt in Verbo, quæ videt Verbum.* & n. 18. affignat modum falvandi, quod una vel pluribus vifionibus videat omnia illa in Verbo, feu effentia Divina; Hæc enim in ejusmodi locutionibus de vifione beatifica per Verbum intelligitur. Cum Scoto funt aliqui Scotift. problematici, ut Maftrius, Panger &c. alii vero determinate fententiam noftræ conclufioni oppofitam eligunt, ut Herinx, Henno, quibus accedit Viva &c. alii determinate noftram fententiam amplectuntur, ut Vulpes, Aretinus & alii Scotiftæ, cum quibus fentiunt Lugo, Oviedo, & alii plures.

Prob.

Prob. Concluſ. 1. Quod perfectius eſt, debet Chriſto tribui, niſi oſtendatur ejus implicantia; ſed viſio beatifica, qua Chriſtus ut homo actu attingat omnia, quæ videt Verbum, eſt perfectior, quam alia, quæ non attingit, & ſimul implicantia talis viſionis non poteſt oſtendi: ergo Chriſto debet tribui talis viſio beatifica, qua Chriſtus attingat omuia, quæ videt Verbum. M. eſt quaſi axioma theologicum in materia de Incarnatione communiſſime uſitatum, & in Scoto fundatum, juxta quem in commendando Chriſto debemus potius excedere, quam deficere, ſi talis commendatio veræ rationi non repugnet. m. quoad 1. memb. patet; quoad ſecundum probabitur ſolutione omnium implicantiarum, quas AArii. objecerunt.

Prob. 2. authoritate. Joan. 3. dicitur: *non enim ad menſuram* (Chriſto) *dat Deus ſpiritum*, nempe gratiæ & ſcientiæ; atqui ſi Chriſtus non intelligeret omnia poſſibilia, jam datus eſſet Chriſto ſpiritus ad menſuram: ergo. Ad Coloſſ. 2. dicuntur in Chriſto eſſe *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* & Joan. c. 16. de Chriſto dicitur: *ſcimus, quia ſcis omnia.* atque, ut ex contextu patet in allegatis locis, ſermo eſt de Chriſto qua homine, non vero, qua Deo: &, quod qua Deus omnia intelligeret, nullum erat dubium vel diſputatio. Et S. Chryſoſt. homil 5. in caput. 2. epiſt. ad Coloſſenſes & mox citatum textum ait de Chriſto: *Ipſe novit omnia.*

Confirm. juxta Concilium Senonenſe decreto fidei 13. Beati vident in Verbo omnia, quæ ſpectant ad eorum ſtatum: ergo & caput Beatorum Chriſtus Dominus videt in Verbo omnia, quæ ad ejus ſtatum pertinent; atqui quia Chriſtus Dominus eſt judex vivorum & mortuorum, ſpectat ad ipſum cognoſcere omnes cogitationes, facta, & verba non ſolum præcedentia, ſed & ſequentia judicium; quia ſequentia vel ad præmium, vel ad pænam ſpectant: & quia ipſe eſt Dominus abſolutus omnium creaturarum, convenit eum cognoſcere creaturas omnes tam actuales, quam poſſibiles &c.

Objic. 1. Si anima Chriſti videret omnes creaturas futuras, & poſſibiles, tunc hæc viſio foret infinita, ſed viſio

ſio creata non poteſt eſſe infinita: ergo anima Chriſti non poteſt videre omnes creaturas futuras, & poſſibiles M. prob. talis viſio repræſentaret clare & diſtincte creaturas infinitas: ergo & ipſa eſſet infinitæ repræſentationis. A. patet. nam omnes creaturæ futuræ, inter quas ſunt omnes cognitiones Beatorum, & damnatorum, quæ erunt per totam æternitatem & ſine fine continuabuntur, & omnes creaturæ ſine fine poſſibiles, ſunt infinitæ. C. prob. à Scoto: *ubi pluralitas numeralis concludit perfectionem majorem, ibi infinita pluralitas arguit perfectionem infinitam;* ſed cognoſcere & repræſentare ſimul plura objecta, eſt major perfectio, quam cognoſcere & repræſentare tantum unum objectum: ergo cognoſcere & repræſentare infinita objecta eſt perfectio infinita.

R. 1. retorq. argum. Viſio beatifica Chriſti diſtincte & clare repræſentat eſſentiam Divinam infinitam: ergo propterea talis viſio foret infinita.

R. 2. N. M. ad ejus prob. D. a. talis viſio repræſentaret creaturas infinitas actu & categorematice N. a. ſyncategorematice infinitas C. a. argumentum Scoti procedit ex ſuppoſito, quod in mente cognoſcentis omnia poſſibilia, admittatur infinitum cateogorematicum objectivum; verum illos, qui ejusmodi infinitum non admittunt, non urget prædictum argumentum. Nam ſi cognoſcuntur tantum creaturæ poſſibiles ut infinitæ ſyncategorematice, tunc cognoſcuntur finitæ in infinitum, quod poteſt fieri per actum aliquem creatum, qui propterea non debet actu infinitas perfectiones, tendentias, vel repræſentativitates, aut relationes ad hæc objecta habere, ſicut nec ipſa actu infinita ſunt, nec ut actu infinita repræſentari poſſunt.

R. 3. N. M. ad prob. trans. a. N. C. transmiſſo etiam, quod creaturæ omnes poſſibiles ſint actu infinitæ, & ut tales videantur ab anima Chriſti, tamen hujusmodi viſio non deberet eſſe actu infinita. Cujus ratio eſt 1. Quia viſio beatifica, qua anima Chriſti videt infinitam eſſentiam Divinam, eſt tantum limitata & infinita: ergo etiam viſio illa, qua in eſſentia Divina viderentur infinita objecta creata, eſſet tantum

tum finita & limitata. 2. Non valet: ad videndum aliquod objectum requiritur aliqua perfectio & virtus, & ad videndum objectum perfectius requiritur major perfectio: ergo ad videndum objectum infinitum seu Deum, requiritur perfectio infinita: ergo etiam non valet: *cognoscere plura objecta quam unum, est major perfectio: ergo cognoscere objecta infinita numero est perfectio infinita.* Ex hoc enim argumentandi modo sequitur solum quædam infinitas, vel potius summitas extrinseca & objectiva, quatenus non potest dari objective major actus, seu tendens in majus objectum. Verbo: talis visio esset tantum in supremo ordine & serie cognitionum, quatenus non posset dari cognitio tendens in majus objectum. Tali modo distingui potest illa minor axiomatis Scoti subsumpta. Sed repræsentare plura est major perfectio objectiva C. M. entitativa subdist. est major proportione arithmetica, & ad æqualitatem, seu est tot gradibus major, quot sunt objecta, ad quæ se extendit ejusmodi cognitio. N. m. est major proportione geomatrica, incommensurabili, & non ad æqualitatem C. m. ad perfectionem entitativam visionis plura principia concurrunt præter objectum, quæ cum non omnia sint infinita, sed pleraque finita, hinc limitant perfectionem entitativam ejusmodi visionis, & reddunt eam finitam, ac permittunt ipsam solum esse in suprema classe cognitionum finitarum, quatenus nulla finita cognitio ad majus objectum potest extendi, quam illa.

Objic. 2. Non potest dici, an per unam visionem, vel plures anima Christi cognoscat tot creaturas, seu finitas in infinitum. Nam non per unam: una enim cognitio non sufficit ad cognoscenda tot disparata objecta. Non per plures, quia tot cognitiones non possunt esse simul in intellectu creato: ergo.

R. 1. Cum etiam juxta AArios. anima Christi plurimas creaturas tam actuales, quam possibiles videat in Verbo, quæro, an id fiat per unam, vel plures visiones? quidquid dixerint AArii, & ipsis respondere possumus.

R. 2. Scotus ait, id fieri vel per unam, vel per plures visiones: si enim semel conceditur, quod plura objecta creata possint simul visione hac supernaturali videri, cur non omnia? præsertim, quia unum est objectum motivum & formale respectu omnium, scilicet essentia Divina movens ad sui & omnium cognoscibilium visionem: igitur licet creaturæ possibiles & actuales inter se mutuo comparatæ sint objecta disparata, non tamen si conferantur cum essentia Divina, in qua omnes æqualiter in esse cognoscibili continentur, & ad libitum Dei vel omnes simul, vel nunc hæ, nunc illæ intellectui creato essentiam Divinam intuitive videnti ostendi possunt. Neque implicat alter modus videndi omnia possibilia per plures visiones, quia saltem per potentiam absolutam plures imo plurimæ cognitiones in diversa objecta terminatæ simul esse possunt in eodem intellectu. Mihi præplacet modus prior, explicans hoc negotium per unam visionem ob unum objectum motivum &c. &c.

Objic. 3. Soli Deo convenit visio essentiæ, Divinæ & omnium objectorum creatorum, & creabilium: ergo non potest etiam competere animæ Christi creatæ. R. D. a. Soli Deo convenit à se, & modo infinite perfecto. C. a. secus N. a. etiam creaturæ convenire potest per virtutem à Deo communicatam, & modo adhuc finito, scilicet intensione & claritate finita, ac augibili in infinitum.

Dices: Talis visio foret infinita, quia se extenderet ad totum objectum, ad quod se extendit intellectus infinitus Dei: ergo.

R. N. a. ob rationes jam datas.

Objic. 4. *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*: ergo intellectus creatus Christi non potest tot objectis seu finitis in infinitum intendere.

R. d. a. minor est ad singula sensus, sibi soli relictus, & naturaliter tantum agens C. a. supernaturaliter elevatus, & roboratus N. a. nullus adhuc fuit ausus dicere, quod ille Beatus,

ctus, qui plurima objecta videt in Verbo, propterea magis distrahatur, fatigetur, aut minus attendat, quam alius Beatus pauciora objecta in Verbo videns: alioquin ipsi AArii. male facerent dicendo, quod anima Christi longe plura objecta creata, & creabilia videat, quam quilibet Beatus. Esto igitur hoc axioma habeat locum in intellectu solis viribus naturalibus agente, non vero in illo, qui instructus copiosissimo lumine gloriæ, & assistente omnipotentia Divina, in essentia Divina beatifice videt creaturas. Sane visio beatifica non fatigat, sed recreat intellectum, & quidem eo magis, quo plura objecta ostendit. Ex quo sequitur, non argui infinitam virtutem in intellectu creato beatifice cognoscente infinita objecta: tum quia beatifice cognoscit infinitam essentiam Divinam, & tamen non est infinitæ virtutis, tum quia ad talem cognitionem non concurrit solus intellectus creatus, & finitus, sed & lumen gloriæ, & si hoc non sufficit, tunc etiam omnipotentia Divina, quæ est infinitæ virtutis, debet specialem concursum præstare: concurrit quoque infinitum objectum motivum essentia Divina: tum quia tunc solum infinita virtus, & intensio infinitæ virtutis, requiritur ad objecta infinita percipienda, quando quodlibet objectum seorsum peculialiter fatigaret potentiam: sic enim, quia portando duos lapides plus laboras quam portando unum, & portando tres magis, quam ferendo duos, ita, si portares infinitos, infinite intensam virtutem adhibere deberes. Ast ob concursum supernaturalem Dei tam in ratione objecti, quam in ratione causæ efficientis intellectus creatus non magis laborat beatifice cognoscendo unum quam plura objecta, sed potius magis recreatur.

Objic. 5. Talis visio esset perfectissima inter omnes visiones creatas, & perfectior non posset dari saltem extensive; quia non posset extendi ad plura objecta: ergo in hac sententia daretur creatura perfectissima.

R. 1. retorqu. argum. Visio essentiæ Divinæ esset visio intensive perfectissima, quia non posset dari visio respiciens essentiam, vel objectum intensive perfectius: ergo daretur creatura intensive perfectissima.

R. 2. D. a. talis visio esset perfectissima objective C. a. entitative N. a. quando in philosophia negatur possibilitas creaturæ perfectissimæ, tunc negatur creatura perfectissima entitative & in se talis, vg. maxima perfectio creata, qua major à Deo non potest produci, vel maximus numerus, quo major à parte rei existens non potest dari; non vero negatur maxima perfectio objectiva: quia revera dantur aliqui actus creaturæ tendentes in maximum seu tale objectum, quo majus nec dari, nec cogitari potest, quales sunt omnes cognitiones, & actus amoris, quibus tendimus in Deum. Proinde & visio creata, qua humanitas Christi tenderet in omnes creaturas possibiles, posset objective & extensive esse maxima, quia in maximum extensive objectum tenderet.

Objic. 6. Si anima Christi videret in esséntia Divina omnes creaturas actuales & possibiles, tunc comprehenderet essentiam Divinam; quia videret omnia, quæ in ea sunt formaliter, scilicet omnia prædicata Divina, & quæ in ea sunt eminenter, nimirum omnes creaturas, sed anima Christi limitata nequit comprehendere infinitam essentiam Divinam ergo nequit in ea videre omnes creaturas.

R. N. M. Licet enim omnes creaturæ per essentiam Divinam repræsentabiles cognoscantur, tamen non exhauritur cognoscibilitas essentiæ Divinæ, tum; quia natura Divina, ac omnipotentia, & aliæ perfectiones Divinæ in se & entitative spectatæ nullam habent connexionem cum creaturis; & daretur adhuc essentia Divina cum omnibus suis perfectionibus, etiamsi nulla creatura esset possibilis. Tum quia ad comprehensionem alicujus objecti nec sufficit, nec necessaria est cognitio eorum, quæ in objecto aliquo continentur eminenter, vel virtualiter, sed requiritur, & sufficit sola cognitio omnium contentorum formaliter, adeo, ut ejusmodi cognitio comprehensiva non solum attingat omnia talia contenta, sed & omnem gradum cognoscibilitatis comprehendat, & exhauriat, quod non facit visio beatifica creata Christi, quæ non adæquat gradum cognoscibilitatis essentiæ & perfectionum Divinarum. Videatur Mastrius disp. 6. de anima n. 340. 1. sent. disp. 6. de visione beata n. 251.

Objic. 7.

Objic. 7. Si anima Chriſti per unam viſionem cognoſceret omnes creaturas actuales & poſſibiles, tunc etiam ſe ipſam clare cognoſceret, & eſſet reflexa ſupra ſe ipſam; ſed hoc videtur eſſe impoſſibile: ergo.

R. D. M. Cognoſceret ſe ipſam ut quod per reflexionem formalem. N. M. ut quo per reflexionem virtualem C. M. actus cognoſcendi non debet eſſe per ſe ipſum cognitus ut quod, ſed tantum ut quo; quia talis actus dat experimentum ſui, & Beatus habens viſionem beatificam utique experitur, & ſentit ſe habere illam, & videre Deum, quamvis per actum diſtinctum ſe non reflectat ſupra ſuam viſionem beatificam.

Objic. 8. Hæc propoſitio Arnaldi de Villa nova: *anima Chriſti ſcit omnia, quæcunque ſcit Deus:* fuit damnata ab inquiſitione Tarraconenſi, ut refertur in directorio inquiſitorum 2. p. q. 11.; ſed hæc propoſitio eſt ipſa noſtra concluſio: ergo noſtra concluſio eſt damnata ab illa inquiſitione.

R. hæc cenſura inquiſitorum nobis non obeſt, *tum* quia non eſt approbata ab aliquo Concilio vel ſummo Pontifice, imo facta eſt inconſulto Pontifice, ut ibidem notatur. *Tum,* quia propoſitio non eſt damnata nude ſumpta, ſed cum ratione, qua eam Arnaldus probabat; dicebat enim, animam Chriſti ea omnia cognoſcere, quia alias non poterat conſiſtere unio hypoſtatica, & quia cognitio non ſpectat ad naturam, ſed ad ſuppoſitum, in quo videtur ſapere errorem Monothelitarum admittentium unum tantum intellectum ſcilicet divinum in Chriſto.

Aſſero 5. Etiam probabile eſt, quod anima Chriſti in Verbo cognoſcat quidem omnia, quæ cognoſcit ipſum Verbum; 2. non tamen omnia actu. 3. Sed habitu, modo inferius explicando. Scotus 3. D. 14. q. 2. §. *ſed ſi iſta via tertia.* n. 20. ibi: *ſed ſi iſta via tertia non placet — — poteſt dici, quod videt omnia habitualiter.* Sequuntur plerique Scotiſtæ, & Viva. 94

Prob. 1. Pars sicut superius, tum ex authoritate, tum ex excellentia Christi, cui omnia, quæ convenienter possunt, attribui debent; atqui omnigena scientia & visio in Verbo convenienter potest Christo attribui: ergo debet ei attribui. Tum, quia ad statum Christi pertinet omnia ista videre in Verbo: ergo.

Prob. 2. pars. Probabiliter nec per Dei potentiam absolutam anima Christi omnia ista potest actu simul in Verbo videre: ergo sic non videt. A. prob. 1. Quia omnia objecta intelligibilia simultanee videre, & intelligere probabiliter est prærogativa soli Divino intellectui conveniens. 2. Ipsa limitatio animæ Christi, ceu creaturæ videtur exigere, ut ea se non extendat ad cognoscenda clare & distincte, ac simultanee objecta infinita syncategorematice, seu finita in infinitum ac sine fine, seu videtur limitari ad clare cognoscenda objecta tantum in numero aliquo determinato, & finita collectione. 3. Dato, quod omnia possibilia cognita non important infinitum actu in mente cognoscentis, important tamen infinitum syncategorematicum; sed etiam non desunt, qui ad cognoscenda clare & simultanee objecta plura & plura sine fine, seu syncategorematice infinita exigunt & potentiam cognoscitivam, & visionem vel cognitionem infinitam: & profecto modus cognoscendi clare & distincte, ac simul omnia possibilia, seu entia infinita syncategorematice est tam implexus ac mirus, ut nulli potentiæ, etiam infinitæ competere posse videatur: ergo probabiliter anima Christi neque per absolutam Dei potentiam potest omnia videre in Verbo, quæ videt ipsum Verbum. Adde, vix evitari posse infinitam repræsentativitatem in tali visione omnium omnino creaturarum possibilium: nam licet omnes creaturæ possibiles per illam visionem non cognoscerentur simul simultate objecti, seu per modum unius collectionis infinitæ, tamen cognoscuntur simul simultate cognitionis: consequenter deberent simul & semel repræsentativitates omnium creaturarum possibilium existere in tali visione, quæ repræsentativitates simul actu existentes sunt infinitæ actu, sicut & ipsa objecta possibilia, si simul actu existerent, essent actu infinita.

Neque

Neque dicas, unam finitam repræſentativitatem reſpectu omnium objectorum poſſibilium ſufficere.

Contra eſt: Repræſentativitas objecti etiam terminativi & ſecundarii in cognitione eſt formalis ſimilitudo ejusdem; ſed non apparet, quomodo una formalis ſimilitudo hujus objecti poſſibilis, hujus individui, vel hujus ſpeciei poſſibilis poſſit etiam eſſe formalis & diſtincta ſimilitudo alterius omnino diſſimilis ſpeciei, & diverſi ordinis. 2. Neque poteſt dari ſpecies intelligibilis impreſſa repræſentans plura objecta, præſertim infinita, vel ſi daretur, eſſet actu infinita, ut inferius dicemus: ergo idem dicendum eſt de ſpecie expreſſa, & viſione beata, quæ proinde habere debet infinitas formaliter diſtinctas repræſentationes. 3. Dato, quod per unam repræſentativitatem viſionis beatificæ poſſint omnes creaturæ poſſibiles repræſentari, tamen ipſa hæc cognitio adhuc deberet eſſe infinita: nam, quando pluralitas numeralis concludit perfectionem majorem, ibi infinita pluralitas arguit perfectionem infinitam; ſed cognoſcere, vel repræſentare ſimul ſimultate cognitionis plura objecta vg. duo, eſt major perfectio, quam cognoſcere vel repræſentare tantum unum objectum: ergo cognoſcere & repræſentare ſimul infinita objecta eſt perfectio actu infinita, & hæc ultima ratio eſt Scoti.

Prob. 3. pars Concluſionis. Ex una parte anima Chriſti videt omnia in Verbo, quæ videt ipſum Verbum: ex altera parte non videt ea actu: ergo nihil amplius reſtat, quam ut videat ea habitualiter. C. eſt legitima, A. habetur ex probatione primæ & ſecundæ partis Concluſionis.

Dixi in Concluſione 1. non *tamen omnia actu.* Concluſio enim negat, omnia illa actu ſciviſſe, non autem dicit, quod nullas creaturas actu viderit. Imo aſſero cum Maſtrio & aliis, quod anima Chriſti in actu ſecundo videat in Verbo quamplurimas creaturas tam actuales, præſentes, præteritas & futuras, quam poſſibiles, & quidem plures quam alii Beati ſimul ſumpti vident. Tam magna enim & ampla viſio creaturarum convenit Chriſto ut Capiti omnium Beatorum, & omnis creaturæ, & judici omnium, & quia non omnia

omnia fimul videre poteft ob intellectus creati limitationem, neque de omnibus femper debet difponere; ideo non cognofcit omnia fimul in actu fecundo. R. P. Viva p. 6. D. 5. q. 3. n. 11. cenfet, Chriftum Dominum, qua hominem defacto videre clare & diftincte omnia futura ufque ad diem judicii: nam hæc cognofcere fpectat ad judicem vivorum & mortuorum &c. cogitationes vero tam proprias, quam aliarum creaturarum futuras à die judicii ufque in æternum, & creaturas poffibiles, cum fint infinitæ fyncategorematice, tantum videre eum habitualiter, non vero actu.

Dixi fecundo: *habitu inferius explicando*. Igitur to *habitu* vel *habitualiter* non fignificat habitum aliquem, fed præfcientiam objecti beatifici, feu effentiæ Divinæ, quæ femper prompta eft ad oftendenda clare quævis objecta certa, vel certiffima in numero quamvis magno, determinato tamen ac finito. Unde propter objectum beatificum taliter præfens, ac promptum in actu primo anima Chrifti clare & diftincte poteft in Verbo videre pro arbitrio fuo, & quandocunque vult quafcunque creaturas in collectione tamen femper finita.

96 Objic. 1. Tali modo Chriftus aliquando aliqua objecta actu ignoraret, de quibus fcilicet actu non cogitaret: ergo hic modus non congruit Chrifto.

R. N. a. Ille non habet alicujus rei ignorantiam, qui de tali re interrogatus ftatim poteft dicere, quid de illa re fentiat, ac fentiendum fit, etiamfi prius actu de ea re non cogitarit: ita quoque anima Chrifti, quæ ita eft habitualiter conftituta, ut interrogata de qualibet re poffit illam declarare, non poteft dici ignorans.

Objic. 2. Vel anima Chrifti eodem actu vifionis in æternum durante videt nunc hæc, nunc illa objecta, vel habet plures actus vifionis beatæ invicem fuccedentes? non primum, quia vifio vel cognitio creata non poteft modo repræfentare aliquod objectum, quod prius non repræfentavit; identificatur enim repræfentativitas & formalis fimilitudo objecti, cui libet

actui

actui cognitionis, sive dein sit repræsentativitas objecti primarii sive secundarii, ut jam dixi in Tractatu de Beatitudine. Neque potest dici secundum, quia juxta D. August. lib. 15. de Trinit. c. 16. dicit. de visione & cognitione omnium Beatorum: *fortassis non erunt volubiles nostræ cogitationes ab aliis in alias euntes, atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno conspectu videbimus*: ergo.

R. C. M. & N. m. primum vix sustineri potest, ut censent Smising, Herinx ac alii, tum ob rationem in objectione allatam, *tum* quia sequeretur, eandem visionem jam habere sibi identificatam formalem similitudinem, ac repræsentativitatem cujusvis creaturæ possibilis & futuræ in infinitum; alias enim omnes illas, ne quidem successive repræsentare posset: neque hæc repræsentativitas est tantum aliqua relatio realiter distincta & superaddita, sed est intrinseca perfectio & formalitas illius visionis ac cognitionis, propter quam specialis concausa efficiens scilicet objectum requiritur influens in ipsam entitatem cognitionis, & ei communicans hanc perfectionem repræsentativitatis objecti. Unde sequeretur ulterius, quod talis visio esset infinita, quia repræsentativa entium in infinitum.

R. igitur ad m. posse dici secundum. Neque obest D. Augustinus; tum; quia loquitur solum dubitative, ut colligitur ex to *fortassis*, *tum*, quia tantum vult, Beatos, consequenter & animam Christi nunquam cessare à consideratione objecti primarii beatifici, seu essentiæ Divinæ, hancque semper intueri, quamvis non necessario per actum eundem numero vel specie infima, sed tantum subalterna. Hoc saltem de visione beatifica Christi dictum sit, quia alias non posset convenienter explicari, quomodo possit aliquas creaturas de novo formaliter in Verbo videre per eandem visionem, qua videt Verbum. Deinde perinde est animæ Christi, sive per hanc sive per illam visionem videat Verbum, dummodo quoad objectum primarium, seu essentiam Divinam semper sit æqualis perfectionis, & eatenus invariabilis, quamvis varietur quoad objecta secundaria: saltem si sermo sit de visione beatifica

Chrifti. Ita etiam Scotus exponendus eft 1. D. 1. q. 2. n. 6. Neque per hoc mutatur beatitudo Chrifti effentialiter, fed tantum accidentaliter: & utique aliquas accidentales mutationes fubiit jam, dum gloria corporis fuit denegata, & triftitia fuit admiffa tempore vitæ & paffionis: neque dubito, quin modo fæpius anima Chrifti habeat gaudium accidentale in cælo, quod prius non habuit.

Objic. 3. Si una vifione non poffent actu videri omnia poffibilia, tunc ideo, quia talis cognitio tendens in objectum infinitum, foret infinita; fed hæc ratio nulla eft: ergo. m. prob. quamvis vifio beatifica tendat in effentiam Divinam tanquam objectum infinitum, tamen ipfa non eft infinita: ergo etiam ejusmodi vifio beatifica tendens in objecta infinita non foret infinita.

R. N. m. ad prob. ejus N. C. & paritat. Vifio beatifica effentiæ Divinæ non eft comprehenfiva ipfius effentiæ & infinitatis ejus, adeoque non eft infinita: aft diftincta & clara vifio creaturarum omnium poffibilium, effet comprehenfiva earum, & cognofceret eas quoad infinitatem fuam, quantum cognofci poffunt, adeoque modo infinite perfecto.

Ex his deduces, quomodo explicandæ fint authoritates, quæ dicunt, quod Chriftus qua homo fciat omnia; dicimus enim, ipfum omnia fcire habitu non actu. Neque ex hoc, quod anima Chrifti habitualiter videat omnia in Verbo, fequitur, vifionem beatificam & in actu primo effe infinitam: quia tota infinitas fe tenet ex parte primarii objecti beatifici, feu effentiæ Divinæ, quæ poteft & vult quævis objecta creata animæ Chrifti oftendere in quavis collectione finita; non vero ifta infinitas eft in intellectu creato, qui fimul non poteft cognofcere infinita, neque in actu vifionis beatifico, qui tantum præter effentiam Divinam collectionem aliquam finitam creaturarum repræfentat, ac repræfentare poteft.

ARTICULUS II.

De Scientia infuſa animæ Chriſti.

NOTA 1. Intellectum creatum poſſe duplici modo cognoſcere aliquid, vel habere poſſe duplicem ſcientiam. Una 97 eſt in *Verbo*, altera *in proprio genere*. Scientia beatifica ſeu in *Verbo* immediate tendit in Verbum ſeu eſſentiam Divinam tanquam objectum principale & immediatum, & hoc mediante cognoſcit primo creaturas, & alia. Scientia *in proprio genere* tendit immediate & directe in ipſas creaturas tanquam objectum primarium & directum; & ideo dicitur *in proprio genere*, quia creaturas in ſe, & non in alio objecto conſiderat. Scientia beatifica ſeu in Verbo vocatur *matutina*, vel etiam *meridiana*; altera in proprio genere appellatur *veſpertina*, quæ iterum eſt duplex. Prima eſt *intuitiva*, & quæ dependet ab objecto ut præſente & exiſtente, ac ſine ſpecie intelligibili attingit ac videt objectum. Altera eſt *abſtractiva*, quæ non dependet à præſentia objecti, ſed à ſpecie intelligibili vicaria objecti.

Nota 2. Scientiam in proprio genere ratione modi, quo acquiritur, denuo ſubdividi. Una eſt *infuſa*, & à Deo ſupernaturaliter indita, altera eſt *acquiſita*, quæ proprio labore & induſtria intellectus creati obtinetur. *Infuſa* ulterius in binas ſpecies ſecatur, *in per ſe* & *per accidens* infuſam. *Per ſe infuſa* eſt illa, quæ viribus naturalibus intellectus creati non poteſt comparari, ſed neceſſario & indiſpenſabiliter exigit à Deo ſupernaturaliter agente indi, vel infundi. *Per accidens infuſa eſt*, quæ quidem viribus naturalibus & proprio exercitio intellectus creati acquiri poſſet, à Deo tamen non exſpectata intellectus creati induſtria infunditur. Prior eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, altera eſt ſupernaturalis quoad modum, nec differt. eſſentialiter à naturaliter acquiſita: hinc recte Scotus ſcientiam per accidens infuſam vocat per ſe acquiſitam. Talis ſcientia per accidens infuſa fuit illa, quam Adam & Salomon ſibi ſupernaturaliter inditam habuere de rebus naturalibus, quam ſucceſſu temporis proprio ſtudio potuiſſent ſibi comparare.

Nota 3. In principiis scotisticis scientiam infusam duo importare, nimirum species intelligibiles infusas, & habitum à Deo inditum. Species requiruntur ex parte objecti, ut hujus vices vel absentiam, aut certe ejus concursum ad cognitionem alias requisitum suppleant. Habitus vero requiritur, quia juxta nos distinguitur à speciebus, & est perfectio se tenens ex parte intellectus, ejus influxum facilitans, & promovens in ordine ad cognitionem scientificam, faciensque, ut intellectus tali habitu instructus perfectius operetur: præterea habitus est ornamentum potentiæ. Omnia patent in habitu luminis gloriæ, ac claritatis, qui etiam dantur in anima Christi.

Nota 4. Quamvis in Christo à Scotistis admittantur species infusæ, tamen non admitti species universales, quarum una plura objecta distincta, & disparata, seu non subordinata repræsentare posset: debent ergo multiplicari species intelligibiles juxta multiplicationem objectorum diversorum, ac non subordinatorum. Ita Scotus 2. D. 3. q. 10. & D. 9. q. 2. §. *contra ista.* Ratio hujus est; quia una & eadem res creata non potest esse repræsentatio naturalis rerum dissimilium: ergo una species non potest esse creaturarum omnium repræsentativa. 2. Species intelligibilis quoad unitatem se necessario accommodat objecto: ergo cum non possit dari unum objectum creatum in esse cognoscibili continens perfecte plures quidditates rerum, ita neque dari potest aliqua species intelligibilis repræsentans perfecte plures quidditates. 3. Ex hoc, quod essentia Divina possit perfecte repræsentare quævis objecta, inferimus, eam esse infinitam: ergo si daretur quoque species aliqua impressa potens repræsentare quævis objecta, etiam illa deberet esse infinita. 4. Species intelligibiles quidditatum universalium non possunt repræsentare singularia sub principiis naturalibus: nam universale non dicit clare entitatem, vel cognoscibilitatem singularium qua talium, sed ab his præscindit: ergo esto aliqua species repræsentet naturam humanam & universalem, tamen non determinate nec distincte repræsentare potest omnia singularia, & individua humana sub principiis naturalibus individuantibus. Vide dicta in Tract. de Angelis.

Assero.

Assero. Præter scientiam beatam admittenda est in intellectu animæ Christi scientia infusa. Communis cum Scoto. 3. D. 14. q. 3. & q. 4.

Prob. 1. Paulus ad Coloss. 2. dicit de Christo: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, seu scientiæ supernaturalis, quæ significatur per *scientiam Dei*; sed inter thesauros scientiæ supernaturalis non est ignobilis portio scientia infusa: ergo etiam hanc Christus habuit.

Prob. 2. Scientia hæc est maxima perfectio, & ornamentum intellectus creati: ergo non est deneganda Christo, maxime, quia non habetur aliquod fundamentum sive ex authoritate, sive ex ratione denegandi eam.

Igitur Christus habuit 1. scientiam per se infusam, & species per se infusas essentiæ Divinæ, ac Dei unius & trini distincte & clare repræsentativas. Ratio est: quia talis species ex una parte non est impossibilis, ut dixi in Tract. de Beatitudine, & universaliter tenent Scotistæ contra Thomistas; ex altera parte decet, animam Christi habere hanc speciem, & ea mediante etiam abstractive, & quasi in genere proprio cognoscere Sanctissimam Trinitatem: nam est ad majorem perfectionem animæ Christi, non tantum uno modo per visionem beatificam, sed & omni alio possibili cognoscere essentiam Divinam, & SS. Trinitatem clare ac distincte, & scientifice; quippe & hæc cognitio, licet abstractiva sit, tamen scientifica & clara est: ergo.

Quod autem hæc species & scientia Dei unius & trini sit per se infusa, ratio est: quia solis naturalibus viribus intellectus creati non potest acquiri; cum nullus intellectus creatus solis naturæ viribus possit claram & distinctam cognitionem essentiæ & quidditatis Divinæ, seu quoad *quid est*, & SS. Trinitatis acquirere.

Ex hoc habes, quod si unio hypostatica, visio Beatifica, entitas physica gratiæ sanctificantis nullo modo natura-

liter poſſint cognoſci ab intellectu creato, tunc etiam Chriſtum eas tantum per ſcientiam & ſpecies per ſe infuſas cognoviſſe. Secus dicendum, ſi hæ ſpecies & ſcientia naturaliter potuiſſent acquiri: ratio hujus patet ex dictis.

2. Anima Chriſti præter ſcientiam per ſe infuſam habuit etiam per accidens infuſam, naturalem quoad ſubſtantiam, & ſupernaturalem quoad modum, quatenus omnem ſcientiam naturalem abſtractivam, quam ſucceſſive per ſpecies naturaliter comparatas poterat acquirere, habuit ſimul ſupernaturaliter à primo inſtanti ſuæ conceptionis. Hæc vero ſcientia, cum ſit naturalis quoad ſubſtantiam, habet pro objecto ſolas res naturales, quas Chriſtus modo connaturali poterat cognoſcere. Et quamvis Chriſtus potuerit hanc ſcientiam ipſus proprio labore ſucceſſu temporis acquirere, tamen decentius fuit, ut tota ſimul infunderetur ſupernaturaliter, ne quoad hoc Chriſtus inferior foret Adamo, de quo dicitur Eccli. 17. creatus fuit plenus Scientiæ & Sapientiæ.

3. Scientia infuſa Chriſti eſt perfectior quoad claritatem, & certitudinem cognitionis, & multitudinem ſpecierum infuſarum, quam ſcientia infuſa Angelorum. Ita Scotus pro concluſione cit. q. 4. cum communiori contra Thomiſtas. Ratio eſt, quia Chriſtus eſt caput Angelorum, ergo decuit illum habere meliorem, & majorem, ſeu ad plura quoque objecta ſe extendentem ſcientiam infuſam, quam habuerunt Angeli. 2. Ob unionem hypoſtaticam Chriſtus accepit præſtantiorem gratiam, quam Angeli: ergo & præſtantiorem ſcientiam infuſam.

Nec dicas: Species infuſæ, & ſcientia infuſa debet commenſurari naturis; ſed humana natura eſt imperfectior, quam Angelica: ergo ſcientia & ſpecies infuſæ intellectui Chriſti ſunt imperfectiores, quam illæ, quæ fuerunt infuſæ Angelis.

R. trans. M. & D. m. Natura humana Chriſti in ſe conſiderata, & ut præſcindit ab unione hypoſtatica, eſt imperfectior & vilior quam natura Angelica C. m. ut unita Verbo, & per eam quaſi deificata N. m.

4. Cre-

4. Credibiliter Chriſtus non habuit, nec accepit ſpecies rerum illarum, quas nunquam erat cognoſciturus, vel cognovit. Ita Poncius approbantibus Maſtrio, & Kriſper. Ratio eſt: quia videntur ſuperflue communicatæ eſſe ſpecies illæ, quæ nunquam erant deſervituræ uſui. Habuit tamen ſpecies infuſas omnium eſſentiarum & ſpecierum creatarum aliquando actu exiſtentium; quia hæ erant tantum in determinato & finito numero extituræ, & eas cognoſcere convenit Domino omnis creaturæ. Iterum habuit ſpecies infuſas omnium omnino cogitationum & volitionum, quas homines & Angeli eſſent habituri uſque ad diem judicii extremi: quia & has judicem vivorum & mortuorum decet cognoſcere. Non vero habuit ſpecies infuſas omnium cogitationum volitionumque tum propriorum, tum aliorum futurorum à die judicii per totam æternitatem, quia hæ erunt infinitæ ſyncategorematice: rurſus omnium individuorum, & ſpecierum, ſeu eſſentiarum poſſibilium, nam & hæc individua & ſpecies erunt infinitæ ſyncategorematice, ita, ut nunquam ultimum ex individuis poſſibilibus, & eſſentiis poſſibilibus poſſit aſſignari: adeoque ſi habuiſſet Chriſtus ſpecies ſimul actu infuſas omnium iſtarum rerum, tunc debuiſſet actu habere infinitas numero ſpecies infuſas, ſeu tot, ut ultima nunquam aſſignari poſſet, quod eſt eſſe infinitum actu, & categorematice.

Neque dicas; Iſta entia, quæ per ſpecies infuſas cognoſcerentur, eſſe tantum infinita ſyncategorematice, & non actu: ergo neque ſpecies infuſæ, per quas cognoſcerentur.

R. N. C. illa entia nunquam ſimul omnia exiſterent actu, ſed tantum ſemper aliqua in numero determinato, & finito, & tantum eſſent infinita in potentia, quatenus plura & plura ſine fine produci poſſent: aſt illæ ſpecies infuſæ fuiſſent omnes ſimul in inſtanti conceptionis, & ſic actu ſine numero infinitæ extitiſſent: ergo fuiſſent actu infinitæ, ſicut & omnia entia poſſibilia, ſi ſimul per impoſſibile actu exiſterent, neceſſario infinita actu forent.

Sed dubitabis, an per ſcientiam hanc infuſam Chriſtus cognoverit aliqua ut præſentia, vel ut præterita, aut ut futura,

tura, sed tantum cognoverit, prout abstrahunt ab existentia pro determinata temporis differentia? Rdent. multi cum Mastrio, quod à Christo saltem futura ut futura, per scientiam hanc abstractivam infusam, & per species intelligibiles non possint intelligi. Verum probabiliter potest etiam dici, quod Christus hac scientia potuerit cognoscere non quidem intuitive, sed abstractive præsentia ut præsentia, præterita ut præterita, & futura ut futura: Frassen & alii. Nam. 1. Scotus in 3. D. 14. q. 3. §. *loquendo tamen de cognitione intuitiva* tantum negat, quod intuitive perfecte ejusmodi res possint cognosci per scientiam infusam, vel per species infusas. Item quod possint cognosci intuitive imperfecte tanquam præterita per memoriam relictam ex cognitione intuitiva. Cujus ratio est, quod cognitio intuitiva essentialiter dependeat ab objecto ut præsente, & non possit fieri mediante specie tali infusa intelligibili, quæ ex se non requirit objectum præsens, sed illud repræsentat, sive præsens sit, sive non. Non autem absolute negat ibi Scotus, quod nullo modo, neque abstractive possint cognosci ejusmodi futura, vel præterita per species infusas. 2. Nos cognoscimus aliqua futura ut talia, & alia ut præterita, aliqua etiam ut actu existentia vg. extremum judicii diem, præteritam Nativitatem Christi, existentiam actualem Dei & Angelorum, & habemus tantum horum omnium cognitionem abstractivam, mediantibus speciebus: ergo & Christus potuisset præsentium, præteritorum & futurorum habere cognitionem abstractivam per species, & quidem certam ac infallibilem, ac etiam claram; si enim aliæ circumstantiæ objectorum possint clare repræsentari per species intelligibiles, cur non etiam præteritio, præsentia, & futuritio?

Neque dicas 1. ad cognitionem futurorum requiritur etiam cognitio Decreti Divini; sed hoc non potest cognosci per speciem & scientiam infusam.

R. Trans. M. N. m. Si enim species per se infusa clare repræsentativa Dei trini & essentiæ Divinæ potuit infundi, & infusa est Christo, cur non & species aliqua, saltem *per se* infusa,

fusa, potest dari in Christo, quæ repræsentat ejusmodi decreta concernentia omnes res futuras, quarum notitia convenit statui Christi.

5. Christus in usu scientiæ infusæ non debuit se necessario convertere ad phantasmata, potuit tamen, si voluit. Communis cum Scoto. 3. D. 14. q. 3. *in fine* contra Durandum. Ratio primi est, *tum* quia dependentia necessaria intellectus humani à phantasia provenit juxta Scotistas ex peccato originali: ergo in Christo, qui non contraxit peccatum originale, talis dependentia necessaria non habuit locum. 2. Animæ aliorum Beatorum possunt intelligere absque conversione ad phantasmata: ergo & anima Christi, quæ ab instanti conceptionis jam fuit beata. 3. Christus scientiam infusam, & species infusas accepit independenter à phantasmatibus: ergo & illis potuit uti independenter à phantasmatibus: proinde hac scientia etiam uti potuit in Somno.

Quod autem se potuerit convertere ad phantasmata, *ratio est*: quia scientia infusa operationem sensitivam non impediebat. 2. Quia quoque conveniens erat, cognitioni intellectivæ adjungere operationem sensitivam circa objectum tam intellectui, quam potentiis sensitivis commune ob subordinationem, quam habent istæ potentiæ inter se.

6to. Christus in exercitio scientiæ infusæ non indiguit discursu, potuit tamen illo uti pro libitu. Prima pars est communis inter Scholasticos. Altera est Scoti. 3. D. 14. q. 3. §. ad argumenta. n. 8. cum suis; & aliquibus RR. contra Suarez & Vasquez.


Prob. 1. memb. Ideo nos indigemus discursu; quia cognitis principiis non statim, vel non perfecte cognoscimus objectum conclusionis; atqui anima Christi per scientiam & species infusas eodem instanti & perfectione eadem cognovit principia & objectum conclusionis: ergo non indiguit discursu.

Prob. 2. membr. Discursus est processus ab una cognitione ad aliam, à priori dependentem; sed anima Christi per scien-

scientiam infusam potuit habere talem processum: siquidem habita cognitione hominis ut rationalis per scientiam infusam, potuit inde deducere aliam cognitionem, quod homo sit risibilis: ergo.

Neque ad discursum essentialiter requiritur; ut à notis procedamus ad ignota: etenim & de rebus notis facimus sæpe discursus & syllogismos. Itaque potuit Christus per scientiam infusam omnia cognoscere vel simplici intuitu & apprehensione, aut judicio immediato, vel etiam per Discursum, prout volebat. Cum scientia infusa subsit imperio voluntatis Christi, & propter perfectionem suam omnes hos modos comprehendat.

Ex quo colligis distinctionem inter habitum primorum principiorum, & scientiæ infusæ: prior enim propter suam limitationem includit tantum unum modum cognoscendi, per simplicem intuitum, vel judicium immediatum, non vero alter, utpote longe perfectior. Objectiones, quia etiam impugnant scientiam experimentalem Christi, solventur proximo articulo. Quare sit.



ARTICULUS III.

An Christus præter Scientiam beatam, & infusam habuerit aliquam scientiam acquisitam, experimentalem?

§. I.

Statuitur Conclusio.

98 NOTA. Quæstionem esse, an anima Christi, licet perfecte omnia in Verbo viderit, & scientiam infusam habuerit perfectissimam, tamen præterea etiam aliquam Scientiam propria industria & viribus naturalibus obtinuerit. H. N.

Assero 1.

Assero 1. Præter Scientiam beatam, & infusam habuit Christus etiam scientiam aliquam acquisitam propriis viribus seu experimentalem. Ita Scotus 3. D. 14. q. 3. §. *loquendo tamen* n. 6.

Prob. 1. Lucæ 2. dicitur: *JESUS proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*: ergo cum Christus non potuerit proficere in Scientia beata, vel infusa, cujus utriusque plenitudinem sibi convenientem juxta mensuram positam à voluntate Divina jam acceperat in instanti conceptionis, debuit dari alia scientia scilicet acquisita experimentalis, qua cognovit objecta, prout se se ipsi offerebant existentia, & præsentia; & quam scientiam non totam simul habuit in instanti conceptionis, sed successive obtinuit, sicut non omnia objecta, quæ per totam vitam experimentaliter cognovit, jam tunc in instanti conceptionis erant existentia, & præsentia.

Prob. 2. ad Hebræ. 5. v. 8. dicitur de Christo: *didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam*: ergo habuit scientiam experimentalem, secundum quam experimentaliter didicit patientiam & obedientiam, quatenus exercens actus patientiæ & obedientiæ, ab iis ipsis actibus sumpsit in se patiendi & obediendi experientiam.

Prob. 3. S. Ambrosius L. de *Incarnationis dominicæ Sacramento* ait: *sensus hominis* (nempe Christi) *profecit, sicut scriptum est, Jesus proficiebat ætate, sapientia, & gratia. Profectus est ætatis, profectus sapientiæ, sed humana est: ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis; sapientia autem sensu* (*seu experientia*) *proficit, quia á sensu sapientia.*

Prob. 4. rationibus S. Bonaventuræ, cujus verba allegata videre potes apud nostrum Frassen. 1. Christus qua homo triplicem statum in hac vita expressit, scilicet statum Beati, hominis innocentis, ac hominis viatoris: ergo etiam habuit scientiam triplici statui convenientem, visionem beatificam tanquam Beatus, infusam ut Adam, tanquam innocens, & cognitionem pœnalis experientiæ tanquam Viator.

2. Anima & ſcientia Chriſti perfecta fuit non ſolum reſpectu cognoſcibilium objectorum, ſed etiam reſpectu modorum cognoſcendi, ſeu non cognovit ſolum omnes res convenienter cognoſcibiles, verum etiam omnibus modis, quibus cognoſci poterant; atqui triplex modus cognoſcendi objecta creata & exiſtentia poſſibilis eſt in anima Chriſti, nimirum poſſunt cognoſci in Verbo per ſcientiam beatam, & abſtractivam, in proprio genere per ſcientiam infuſam, ac tandem poſſunt intuitive videri iterum in proprio genere; ergo hoc triplici modo anima Chriſti cognovit creaturas exiſtentes, ac ſibi debite præſentes.

99 Ex his deduces 1. Scientiam experimentalem in Chriſto non fuiſſe abſtractivam. Ita Scotus cit., ac Scotiſtæ communiter contra Thomiſtas, ac D. Thomam. 3. p. q. 9. art. 4. & q. 12. ratio hujus eſt; anima Chriſti jam ab initio conceptionis habuit infuſam ſcientiam abſtractivam in ea plenitudine, quæ juxta capacitatem intellectus Chriſto conveniebat: ergo eam non potuit amplius acquirere; imò nec augere. Et licet alias virtute naturali intellectus ſoleat ſpecies intelligibiles abſtrahere ab objectis, tamen hoc non amplius fit, quando intellectui jam inſunt omnes ſpecies, quas naturali virtute comparare poſſet; atqui Chriſto jam inſunt tales ſpecies, utpote à Deo infuſæ: ergo.

2. Scientia iſta abſtractiva proprio exercitio à Chriſto comparata non diſtingueretur ſpecie ab infuſa per accidens, ſed eſſet ejusdem rationis cum ea, ut jam dixi prius. Neque per acquiſitam alio modo cognoſceretur objectum, quam per infuſam: ergo ejusmodi ſcientia naturaliter acquiſita penitus eſſet ſuperflua in Chriſto.

Deduces 2. Scientia experimentali Chriſtum intuitive in proprio genere, & in ſe ipſis cognoviſſe omnia individua mortalia & immortalia, quæ & quando erant ipſi unquam præſentia, & intra ſphæram activitatis ſuæ naturalis. Ita ex Scoto Maſtrius cum aliis Scotiſtis. Ratio eſt, quia hæc ſcientia experimentalis intuitiva eſt magna perfectio potentiæ intellectivæ: ergo ea eſt tribuenda Chriſto. 2. Angeli & Beati

ti non obstante visione beata, & infusa intuitive propriis viribus naturalibus cognoscunt objecta debite ipsis præsentia: ergo etiam anima Christi. Hæc ergo scientia non semper est eadem, nec per eam anima Christi omnia objecta simul, sed successive alia & alia intuitive in se ipsis videbat experimentaliter; quia non omnia simul, sed tantum successive habuit præsentia.

Deduces 3. Hanc scientiam experimentalem & naturalem intuitivam esse imperfectiorem cognitione intuitiva Angelica. Ratio est, quia hæc cognitio est mere naturalis, & meris viribus naturalibus obtinetur: ergo se accommodat solis viribus naturalibus intellectus humani Christi: Atqui vires naturales intellectus humani in Christo sunt imperfectiores, & debiliores virtute naturali intellectiva Angelica: ergo & talis cognitio intuitiva est imperfectior. Aliud est de visione beatifica, & scientia infusa, nam in his concurrunt aliqua principia supernaturalia, nimirum lumen gloriæ, & ad scientiam infusam, species à Deo infusæ, & probabiliter etiam habitus infusus, quæ principia naturalia sunt perfectiora in anima Christi, quam in Angelo, adeoque supplent omnem defectum virtutis naturalis, & intellectum Christi ita elevant, ut plus & perfectius operetur, quam intellectus Angelicus.

Deduces 4. Ad scientiam experimentalem etiam reduci posse memoriam habitæ cognitionis intuitive naturalis in proprio genere, & objectorum per talem cognitionem experimentalem visorum, quam cognitionem rememorativam Scotus pro conclusione citatus vocat improprie intuitivam, quia præsupponit cognitionem intuitivam objecti præsentis aliquando habitam, & ab ea dependet. Ratio hujus est: quia remanet ex objecto intuitive cognito aliqua species intelligibilis, vi cujus anima Christi postea meminisse potest tam cognitionis intuitivæ præhabitæ, quam ipsius objecti intuitive cogniti.

Deduces 5. In Christo nullam fuisse ignorantiam privativam, id est, nullum defectum scientiæ ipsi debitæ, & convenientis. Ratio est, licet enim Christus ab initio non cognove-

 rit

rit aliqua per fcientiam experimentalem, cognovit tamen omnia per fcientiam infufam aut beatam actu, aut faltem habitu, quod fufficit ad excludendam omnem ignorantiam, ut notatum eft in refponfione ad 1. objectionem. Accedit S. Auguft. qui L. 2. de peccatorum meritis c. 29. dicit: *ignorantiam nullo modo crediderim fuiffe in infante illo, in quo Verbum caro factum eft, ut habitaret in nobis.* Similia etiam habent alii PP.

Dices 1. Matth. 26. ait Chriftus: *Pater, fi poffibile eft, tranfeat à me calix ifte*: ergo ignoravit, an fit poffibile. R. N. C. fenfus iftius propofitionis conditionatus eft: fi poffibile effet, rogo, *ut tranfeat, cum autem fciam, non effe poffibile, fiat voluntas tua.* Qui fenfus nullam fignificat ignorantiam.

Dices 2. ad Hebræ. 2. Chriftus *debuit per omnia fratribus affimilari*: ergo etiam in ignorantia nobis fimilis factus eft. R. To *omnia* in fimilibus textibus in fenfu accommodo accipi debere, maxime tunc, quando alias Chrifto tribuendum foret aliquid inconveniens.

Dices 3. Chriftus fæpius interrogavit more ignorantium, velut de Lazaro, ubi pofuiftis eum? ergo ignoravit aliqua. R. 1. retorq. argum. in facra fcriptura etiam Deus fæpius interrogavit more ignorantium: ut: Adam ubi es? ergo etiam Deus habuit ignorantiam. R. 2. Chriftus interrogavit non ex ignorantia, fed ex prudentia, ut inde anfam arriperet vel populum docendi, vel potentiam fuam manifeftandi.

Dices 4. Fuit in Chrifto admiratio; fed admiratio fupponit ignorantiam, quia miramur res infolitas nondum vifas: R. 1. cum D. Auguft. epift. 151. duplex eft genus admirationis, unum, quo miramur res infolitas, non cognitas antea: alterum, quo miramur res magnas raro fieri folitas, licet jam cognitas. Prima admiratio eft argumentum ignorantiæ, altera laudis. Pofterior tantum tefte S. Auguft. in Chrifto data fuit. R. 2. admiratus eft Chriftus aliqua, quæ & quia prius non fcivit experimentaliter, non vero, quia non fcivit alia fcientia. In hoc fenfu JESUS etiam profecit fapientia

tia tantum experimentali. Diem vero judicii non ignoravit simpliciter, sed tantum non habuit scientiam ejus aliis communicabilem, seu ut loquitur D. August. ad manifestandum.

Dices. 5. Christus habuit defectum eloquentiæ, ergo & scientiæ. R. N. C. & parit. distinctionem duplicem dat S. Bonaventura, defectus eloquentiæ & virium, uti & cæteræ infantiles infirmitates, cum essent externæ, serviebant ad manifestandam veritatem naturæ humanæ assumptæ, defectus vero sapientiæ, cum esset internus ad nihil deservisset. 2. Defectus priores externi sunt materia exercendæ virtutis, patientiæ, & fortitudinis: defectus cognitionis ad nullam virtutem utilis esse potest, imo virtutis exercitium impedit.

Deduces 6. In Christo non fuisse errorem, vel ignorantiam pravæ dispositionis. Ratio est: quia alias non fuisset plenus omni sapientia, neque talis defectus decuisset statum supremi Doctoris, & Beati, qualis erat Christus. Si autem aliquod periculum errandi fuisset, tunc ejusmodi error facillime curari potuit per scientiam infusam & beatam. Neque obstat, quod sensus Christi vg. oculi interdum objectum aliter apprehenderint, ac in se erat, vg. oculi solem minorem, ac in se est, tamen hic error, si aliquis est, non ascendit in intellectum, qui independenter à sensibus habuit plenam cujusvis rei scientiam.

Deduces 7. In Christo non fuisse, nec esse cognitionem probabilem, vel opinionem, nec cognitionem obscuram, seu fidem. Ratio est: quia hæ cognitiones imperfectæ non dantur in Beatis: ergo neque in Christo. 2. Habent annexas imperfectiones dedecentes intellectum, cui concessa est summa sapientia, quam aliqua creatura juxta modernam providentiam habere potest: nam opinio vel cognitio probabilis nititur fundamento fallibili, & fides involvit obscuritatem, & inevidentiam. Hæ igitur imperfectiones excluduntur primo remote & radicaliter per unionem hypostaticam, quæ exigit intellectum plenum omni sapientia, & ex omni parte perfectissimum,

fimum, proxime autem has imperfectiones ab intellectu exulare facit vifio beatifica, & denegatus concurfus Divinus ad eas.

Deduces 8. Omnes fenfus Chrifti probabiliter habuiffe evidentiam metaphyficam; quia evidentia phyfica adhuc eft fallibilis, & faltem de potentia Dei abfoluta res aliter fe habere poteft, quam per ejusmodi cognitionem repræfentatur.

Deduces. 9. Chriftum non indiguiffe ullo Magiftro inftruente. Ratio eft: quia aliunde jam omnia fcivit per fcientiam fuam beatam, & infufam, & experimentaliter etiam omnia, quæ fe fe ipfi offerebant, clare ac fine impedimento potuit cognofcere. Talis modus inftruentis quoque non conveniebat Magiftro omnium.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. In eodem intellectu non poteft fimul ftare
100 fcientia & opinio, vel fides & fcientia: ergo neque fcientia beata, infufa, & acquifita.

R. N. C. Ideo opinio & fides non poffunt ftare cum fcientia; quia fides ratione fuæ obfcuritatis, & opinio ratione fuæ fallibilitatis opponuntur evidentiæ, & certitudini fcientiæ: confequenter fcientiæ infufa & acquifita in Chrifto funt evidentes, & infallibiles; hinc non repugnant evidentiæ vifionis beatificæ. Et fane hæ tres cognitiones fcientificæ debent admitti in Beatis: ergo etiam in Chrifto poffunt, & debent admitti. A. prob. 1. debent admitti in Beatis vifio beata, & fcientia infufa juxta D. Auguft. qui quæftione 26. ad Orofium dicit: *cognitio creaturæ in femetipfa eft vefpera*, in Deo (feu Verbo) eft mane. & L. 4. fuper Genefin ad literam laudatus Doctor dicit: *fimul in cœlefti patria eft mane & vefpera.* Secundo debet etiam admitti cum vifione beata in Angelis & Beatis intuitiva experimentalis, qua ipfa acies naturalis intellectus objecta præfentia attingit: hanc enim virtutem naturalem Deus per ftatum beatitudinis non fuftulit, fed tantum per dona fupernaturalia perfecit.

Objic. 2.

Objic. 2. præsente cognitione perfecta excluditur omnis cognitio imperfecta; sed scientia infusa, & acquisita respectu beatæ sunt imperfectæ: ergo præsente beatifica excluduntur ab intellectu humano Christi.

R. D. M. præsente cognitione perfecta excluditur cognitio absolute imperfecta, & quæ aliunde habet repugnantiam vel cum cognoscente, vel cum cognitione perfectiore. C. M. imperfecta tantum comparative, seu respectu perfectioris, & quæ ex se nec cognitioni perfectiori, nec ipsi habenti cognitionem perfectiorem opponuntur N. M.

Objic. 3. Lumen minus excluditur, vel obfuscatur per majus, ut lumen stellarum per lumen meridianum solis: ergo etiam lumen majus scientiæ beatificæ excludit, & obfuscat omnem vim scientiæ infusæ, & acquisitæ.

R. D. a. Si sit lumen ejusdem ordinis C. a. si sint lumina diversi ordinis N. a. quia lumen solis est ejusdem ordinis & speciei cum lumine stellarum, imo & cum lumine candelæ alicujus, ideo majus seu solare minora lumina obfuscat. Ast scientia beata intuitiva in Verbo, ac abstractiva infusa, & intuitiva experimentalis in proprio genere sunt tres scientiæ diversi ordinis & generis, ac diverso modo & medio ducunt in cognitionem objecti: ergo una alteram non impedit.

Objic. 4. Anima Christi præter scientiam beatam non potest habere fidem etiam Divinam & infallibilem: ergo neque scientiam infusam, vel acquisitam.

R. N. C. & parit. Fides est essentialiter obscura, non vero scientiæ infusa, & acquisita. quæ sunt essentialiter evidentes & claræ: hinc fides, non vero prædictæ scientiæ repugnant statui Beati, & Doctoris, ac Magistri hominum.

Objic. 5. juxta dicta in tract. de Deo uno, & claram Scoti sententiam Deus solum potest videre & cognoscere creaturas mediate seu mediante essentia, & in ea, non vero in se ipsis, seu in proprio genere: ergo & anima Christi tantum

 potest

potest creaturas cognoscere in essentia Divina, seu Verbo per visionem beatam, non autem in proprio genere per scientiam infusam, aut acquisitam. Prob. c. ideo Deus non potest immediate in se ipsis & in proprio genere cognoscere creaturas, quia esset imperfectio sic cognoscere: ergo etiam ideo non potest anima Christi.

R. 1. retorq. argum. Deus potest tantum videre creaturas per intellectum sibi realiter identificatum: ergo etiam anima Christi sic tantum videre potest per intellectum ipsi realiter identificatum.

R. 2. N. c. & parit. Cognoscere creaturas in se ipsis, seu in proprio genere dicit quidem perfectionem, sed mixtam imperfectione, adeoque animæ Christi ceu creaturæ, non vero Deo potest convenire, sicut & plures alias perfectiones mixtas in se habet anima Christi, ut lumen gloriæ, habitum charitatis, actus amoris & visionis, qui sunt accidentia realiter distincta ab anima Christi, quæ tamen non possunt competere Deo. Ratio rationis. Cognoscere res in proprio genere abstractive & intuitive est perfectio connaturalis debita cuilibet intellectui creato, consequenter etiam intellectui creato Christi. Nam cum alio modo naturaliter intellectus creatus objecta creata non possit cognoscere, ipsi simpliciter melius est taliter posse cognoscere creaturas, quam si nullatenus viribus naturalibus eas intelligere posset. Jam perfectiones naturales in anima Christi unio hypostatica vel beatitudo non tollit, sed tantum perficit, & dona supernaturalia superaddit.

Objic. 6. SS. PP. testantur, Christum tantum apparenter profecisse in sapientia: ergo. R. D. a. & hi loquntur de scientia beata, ac infusa, cujus utriusque plenitudinem jam in conceptione accepit, nec in ea augmentum vel detrimentum accepit per totam vitam C. a. in scientia acquisita N. a. vel possunt isti textus omnino intelligi de scientia Divina, in qua non potuit proficere. Quam explicationem confirmat Rupertus L. 1. in Genesin. c. 21. ubi locum Isaiæ 11. tractans,

tractans, in quo dicitur ſuper Chriſtum requieviſſe Spiritum ſapientiæ & intellectus, ita loquitur: *quia ille, in quem hæc dicuntur, cum non tantum homo ſed Deus ſit, licet ſecundum humanitatem Sapientia, ætate, & gratia profecerit; attamen ſecundum id, quod eſt & erat Deus, nullum profectum habuit.*

Objic. 7. Sola viſione beatifica cognoſcuntur omnia juxta nos à Chriſto: ergo ſuperfluunt reliquæ duæ in Chriſto ſcientiæ. R. D. a. cognoſcuntur omnia, non tamen omni modo poſſibili in anima Chriſti C. a. etiam omni modo N. a. ad perfectionem intellectus ſpectat non ſolum omnia; ſed etiam omni modo poſſibili cognoſcere.

Objic. 8. Scientia acquiſita experimentalis incompoſſibilis eſt cum viſione beatifica, & ideo eam S. Paulus dicit deſtruendam in patria 1. Corinth. 13. *ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur*: ergo in Chriſto habente viſionem beatificam non datur ſcientia acquiſita.

R. N. a. ad D. Paulum dico, eum per ſcientiam intelligere Theologiam noſtram, & quamcunque ſcientiam innixam fidei, quæ ex principiis fidei infallibilibus quidem, ſed obſcuris concluſiones deducit: ita exponit Tirinus laudatum textum. Aſt Scientia acquiſita Chriſti non eſt ejusmodi obſcura, ſed evidens & clara ac intuitiva ſcientia.

DISSERTATIO V.

De voluntate humana Chriſti.

Suppono. Dari in Chriſto duplicem voluntatem, Divinam & humanam, utramque cum ſibi reſpondente actu & operatione. 101 Ita enim contra Monothelitas de fide definitum eſt in 6. & 7. Synodo generali. Item in Concilio lateranenſi ſub Martino 1. & Florentino. Probatur etiam ex Sacra Scriptura. Luc. 22. Chriſtus ait ad Patrem cæleſtem: *non mea voluntas*

luntas, sed tua fiat. & *Joan.* 5. *non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*, quæ loquendi figuræ significant, quod Christus habeat aliam quoque voluntatem, quam Pater Divinus: ergo ultra Divinam Christo & Patri communem habet humanam propriam. Accedit ratio à PP. contra Monothelitas usurpata. Verbum assumpsit naturam humanam integram & perfectam cum suis proprietatibus: ergo etiam assumpsit voluntatem & intellectum humanum. Adhæc in Christo fuit obedientia; sed obedientia non est actus voluntatis Divinæ: ergo humanæ. Denique meritum, quod essentialiter est obsequium, non potest stare nisi in voluntate creata: ergo præter voluntatem Divinam in Christo dabatur creata, seu humana, quam proinde frustra Monothelitæ denegant Christo. Historia Monothelitarum relata est Tomo 1. Theologiæ hujus universæ, seu de prolegomenis pag. 313. & seq. hæc res igitur ibi relegenda est.

ARTICULUS I.

An voluntas humana Christi semper fuerit Divinæ conformis, & an semper fuerit impleta?

Nota 1. Machorium Monothelitam ne teneretur dicere
102 voluntatem humanam Christi fuisse contrariam Divinæ, tantum adstruxisse unam voluntatem scilicet Divinam in Christo, igitur contra hanc explicanda est concordia utriusque voluntatis, etsi distinctæ. Hinc.

Nota 2. Dupliciter posse voluntatem humanam conformari Divinæ, scilicet in volito materiali, si homo idem vult, quod Deus: ut si Deus & homo volunt mortem. Deinde etiam in volito formali, quando Deus & homo non solum idem volunt, sed etiam sub eadem ratione, & motivo: ut si Deus & homo velint mortem tanquam utilem reipublicæ.

Nota 3

Nota 3. Duas volitiones ſpectari poſſe in homine. Una eſt efficax & abſoluta, qua homo attentis omnibus & conſideratis rem aliquam vult abſolute, altera eſt inefficax, & conditionata quædam complacentia, vel ſimplex affectus, & ſic conditionate explicatur, *placet mihi hoc*, *vel vellem hoc*, *ſi eſſet poſſibile*, *ſi non eſſet impedimentum.* Verum has duas volitiones efficacem, & inefficacem, quarum una efficaciter volo aliquid, & altera inefficaciter id ipſum nolo, non eſſe contrarias nec oppoſitas, & ſimul poſſe ſtare in eadem voluntate, inferius dicetur.

Aſſero 1. Humana Chriſti voluntas efficax fuit in omni- 103
bus Divinæ voluntati conformis tam quoad volitum materiale, quam quoad formale: eſt communis PP. & TheologorumSententia.

Prob. 1. Ex Synodo 6. generali ſeu Conſtantinopolitana Tertia, ubi ait] Art. 4. in Epiſt. Agathonis Papæ ad imperatorem: *cum duas autem naturas*, *duasque naturales voluntates*, *& duas naturales operationes confitemur in uno D. J. Chriſto*, *non contrarias eas*, *nec adverſas eas ad alterum dicimus*, *ſicut à via veritatis errantes Apoſtolicam traditionem accuſant: abſit hæc impietas à fidelium cordibus.*

Prob. 2. ;Ex S. Script. Joan. 8. v. 29. Chriſtus dixit: *ego*, *quæ placita ſunt ei*, *facio ſemper.* & Joan. 4. *meus cibus eſt*, *ut faciam voluntatem ejus*, *qui miſit me*: ergo.

Prob. 3. ratione. 1. Decuit Chriſtum, ut voluntas ejus humana nil efficaciter vellet, niſi & illud vellet voluntas Divina. 2. Chriſtus per ſcientiam beatam & infuſam novit omnia, quæ vult Deus: ergo & illa omnia fecit, quia non venit ſuam humanam, ſed voluntatem Divinam facere.

Objic. Chriſtus noluit mortem, quam tamen voluit Pa- 104
ter: ergo Chriſtus habuit voluntatem contrariam voluntati Divinæ. a. quoad 1. memb. patet ex illa oratione Chriſti in monte Oliveti Matth. 26. *Pater mi*, *ſi poſſibile eſt*, *tranſeat à me calix iſte.*

R. D. 1. memb. a. Christus noluit mortem voluntate efficaci N. a. voluntate inefficaci, cum qua adhuc stabat voluntas efficax illam subeundi, ut claret à sequentibus verbis; *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. c. a. Christus quigem in horto inefficaciter refugiebat mortem tanquam naturæ contrariam & acerbam, simul tamen efficaciter eam appetebat tanquam à Patre Divino volitam & injunctam. Quæ nolitio inefficax ex alio motivo elicita non est in rigore contraria, aut opposita volitioni efficaci ejusdem mortis; unde possunt simul stare in eadem voluntate. Taliter enim mercator inefficaciter potest velle servare merces, si tempestas non urgeat earum jactationem, & simul tempestate id exigente, ex amore servandi vitam potest velle efficaciter ejectionem mercium. Imo ipse Deus effective inefficaci & conditionato affectu vult omnium salutem, quamvis efficaciter & absolute plures nolit ad salutem pervenire, modo in Tract. de Deo uno explicato. Deinde illam ipsam nolitionem inefficacem mortis habuit Christus ex ordinatione Divinæ voluntatis ob rationes indicandas n. 106. ergo illa nolitio nullo modo contraria, sed optime conformis fuit voluntati Divinæ.

Dices: Ex his verbis: *Pater si possibile est*: colligit Agatho Papa in Epist. pro conclusione allegata in Synodo 6. duplicem in Christo esse voluntatem, unam Divinam, alteram humanam: ergo voluntas fugiendi mortem fuit efficax. Nam ut recte responsum est, ex voluntate inefficaci fugiendi, & voluntate efficaci subeundi mortem non sequitur contrarietas, consequenter nec distinctio voluntatum.

R. N. C. Non ex nolitione efficaci mortis, quæ in Christo non fuit, neque per hæc verba significabatur, sed ex modo proferendi hæc verba Agatho colligit voluntatem duplicem in Christo. Nam Christus protulit ea 1. cum tristitia, & timore. 2. per modum orationis. 3. dicendo, *non mea, sed tua voluntas*, quæ omnia humanam à voluntate Divina distinctam, consequenter duplicem voluntatem indicant. Nam tristari, & timere, orare, ac se submittere voluntati alienæ non est voluntatis Divinæ, has imperfectiones nescientis, sed humanæ.

Assero 2.

Aſſero 2. Humana Chriſti voluntas efficax ſemper fuit impleta. Herinx, Henno cum Communi aliorum. 105

Prob. Voluntas humana efficax Chriſti fuit ſemper conformis voluntati efficaci Divinæ: ergo fuit ſemper impleta: nam efficax voluntas Divina neceſſario impletur, proinde & humana Chriſti, quæ efficaciter idem ſolum volebat, quod Divina. a. patet ex dictis: & utique Chriſtus imprudenter egiſſet, ſi ſciens, quæ ſit voluntas efficax Dei, aliud & oppoſitum efficaciter intendiſſet.

Objic. Chriſtus efficaciter voluit latere, & non potuit: ergo voluntas efficax Chriſti non fuit ſemper impleta. a. conſtat ex illo Marci 7. v. 24. ubi de Chriſto dicitur: *ingreſſus Domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.*

R. D. a. voluit efficaciter undequaque N. a. voluit efficaciter aliqua non tamen omni ratione C. a Chriſti voluntas, qua latere voluit, fuit quidem efficax eatenus, quia ad latitandum adhibuit omnia media naturalia, & humana; non fuit autem abſolute efficax & omnimode, quia ultra media ordinaria humana, noluit adhibere ſupernaturalia & extraordinaria. Hæc ergo voluntas, quæ non fuit in Chriſto undequaque efficax, aliquando non eſt impleta. Nos vero loquimur de abſolute undequaque efficaci. Hoc modo etiam explicandus venit Agatho Papa, dum diſtinctionem inter voluntatem Divinam, & humanam in Chriſto colligit ex eo, quia quidquid voluntas Divina voluit, impletum eſt, non vero quidquid humana: ubi etiam loquitur de voluntate humana aliqua ex parte, non vero omnimode efficaci.

Aſſero 3. Voluntas humana Chriſti inefficax non fuit ſemper impleta. Herinx, Gormaz, Henno, & alii. Ratio 105
eſt: quia Chriſtus qua homo inefficaciter voluit non mori, & tamen mortuus eſt: ergo ejus inefficax voluntas non fuit ſemper impleta. Nec hoc indignum Chriſto: quia etiam voluntas Divina effective inefficax ſalvandi omnes, non impletur in omnibus. Neque illa voluntas conditionata & inefficax

efficax fugiendi mortem fuit inutilis: nam varias ob causas, ita ordinante Deo, Christus illam voluntatem inefficacem habuit. 1. quidem, ut ostenderet in se veritatem susceptæ carnis, quæ naturaliter mortem horret. 2. ut præberet exemplum Martyribus mortem acceptandi, etsi naturæ terribilis appareat, & natura eam abesse velit. 3. ut eosdem Martyres doceret, martyrii meritum non tolli, licet mors timeatur. 4. ut instrueremur, quod licite & meritorie à Deo, cum debita tamen resignatione in voluntatem Divinam, possimus petere liberari à tribulationibus. 5. ut dum in nobis advertimus similes voluntates inefficaces, quibus malum præsens vel imminens fugimus, non statim credamus omne meritum esse deperditum. Ob has causas Divina ita ordinante voluntate, anima Christi admisit ejusmodi nolitionem inefficacem.

Ex quo sequitur, non fuisse in Christo perfectius, patienter & fortiter mortem & passionem tolerare, quam petere, ut transeat calix ejus: nam Christus hanc orationem non peregit, nec hanc inefficacem voluntatem seu nolitionem mortis tam acerbæ admisit ut homo privatus in solatium suæ naturæ, sed ut Caput & Doctor in instructionem suorum membrorum infirmorum, & suorum asseclarum. Quid de Honorio Papa in materia Monothelismi sit censendum, citato loco in Prolegomenis fusius invenies.

ARTICULUS II.

An voluntas humana Christi fuerit ligata veris legibus, & præceptis?

107 Nota 1. Legem dividi in naturalem & positivam. Lex naturalis est voluntas Dei necessario obligantis, intimata nobis per lumen rationis, cuivis homini inditum. Lex positiva est, quæ à Deo vel alio Superiore legitimo non necessario, sed libere fertur. Unde lex positiva alia est Divina

vina, quæ immediate à Deo libere fertur, & alia est humana, quæ ab homine potestatem ferendi leges habente conditur.

Nota 2. In præceptis & legibus duplicem esse vim obligandi, scilicet unam directivam, quæ est vis obligandi, & facit, ut actus præceptus sit necessarius ad rectitudinem, & honestatem virtutis, ita, ut transgressor præcepti ponat actum inhonestum, vel oppositum rectitudini & honestæ virtuti. Altera est vis coactiva, seu comminativa certæ pœnæ, quæ statuitur in transgressorem legis. Vis directiva est necessaria ad præceptum & legem; quia per eam constituitur regula morum inducens obligationem, quod est de essentia præcepti & legis. Vis vero comminatoria tantum accessoria est legi, & ab ea abesse potest, maxime si ejus nulla sit necessitas, utpote si subditus, cui præceptum datur, sine comminatione paratus est observare legem.

Neque Pilatus habuit potestatem jurisdictionis in Christum, sed tantum ejus potestas fuit physica, & ex permissione Divina, qualem omnes impii habent in eos, quibus malefaciunt. Quare Pilati sententia fuit injusta.

Nota 4. Nec humanitatem Christi fuisse obligatam legibus positivis Divinis veteris vel novi Testamenti. Nam Christus venit potius, ut legibus veteris Testamenti tanquam umbris & figuris finem faceret luce veritatis suæ. Adimplevit quidem eas, ast sine obligatione orta ex veteri testamento, vel ejus præceptis: observavit ergo illas ex aliis motivis, videlicet, ut ostenderet eas esse bonas, ac à Deo latas, & ut præberet humilitatis exemplum, ac vitaret scandalum. Leges vero novi testamenti non congruebant statui Christi, hæ enim respiciunt fidem, & Sacramenta, quibus ipse non indigebat. Præterea leges tam veteris quam novi Testamenti tangunt homines, qua puros viatores, & peccatores, vel saltem habentes potentiam proximam moralem peccandi; Christus vero qua homo non fuit purus viator, sed simul comprehensor, ac fuit impeccabilis: ergo.

Unde licet legislator civilis indirecte, & quoad vim directivam propriis legibus obligetur, quando materia legis æque ad legislatorem, ac ad fubditos fpectat, non potuit tamen Chriftus fuis legibus in teftamento novo conditis ftringi, quia non eft ejusdem ftatus ac conditionis cum fubditis. H. N.

108 Affero 1. Humanitas Chrifti fuit ligata veris ac rigorofis præceptis, obligantibus vi directiva. Mezger, Henno & alii communis contra Vivam, & alios, putantes Chriftum ob impeccabilitatem fuam fuiffe veri præcepti incapacem.

Prob. 1. Joan. 15. dicit Chriftus: *fi præcepta mea fervaveritis, ficut & ego Patris mei præcepta fervavi.* Jam in hoc textu Chriftus comparat præcepta fibi à Patre data cum præceptis, quæ dedit Apoftolis; atqui præcepta, quæ Chriftus dedit Apoftolis, fuerunt vera & rigorofa præcepta: ergo etiam præcepta data Chrifto à Patre fuerunt rigorofa & vera præcepta. Adde, verbum præcepti in proprio & obvio fenfu, in quo Sacra Scriptura, nifi aliquid obftet, accipi debet, fignificare verum & ftricte dictum præceptum.

Prob. 2. ratione. Si humanitas Chrifti fuit capax præcepti ftricte talis, tunc illud habuit; fed fuit capax præcepti ftricte talis: ergo habuit præceptum ftricte tale. M. concedunt AArii, quia ideo folum negant, Chriftum habuiffe præceptum ftrictum; quia eft incapax. m. prob. natura rationalis, quæ non eft fua fuprema regula, & habet fupra fe virtutem, ac jurisdictionem fuperiorem, eft capax præcepti obligatorii: neque ad hanc plus requiritur, quam poteftas jurisdictionis in præcipiente, & fubjectio naturæ liberæ & rationalis. Atqui humanitas Chrifti non erat fua fuprema regula, & habebat fupra fe voluntatem Divinam, cui non minus in humanitatem Chrifti, quam alias creaturas convenit fuprema jurisdictio: ergo.

Confirm. Voluntas humana Chrifti non erat ex intrinfecis fuis indefectibilis, imo juxta dicenda habuit libertatem phyficam ad omittendum actum præceptum: ergo potuit legibus ftringi.

Affero. 2.

Assero 2. Christus fuit ligatus quoad vim directivam præceptis naturalibus stricte talibus. 2. uti & positivis illis, quæ ad ejus statum pertinent, inter quæ est præceptum moriendi. Communior inter Theologos.

Prob. 1. pars: Christus erat verus homo; sed in omnium hominum cordibus scripta est lex naturalis: ergo etiam in corde Christi. 2. Christus ut creatura rationalis obligabatur rationaliter vivere, quæ est obligatio legis naturalis: ergo obligabatur lege naturali.

Dices cum Haunoldo. Christus non tenebatur præceptis naturalibus, ut obligantibus, sed objecta præceptorum naturalium erant Christo impossibilia ratione suæ impeccabilitatis.

Contra est 1. Præcepta naturalia respectu Christi non erant mera consilia. 2. Cur sunt objecta ista impossibilia impeccabili humanitati, nisi quia præcepta sub peccato obligabant ad illa objecta omittenda? certe non ex alia ratione: ergo adhuc præcepta naturalia vere obligabant humanitatem Christi.

Prob. 2. pars. Quam supponit Scotus 3. D. 16. q. 2. circa finem dicens: *Christus qua homo accepit mandatum á Patre ponendi animam.* prob. igitur 1. Joan. 14. v. 31. Christus locutus de morte sua dixit: *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* & Joan. 10. v. 18. ait: *nemo tollit eam* (vitam seu animam) *á me, sed ego pono eam á me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi á Patre meo:* ergo habuit Christus qua homo præceptum rigorosum, & verum moriendi. Nam mandatum in proprio & obvio sensu (in quo verba Sacræ Scripturæ accipiuntur, nisi aliquid inconveniens obstet) significat verum & proprie dictum præceptum.

Prob. 2. D. Paulus ad Rom. 5. opponit obedientiam Christi inobedientiæ Adami: ergo sicut inobedientia Adami comedentis de fructu vetito præsupponit præceptum proprie tale, ita & obedientia Christi præsupponit proprie & dictum præceptum.

Prob. 3. D. August. T. 79. in Joan. ait : quod Christus fuerit obediens voluntati & præcepto Patris, & quod Pater fuerit præcipiens : & S. Damascenus L. 3. de fide c. 2. verba Sacræ Scripturæ, quibus significatur, Christum accepisse à Patre mandatum, in sensu proprio accipit. Quare licet alibi verbum præcipit, vel mandatum in sensu improprio accipiatur, ut Matthæi 8. præcepit, ut discumberent, non tamen hic; ut colligitur ex probationibus nostris.

Objic. 1. Si ex textu Joan. 10. allegato in prima probatione aliquid probaretur, tunc Christus habuisset strictum mandatum resurgendi; sed non habuit strictum mandatum resurgendi : ergo. M. patet. quia verba illa; *hoc mandatum accepi à Patre* meo, se reflectunt supra prima : ergo si Christus habuisset strictum mandatum per mortem ponendi animam, habuisset quoque tale præceptum per resurrectionem sumendi illam.

R. N. C. Præceptum se tantum reflectit supra humanitatem Christi pro statu, quo fuit capax præcepti, seu quo fuit viator, & mereri potuit, cum autem status viæ cessavit in morte, & ibi cessavit ratio præcepti. Igitur hoc mandatum se ultra mortem non extendit.

Objic. 2. Præceptum moriendi in Christo impeccabili fuisset superfluum : ergo hoc ipsi non fuit impositum. R. N. a. per hoc præceptum ostenditur maxime amor Dei præcipientis redemptionem. 2. Vi illius magis opponitur mors Christi inobedientiæ Adæ. 3. Per illud quoque mors Christi fuit magis meritoria, & in majus exemplum humilitatis & obedientiæ. Accedit, humanitatem Christi non fuisse simpliciter & absolute impeccabilem.


Objic. 3. Præceptum Christo impeccabili impositum facit sensum hunc ridiculum : *si exercueris potentiam proximam peccandi, quam non habes, comittes actum inhonestum, & incurres reatum odii mei, aut displicentiæ meæ*; sed hic sensus est indignus Deo præcipiente : ergo Deus non dedit Christo qua homini aliquod præceptum proprie tale.

R. 1.

R. 1. Non est sensus ridiculus istius propositionis: *si Deus diceret mendacium, quod tamen dicere non potest: esset fallax*: ergo neque iste sensus esset ridiculus: *si humanitas Christi transgrederetur hanc meam voluntatem, quam tamen non potest transgredi, faceret actum inhonestum, incurreret reatum mei odii, vel meæ aversionis.*

R. 2. N. M. nam juxta dicenda humanitas Christi habet potentiam provimam physicam peccandi, quamvis strictissime moraliter necessitetur ad non peccandum: adeoque secundum nos præceptum Christo impositum ita exponi debet: *si potentiam proximam physicam in actum deduxeris, incurres aliquam irrectitudinem contra honestatem.*

Objic. 4. SS. Patres affirmant, Christum qua hominem non habuisse verum aliquod præceptum: ergo. R. N. a. SS. Patres Chrysostomus, Basilius, & alii negant solum, Christo qua Deo esse impositum præceptum, vel si loquuntur de Christo qua homine, tunc dicunt, non esse ei impositum præceptum comminatorium, vel coactivum, vel ex necessitate, quasi Christus aliunde non fuisset paratus ad moriendum. In hoc sensu aperte loquitur D. Anselmus: *Non illi Pater, ut moreretur, NB. cogendo præcepit, sed ille, quod Patri placiturum, & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit.* Neque mors ex præcepto tolerata obstat libertati Christi: nam & nos libere exsequimur præcepta nobis imposita. Quod autem præceptum rigorosum cum libertate & impeccabilitate Christi cohæreat, dicetur inferius.



ARTICULUS III.

De Sanctitate Voluntatis humanæ Christi.

Sanctitas est ab omni scelere libera, perfectaque ac omni ex parte incontaminata puritas. Ita D. Dionysius L. de DD. NN. 110
c. 12. pressius vero Sanctitas est illud, quod reddit hominem

minem formaliter immunem à peccato, & filium ac amicum Dei, Deo gratum, ac formaliter tribuit jus ad gloriam cælestem. H. N. Quæritur 1. an humanitas Christi fuerit formaliter sanctificata per gratiam habitualem, an vero per gratiam unionis seu per unionem hypostaticam, vel per utramque. Pro hoc Dubio solvendo sit.

§. I.

An & qualem gratiam sanctificantem habuerit Christi humanitas?

110 Assero 1. In Christo est gratia habitualis seu sanctificans; Communis ac certa cum Scoto allegando conclusione sequenti.

Prob. 1. Joan. 1. dicitur: *Verbum caro factum est plenum gratiæ & veritatis:* quæ verba intelliguntur de quavis habituali supernaturali perfectione Christi, quæ ei non repugnat, qualis etiam est gratia sanctificans: ergo humanitas Christi fuit plena gratiæ habitualis sanctificantis.

Prob. 2. Isaiæ 11. dicitur: *requiescet super eum spiritus domini.* Per quod intelligitur gratia permanens, seu habitualis in Christo, ut explicat S. Cyrillus initio libri secundi in Isaiam. Idem Propheta in persona Christi c. 61. ait: Spiritus Domini super me, eoquod unxerit Dominus me.

Prob. 3. ex SS. PP. S. August. lib. 15. de Trinitate c. 26. ait. *Dominus JESUS non solum Spiritum S, dedit, ut Deus, sed etiam accepit ut homo, & propterea dictus est plenus gratia.* S. Bernardus homil. 4. super missus. *Simpliciter sanctum fuit, quidquid virgo concepit, & per Spiritus sanctificationem, & Verbi assumptionem.*

Prob. 4. ratione. Perfectio gratiæ sanctificantis congruit Christo. 2. Et erat necessaria voluntati Christi ad actus supernaturales amoris Dei: ad hos enim concurrit habitus infusus charitatis, qui vel est ipsa gratia sanctificans, ut Scotistæ dicunt, vel à gratia sanctificante profluit tanquam proprietas, ut Thomistæ asserunt: ergo. Assero 2.

Aſſero 2. Gratia habitualis formaliter ſanctificabat, & dignificabat animam Chriſti ad vitam æternam. Scotus 3. D. 10. q. un. §. *ad argumenta* dicens: *propter ſolam gratiam habitualem Chriſtus habet jus in hæreditate æterna, non autem per unionem perſonalem; qui ſi illa fuiſſet ſine gratia habituali, poſſet Chriſtus ſecundum naturam humanam non habere jus in hæreditate illa.*

Prob. 1. Nos ſumus formaliter ſancti per gratiam habitualem: ergo & anima Chriſti. Etenim non debet denegari gratiæ Chriſti, quod conceditur noſtræ.

Prob. 2. Juſtificatio & ſanctificatio Chriſti eſt exemplar ſanctificationis & juſtificationis noſtræ: ergo ſi nos formaliter ſanctificamur per gratiam habitualem, etiam anima Chriſti per eam fuit juſtificata, vel certe noſtra juſtificatio non fieret juxta exemplar juſtificationis Chriſti. A. prob. ex illo D. Pauli ad Rom. 8. *quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui*, ſcilicet in juſtitia & gloria: ergo.

Prob. 3. juxta S. Bernardum pro concluſione prima laudatum humanitas Chriſti à virgine concepta ſancta fuit per ſpiritus, id eſt, gratiæ habitualis ſanctificationem: ergo gratia eam formaliter ſanctificavit.

Prob. 4. Humanitas Chriſti fuit formaliter ſancta; ſed non fuit per aliquid aliud ſancta, quam per gratiam habitualem: ergo per hanc fuit formaliter ſancta. M. eſt certa. m. patebit ex §. ſequenti.

Objic. Gratia Sanctificans reddit hominem, quem ſanctificat, formaliter filium adoptivum Dei: ergo per hanc gratiam Chriſtus fieret filius adoptivus Dei. R. D. a. reddit hominem formaliter filium Dei adoptivum primario N. a. ſecundario ſubdiſt. ſi talis homo ſit ſubjectum capax filiationis adoptivæ C. a. ſecus N. a. Primarius effectus gratiæ habitualis eſt reddere creaturam naturalem Deo gratam, filiatio vero adoptiva eſt effectus ſecundarius, qui poteſt abeſſe, ſi ſubjectum non eſt capax, uti & Chriſtus qua homo non fuit capax; ut dicetur inferius.

Quæres 1.

112 Quæres 1. Quam intensa & magna fuerit gratia habitualis Christi ? R. 1. gratia Christi non fuit categorematice & actu infinita. Scotus 3. D. 14. q. 4. §. *ad* 1. *quæstionem*. Ratio est : quia implicat infinitum categorematicum creatum ; sed talis gratia est quid creatum : ergo implicat eam esse categorematice infinitam. 2. Gratia Christi reddidit humanitatem Christi tantum gratam in ordine ad effectum finitum, nimirum gloriam finitam : ergo non debuit fuisse infinita. 3. Scientia infusa & visio beatifica in Christo fuerunt tantum finitæ : ergo & gratia sanctificans.

R. secundo. Gratia habitualis Christi est summa, & omnium maxima, quam Deus unquam hominibus & Angelis communicavit, vel juxta ordinariam providentiam communicare potuerit. Ratio est, quia tantam gratiam exigit eminentia & dignitas Christi tanquam capitis supra omnem creaturam, & unio hypostatica.

R. 3. Gratia Christi habitualis non fuit tanta, ut de potentia Dei absoluta non potuisset magis & magis in infinitum intendi, seu non fuit negative summa. Ita lichetus, Cavellus, Mastrius, Krisper, Panger, Basolinus, Bellitus, Scotistæ, & extra scholam Scotisticam fere omnes exceptis quibusdam antiquioribus. Est tamen contra plurimos SS. imo & ipse Doctor mox laudatus videtur nobis tenere contrarium, sed non tam ex ratione, quam ex devotione erga Christum, in quo commendando mavult excedere, quam deficere, meæ tamen assertioni favet 3. D. 2. q. 1. §. *ad argumenta principalia* : dicens : ad Augustinum conceditur, *quod est summa gratia in ista unione ; quia summa gratuita condescensio voluntatis Divinæ, quæ fuit principium assumptionis, Non autem est summa gratia habitualis ex vi unionis in ista unione, licet defacto ista comitetur istam unionem. Unde authoritas Augustini potest exponi defacto ; quia loquitur de rebus post tempus ortis, quod inter illas summa gratia est in unione naturæ ad Verbum Divinum.* Ergo tantum de facto ista gratia, non vero de possibili est summa, sed de possibili posset magis intendi. De facto vero est summa, quia in moderna providentia Deus statuit nulli creaturæ tantam conferre

ferre gratiam, quantam habet Chriſtus. Ratio noſtræ concluſionis eſt: quia juxta Philoſophiam implicat creatura perfectiſſima, ultra quam perfectior non poſſit à Deo produci: ergo etiam implicat gratia, ultra quam major & perfectior à Deo produci nequit.

Hæc autem gratia ſanctificans ſtatim fuit in ſua plenitudine infuſa in inſtanti conceptionis Chriſti, & infuſionis animæ in corpus. Ratio eſt: quia jam in primo inſtanti conceptionis anima fuit unita Verbo, quæ unio ſtatim exigebat plenitudinem gratiæ: & liquet ex jam ſæpius dictis de viſione beatifica, ac ſcientia infuſa, quam Chriſtus etiam ſtatim in primo inſtanti conceptionis ob dictam rationem accepit.

Quæres. 2. An in Chriſto etiam fuerint gratiæ gratis datæ, 113
dona Spiritus ſancti, gratiæ actuales, virtutes morales &c.

R. 1. In Chriſto fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, & omnia dona ſupernaturalia, quæ ejus dignitati congruunt; hæc enim ſignificantur per plenitudinem gratiæ, quæ Chriſto fuit collata juxta illud Joan. 1. *plenum gratiæ & veritatis*: & illa dona omnia cedunt ad extollendam humanitatem Chriſti, quæ commendari & extolli debet, quantum poteſt, juxta communem Theologorum ſententiam. Fuerunt igitur etiam Dona Spiritus ſancti in Chriſto juxta illud Iſaiæ 11. *requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus.* R. 2. Non tamen ſunt in Chriſto fides & ſpes, poſito, quod ſpes non maneat in Beatis: quia hæ virtutes non congruunt ſtatui & dignitati Chriſti, cum nec Beatis reliquis conveniant.

R. 3. Neque in Chriſto ſunt gratiæ actuales ex parte intellectus & voluntatis, diſtinctæ à viſione beatifica, & amore fruitivo: ut ex noſtris tenent Faber, Vulpes, Maſtrius, & alii Scotiſtæ contra Radam & aliquos RR. Quia non erat in Chriſto ulla difficultas bene operandi, cum non haberet rebellem concupiſcentiam, nec cæcitatem ex originali provenientem, & viſio beatifica, ac amor fruitivus, uti delectatio, quæ conſequitur viſionem & amorem beatum, abunde

& eminenter fuppleverunt neceffitatem gratiæ actualis illuminantis, infpirantis &c.

R. 4. Fuerunt in Chrifto quoque omnes virtutes morales in inftanti conceptionis infufæ, quia & hæ ad ornamentum Chrifti ferviunt. Debent tamen excipi illæ, quæ aliquam imperfectionem ftatui & perfectioni Chrifti non convenientem involvunt. Ita à Chrifto excluditur continentia, quatenus hæc connotat motus proprios concupifcentiæ, quos refrænat; quamvis in alio fenfu detur in Chrifto, quatenus eft abftinentia à delectationibus fenfualibus illicitis. Neque in illo fuit pænitentia, quatenus hæc inclinat ad vindicanda peccata propria.

§. II.

An & quomodo natura humana Chrifti fanctificetur per unionem hypoftaticam, aut perfonalitatem Verbi, vel naturam Divinam?

114 ASSERO 1. Quamvis unio hypoftatica vocetur merito gratia unionis. 2. Tamen ratione fui non formaliter, aut proprie fanctificat humanitatem Chrifti. Ita Scotiftæ communiter contra aliquos RR. quoad fecundam partem.

Prob. 1. Pars. Unio hypoftatica eft donum Dei, ut Authoris fupernaturalis fpecialiffimum, & eft radix omnium gratiarum Chrifto, Angelis, & hominibus collatarum: ergo merito vocatur gratia unionis, utpote à Deo gratis fupernaturaliter agente conceffa.

Prob. 2. Pars. Neque perfonalitas, neque ipfa natura Divina Verbi formaliter & proprie fanctificat humanitatem Chrifti: ergo à fortiori non fanctificat eam formaliter unio hypoftatica, quippe quæ tantum fanctificaret, quatenus humanitatem Verbo, & naturæ Divinæ uniret.

Confirm.

Confirm. Nos non sanctificamur formaliter, & ut quod per unionem, qua nobis unitur gratia sanctificans; sed solum per gratiam sanctificantem: ergo à pari non sanctificat formaliter, & ut quod humanitatem Christi unio hypostatica, sed ad summum ipsum Verbum, vel natura Divina unita, quamvis etiam hoc negabimus, quod Verbum vel Deitas formaliter sanctificet naturam humanam Christi.

Objic. 1. juxta PP. humanitas Christi fuit sanctificata per unionem hypostaticam: ergo. R. D. a. causaliter & radicaliter C. a. formaliter N. a.

Objic. 2. Unio hypostatica est perfectior gratia sanctificante: ergo à fortiori formaliter sanctificat. R. D. a. est perfectior sub ratione formæ actualiter sanctificantis N. a. sub alia ratione C. a. etiam Angelus qua substantia est perfectior unione hypostatica, qua accidente, vel modo substantiali, & tamen Angelus non formaliter sanctificat.

Objic. 3. Major cultus debetur unioni hypostaticæ, quam gratiæ sanctificanti; atqui cultus debetur tantum ratione sanctitatis: ergo unio hypostatica magis sanctificat, quam gratia habitualis.

R. 1. Cultus deberetur quoque unioni hypostaticæ, & naturæ irrationali per eam unitæ, quamvis talis creatura irrationalis vg. natura leonis hypostatice unita non esset formaliter sancta, sanctitate tali, quæ reddit creaturam Deo gratam, & amicam, & jus ad æternam beatitudinem tribuit.

R. 2. D. m. ratione sanctitatis in latiori sensu acceptæ pro aliqua dignitate supernaturali C. m. in sensu illo, quo sanctitas reddit creaturam rationalem formaliter gratam, ac amicam Deo, & tribuit jus ad gloriam N. m.

Objic. 4. Per unionem hypostaticam natura humana deificatur: ergo & sanctificatur.

 R. D. a.

R. D. a. deificatur intrinfece, ac in fe formaliter N. a. deificatur denominative propter communicationem idiomatum, quatenus concretive poteft Deus de homine prædicari, dicendo, Deus eft homo. C. a. & D. c. ergo & fanctificatur intrinfece feu formaliter per unionem N. c. tantum denominative per communicationem idiomatum, quatenus vi communicationis idiomatum fanctitas increata, fcilicet Deus infinite fanctus, poteft de natura affumpta in concreto prædicari. C. c.

115 Affero 3. Neque unio hypoftatica ratione divinitalis, vel perfonalitatis Divinæ formaliter fanctificat naturam humanam Chrifti, feu, nec Deitas, nec perfonalitas Verbi formaliter, & proprie fanctificat animam Chrifti. Scot, 3. D. 10. q. un. §. *ad argumenta* dicens: *propter folam gratiam habitualem Chriftus* (qua homo) *habet jus in hæreditate æterna.* Idem docet D. Thomas. 3. D. 13. q. 1. art. 1. ubi ait: *Deitas autem non eft formaliter, fed effective perficiens eam* (loquitur de anima Chrifti) *unde oportet effe aliam formam creatam in ipfo, qua formaliter perficiatur, & hæc eft gratia.* Similia repetit in refponfione ad tertium, quibus oftendit, Chrifti humanitatem fanctificari quidem effective per Divinitatem, quatenus hæc efficit gratiam habitualem, formaliter vero per folam gratiam habitualem. Ita etiam fentiunt Paludanus, Richardus, Morfilius & alii, ac Scotiftæ communiter contra Thomiftas ac RR.

Prob. 1. Nec Deitas, nec perfonalitas Verbi poteft habere rationem formæ refpectu naturæ humanæ affumptæ: ergo eam non poteft formaliter & proprie fanctificare.

Prob. 2. ex eo, quod Deitas immenfa, omnipotens, immortalis &c. uniatur naturæ humanæ, non reddit hanc formaliter immenfam, omnipotentem, immortalem &c. ergo neque ex eo, quod Deitas fubftantialiter fancta uniatur naturæ humanæ, hanc reddit formaliter fanctam. Ant. eft Adverfariorum, Conf. videtur patere. Etenim fanctitas increata, & fubftantialis eft attributum foli Deo proprium, ficut immenfitas, omnipotentia &c. ergo ficut immenfitatis natura humana Chrifti, tanquam caufa limitata, eft incapax, ita quoque erit incapax fanctitatis increatæ & fubftantialis. Prob. 3.

Prob 3. Si sanctitas increata & substantialis naturæ Divinæ formaliter competeret naturæ humanæ Christi, & hanc formaliter sanctificaret, tunc natura humana Christi formaliter esset Dea, vel natura Divina; sequela est absurda: ergo &c. M. prob. cui enim formaliter convenit proprietas soli Deo propria, qualis est sanctitas substantialis, debet etiam convenire formaliter essentia Dei.

Prob. 4. Personalitas Divina in se formaliter spectata non dicit perfectionem: ergo ea in se spectata non potest formaliter sanctificare.

Prob. 5. Si Divinitas vel personalitas formaliter sanctificaret animam Christi, tunc ideo, quia anima Christi dicitur à PP. Sancta propter unionem cum Divinitate, & cum Verbo; sed hæc ratio nulla est: ergo. m. prob. propter unionem hypostaticam etiam corpus Christi in Hymno ab Ecclesia dicitur sanctissimum, & sanguis ejus sacratissimus, quamvis nec corpus nec sanguis Christi tanquam creaturæ rationis & voluntatis expertes, sint capaces formalis, & proprie dictæ sanctitatis. Unde ejusmodi prædicata debent intelligi de sanctitate alia in sensu latiori, de qua in conclusione sequenti: ergo etiam anima Christi potest dici Sancta ob unionem cum Divinitate, quamvis non formaliter & proprie sanctificetur per illam unionem, vel per Divinitatem.

Objic. 1. Christus dicitur à PP. aliter Sanctus quam reliqui justi: ergo habuit aliam formam sanctificantem: ergo Divinitas ipsius humanitatem formaliter sanctificavit. 116

R. N. C. Anima Christi est aliter Sancta, quam animæ cæterorum justorum. 1. quia alii justi gratiam sanctificantem gratis acquirunt, anima vero Christi quasi connaturaliter, seu ob maximam congruentiam ob unionem cum Divinitate. 2. Quia Christus accepit gratiam statim in primo instanti conceptionis, & quidem in excellentissimo gradu, non vero alii justi.

Objic. 2. Christus à PP. dicitur Sanctus natura non gratia, sed hoc ideo, quia fuit formaliter sanctificatus per na-

 turam

turam Divinam : ergo fuit formaliter ſanctificatus per naturam Divinam.

R. N. m. Chriſtus dicitur Sanctus natura, non gratia 1. eodem enim inſtanti, quo naturam humanam accepit, ſeu conceptus eſt, accepit & ſanctitatem habitualem; ſicut nos dicimur natura filii iræ, non quia nos natura formaliter tales conſtituit; ſed quia, dum naturam accipimus, & concipimur, peccatum originale contrahimus, per quod filii iræ reddimur. 2. Quia gratia ſanctificans humanitati Chriſti confertur primo ſtatim inſtanti connaturaliter ob unionem cum Divinitate, ut dictum eſt.

Objic. 3. Ut Sanctitas ſanctificet formaliter, ſufficit, ſi illa uniatur ſubjecto capaci Sanctitatis; ſed ſanctitas increata & ſubſtantialis in Chriſto unitur ſubjecto capaci Sanctitatis ſcilicet animæ rationali : ergo eam formaliter ſanctificat.

117 Aſſero 4. Poteſt tamen dici, quod aliqua ratione natura humana Chriſti vere ſanctificetur per ſanctitatem increatam ſubſtantialem, & perſonalem ſimul ſumptam. Ita Communis Scotiſtarum cum P. Herinx p. 4. diſput. 2. de Incarnatione n. 15.

Prob. Ob unionem hypoſtaticam natura humana deificatur, & in concreto debet dici Deus : ergo ex Divinitate unita dignitas quædam in naturam humanam Chriſti transfunditur, & aliqua quaſi conſecratio ad normam, qua corpus & ſanguis Chriſti ſanctificantur, & etiam ſacra eſſet natura aliqua irrationalis, ſi à Verbo aſſumeretur. Adde, quod natura humana Chriſti unita Verbo connaturaliter exigat gratiam ſanctificantem. In hoc ergo ſenſu loquuntur SS. Patres, qui contra priorem concluſionem allegantur.



ARTI

ARTICULUS IV.

De impeccabilitate humanitatis Christi.

Certum est 1. Christum qua hominem nunquam peccasse, 118
ita docet fides contra Calvinum, qui blasphemè docuit, Christum in cruce desperasse &c. veritas hæc clara est ex sacra Scriptura. Joan. 8. Christus dixit: *quis ex vobis arguet me pe peccato?* 1. Petri 2. dicitur de Christo: *qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus.* Ad Hebræ. 4. Apostolus vocat Christum, *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.*

Certum est 2. Christum qua hominem nec potuisse peccare. Ita etiam affirmant SS. PP. Dionysius Alexandrinus, Cyrillus Alexandrinus, & cum aliis pluribus D. Augustinus, qui posterior lib. 2. de peccatorum meritis & remissione c. 11. ait de Christo: *in cujus non tantum Divinitate, sed nec in anima, nec in carne ullum potuit esse peccatum.* Ratio est 1. quia Christus habebat visionem beatificam, eratque Beatus, sed Beati non possunt peccare. 2. Ipsa unio hypostatica & dignitas Christi exigit in ipsius humanitate donum impeccabilitatis.

Controversia nunc remanet, quanta hæc sit peccabilitas, an sit metaphysica, physica, vel tantum moralis, vel an metaphysice, aut tantum physice, vel moraliter fuerit impossibile Christum peccare? & hoc est primum punctum hujus controversiæ. Alterum ex primo exurgit, & consistit in hoc, unde impeccabilitas voluntatis humanæ Christi oriatur?

§. I.

An voluntas humana Christi de potentia Dei absoluta potuerit peccare, peccato impeditivo, vel destructivo unionis?

ASSERO 1. Humanitas Christi pro signo priori naturæ 119
ante unionem hypostaticam potuisset peccare peccato impeditivo

tivo unionis hypostaticæ, loquendo de potentia Dei absoluta. Mendoza, Thyrsus Gonzalez, Viva, & alii RR. contra Suarez, Vasquez, Lugonem & Haunoldum.

Prob. Ponamus, quod Deus pro priori signo ad omnem suppositalitatem, & unionem hypostaticam præcipiat humanitati actum vg. amoris, vel spei, & in hujus præmium decernat conferre unionem hypostaticam, & denegare eam in pænam, si talis actus amoris vel spei omittatur. Jam in hoc casu non impossibili potuisset humanitas Christi peccare peccato impeditivo unionis hypostaticæ: ergo conclusio subsistit. A. prob. in tali casu pro priori signo ante unionem hypostaticam potuisset humanitas Christi omittere actum charitatis præceptum. quæ omisso vi decreti & præcepti Divini impediisset unionem hypostaticam, & eam exclusisset ab humanitate Christi: ergo in hoc casu potuisset humanitas Christi peccare peccato impeditivo unionis hypostaticæ. A. constat: nam in tali casu pro priori signo fuisset humanitas libera ad ponendum actum charitatis præceptum, vel omittendum, quæ libertas requiritur ad meritum: ergo potuisset etiam omittere, & omittendo impediisset unionem hypostaticam. Ita, ut pro signo sequenti loco unionis hypostaticæ habuisset privationem vel carentiam ejus, & loco personalitatis Divinæ suppositalitatem propriam.

Confirm. 1. juxta dicta prius pro priori signo ad unionem hypostaticam potuisset humanitas mereri illam de congruo, ponendo aliquos actus excellentes: ergo etiam de absoluta potentia pro illo signo potuisset demereri illam per omissionem actuum aliquorum tunc præceptorum.

Confirm. 2. Licet Angeli in primo instanti reali creationis acceperint gratiam sanctificantem, tamen eam per actus in illo signo positos meruerunt, ita quidem, ut illam impedire potuissent per actus peccaminosos: seu Angeli quamvis in primo reali instanti creationis acceperint gratiam sanctificantem, tamen in eodem instanti reali potuissent peccare, & loco gratiæ sanctificantis ob peccatum habere illius gratiæ privationem:

vationem:

vationem : ergo à pari , quamvis in primo instanti reali conceptionis humanitas Christi habuerit unionem hypostaticam, tamen potuisset in eodem instanti reali peccare, & loco unionis hypostaticæ in eodem instanti reali habere carentiam unionis hypostaticæ.

Confirm. 3. In eodem signo , quo peccator gravis elicit actum contritionis, vel actum amoris tunc præceptum, & propterea accipit gratiam justificantem, posset illam ipsam gratiam impedire , & ejus loco habere privationem gratiæ , si tunc omitteret actum amoris præceptum : ergo à pari.

Objic. 1. Non potest agens creatum agere, quin sit prius ubicatum , & durans, seu quin existat in aliquo loco, & aliquo tempore : ergo à fortiori nequit agere , quin prius sit suppositatum , seu pro priori ad suppositalitatem ; atqui humanitas Christi juxta nostram conclusionem potuisset agere pro priori ad suppositalitatem, ut patet ex dictis : ergo nostra conclusio non subsistit.

R. 1. N. a. Nam ut agens creatum in se per resultantiam causet ipsam ubicationem, & durationem , si tamen hæc sit modus distinctus à re durante , non debet ipsum agens prius esse ubicatum , & durans : ergo non est universaliter verum, quod ubicatio & duratio debeant præcedere quamlibet actionem agentis creati. Adde: si omnis locus destrueretur, & conservaretur aliquis homo in meris spatiis imaginariis , talis utique adhuc posset cogitare , velle , amare Deum : ergo ubicatio non essentialiter præcedit omnem actionem agentis creati.

R. 2. trans. a. N. c. Si antecedens sit verum, tunc ideo, quia nulla creatura potest esse aut operari , si sit nullibi, vel nunquam , vel nisi sit in aliquo loco : ast non exigitur ad operationem creaturæ , ut hæc sit substantialiter completa. Sic anima rationalis & accidentia Evcharistica, ut actus suos exerceant , debent quidem habere suas ubicationes , ac durationes , non vero requirunt complementum ultimum substantiale : anima enim rationalis etiam separata, quæ est essen-

 tialiter

tialiter incompleta, tanquam pars, ac accidentia Evcharistica, licet non ſint in ſuppoſito vel ſubjecto ſuſtentante, tamen ſibi convenientes actiones exercent.

Objic. 2. juxta noſtram concluſionem humanitas Chriſti potuiſſet tantum ſupernaturaliter, & per miraculum peccare peccato impeditivo unionis hypoſtaticæ, & taliter miraculum ordinaretur ad peccatum; ſed abſurdum eſt, quod miraculum ad peccatum ordinetur: ergo.

R. N. ſequelam M. nam hoc miraculum non ordinaretur ad peccatum, ſed ad hoc, ut humanitas Chriſti libere poſſet agere, & libere agendo mereri: neque Deus concedendo talem libertatem intendiſſet peccatum, ſed potius meritum, quamvis peccatum permiſiſſet, ſi illud humanitas Chriſti libere perpetraſſet.

120 Aſſero 2. Neque de potentia Dei abſoluta implicat, humanitatem à Verbo jam aſſumptam peccare peccato deſtructivo unionis hypoſtaticæ. P. Viva cum citatis pro 1. concluſione.

Prob. Homo juſtus poteſt peccare, & peccando gratiam juſtificantem amittere: ergo etiam non implicat de abſoluta Dei potentia, quod humanitas Chriſti jam unita Verbo poſſit peccare, & peccando deperdere unionem, poſito, quod Deus ordinaſſet, ut illa per peccatum perdatur.

Neque obſtat viſio beatifica in Chriſto 1. de abſoluta potentia Dei poſſet viſio beatifica non concedi humanitati unitæ Verbo, ut dicetur §. ſequenti. 2. Viſio beatifica non neceſſitat metaphyſice, imo neque phyſice ad continuationem amoris beatifici, & ad non peccandum, ut iterum dicetur §. ſequenti: ergo non obſtante viſione beatifica poſſet humanitas Chriſti de potentia Dei abſoluta peccare.



§. II.

§. II.

An humanitas Chriſti de potentia abſoluta potuiſſet peccare in ſenſu compoſito unionis hypoſtaticæ?

ASSERO 1. Humanitas Chriſti de potentia abſoluta po- 121
tuiſſet peccare in ſenſu compoſito unionis hypoſtaticæ, ſeu perſeverante unione hypoſtatica cum peccato. Scot. 3. D. 2. quæſt. uni & D. 12. q. un. *§. reſpondeo, hic ſunt duæ difficultates.* In utroque loco rationem proximam & formalem impeccabilitatis non in unionem hypoſtaticam, ſed in viſionem & fruitionem beatam Chriſti reiicit, & tantum admittit, quod unio fuerit radix impeccabilitatis, quatenus fuit radix beatitudinis, quam exigit de congruo, non quidem exigentia metaphyſice inimpedibili, ſed tali, quæ divinitus adhuc poſſet fruſtrari. Hanc ſententiam cum Scoto teſte Gallo Cartier etiam tenuerunt Durandus 3. Diſt. 12. q. 2. Gabriel D. 2. & 12. q. 1.

Prob. 1. Natura humana à Chriſto aſſumpta ex intrinſecis ſuis principiis fuit peccabilis: ergo manſit abſolute peccabilis ſtante unione hypoſtatica. A. conſtat: natura enim humana Chriſti ſecundum intrinſeca ſua non eſt alia, quam noſtra, conſequenter ea intrinſece eſt peccabilis ſicut noſtra. C. etiam patere videtur; quia unio hypoſtatica nil de ſuis intrinſecis immutavit in humanitate Chriſti, & reliquit in ea libertatem indifferentiæ, in qua peccabilitas conſiſtit: nam etiam ſtante unione hypoſtatica Chriſtus libere implevit præceptum moriendi, & eo ipſo potuiſſet illud non implere, & non implendo peccare.

Prob. 2. Neque phyſica eſt oppoſitio inter unionèm hypoſtaticam & peccatum: nam nulla oppoſitio phyſica poteſt eſſe inter ens mere phyſicum, & inter ens morale; ſed unio hypoſtatica eſt modus vel relatio phyſica, & peccatum formaliter ſpectatum eſt ens morale. Neque unio hypoſtatica eſt phyſice effectiva actus vel formæ repugnantis peccato,

 nam

nam unio hypostatica non habet vim effectivam: neque unio hypostatica exigit absolute, & metaphysice, ut Deus impediat omne peccatum in natura à Verbo assumpta: etenim hæc exigentia tantum ideo adstruitur, quia peccatum maxime dedecet Verbum, quod naturam humanam assumpsit: verum hæc ratio in solutione objectionum refutabitur.

Prob. 3. Natura humana Christi vi unionis hypostaticæ solius, præscindendo à reliquis donis ei superadditis, in se formaliter non fit potentior, nec sapientior aut sanctior: ergo vi unionis præcise non fit impeccabilis: ergo si Deus solum unionem hypostaticam sine reliquis donis supernaturalibus illam in moderna providentia comitantibus, contulisset naturæ humanæ, tunc ea mansisset peccabilis: atqui Deus potuisset de potentia absoluta solam unionem ad Verbum concedere, absque reliquis donis, absque beatitudine, protectione peculiari &c. ergo de potentia Dei absoluta natura humana à Verbo assumpta potuisset peccare stante unione.

122 Objic. 1. SS. PP. dicunt Christum esse impeccabilem ob unionem hypostaticam; ergo.

R. D. a. Dicunt esse impeccabilem ob unionem hypostaticam nude sumptam N. a. ob unionem hypostaticam sumptam cum reliquis donis scilicet gratia, gloria, ac protectione Divina unionem hypostaticam comitantibus C. a. & N. c. Unio hypostatica exigit statum beatitudinis, consequenter & annexam huic statui impeccabilitatem: hæc tamen exigentia non est metaphysice infrustrabilis, ut amplius dicetur §. sequenti, & jam dictum est.

Dices: PP. attribuunt impeccabilitatem Christo tanquam prædicatum ipsi proprium: ergo tribuunt eam ob unionem hypostaticam, & non ob beatitudinem. C. prob. si impeccabilitas conveniret Christo solum ratione beatitudinis, tunc ea non esset propria Christo, sed foret communis etiam aliis creaturis beatis: ergo si PP. attribuunt impeccabilitatem Christo tanquam ipsi propriam, & specialiter debitam, eam attribuunt ob unionem hypostaticam, & non ob beatitudinem.

R. N. a.

R. N. a. & D. c. tribuunt eam ob unionem hypostaticam tanquam radicem exigitivam beatitudinis & impeccabilitatis C. ob unionem hypostaticam tanquam rationem formalem proximam impeccabilitatis N. C. speciali modo convenit impeccabilitas Christo vi unionis hypostaticæ, non quod unio hypostatica sit ratio formalis & proxima hujus impeccabilitatis, sed quia est ratio exigitiva beatitudinis, & impeccabilitatis, & hæc impeccabilitas quodammodo connaturalis est humanitati unitæ Verbo.

Instabis: S. Hilarius docet, quod tam impossibile sit Christum peccare, quam non esse Christum; sed de potentia etiam absoluta impossibile est Christum non esse, posita semel unione humanitatis cum Verbo: ergo pariter illa posita, de potentia absoluta impossibile est Christum peccare.

R. D. a. Quod tam sit impossibile, Christum connaturaliter peccare ad modum reliquorum hominum, qui habent connaturaliter potentiam peccandi, quam non esse Christum C. secus N. a. juxta S. Hilarium si Christus connaturaliter posset peccare sicut cæteri homines, sequeretur sane, quod non haberet unionem hypostaticam, exigentem connaturaliter rationem impeccabilitatis ac beatitudinis: attamen non sequeretur, quod non esset Christus, si de potentia Dei absoluta non conferretur ipsi status beatitudinis & impeccabilitatis.

Objic. 2. Christus de facto & via ordinaria peccare non potest ob varia absurda, quæ sequuntur, si Christus de facto peccaret; sed hæc ipsa absurda sequuntur, si Christus peccare posset de potentia Dei absoluta: ergo neque de potentia absoluta peccare potest.

R. N. m. subsumpt. si Christus posset de via ordinaria peccare, sequeretur, ipsius statum de facto esse inferiorem, quam omnium Beatorum, qui de potentia ordinaria nequeunt peccare. Sequeretur 2. Christum non fuisse semper de facto beatum; quia beatitudo impedivisset peccabilitatem. Sequeretur 3. unionem hypostaticam non exigere connaturaliter impeccabilitatem, quæ omnia non sequuntur, si Christus de potentia tantum absoluta posset peccare.

Objic. 3. Si humanitas Chrifti abfolute potuiffet peccare, tunc etiam potuiffet & debuiffet Verbum poffe peccare; fed fequela eft Sacrilega: ergo. M. prob. actiones funt fuppofitorum, & Verbum Divinum eft fuppofitum humanitatis in Chrifto: ergo fi humanitas potuiffet peccare, etiam Verbum Divinum potuiffet, imo debuiffet poffe peccare.

R. 1. retorq. fi potuiffet humanitas Chrifti fe humiliare, obedire, mereri, gratiarum actionem deponere, tunc etiam Verbum Divinum potuiffet has actiones facere, quæ tamen in Deo nequeunt dari. Item potuiffet Verbum rugire, hinnire, actus brutales exercere, fi Verbum affumpfiffet naturam leonis, equi vel alterius beftiæ: item Verbum fuiffet mortuum & crucifixum phyfice; quia ficut actiones, ita & paffiones funt fuppofitorum.

R. 2. N. M. ad prob. D. 1. memb. a. actiones funt fuppofitorum elicitive N. a. denominative c. a. igitur in cafu conclufionis Verbum denominaretur folum potens peccare per communicationem idiomatum, etenim actiones creaturarum, qualis foret peccatum, tantum funt denominative fuppofitorum, & elicitive pro principio, quo habent naturam fingularem, quam Ariftoteles maxime per fuppofitum intellexit, & pro principio, quo habent potentias naturæ.

Neque obftat, quod fuppofitum in Divinis proceffionibus fit principium ut quod vere productivum. Nam hujus ratio eft 1. quia in Divinis fuppofitum confiftit in aliquo pofitivo: ergo veram actionem pofitivam exercere poteft: ratio formalis vero fuppofiti in creaturis eft tantum negatio, ut ex Philofophia fcimus. 2. Quia in Divinis proceffionibus natura Divina non poteft effe principium ut quod productivum perfonarum, eo quod natura Divina non diftinquatur realiter à perfona producta, à qua tamen principium productivum ut quod diftingui debet: adeoque ratio principii ut quod refpectu proceffionum Divinarum refidet in fuppofitis Divinis Patre fcilicet

licet & filio, cum in natura Divina non habeat locum. Ast natura creata distinguitur realiter à suo effectu, vg. natura humana à suo actu peccaminoso: ergo ipsa bene potest esse principium ut quod elicitivum, vel productivum sui effectus, vel actus.

Nec obstat, quod humanitas Christi subsistat per personalitatem Verbi consistentem in positivo, quæ proinde potest habere rationem principii ut quod.

Nam contra est 1. Personalitas Verbi solum supplet personalitatem creatam: ergo sicut personalitas creata non ageret, nec eliceret aliquam actionem humanitatis tanquam principium ut quod; ita neque personalitas Divina elicit aliquam similem actionem, sed tantum terminat naturam humanam, & ejus dependentiam, & tribuit illos effectus, qui necessario ex tali terminatione sequuntur, ut communicationem idiomatum. 2. Natura humana assumpta à Verbo non perdit virtutem activam, quam habet ex natura sua, & pro priori ad suppositalitatem: sed habet ex natura sua, & pro priori signo ad personalitatem virtutem agendi tanquam principium ut quod, & eliciendi suas actiones sine concursu physico suppositi: ergo etiam habet & retinet hanc virtutem ut assumpta à Verbo.

Dices: Saltem est indecens & indignum Verbo, si illud denominetur peccare: ergo neque denominative potest tribui Verbo prædicatum peccatoris, quod tamen in nostra sententia posset fieri.

R. 1. retorq. argum. Non est indecens, neque indignum Verbo, quod est essentialiter vivens ac immortale, & impassibile, si dicatur crucifixum, mortuum. 2. Si assumpsisset naturam lupi, leonis vel asini, posset dici rapax, ferum, irrationale, stupidum &c. si assumpsisset naturam humanam ratione destitutam, posset denominari insipiens, quæ denominationes etiam in genere moris non bene audiunt.

R. 2. N. a. Hæ denominationes, etiam si tribuantur denominative Verbo, non offendunt pias aures, si doctæ sunt,

ut dicit noster Henno ex nostro Felice. Nam nihil ponunt in Verbo, nec illud magis afficiunt, ac si non essent. Tota ergo indecentia est in ipsa natura creata, in qua physice reperiuntur, non vero in Verbo, quod libere & ex justa causa ob assumptam talem naturam sic denominetur. Plane nihil præjudicamus immortalitati Verbi, quod ipsum dicimus mortuum: ergo neque præjudicamus sanctitati Verbi, si in casu nostræ conclusionis dicamus posse peccare, vel peccasse. Neque reponas, mortem esse defectum tantum physicum, & peccatum esse defectum moralem.

Nam contra est: æque defectus physicus mortis opponitur perfectioni alicui Divinæ, quam aliquis defectus moralis. Et ut in retorsione patet, etiam denominationes, quæ in æstimatione morali & moris male supponunt, ut esse asinum, insipientem, ferum, rapacem, possent de absoluta potentia Dei convenire Verbo, si illud assumeret naturas in retorsione enumeratas.

Objic. 4. Humanitas Christi est instrumentum Verbi; sed actiones instrumentorum tribuuntur supposito, cujus sunt instrumenta: sic actio securis tribuitur supposito adhibenti & moventi securim: ergo actus humanitatis Christi, consequenter & peccata ejus specialiter tribui deberent Verbo. Accedit, peccatum, si ab humanitate Christi fieri posset, fore actionem theandricam; sed actiones theandricæ specialiter debent tribui Verbo: ergo peccatum quoque tale specialiter debet tribui Verbo.

R. D. M. Humanitas Christi est instrumentum Verbi in ordine ad quasdam operationes eximias & miraculosas C. M. in ordine ad operationes omnes N. M.

Ad Confirm. D. M. Peccatum foret actio theandrica, id est, tribueretur Deo & homini per communicationem idiomatum C. M. foret theandrica in sensu magis rigido, quo intelliguntur solum actiones quædam eximiæ, ad quarum patrationem Deus usus est humanitate Christi tanquam instrumento, qualis

qualis actio fuit vg. incessus super aquam N. M. actiones theandricæ in rigore tales non erant in Christo bibere, & comedere, exspuere &c. proinde neque peccatum, si aliquod per absolutam potentiam fuisset commissum ab humanitate per Verbum assumpta.

Objic. 5. Verbum Divinum teneretur impedire peccatum humanitatis assumptæ: ergo si humanitas peccaret, hoc peccatum redundaret in ipsum Verbum. A. prob. Superior tenetur impedire peccata subditorum; sed Verbum respectu humanitatis assumptæ habet superioritatem: ergo tenetur impedire peccatum humanitatis.

R. N. a. Verbūm non obligatur magis impedire peccatum humanitatis assumptæ, quam Pater & Spiritus Sanctus: nam obligatio cadit solum in voluntatem, quæ omnibus tribus personis æqualiter & communiter inest: ergo talis obligatio vel æqualiter est in omnibus tribus Personis, vel in nulla, consequenter neque in Verbo. 2. Impedire peccatum, & protegere humanitatem, ne peccet, est actio adextra, quæ convenit toti SS. Trinitati æqualiter; atqui reliquæ duæ personæ SS. Trinitatis (absolute loquendo) non tenentur aliter impedire peccatum humanitatis assumptæ à Verbo, quam dando ei præcepta, & auxilia sufficientia &c. ac cæteroquin relinquendo libertatem, ut in aliis hominibus: ergo neque Verbum Divinum tenetur aliter impedire absolute loquendo.

Ad prob. D. M. Superior humanus tenetur impedire peccatum subditorum, cui id incumbit ex officio ac lege speciali C. M. Superior supremus, seu Deus, qui tantum habet legem generalem sinendi causas secundas motus suos agere N. M.

Dices: Verbum unitur immediate humanitati, non reliquæ duæ personæ Divinæ: ergo Verbum speciali modo tenetur protegere humanitatem assumptam, & eam custodire, ne peccet.

R. C. a. N. c. tum ob dicta: quia implicat in Verbo specialis obligatio, quam non habeant reliquæ Personæ æqualiter; idem est de actione & protectione alicujus creaturæ. Tum, quia

quia Verbum Divinum vi unionis hypoftaticæ non præftat aliquid aliud, quam quod præftaret propria perfonalitas humana, terminando humanitatis dependentiam & communicabilitatem: ergo vi unionis Verbum non habet obligationem fpecialiter regendi & protegendi naturam humanam Chrifti.

Urgebis. Voluntas noftra tenetur in nobis impedire peccata reliquarum potentiarum inferiorum: ergo etiam Verbum Divinum tenetur impedire peccata fubditæ & unitæ fibi humanitatis.

R. N. C. & parit. Voluntas cujuslibet hominis tenetur in ipfo impedire peccata reliquarum potentiarum: quia reliquæ potentiæ vg. fenfitivæ non habent libertatem, nifi dependenter à voluntate imperante vel permittente: nec moraliter, id eft, honefte vel inhonefte agere poffunt, nifi dependenter à voluntate, ac cum hoc fundantur in eadem natura rationali, quam confequitur obligatio vitandi peccatum. Verum in Chrifto præter naturam Divinam eft humana, quæ proprio intellectu, voluntate, ac libertate gaudet, feque ipfam regere poteft, ac obligationis vitandi peccata fubjectum immediatum eft. Neque SS. PP. nobis obftant, dum afferunt, Verbum regere humanitatem, ficut anima regit corpus: prout loquuntur S. Epiphanius, Anaftafius Synaita & VI. Synodus generalis Act. 8. hi enim duntaxat volunt, quod quemadmodum anima propter conjunctionem fui cum corpore influit in illud vitam, motum, & directionem naturalem: ita Verbum ex congruo in humanitatem affumptam influat vitam & motum fupernaturalem ratione abundantis gratiæ, fcientiæ, ac beatitudinis, quibus illam illuftrat, & affectus ejus moderatur.

Objic. 6. Per unionem hypoftaticam natura humana Chrifti eft fubftantialiter Sancta: ergo eft impeccabilis. R. N. c. Propter fanctitatem fubftantialem naturæ hypoftatice cum Verbo unitæ convenit magna reverentia, etiamfi talis natura irrationalis, vel peccatis obnoxia foret. Neque fanctitas fubftantialis affert jus formale ad beatitudinem, nec formaliter reddit hominem gratum Deo, fed radicaliter, ut dictum eft.

Dices:

Dices: Sanctitas accidentalis non ſtat cum peccato: ergo à fortiori neque ſanctitas ſubſtantialis.

R. 1. ſecundum Scotiſtas Sanctitas accidentalis ſeu gratia ſanctificans in eſſe phyſico conſiderata etiam ſtare poteſt cum peccato mortali.

R. 2. N. c. Sanctitas enim accidentalis eſt forma illa, quæ ex ordinatione Divina reddit hominem formaliter gratum Deo, expellit peccatum, tribuit jus formale ad gloriam & viſionem, non vero gratia ſubſtantialis. Unde in aliquo ſenſu Sanctitas accidentalis ſeu gratia ſanctificans eſt major participatio naturæ Divinæ, quam Sanctitas ſubſtantialis ſeu unio hypoſtatica, quia illa non iſta formaliter ſanctificat, ſeu gratum reddit Deo, in alio autem ſenſu per unionem hypoſtaticam magis participatur natura Divina ob conjunctionem phyſicam cum eadem natura Divina, & communicationem idiomatum.

Objic. 7. Peccatum fit per receſſum à Deo: ergo natura humana unita Deo non poteſt peccare: quia ut ſic unita non poteſt recedere à Deo.

R. D. a. fit per receſſum à Deo realem, & interruptionem realis unionis & præſentiæ ad Deum N. a. per receſſum moralem & objectivum, ſeu converſionem voluntatis ad alia objecta, quam Deum, vel ad objecta à Deo prohibita C. a. & N. c.

§. III.

Aliquæ Illationes.

Ex his deduces 1. à fortiori poſſe de abſoluta Dei potentia cum unione hypoſtatica conſiſtere peccatum habituale, 123
ſeu maculam relictam ex peccato commiſſo ab humanitate, antequam hæc eſſet unita Verbo, ſive dein hoc peccatum eſſet commiſſum pro ſigno naturæ, ſive pro inſtanti reali temporis ante unionem hypoſtaticam. Nam de potentia abſoluta potuiſſet humanitas Chriſti, antequam aſſumeretur à Verbo, exiſtere aliquo tempore, & habere propriam perſonalitatem,

& tunc potuiſſet etiam peccare, quod peccatum potuiſſet habitualiter perſeverare, etiam dum totam humanitatem aſſumpſiſſet Verbum deſtruendo perſonalitatem humanam præexiſtentem. Nam in his omnibus non videtur eſſe ulla implicantia.

Deduces 2. Impeccabilitatem humanitatis Chriſti provenire formaliter, & immediate ex beatitudine, qua Beati de lege ordinaria ſunt impeccabiles, ac ex gratiæ plenitudine, qua confirmatus eſt Chriſtus, ne unquam peccaret. Radicaliter vero & mediate ex unione hypoſtatica, tanquam ex radice gloriæ & gratiæ.

Prob. 1. memb. Impeccabilitas debet ex aliquo principio formali oriri, ſed non oritur ex unione hypoſtatica, neque ex alio aſſignabili principio, quod eſſet diſtinctum à gloria, & gratia: ergo. Hoc membrum docet Scotus 3. D. 12. q. un. §. *reſpondeo: hic ſunt duæ difficultates V. de ſecundo dico.* n. 2. *Chriſtus in primo inſtanti unionis ejus cum Deo fuit beatus, & beatitudo abſtulit ſibi omnem peccabilitatem, vel poſſibilitatem peccandi, quæ poteſt auferri per beatitudinem, licet cum hac diſpenſative ſtaret poteſtas merendi.*

Prob. etiam 2. memb. Concluſionis, & ſimul confirmantur præcedentia 1. ex Scoto, qui 3. D. 2. q. 1. §. *ad argumenta principalia V. ad rationem probantem Chriſtum impeccabilem* n. 12. *Et ſic ex hac unione* (hypoſtatica Chriſtus) *eſt impeccabilis non formaliter ſed virtualiter diſpoſitive diſpoſitione remota, licet neceſſario reſpectu Dei agentis, ſicut neceſſarium eſt aliquem Beatum non peccare.* Et paulo inferius. *Non igitur ex vi illius unionis ponit Anſelmus iſtam impeccabilitatem niſi de congruo; quia illam comitatur plenitudo gratiæ.* Plura alia, quæ pro hac concluſione ſerviunt, ibi habet Doctor.

Prob. 2. Congruum eſt, ut naturæ phyſice unitæ cum ſuppoſito divino conferatur plenitudo gratiæ & gloriæ excludens omne peccatum, afferens maximam ſanctitatem formalem: hoc enim exigit connaturaliter dignitas unionis hypoſtaticæ: ergo unio hypoſtatica fuit radix talis ſanctitatis & impeccabilitatis in humanitate Chriſti.

Nihilo-

Nihilominus ejusmodi congruentia & exigentia connaturalis non ita necessitat Deum, ut non posset denegare gratiæ illius plenitudinem, ac beatitudinem, quæ inducit impeccabilitatem. Cujus ratio est 1. quia absque contradictione prius potest esse sine posteriori realiter distincto; sed unio naturæ humanæ ad Verbum est prior, quam operatio beatifica & gratia, ut alibi dictum est: & beatitudo ac gratia simul realiter distinguuntur ab unione hypostatica: ergo unio hypostatica absque contradictione potest esse sine beatitudine & gratia inferente impeccabilitatem. M. constat.: ita quia voluntas est prior suis actibus, potest esse sine suis actibus; quia aqua est prior frigore, de potentia Dei saltem absoluta, potest esse sine omni frigore.

Ratio secunda. Beatitudo & gratia sunt dona ex se separabilia ab unione hypostatica: & ejus effectus tantum secundarii: ergo unio hypostatica sine illis esse potest: consequenter illa non exigit metaphysice aut absolute. A. constat: si enim Verbum assumeret naturam irrationalem, daretur unio ad Verbum, & tamen talis natura, utpote incapax, non haberet beatitudinem, aut gratiam sanctificantem formaliter talem.

Ratio tertia. juxta S. August. *propter unionem hypostaticam facta est gratia quodammodo naturalis illi homini*: ecce tantum quodammodo: ergo non absolute est gratia naturalis humanitati Christi propter unionem hypostaticam.

Deduces 3. Impeccabilitatem Christi non esse metaphysicam, nec physicam, sed tantum stricte moralem, id est, humanitati assumptæ à Verbo esse peccatum tantum stricte moraliter impossibile, quæ illatio firmabitur articulo statim sequenti. Unde sit.



ARTICULUS V.

De libertate humanitatis Christi, & ejus concordia cum impeccabilitate.

§. I.

An & quomodo Christus habuerit liberum arbitrium, seu libertatem proximam indifferentiæ?

124 ASSERO 1. Humana voluntas Christi fuit libera, non solum libertate à coactione, sed etiam à necessitate, seu libertate proxima indifferentiæ in ordine ad actus præceptos. Ita communior Theologorum contra Mastrium, & plures Scotistas, qui negant reipsa in Christo libertatem indifferentiæ, & à necessitate in ordine ad actus præceptos, quamvis forte aliqui ex ipsis velint videri aliter loqui. Ex Scotistis autem nostram sententiam tenent omnes pro conclusione sequenti allegandi.

Prob. 1. Isaiæ 7. dicitur de Christo qua homine: *Butyrum & Mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum*; atqui electio est actus libertatis proximæ indifferentiæ: ergo Christus qua homo habuit libertatem proximam indifferentiæ in eligendo bono ipsi præcepto, vel consulto præ malo vetito.

Prob. 2. SS. PP. & sacra Scriptura etiam in ordine ad actus præceptos, maxime præceptum mortis implendum, dicunt Christum fuisse liberum; atqui nomen libertatis simpliciter probatum à PP. & scriptura in obvio & ordinario sensu significat libertatem à necessitate, & proximam indifferentiæ, sufficientem de via ordinaria ad meritum: ergo juxta sacram Scripturam & SS. PP. Christus etiam in ordine ad actus præceptos &c. habuit libertatem à necessitate, seu libertatem indifferentiæ proximam &c. m. patet, & magis confirmabitur ex ipsa probatione majoris, qui testimonia, quæ pro ea probanda afferentur,

afferentur, clarissime in Christo adstruunt libertatem proximam indifferentiæ. Igitur prob. M. Isaiæ 53. de Christo dicitur: *oblatus est, quia ipse voluit*, id est, ut D. Hieronymus in cit. textum, *non necessitate, sed voluntate crucem sustinuit.* Et D. Augustinus Tract. 119. in Joannem docet, neminem ita libere dormire, aut vestem deponere, sicut Jesus mortuus est, & vitam deposuit, similia habent quoque SS. Gregorius, Cyprianus & alii, & Joann. 10. Christus ipse ait: *nemo tollit animam meam á me, sed ego pono eam á me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi á Patre meo.* Profecto si hi textus non satis indicant libertatem proximam indifferentiæ Christi ad subeundam mortem, tunc nullus locus ex Sacra Scriptura mihi afferri poterit, qui sufficienter contra Calvinistas, Lutheranos, & Jansenistas ostendat libertatem proximam indifferentiæ in nobis in ordine ad implenda præcepta, & actus meritorios, quia vix ullus clarius loquetur pro libertate nostra, quam allati textus pro libertate proxima Christi in ordine ad mortem subeundam.

Prob. 3. In Synodo 6. Act. 4. definitur fuisse in Christo omnes proprietates naturæ humanæ, inter quas etiam est liberum arbitrium, seu libertas indifferentiæ proxima, quæ est maxima perfectio naturæ humanæ: ergo hanc etiam assumpsit Verbum.

Prob. 4. In moderna providentia ad merendum & demerendum requiritur libertas à necessitate, seu indifferentiæ proxima, ut certum est, & definivit Innocent. X. contra Jansenium; atqui Christus meruit etiam per actus præceptos: ergo ad hos habuit libertatem proximam.

Hæ probationes magis firmabuntur n. 126. ubi responsiones, quas ad eas dare possent Scotistæ, expedientur.

Objic. 1. Omnes actus in Christo ponendi fuerunt antea jam à Deo præfiniti: ergo non est Christus amplius ad eos liber.

R. 1. retorq. argument. etiam omnes noſtri actus boni erant à Deo præfiniti ab æterno: ergo nobis non ſunt liberi.

R. 2. D. a. Decreto quodam condeterminante, ſi de actibus illis, quos in Chriſto liberos dicimus, ſit ſermo C. a. decreto prædeterminante N. a. præfinitio per Decretum condeterminans imponit ſolam neceſſitatem conſequentem, quæ non lædit libertatem.

Objic. 2. Chriſtus ipſe jam, antequam eliceret actus ſuæ voluntatis, eos omnes infallibiliter futuros prævidit per ſcientiam beatam & infuſam: ergo poſtea non eſt amplius liber ad eos.

R. D. a. Prævidit eos infallibiliter futuros dependenter à ſua libera determinatione C. a. independenter ab ea. N. a.

Objic. 3. Chriſtus fuit ſimul beatus; ſed beatitudo ipſum determinavit neceſſario ad amorem Dei, conſequenter ad impletionem omnium præceptorum, & abſtinentiam ab omni peccato: ergo Chriſtus non fuit liber in ordine ad actus præceptos.

R. D. m. Beatitudo ipſum determinavit neceſſitate morali ſtricte tali C. m. neceſſitate etiam phyſica auferente libertatem omnem, etiam phyſicam N. m. Verum pro majori hujus rei notitia.

Aſſero. 2. Humanitas Chriſti habuit libertatem phyſicam ad actus præceptos, & ad peccandum. 2. Et ſimul neceſſitatem moralem ſtrictiſſime dictam non peccandi contra talia præcepta. Id eſt, humanitas Chriſti habuit ſecluſo miraculo ac naturaliter potentiam proximam peccandi, ita tamen, ut ſtrictiſſime moraliter fuerit impoſſibile peccare, ſeu ut poſſet quidem peccare naturaliter, nunquam tamen eſſet peccatura. Poncius, Prizeng, Herinx, Henno & alii SS. contra Maſtrium.

Prob. 1. memb. Nihil poteſt oſtendi, quod phyſice neceſſitaſſet humanitatem Chriſti ad actus præceptos: ergo habuit phyſicam libertatem ad actus præceptos, & non peccandum. A. prob. Non ſic neceſſitavit phyſice unio hypoſtatica

tica ad non peccandum : quia juxta dicta unio hypostatica eatenus tantum infert impeccabilitatem , quatenus hanc exigit; atqui unio hypostatica in humanitate Christi non exigit majorem impeccabilitatem , quam strictissime moralem : tum quia ratione impeccabilitatis stricte moralis Christus jam est simpliciter impeccabilis ; tum , quia per hanc solum salvari potest status viatoris , & ratio meriti in Christo , ut patebit : tum, quia juxta Scotum impeccabilitas non immediate nomine unionis hypostaticæ , sed ratione status beatitudinis , & confirmationis in plenitudine gratiæ convenit ; sed status beatitudinis , & hæc confirmatio in plenitudine gratiæ non important majorem impeccabilitatem , quam stricte moralem , non vero physicam : ut mox dicetur. Itaque neque humanitas Christi , quæ beata , seu per beatitudinem fuit physice necessitata ad actum amoris beatificum , & ad abstinendum à peccato. A. prob. 1. visio beatifica non sic physice necessitat ad amandum Deum , eumque non offendendum : hæc enim solum est conditio applicativa & repræsentativa objecti infiniti quidem; finito tamen modo juxta capacitatem , & naturam voluntatis creatæ , quæ est intrinsece libera , & indifferens ad agendum, vel non agendum. Hanc indifferentiam etiam videtur retinere stante visione beatifica : etenim clara visio nihil immutat in voluntate. Deinde quamvis visio clara & cognitio objecti omni ex parte boni movere possit voluntatem ad amandum illud , tamen non potest physice necessitare ad amorem ; siquidem voluntas tanquam potentia libera est domina suorum actuum , & se ipsam libere determinat , non vero ab objecto , quantumcunque clare proposito physice necessitatur. Hæc est distinctio inter voluntatem & potentias necessarias vg. intellectum ; quod potentiæ necessariæ debite præsente objecto non possint non agere , & sic ab objectis determinentur ; voluntas vero clarissime etiam proposito objecto non necessitetur physice , sed maneat indifferens ad agendum , & non agendum , ut Scotus sæpius docet contra Th. Thas.

Ad hæc nos Scotistæ asserimus , quod voluntas proposito clare objecto notabiliter meliore possit amplecti minus bonum : ergo quamvis visio repræsentet clarissime objectum beatifi-

beatificum, seu Deum ut summum bonum, potest tamen voluntas pro sua libertate amplecti objectum prohibitum, tanquam bonum sibi delectabile.

Neque habitus charitatis necessitat physice animam aliquam beatam ad amorem beatificum, & non peccandum: quippe hic habitus datur in hominibus viatoribus. & datus fuit in Angelis viatoribus, quamvis hi fuerint, & illi sint peccabiles physice. Deinde habitus charitatis subest dominio voluntatis, quæ illam pro libitu ad operationem determinare, vel ejus actum suspendere potest: ergo nihil necessitat physice humanitatem Christi ad actus præceptos, & non peccandum.

Prob. 2. memb. conclusionis, & simul confirmatur primum. Ex una parte libertas indifferentiæ debet in Christo admitti, ut dictum est: ex altera parte major quam physica non potest admitti ob beatitudinem, quæ excludit necessario necessitate morali omne peccatum ab anima beata Christi: ergo Christus habuit quidem libertatem physicam ad actus præceptos ponendos vel non ponendos; habuit tamen simul necessitatem strictissimam moralem, vi cujus potuisset quidem naturaliter transgredi præcepta sibi imposita, non tamen esset unquam transgressurus. Necessitas vero ista strictissima moralis non peccandi provenit 1. ex visione beatifica, quam habet, & habebit semper anima Christi: clarissima enim hæc cognitio, qua se Deus libere, ut summum & omni ex parte bonum manifestat, & simul ex opposito ostendit omnia creata bona esse nihil respectu Dei, ita movet ad amorem Dei, ut animæ beatæ moraliter sit impossibile cessare ab amore Dei. Proinde anima beata nequit peccare, cum nullum peccatum cum amore excellenti, qualis est beatificus, compossibile sit. 2. Moralis impeccabilitas oritur ex plenitudine gratiæ, protectionis & aliorum donorum divinorum concessorum humanitati Christi, quæ in se sunt tanta, ac tam singularia, ut illis in se inspectis, & præscindendo à prævisione conditionata, *quid eventurum esset, si talia dona concederentur*, jam moraliter sit impossibile, animam tanta plenitudine donorum Divinorum instructam peccare.

Confirm. Vi prædictæ necessitatis moralis anima Christi est simpliciter impeccabilis; etenim impossibilitas moralis strictissime talis, qualis oritur ex illa necessitate, simpliciter venit nomine impossibilitatis: ergo & impeccabilitas moralis strictissime talis venit simpliciter nomine impeccabilitatis: cum impeccabilitas nil aliud sit, quam impossibilitas peccati. A. prob. vi impotentiæ vel impossibilitatis moralis vitandi omnia venialia collective sumpta sine speciali privilegio, dicitur ejusmodi vitatio omnium venialium simpliciter impossibilis, quamvis physice non implicet vitare ea omnia etiam collective sumpta, iterum, quia homo sine gratia habet impotentiam moralem strictissime talem vincendi tentationem gravem, quamvis physice eam possit vincere, tamen dicitur simpliciter impossibilis ejusmodi vitatio sine gratia: ergo ex opposito ob eandem rationem impeccabilitas moralis Christi est simpliciter dicta impeccabilitas: quamvis ea non obstante anima Christi habuerit potentiam physicam, ac libertatem proximam physicam peccandi: ergo tali modo salvamus nos primo impeccabilitatem in Christo, & quidem simpliciter talem. Secundo salvamus quoque libertatem; quia stante necessitate morali adhuc stat proxima indifferentia physica ad actum præceptum ponendum, vel omittendum.

Quod autem libertas physica sufficiat ad actum meritorium in Christo, inde probatur; quia sufficit ad actum inhonestum; ergo etiam ad honestum & meritorium, si cætera præter libertatem requisita ad meritum adsint, ut status viæ &c. A. prob. damnati & dæmones juxta dicta in Tractatu de Angelis tantum habent libertatem physicam ad abstinendum à peccatis, & tamen peccant per suas blasphemias, odium Dei, & alios actus malos, quamvis propterea non mereantur aliquam pænam, eo quod non amplius sint in statu viæ, in quo solo datur meritum præmii vel pænæ, ergo sufficit libertas physica ad inhoneste agendum.

§. II.

Solvuntur objectiones contra præcedentem §. primum, & declaratur concordia libertatis humanæ Christi cum ejus impeccabilitate.

125 Objic. 1. Christus habuit maximam libertatem : ergo non solum habuit libertatem physicam , sed etiam moralem, seu fuit immunis à necessitate morali.

R. D. a. quam potuit habere salva impeccabilitate C. a. secus N. a. Neque in hoc est aliqua imperfectio ; alias ille, qui in certis circumstantiis tanta & tam opportuna gratia, & protectione Dei adjuvaretur ad præceptum adimplendum, ut ei moraliter foret impossibile, tale præceptum non adimplere, foret minus perfectus in ordine ad impletionem præcepti, quam alius, qui careret simili gratia opportuna, & magis esset indifferens : quod tamen vix videtur asserendum.

Objic. 2. Ad libere implendum præceptum requiritur indifferentia in genere moris, seu moralis ; atqui Christus juxta nos non habet indifferentiam moralem, sed tantum physicam : ergo Christus non implevit libere præceptum.

R. N. suppositum , quod idem sit indifferentia , & libertas in genere moris & moralis, nam per libertatem in genere moris intelligitur illa, quæ sufficit ad actus honestos & inhonestos seu morales , sive dein sit libertas physica excludens necessitatem physicam , sive sit libertas moralis excludens necessitatem moralem explicata : utraque autem libertas sufficit ad actum moralem , vel in genere moris , nam ille, de quo in responsione ad objectionem primam , bene & meritorie agit, & dæmones per suas blasphemias peccant , licet hi, & ille tantum habeant libertatem physicam, non vero moralem.

Objic. 3. Inutile est præceptum de illa re , ad quam faciendam aliquis aliunde strictissime moraliter necessitatur , ita, ut.

ut moraliter non possit omittere: sic inutile foret præceptum, quo uni militi Rex prohiberet, ne ipse solus totum exercitum, vel omnes omnino homines occideret: ergo etiam inutile esset præceptum Christo datum de acceptanda morte, si aliunde Christus fuit moraliter necessitatus ad mortem subeundam.

R. 1. invert. argum. ergo etiam inutile foret præceptum datum dæmonibus, ne peccent, quia moraliter est ipsis impossibilis hujus præcepti impletio; item & nobis inutiliter esset impositum præceptum evitandi omnia omnino peccata venialia, cum hujus impletio moraliter sit nobis impossibilis sine speciali privilegio, quod tamen nobis non datur, nec debetur, ut in Tractatu de gratia & merito dictum est.

R. 2. N. a. Ratio negandi patet partim ex instantiis, partim, quia hoc præceptum in Christo habuit specialem utilitatem, ut acceptatio mortis & adimpletio aliarum legum haberet specialem perfectionem obedientiæ, & subjectionis erga Deum.

Objic. 4. Unio hypostatica exigit impeccabilitatem aliquam metaphysicam vel physicam Christi: ergo. A. liquet; quia quidquid est perfectius, debet de Christo asseri; sed impeccabilitas metaphysica vel physica est perfectior, quam solum moralis: ergo impeccabilitas metaphysica vel physica debet asseri de Christo.

R. N. a. ad ejus prob. D. M. quidquid perfectius est, debet asseri de Christo, si absque inconvenientia potest asseri C. M. secus N. M. esset autem maximum inconveniens impeccabilitas metaphysica vel physica in Christo, quia stante illa Christus non habuisset illam libertatem in actibus præceptis, quam requirit S. authoritas in Christo, & quæ necessaria est ad meritum.

Objic. 5. Unio hypostatica necessitate physica exigit visionem beatificam; sed visio beatifica est incompossibilis cum peccato, & non impletione præcepti: ergo.

R. tranf. M. & D. m. vifio beatifica eft moraliter incompoffibilis cum peccato, modo explicato C. m. phyfice vel metaphyfice eft incompoffibilis cum peccato N. m. & C.

Objic. 6. In Chrifto fuit major impeccabilitas quam in aliis hominibus, qui tantum funt confirmati in gratia: fed juxta noftrum fyftema non effet major impeccabilitas in Chrifto, quam in aliis hominibus viatoribus, qui tantum funt confirmati in gratia: quia & hi haberent phyficam libertatem, non vero moralem ad peccandum: ergo noftrum fyftema non fubfiftit. M. videtur patere, tum quia dignitas Chrifti majorem impeccabilitatem exigit: tum, quia homines confirmati in gratia fimpliciter funt peccabiles, etiamfi non fint peccaturi, atqui Chriftus fimpliciter fuit impeccabilis.

R. C. M. & N. m. 1. Cæteri confirmati viatores in gratia non gaudent vifione beatifica moraliter neceffitante ad non peccandum, ficut Chriftus. 2. Efto aliqui confirmentur in gratia, non tamen propterea ipfis dantur conftanter talia auxilia, quæ ex fe, & præfcindendo ab eventu conditionate prævifo moraliter neceffitant ad actum bonum: & plane plures funt gratiæ efficaces, quæ ita relinquunt voluntatem indifferentem, ut iis ftantibus neutiquam homini fit moraliter impoffibile, fed omnino facile male agere, ut accidit, dum actum heroicum vg. dilectionis inimicorum elicimus in iis circumftantiis, in quibus experimur nos magis inclinari in oppofitum, nimirum in odium inimicorum, ubi confentimus gratiæ abfque neceffitate morali ad confenfum. Igitur alii homines viatores poffunt confirmari in gratia, fi ipfis dentur auxilia non moraliter neceffitantia ad bonum, dummodo ipfis dentur auxilia efficacia & certo conjungenda cum confenfu, efto moraliter poffent conjungi cum diffenfu & peccato. Humanitas vero Chrifti vi unionis hypoftaticæ exigebat non folum auxilia efficacia, fed & tantam plenitudinem gratiæ, & protectionis Divinæ, quæ in fe infpecta, & præfcindendo ab omni eventu etiam conditionate prævifo moraliter determinavit ad bonum, & ad abftinendum ab omni peccato, & imperfectione morali. Vide dicta in Tractatu de gratia.

Hoc

Hoc etiam addo, si Deus prævidisset per scientiam conditionatam, visionem beatam, & reliqua dona humanitati Christi concessa, ut ut moraliter necessitantia, non exclusura esse omne peccatum, & omnem imperfectionem moralem, tunc eum fuisse insuper paratum adhuc majora & tanta dare, quæ exclusissent actu omne malum morale.

Objic. 7. Scientia Dei de futuris contingentibus tam conditionatis quam absolutis requirit objectum metaphysice infallibile, & non sufficit, si tantum sit moraliter infallibile, ut dixi in Tract. de gratia, & in Deo sciente, & decernente. cap. 1. n. 50.: ergo etiam dignitas Christi requirit impeccabilitatem metaphysicam vel physicam.

R. N. C. & parit. Omnes perfectiones in Deo debent esse sine ulla adjuncta imperfectione, & debent includere omnem perfectionem possibilem: ast non ita perfectiones humanitatis Christi. Ita scientia Dei est substantia, & identificatur realiter essentiæ Divinæ, non vero scientia humanitatis Christi. Iterum impeccabilitas vel sanctitas Deo identificatur, non humanitati Christi, & sic de pluribus.

Neque hic assero, per moralem hanc impeccabilitatem, vel prædeterminationem moralem ad non peccandum, Deum potuisse cognoscere, quod Christus *actu non sit peccaturus*. Nam ad hoc cognoscendum in Deo prærequiritur metaphysice infallibilis non futuritio peccati, quæ non habetur per solam præmotionem moralem, sed per decretum concomitans vel decreto æquivalentem omissionem, prout dictum est locis in objectione citatis. Aliud igitur est Christum per præmotionem moralem fieri impeccabilem, & aliud cognosci à Deo, quod Christus actu non sit peccaturus.

Objic. 8. Saltem Deus Christo & Beatis non offert concursum paratum ad peccandum, vel omnino eos ad omne bonum, & evitationem omnis peccati prædeterminat per decretum antecedens, aut præmotionem physicam: ergo sunt physice impeccabiles. A. prob. talem denegationem concursus vel

vel omnino similem prædeterminationem exigit status unionis hypostaticæ, & beatitudinis.

R. N. a. In Christo datur libertas indifferentiæ, quam tollit denegatio concursus parati, vel præmotio: per præmotionem & decretum prædeterminans imponitur voluntati necessitas antecedens: per denegationem vero concursus parati, & indifferentis aufertur potentia proxima ad agendum, vel non agendum, in qua tamen potentia proxima consistit libertas indifferentiæ. 2. Cum unio hypostatica & status beatitudinis non destruant, sed solum perficiant naturam, hinc nec illa, nec iste exigit, ut denegetur humanitati Christi concursus paratus alias ei connaturalis, & ad perfectionem liberi arbitrii necessarius, vel ut addatur præmotio physica decretum antecedens lædens libertatem connaturalem.

Objic. 9. Scotus 4. D. 49. q. 6. §. *dico ergo* n. 11. ait: quod Beati non habeant potentiam illam propinquam ad peccandum. 2. Quod potentiam illam propinquam non habeant per aliquid extrinsecum, *videlicet per voluntatem Dei prævenientem illam voluntatem, ut semper continuet actum* fruendi, & ita nunquam possit potentiam suam non fruendi vel peccandi reducere in actum. 3. §. *contra hoc* statim sequenti numero, iterum asserit, quod ex determinatione voluntatis Divinæ proveniat impeccabilitas Beatorum: ergo juxta Scotum Christus fuit impeccabilis, quia prædeterminatus.

R. explicando Scotum sub distinctione. Beati non habent potentiam propinquam moralem, seu immunem à necessitate morali strictissime tali: iterum sunt prædeterminati naturaliter à voluntate Divina, quæ conservat eos in visione, & simul per alia dona moraliter necessitantia promovet perpetuo fruitionem & amorem beatificum cum peccato & imperfectione morali incompossibilem C. a. non habent potentiam propinquam physicam, vi cujus adhuc possent peccare, licet nunquam sint peccaturi. N. a. Neque obstat Scotus cit. loco afferens exemplum de oculo, qui non est in potentia propinqua aspiciendi cælum, si interponatur obstaculum perpetuum. Nam sicut obstaculum istud physicum tollit potentiam

proximam

proximam physicam, sic & obstacula moraliter necessitantia tollunt potentiam proximam moralem. Quod autem Doctor admittat solum necessitatem moralem conjunctam cum libertate physica, vi cujus quidem potuisset adhuc naturaliter voluntas Christi peccare, nunquam autem esset peccatura, patet ex ultimis verbis, quibus hanc controversiam de perpetuitate beatitudinis, & impeccabilitate Beatorum concludit; ubi ita loquitur respondens ad objectionem sibi propositam: aliter potest dici, *quod contingentia voluntatis in suo ordine concludit contingentiam simpliciter effectus* (seu libertatem indifferentiæ absque necessitate unde unde proveniente) *quia cujuscunque est contingentia, concludit contingentem effectum, & per consequens simpliciter contingens est, quod non peccet, tamen nunquam eveniet, quia causa superior* (seu Deus) *semper præservat. Sed dices, saltem in potestate voluntatis est, ut eveniat.* Posset dici, quod non ideo est minus Beata, quod in potestate ejus sit, quod eveniat, quod tamen nunquam eveniet, & ideo nunquam eveniet, quia voluntas Divina semper præservat.

Ex quibus sequitur 1. Scotum saltem non esse contrarium nostræ conclusioni, imo ei ut plurimum favere. 126

Sequitur 2. Nos optime concordare libertatem Christi cum impeccabilitate. nam. 1. Libertas physica stat cum impeccabilitate morali, ut ex dictis patet. & 2. Impeccabilitas moralis sufficit ad salvandas authoritates, quæ Christum dicunt simpliciter impeccabilem, cum ille, qui strictissimam impotentiam moralem habet ad aliquam rem, dicitur simpliciter impotens. Nec 3. major aut minor impeccabilitas in Christo adstrui potest: non major, quia repugnaret libertati indifferentiæ in actibus præceptis, quam tamen PP. & scriptura Christo tribuunt: non minor, quia ea derogaret dignitati Christi. Ac 4. tandem libertas physica sufficit ad actum meritorium; ut patet ex dictis ad finem, & in responsionibus ad primam & secundam objectionem.



§. III.

Referuntur & rejiciuntur fententiæ oppofitæ de libertate Chrifti, & ejus concordia cum impeccabilitate.

127 ASSERO 1. Præfens negotium non fatis explicatur dicendo, quod in Chrifto ad meritum in actibus præceptis ex difpenfatione Divina fuffecerit indifferentia remota. Ita fere omnes contra Maftrium, & illos, qui Maftrium fequuntur.

Prob. 1. Authoritates & rationes propofitæ prius exigunt in Chrifto libertatem indifferentiæ proximam ad præceptum mortis, & alia præcepta implenda, & ad meritum ejus: ergo hæc requiritur.

Prob. 2. Verba Sacræ Scripturæ, & PP. (quæ in obvio fenfu libertatem indifferentiæ proximam infinuant) quantum poffibile eft, explicari debent in fenfu excludente miraculum, ut cum aliis Theologis ex D. Auguftino docet Viva P. 1. curfus Theologici. q. 4. Art. 3. n. 16. atqui non fic explicat Maftrius, fed potius novum miraculum difpenfationis adftruit: ergo.

Confirm. 1. Quamvis per unum miraculum & difpenfationem divinitus factam ftatus viæ feu meriti in Chrifto fuerit conjunctus cum ftatu beatitudinis, non tamen fine fufficienti fundamento, aut neceffitate debet addi alterum miraculum, & altera difpenfatio, vi cujus etiam libertas remota fuffeciffet ad merita Chrifti; fed non eft fundamentum vel neceffitas hujus alterius difpenfationis; cum illius nullum veftigium in facra Scriptura, aut aliquo S. Patre reperiatur, & aliunde tota difficultas poffit explicari fine tali difpenfatione: ergo non debet addi hoc fecundum miraculum difpenfationis.

Objic. 1. Scotus 3. D. 12. q. un. §. *refpondeo hic* funt duæ. n. 2. ait: *beatitudo abftulit Chrifto omnem peccabilitatem, quæ poteft*

potest auferri per beatitudinem, licet cum hac dispensatione staret potestas merendi. Et eodem L. 3. D. 18. q. un. *§. contra illud* ℣. *ad secundum* n. 9. ait: *non includit contradictionem actum Beatificum Michaelis, vel alterius Beati posse acceptari tanquam aliquid dignum retributione:* ergo juxta Scotum libertas remota indifferentiæ suffecit ad merendum in Christo ex dispensatione, & sufficeret in Beatis reliquis accedente ejusmodi dispensatione.

R. Ex his textibus solum habetur, quod Deus cum Christo dispensarit in uno requisito ad meritum, nempe in incompossibilitate, quam alias de lege ordinaria habet meritum cum statu beatitudinis, vi cujus Christus, ut beatus fuisset incapax meriti, vel dispensavit cum Christo, ut esset simul Comprehensor, & simul Viator, & consequenter etiam gauderet privilegio merendi, quod Viatoribus, non vero Beatis convenit. Non autem fit ulla mentio de dispensatione in altero distincto requisito ad meritum de lege ordinaria, quod est libertas indifferentiæ saltem physica. Imo, quod Doctor loquatur tantum de dispensatione prima, liquet, si totus contextus d. 18. q. un. n. 9. legatur, quem totum adducere volo; ait igitur ibi: *Christus meruit secundum portionem superiorem, & secundum omnem actum ejus: hoc tamen difficile est propter alios Beatos. Probo autem illud, quia omnis actus acceptatus á Deo, tanquam actus laudabilis &c. est meritorius: hujusmodi est actus omnis Christi secundum naturam humanam, etiam actus beatificus, quo fruitur Deo: NB. quia persona illa non secundum omnem conditionem fuit simpliciter in termino, ideo potuit Deus omnem actum creatum illius personæ accipere tanquam dignum aliquo bono, & hoc tenendo, quasi actus beatificus Christus fuerit meritorius, quod non includit contradictionem actum beatificum Michaelis &c. posse acceptari tanquam dignum retributione; tamen Deus defacto non sic acceptat actum illum, quia persona illa* (Michaelis) *est totaliter extra statum merendi, secundum totum subjectum, non sic Christus, sed secundum aliquid fuit in statu viatoris, & propter hoc omnis actus ejus creatus acceptus erat & meritorius illis, pro quibus offerebatur.* Ita Scotus. Ex quibus patet, dispensationem totam, de qua Scotus, versari circa requisitum status viæ, vi cujus Christus est simul Viator

Viator & Comprehensor, & cum statu termini & beatitudinis conjunxit statum merendi: neque verbulo fit mentio de dispensatione aliqua in alia conditione ad meritum, requisita. Accedit, à Scoto in primo textu agnosci in Christo solum illam impeccabilitatem, quæ datur in Beatis; atqui Beati habent impeccabilitatem tantum moralem strictissime talem stantem cum indifferentia physica proxima: ergo.

Objic. 2. Contra Jansenistas & Calvinistas tantum damnatum est, quod sufficiat ad meritum libertas à coactione, & non requiratur libertas à necessitate; atqui etiam libertas indifferentiæ remota est adhuc libertas à necessitate, quia non imponit necessitatem aliquam intrinsecam ortam ex intrinseca natura voluntatis, neque per formam aliquam intrinsecam impressam vg. per præmotionem physicam, sed tantum extrinsecam per denegationem concursus ad peccatum, ut Mastrius argumentatur 3. Disp. 3. n. 397. ergo libertas ista remota, accedente dispensatione Divina, potest in Christo sufficere ad meritum.

R. N. m. Quod libertas remota à Mastrio explicata sit libertas à necessitate illa, quam indicant, & implicite vel explicite adstruunt Pontifices, dum damnarunt errores Jansenii & Calvini. Certe illi Pontifices voluerunt à nostra libertate excludere omnem necessitatem antecedentem, sive veniat à principio intrinseco sive extrinseco: nam utrumque pariformiter lædit exercitium nostræ voluntatis. Qua de causa Mastrius cum aliis Scotistis non solum rejicit intrinsecam præmotionem physicam, sed & decretum extrinsecum prædeterminans, quia utrumque infert necessitatem antecedentem. 2. Pontifices prædicti per damnationem illorum errorum voluerunt adstruere unice, quod actus meritorius, vel demeritorius debeat esse libere, & non necessario factus; sed etiam stante adhuc necessitate extrinseca necessario fieret, necessario enim non pecco: sive per qualitatem intrinsecam physice præmovear ad omittendum peccatum, sive deficiat solum aliquod necessarium & indispensabile requisitum ad peccandum, quale requisitum est concursus Dei.

3. juxta.

3. Juxta Vivam in propoſitionem tertiam Janſenii n. 12. Janſeniſtæ, Calviniſtæ, & Wicleffi Aſſeclæ non negant libertatem remotam in hominibus, & tamen ſunt damnati tanquam hæretici. 4. Si Maſtrius admittit libertatem à neceſſitate, & quidem talem, qualem intendebant Pontifices damnantes Janſenium & Calvinum &c. tunc admittit per ſe ſufficientem ad meritum ſine ulla diſpenſatione: ad quid igitur iſta diſpenſatio?

R. 2. Transmiſſo toto ſylogiſmo, & dato, quod libertas remota accedente diſpenſatione Divina potuiſſet ſufficere ad meritum in Chriſto, tamen non ſequitur, ut actu ſuffecerit; ſiquidem non conſtat de tali diſpenſatione, imo, ut noſtræ probationes docent, videtur conſtare contrarium.

Aſſero 2. Neque ſalvatur libertas Chriſti per hoc, quod 128
præceptum moriendi fuerit diſpenſabile ad nutum Chriſti, vel quod fuerit antecedenter à Chriſto Domino impedibile, ne ei imponeretur. Eſt contra Lugonem & quosdam RRes.

Prob. 1. Hæc via multum minuit perfectionem obedientiæ in morte Chriſti; cum juxta hanc explicationem mors Chriſti principalius relinquatur voluntati humanæ Chriſti, non vero voluntati Divinæ, & præcepto Patris cæleſtis: quod tamen videtur eſſe contra Apoſtolum ad Rom. 8. ubi mortem Chriſti principaliter tribuit voluntati Patris cæleſtis, dicens: *proprio filio ſuo non pepercit Deus:* ergo.

Prob. 2. Si fuiſſet Chriſto liberum petere diſpenſationem, aut acceptare præceptum moriendi, vel ſi hoc non fuiſſet impoſitum abſolute, tunc Chriſtus non dixiſſet: *ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte &c.*; ſed dixiſſet, *quamvis poſſibile ſit, ut hic calix tranſeat à me, tamen fiat voluntas tua.* Quis enim ſciens certo dandam diſpenſationem, ſi petat, dicit, *ſi poſſibile eſt?* ergo.

Prob. 3. Hæc explicatio non quadrat præceptis naturalibus, quæ obſervando Chriſtus eſt meritus, quamvis illa

nec forent à Christo impedibilia, nec à Deo dispensabilia. 4. Taliter non foret immediate libera ipsa acceptatio mortis, sed solum acceptatio præcepti moriendi: quare etiam ejusmodi acceptatio ipsius mortis in multorum, etiam AAorum. sententia, non foret immediata, & in se formaliter meritoria: quod tamen non videtur esse admittendum: ergo hoc systema non subsistit.

Objic. 1. Joan. 10. Christus dixit, se habere potestatem moriendi, & ponendi animam: ergo Christus potuisset petere dispensationem, vel non acceptare præceptum mortis.

R. N. C. Verba Christi tantum significant, Christum stante præcepto, esse liberum ad mortem ipsam acceptandam, & implendum præceptum mortis, non vero ad petendam dispensationem hujus præcepti, aut impediendum illud, ne imponeretur.

Objic. 2. Matth. 26. Christus dixit, an putas, quia possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plusquam 12. Legiones Angelorum, qui me defendant contra illos, qui me volunt occidere &c. quæ verba iterum indicant, Christum potuisse petere relaxationem præcepti moriendi: ergo.

R. Nego, quod ista verba significent potestatem obtinendi relaxationem vel dispensationem præcepti mortis, nam significant duntaxat efficaciam meritorum Christi ad facienda miracula, & impetrandas legiones, si esset necessaria, vel expediens evitatio mortis.

129 Assero 3. Nec potest dici, quod Christus in sensu composito præcepti, vel privative non potuerit non mori, bene in sensu diviso & præcisive. Est contra Thomist.

Prob. 1. Tunc per sensum divisum non salvatur libertas Christi, quando iste sensus divisus non fuit in potestate Christi, seu quando Christus ut homo non potuit facere se divisum seu immunem à præcepto; atqui iste sensus divisus non fuit in potestate Christi, cum hoc præceptum fuerit

rit impoſitum independenter à voluntate humana Chriſti, nec ad nutum ejus fuerit relaxabile; ut ipſi Thomiſtæ fatentur contra RRes. Num, & concluſ. priore: ergo libertas Chriſti non ſalvatur per ejusmodi ſenſum diviſum. Imo hæc ſententia omnes patitur inſtantias, quibus impugnatur præmotio phyſica, & decretum prædeterminans.

Prob. 2. Chriſtus debuit habere libertatem omittendi rem & mortem præceptam, ſeu ſtante præcepto: ſed Chriſtus in ſententia ThTharum. hanc libertatem non habuiſſet: ergo. M. conſtat: quia Chriſtus debuit habere libertatem adimplendi præceptum mortis, & obediendi Deo præcipienti mortem propter majorem perfectionem mortis ex virtute obedientiæ & ſubjectionis erga Deum præcipientem. m. prob. potentia omittendi rem, præſcindendo, & dividendo eam à præcepto, non eſt potentia & libertas omittendi rem præceptam, cum res non reputetur præcepta, niſi conjuncta cum præcepto, vel ſubſtans præcepto; ſed Chriſtus in ThTharum. ſententia ſolum habuiſſet potentiam omittendi mortem præſcindendo à præcepto: ergo Chriſtus in Thomiſt. ſententia non habuiſſet libertatem omittendi mortem præceptam.

Aſſero 4. Nec ſalvatur libertas moriendi in Chriſto actu reflexo conditionato, quo fuiſſet acceptaturus mortem, 130 quamvis non fuiſſet præcepta. Contra quosdam RRes.

Prob. Tali modo Chriſtus ſubeundo & acceptando mortem non habuiſſet actum formalem obedientiæ, quo obediiſſet præcepto Patris; atqui ſequela videtur eſſe contra Scripturam, quæ dicit, Chriſtum factum eſſe obedientem usque ad mortem, & habuiſſe præceptum mortis: ergo. M. prob. Chriſtus in hoc ſyſtemate fuiſſet meritus per acceptationem illam reflexam, quæ ponit mortem extra præceptum, & cui per accidens eſt, an mors ſit præcepta, nec ne; quia vi talis actus illa acceptaretur, etiamſi non eſſet præcepta: ergo tali modo Chriſtus acceptando mortem non habuiſſet actum formalem obedientiæ, quo obediiſſet præcepto Patris: actus enim formalis obedientiæ erga præceptum

Patris

Patris hoc non indifferenter, aut accidentaliter, sed essentialiter respicit.

131 Assero 5. Non salvatur libertas Christi per hoc, quod præceptum mortis fuisset aliquo modo conditionatum, si nimirum judæi ipsum vellent occidere, quam conditionem Christus potuisset pro libitu impedire. Contra aliquos RRes.

Prob. Eo ipso, si mors fuit Christo præcepta, simul ei præceptum est, ne morti impedimentum voluntarie ponat; ut constat ex aliis præceptis rigorosis: alias salvo præcepto potuisset Christus carnem suam impassibilem reddere, aut ex Judæa fugere, quod tamen non admittitur: ergo.

132 Assero 6. Non salvatur libertas indifferentiæ in Christo per hunc vel illum actum in particulari & in individuo. Contra aliquos Recentiores.

Prob. 1. Indifferentia ad hunc vel illum actum in individuo non sufficit ad meritum, eo quod hic actus in individuo præ alio non habet æstimabilitatem majorem, vg. sive hunc sive illum aureum det in eleemosinam, est ejusdem æstimabilitatis moralis: ergo. 2. Libertas in ordine ad actum præceptum consistit in hoc, quod voluntas possit ponere vel omittere actum ejusmodi præceptum; non vero, quod possit ponere hunc vel illum actum præceptum: ergo.

133 Assero 7. Hoc mysterium non explicatur per indifferentiam ad circumstantias mortis, quatenus Christus potuisset mori ex hoc vel illo motivo, hoc vel illo tempore, hac vel illa intensione. Est contra Vasquez & plures RRres.

Prob. 1. Salvari debet, quomodo Christus meruerit, consequenter etiam liber fuerit in acceptatione mortis quoad substantiam: ergo hæc explicatio non sufficit. A. prob. Scripturæ enim indicant, Christum obedientem fuisse, & libere egisse in acceptanda morte quoad substantiam; dicunt enim: *factus est obediens usque ad mortem Phil. 2.* ecce: *usque ad mortem,*

non ad circumſtantias mortis, & Joan. 10. *pono animam meam à me ipſo*, non dicit, pono eam hoc tempore, in his circumſtantiis; ergo ipſa poſitio animæ, ſeu mors quoad ſubſtantiam fuit in libertate Chriſti: & Iſaiæ 10. dicitur abſolute: *oblatus eſt, quia ipſe voluit*, & non dicitur: oblatus eſt hoc tempore, hoc loco, quo ipſe voluit: ergo.

Prob. 2. Reus damnatus ad ſuſpendium non eſt liber ad moriendum, ſi ſolum ſit liber ad circumſtantias, locum, tempus, & motiva mortis: ergo etiam Chriſtus non fuiſſet liber ad mortem, ſi tantum ad circumſtantias &c. mortis fuiſſet liber.

Prob. 3. Etiam circumſtantiæ mortis fuerunt Chriſto præceptæ: ergo vel ad iſtas Chriſtus non fuit liber, vel non eſt ratio, cur non fuerit etiam liber quoad ſubſtantiam mortis præceptam. A. prob. Luc. 22. dicitur: *filius hominis, ſecundum quod definitum eſt, vadit.* & Joan. 10. *ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* ubi to *ſicut* denotat modum & circumſtantias: & Joan. 13. *ſciens JESUS, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*, quod teſte Maldonato intelligendum eſt de hora à Patre præſtituta: ergo etiam circumſtantiæ mortis fuerunt Chriſto præceptæ.

Confirm. Circumſtantias paſſionis & mortis Chriſtus non potuiſſet omittere ſaltem ſine imperfectione morali poſitiva, quæ in Chriſto æque implicat, ac peccatum: ergo in AAriorum, ſententia Chriſtus non potuiſſet eſſe liber ad has circumſtantias; cum juxta ipſos ideo non fuerit liber quoad ſubſtantiam mortis, quia eam non potuiſſet omittere ſine peccato. A. prob. omnes circumſtantiæ vitæ, Paſſionis, & mortis Chriſti referunt ſpeciale myſterium, conſequenter cenſentur à Deo ad minimum eſſe conſultæ Chriſto, vel intimatæ, præſertim, quia Chriſtus dixit: *quæ placita ſunt ei* (ſcilicet Patri) *facio ſemper*: ergo omiſſio talium circumſtantiarum fuiſſet ſaltem imperfectio moralis poſitiva contra conſilium ac beneplacitum Divinum ſufficienter intimatum, eſt practice obſervabile.

Objic. Quamvis sustineamus morbum necessarium, tamen libere agimus, quando eum ex motivo virtutis toleramus: ergo etiam Christus libere egit, esto necessario fuerit mortuus, si ex motivo virtutis mortem toleravit.

R. N. C. qui tolerat ex motivo virtutis, ponit omnino actum liberum patientiæ, & acceptationis morbi quoad substantiam, ita, ut hanc acceptationem & patientem tolerationem omittere posset, quamvis ejus objectum, seu morbus sit necessarius. Ita quoque Martyres sunt omnino liberi ad actum, quo ipsam mortem quoad substantiam acceptant. Ast in AAorum. sententia Christus non esset liber ad actum, quo mortem quoad substantiam acceptaret, & vellet mori; sed tantum ad alium actum, quo acceptaret circumstantias mortis. Imo ex ipsorum principiis sequitur, Christum nec potuisse libere acceptare circumstantias mortis, quia & hæ Christo erant præceptæ.

134 Assero 8. Non salvatur libertas Christi per præceptum minus rigorosum, quod esset instar consilii onerosi, per quod nec Christus obligaretur in conscientia sub reatu odii, neque ad pænam, sed tantum sub conditione non conferendi aliquod bonum alias indebitum, quod tamen conferretur, si actio præcepta fieret. Talis conditio erat gratia & remissio peccatorum nobis non conferenda, nisi Christus præceptum mortis implesset. Contra Vivam & aliquos RRes.

Prob. 1. Sacra scriptura indicat præceptum rigorosum mortis, ut superius probatum est 2. Præcepta naturalia in Christo fuerunt rigorose talia, & tamen ea observando Christus libere egit, & meritus est: ergo etiam præceptum mortis potuit esse rigorose tale, & illo stante Christus adhuc potuit mereri, & libere agere. 3. Saltem tali modo Christus habuisset libertatem ad imperfectionem moralem positivam, quam commisisset, si transgressus esset consilium onerosum, quod juxta AArios. transgredi potuisset.

Deduces 1.

Deduces 1. Christum defacto quoad opera supererogatoria, & non præcepta, semper egisse, quod fuit formaliter perfectius. Ita habet Communis fidelium, dixi: *formaliter perfectius*: nam certum est, quod Christus interdum potuerit materialiter perfectiorem, vg. intensiorem, vel etiam essentialiter meliorem actum elicere, cum perfectiores, & perfectiores actus materialiter & entitative tales in infinitum sint possibiles, & nullus actus ita perfectus sit, quin perfectior dari valeat; nihilominus formaliter semper fecit perfectissimum. Etenim illud est formaliter perfectissimum in genere moris, quod & quomodo Deus vult; atqui Christus, quia placita sui Patris cœlestis semper fecit, illos semper actus & eo modo quoad intensionem, remissionem, & alias circumstantias, ac ipsam substantiam posuit, quos, & quo modo ejus Pater voluit: ergo Christus semper egit formaliter perfectissimum. M. constat., quia voluntas Divina est regula omnis honestatis & perfectionis moralis.

Deduces 2. Christum qua hominem non quidem physice, 2. bene tamen moraliter fuisse necessitatum ad formaliter perfectius, seu ad opera tantum consulta. Lugo & alii plures RRes. ac noster Poncius contra alios, quorum alii necessitatem physicam ad melius adstruunt, alii etiam moralem negant. Ratio primæ partis est: quia libertas saltem physica requiritur & sufficit, ut ejusmodi opera sint meritoria: ergo ad ea Christus non fuit physice necessitatus, sed fuit physice liber. * Ratio secundæ est: dignitati & perfectioni Christi convenit, eam esse moraliter determinatam ad formaliter perfectius. 2. Christus fuit moraliter necessitatus ad evitandam omnem imperfectionem moralem; vi cujus fuisset reprehensibilis: ergo etiam fuit moraliter necessitatus ad faciendum semper perfectius, & illud, quod Deus hic & nunc voluit, & consuluit à Christo fieri; utpote cujus transgressio vel omissio fuisset positiva imperfectio moralis in Christo perfectissime cognoscente voluntatem & beneplacitum Divinum: quia imperfectio positiva est omissio vel actio libere facta contra consilium, vel beneplacitum Dei aut Superiorum, hic & nunc clare absque obligatione tamen propositum, & practice observabile.

DISSERTATIO VI.

De satisfactione & meritis Christi.

136 Postquam egimus de Voluntate humana Christi, ac libertate & sanctitate ejus, nunc agendum superest de actibus ejusdem voluntatis, scilicet de meritis & satisfactione Christi. Igitur.

Advertendum est. Tria in quolibet actu bono ad propositum spectari posse. 1. Meritum, quod dicit ordinem ad præmium. 2. Satisfactionem, quæ respicit injuriam compensandam. 3. Valorem talis actus, qui tamen cum merito & satisfactione coincidit. Etenim Valor satisfactorius nil aliud est, quam bonitas & æstimabilitas operis, vi cujus hoc est sufficiens ad compensandam vel ex toto, vel ex parte injuriam alteri illatam. Valor meritorius est iterum præstantia & æstimabilitas operis, quatenus hoc vi talis bonitatis potest movere alterum ad retributionem. Quod bene notari debet contra extraneos adstruentes infinitum valorem in meritis & satisfactionibus Christi. H. N.

* *

ARTICULUS I.

An Christus vere, & per quos actus, & pro quibus fuerit meritus?

137 ASSERO 1. Christus vere & proprie meruit 2. . toto tempore vitæ suæ ab instanti conceptionis usque ad instans mortis, 3. per quoslibet actus liberos libertate physica, & Christo qua Viatori convenientes. Communis.

Prob. 1. pars. Trid. Sess. 6. c. 7. vocat Christum causam] meritoriam nostræ justificationis: ergo hanc nobis vere & proprie est meritus. 2. Sacra scriptura indicat Christum vere esse meritum, & propter ipsius actiones meritorias nobis

bis & sibi obtinuisse præmium. Isaiæ 53. *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*: & ad Philipp. *humiliavit semetipsum &c. propter quod & Deus exaltavit illum.* 3. Omnes conditiones ad meritum requisitæ inveniuntur in Christo. Nam 1. habuit statum viæ & gratiæ. 2. Habuit actus honestos, liberos, & supernaturales. 3. Etiam habuit ex parte Dei acceptationem & promissionem de reddenda pro suis operibus mercede. Ita Psal. 2. dicit Pater cælestis ad Christum: *postula à me, & dabo tibi gentes*, justificandas, ac salvandas, & Isajæ 35. *pro eo, quod laboravit anima ejus, justificabit ipse Justus servus meus multos.* & paulo inferius: *fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.*

Prob. 2. pars conclusionis. Christus à primo instanti conceptionis usque ad instans mortis exclusive habuit statum Viatoris, & potentias animæ expeditas ac independentes à phantasmate, & in operando infatigabiles: ergo toto tempore dicendus est bene egisse, & meruisse: hoc enim exigit perfectio & dignitas Christi.

Unde etiam in somno meruit; quia & tunc intellectus ejus & voluntas non impediebantur ab operibus suis, eo quod in his actibus non dependerit necessario à sensibus & potentiis externis, sicut nos, qui propterea somno ligatis sensibus non possumus uti ratione, nec libere agere. Non meruit tamen formaliter ipsa morte, & ipso instanti mortis, nec per vulnus laterale, nisi quatenus utrumque libere acceptavit, & sic ipsa mors, & apertio lateris post mortem fuere tantum merita objective talia, non formalia. Ratio est; quia tunc Christus non amplius erat Viator: meritus tamen est Christus formaliter per tolerantiam tormentorum causantium mortem, quam adhuc vivus sustinuit.

Prob 3. pars. Omnes actus liberi à primo instanti conceptionis usque ad instans mortis à Christo eliciti, & alioquin convenientes Christo qua Viatori, habuerunt omnes conditiones ad meritum supra recensitas: ergo fuerunt omnes meritorii. Et constat ulterius: quia juxta dicta n. 135. omnes

actus Christi fuerunt formaliter perfectissimi & optimi in genere moris: ergo etiam fuerunt maximopere meritorii.

138 Dixi in conclusione, *quod Christus fuerit meritus per actus ei qua Viatori convenientes:* unde dubium oritur, an Christus etiam fuerit meritus per actus competentes Christo qua Beato, vg. per actum amoris beatifici, qui præsupponit visionem beatificam?

R. Scotus 3. D. 18. §. *contra illud* n. 9. & 10. videtur esse problematicus. Ratio sententiæ negativæ est: quia talis actus beatificus non competebat Christo qua Viatori: ergo videtur in illo deficere conditio una requisita ad meritum, scilicet status Viatoris.

Ratio sententiæ affirmantis est: quia ad meritum, si cætera requisita adsint, sufficit, quod operans sit in statu viæ, quamvis ejus actus non spectet ad statum viæ. Poterat præterea Christus, qua Viator, habere alium actum amoris meritorium, qui præsupponebat solam scientiam infusam, non vero visionem beatificam. Vide P. Herinx. Disp. 2. n. 48.

139 Assero 2. Christus valde probabiliter meruit omnem gratiam & gloriam Angelis, & nostris primis parentibus in statu innocentiæ. Ita Scotistæ passim, ut Poncius, Mastrius, Herinx, Frassen, Henno, quibus consentiunt Suarez, Gormaz, Valentia, Tornerus, Cornelius à Lapide & alii contra alios, etiam nostrum Smising. Scotus hanc conclusionem ex professo non tractat, neque aperte ei favet, aut dissentit.

Prob. 1. S. Paulus ad Coloss. 1. v. 20. dicit: *pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt;* atqui in cælis tantum fuerunt Angeli, quos etiam per crucem & merita Christi Deus pacificavit, seu præservavit ab inimicitia cum Deo per peccatum.

Prob. 2. S. Cyrillus Alexandrinus in illud Isaiæ 54. *lætare sterilis*, vocat Christum agricolam omnis creaturæ ratione

prǽditæ, & addit: *per ipsum enim omnis sanctificatio spiritualis tum in SS. Angelis, tum in nobis insita est.* & S. Gregor. in cap. 2. L. primi Regum: *nullus hominum neque Angelorum est sanctus, nisi per Christum.* S. Bernardus serm. 22. in Cantica, *qui cernit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens, & hac ratione fuit æque utrique redemptio, solvens illum, & servans istum.*

Et S. Thomas in c. 1. Joan. lect. 10. exponens Versum 16. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, ait, *quod de plenitudine Christi acceperint omnes justi, qui fuerunt, sunt, & erunt, & omnes etiam Angeli.* & paulo inferius dicit: *plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum in intellectualibus creaturis.* Ex quibus textibus habetur, omnes omnino gratias Angelis, primis hominibus ante lapsum & in statu innocentiæ, etiam post lapsum collatas Deum concessisse propter merita Christi.

Prob. 2. ratione: Debemus Christo tribuere, quod ei est gloriosius, & aliunde absque inconvenienti ei tribui potest; sed gloriosius est Christo omnes Angelos & primos parentes in statu innocentiæ habuisse omnem gratiam dependenter à meritis Christi, & aliunde absque inconvenienti hoc potest tribui Christo, eo quod Ipse, & aliqua ejus merita fuerint decreta, & prævisa ante gratiam Angelis & primis parentibus determinatam & prævisam: ergo.

Adde, Christum esse caput Angelorum, & omnium hominum; sed Capitis est influere vitam in membra, maxime in principalia, qualia sunt Angeli, & primi parentes: ergo in hos influit vitam, nempe spiritualem in gratia & gloria consistentem.

Objic. 1. Apostolus ad Hebræ. 2. ait: *qui sanctificat, & sanctificantur ex uno omnes*; id est, Christus, & qui per 140
Christum sanctificantur, sunt omnes ejusdem naturæ humanæ ex eodem primo parente Adamo; ergo Angeli, qui non sunt

sunt naturæ humanæ, non sanctificantur per Christum, sed per gratiam à Deo misericorditer acceptam absque intuitu ad merita Christi.

R. S. Paulus ibi loquitur de sanctificatione per modum redemptionis, & reconciliationis, ac sanctificationis pro peccato, quæ gratia reconciliativa in Angelis non lapsis non habebat locum, sed in solis hominibus: quare homines soli tali gratia sanctificati, vel potius sanati sunt. Fuerunt tamen alio modo per Christi merita sanctificati tam Angeli quam primi homines per gratiam non sanativam, aut redemptivam, seu non præsupponentem peccatum.

Objic. 2. Christus tantum propter nos homines venit, & mortuus est: ergo non pro Angelis.

R. D. a. tantum venit propter nos homines in carne passibili C. a. venit tantum propter nos spectando substantiam Incarnationis & adventus ejus N. a. quoad substantiam etiam venisset, quamvis in carne impassibili, ut glorificaret, & sanctificaret Angelos cum hominibus per merita sua.

Dices cum Smising. Christus, si venisset in carne impassibili, non fuisset meritus aliquid: ergo.

R. N. a. Nam fuisset & tunc caput Angelorum, & hominum, ergo etiam tunc per sua merita derivasset in Angelos & homines gratiam. Et gloriosius fuisset Christo, si ab ipso Angeli & homines etiam in statu innocentiæ præservatæ, dependere debuissent. Unde etiam in illo statu fuisset simul comprehensor & Viator, non tamen pœnalitatibus illis subjectus, quibus subjici debuit propter peccatum Adæ.

Objic. 3. Nulla Christi opera habent rationem meriti completi & perfecti, nisi sint illius morte consummata: ergo non meruit Christus Angelis gratiam, cum Angelorum gratia fuerit prius decreta, quam peccatum Adami prævisum, & mors Christi determinata. M. est certa ex sacra Scriptura.

Sic

Sic Isaiæ 53. dicitur : *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Quod & D. Paulus ad Hebræ. 9. declarat insigni similitudine testamenti, quod non valet, nisi interveniente morte testatoris: quare & merita Christi nihil valuissent, nisi morte fuissent consummata. Hinc Christus in cruce jam jam moriturus dixit, *consummatum est.*

R. D. a. Nulla opera Christi habent rationem meriti completi respectu gratiæ ut reconciliatricis pro peccato originali, & aliis ex hoc tanquam radice sequentibus C. a. nulla opera habent rationem meriti respectu gratiæ præcise sanctificantis, & non præsupponentis peccatum originale. Subd. & hoc est per accidens C. a. est essentiale meritis Christi omnibus, etiam à carne passibili independentibus, & independenter à lapsu Adami & passione Christi prævisis N. a. sicut per accidens Christo fuit, quod venerit modo in carne passibili occasione peccati originalis prævisi, ita per accidens est ejus meritis saltem plurimis, quod ea nunc debuerint dependere à morte Christi, & ab hac consummatam virtutem habeant, quamvis efficaciam suam, etiam Adamo non peccante, & Christo non patiente adhuc habuissent ex dignitate infinita Verbi Divini. Videantur dicta superius.

Cæterum dum D. Augustinus Verbo Incarnato T. 23. in Joann. tribuit vivificationem corporum, non denegat ei vivificationem animarum, & Angelorum.

ARTICULUS II.

An merita & satisfactiones Christi valorem aliquem traxerint ex dignitate Verbi Divini, & an Christus de condigno & abundanter satisfecerit?

ASSERO 1. Merita & satisfactiones Christi non solum per gratiam sanctificantem, sed etiam per personam Verbi dignificantur. Scot. 3. in D. 19. q. un. §. *quantum ad sufficientiam.*

 141

tiam. n. 7. ibi: poftquam dixit, quod actus meritorius Chrifti in fe præcife fpectatus, feu præfcindendo à perfona Divina Verbi, non poffit acceptari in infinitum à Deo pro infinitis: addit: *ex circumftantia fuppofiti, & de congruo, ratione fuppofiti habuit quamdam rationem extrinfecam, quare Deus potuit illud meritum acceptare in infinitum, fcilicet extenfive pro infinitis, fi autem illud meritum fuiffet alterius perfonæ, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis fuiffet congruitas acceptationis illius pro infinitis.* Neque obftat, quod Doctor afferat, perfonam Verbi de congruo concurrere ad valorem meritorum Chrifti, hoc enim ideo dicit, quia per meritum condignum intelligit illud, quod eft complete condignum, confequenter non folum in actu primo propter æqualitatem vel excellentiam, aut valorem operis, fed etiam in actu fecundo propter accedentem promiffionem, qua Deus promittit mercedem pro tali opere, quæ promiffio juxta dicta de merito complet meritum condignum in actu fecundo.

Prob. I. ex propofitione 19, Baii à Pio V. & Gregorio XIII. confixa, quæ fic habet: *opera juftitiæ & temperantiæ, quæ Chriftus fecit, ex dignitate perfonæ operantis non traxerunt majorem valorem:* ergo ex oppofito traxerunt valorem ex perfona Divina Verbi.

Prob. II. Merita hominis jufti etiam dignificantur, & valorem accipiunt majorem ex dignitate Filii Dei adoptivi: ergo à fortiori opera Chrifti dignificantur, & valorem majorem accipiunt ex dignitate Filii Dei naturalis. A. patet iterum ex propofitione 15. Baii damnata: *ratio meriti non confiftit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum fanctum, fed in eo folum, quod obedit legi Divinæ.*

Prob. III. Dignitas perfonæ in communi æftimatione dignificat obfequium, feu meritum etiam in politicis; nam quo nobilior eft perfona, à quo procedit obfequium, eo etiam majus tale obfequium reputatur: ergo idem dicendum in propofito.

142 Affero II. Chriftus non folum condigne, fed & abundanter fatisfecit, & meritus eft pro nobis. Ita Catholici omnes.

Prob. I.

Prob. I. Pſal. 129. dicitur; *quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Ad Rom. 5. *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* 1. Corinth. 6. *empti eſtis pretio magno.* 1. Joan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

Prob. II. Ex S. Chryſoſt. homil 11. in caput. 5. ad Rom. multo ſiquidem plura, quam debeamus, Chriſtus pro nobis ſolvit, tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immenſum. Nec deſunt alii PP. qui idem dicunt: quibus accedit Concilium Triburienſe. c. 10. docens; ideo plus vini, quam aquæ adhiberi in calice conſecrando, quia major eſt ſanguinis Chriſti efficacia, quam populi fragilitas, quæ per aquam figuratur.

Ratio eſt: Ob dignitatem Perſonæ Verbi Divini dignificantis merita Chriſti, conſtituuntur ea in ſuperiore quodam ordine, ita, ut nunquam poſſint exhauriri, vel adæquari, etiamſi applicarentur pro infinitis hominibus, & pro peccatis eorum in infinitum: quæ ratio amplius dilucidabitur in ſequentibus articulis.

Ex duabus concluſionibus præcedentibus deduces 1. Sa- 143
tisfactiones & merita Chriſti ex ſe, & independenter ab acceptatione ac promiſſione Divina fuiſſe condigna & ſuperabundantia in actu primo, ita, ut poſſent mereri gratias & remiſſiones peccatorum, ac pœnarum in infinitum. Ratio eſt: quia hunc valorem non ſolum condignum, ſed & ſuperabundantem communicat meritis & ſatisfactionibus Chriſti dignitas Perſonæ Divinæ operantis, independenter ab acceptatione & promiſſione Dei, imo ideo Deus hæc merita & ſatisfactiones ad tantum effectum acceptat, quia ſunt ex ſe abundanter digna, ut ita acceptentur.

Deduces II. Satisfactiones tamen Chriſti & merita ejus condignitatem, ſeu potius efficaciam ſuam in actu ſecundo habere dependenter ab acceptatione & promiſſione Divina. Ratio hujus eſt 1. Quia licet operationes Chriſti eſſent tanti valoris,

ut possent movere Deum ad retribuenda creaturis rationalibus quævis bona, & remittenda illis omnia peccata, tamen illæ operationes Christi tanquam res creatæ non erant tales, ut possent Deum obligare ad danda illa præmia, & condonanda peccata: nam Deus nulla re creata obligari potest: ergo requirebatur ejus acceptatio & promissio ad hanc obligationem inducendam. 2. Deus potuisset operationes Christi exigere titulo altissimi Dominii, quin retribueret pro illis ullam mercedem: ergo ut non exigeret solo titulo Dominii, hujus debuit accedere promissio & acceptatio. 3. Esto labor tuus integra die exercitus in vinea alterius sit dignus stipendio diurno, tamen hoc non potes à Domino vineæ exigere, nisi te conduxerit, & tibi promiserit pro labore hoc mercedem diurnam: ergo quamvis opera Christi ex se sint abundanter digna, ut pro iis dentur hominibus & Angelis gratia & gloria, ac remittantur peccata, tamen nisi Deus acceptet in hunc finem talia, & pro illis repromittat mercedem, non sunt complete condigna in actu secundo, seu Deus non obligatur ad remunerationem talium operum.

Objic. Si Christus pro nobis abundanter satisfecit, tunc nos non tenemur satisfacere; sed hoc est falsum: ergo &c.

R. N. M. nostra salus non solum dependet ab abundantia & valore meritorum Christi, sed etiam ab applicatione & communicatione illorum nobis facta per sacramenta, & nostram cooperationem.

Ex quo habes, vim satisfactionis Christi in actu secundo essentialiter, vel saltem principaliter stare in eo, quod Christus omnibus hominibus obtinuerit saltem media sufficientia ad salutem. Ratio est, quia Christus non voluit per sua merita & satisfactiones remitti quæcunque peccata sine cooperatione libera adultorum, neque originale voluit dimitti in parvulis sine ullo remedio illis applicato v. g. sine baptismo in lege nova.

ARTI-

ARTICULUS III.

An Chriſtus ſatisfecerit ex rigore juſtitiæ?

ASSERO: Chriſtus non ſatisfecit pro nobis ex rigore juſti- 144
tiæ. Communis Scotiſtarum contra Poncium. Scotus in 4. D. 46. q. 1. §. *ad argumenta principalia* ait: *Deus non eſt debitor, niſi bonitati ſuæ, creaturis autem eſt debitor ex liberalitate ſua*; atqui ſi Chriſtus qua homo ex rigore juſtitiæ ſatisfeciſſet pro nobis, tunc nobis eſſet debitor non ex liberalitate ſua, ſed ex rigoroſo titulo juſtitiæ: ergo. Idem tenent Lugo, Vaſquez, Gormaz, & alii plures ab his citati.

Prob. I. Si ſatisfactio Chriſti fuiſſet ex juſtitia rigoroſa, tunc hac ſatisfactione præſtita Deus Chriſto feciſſet injuriam ſtricte dictam, ſi noluiſſet remittere peccata humani generis; ſequela videtur eſſe falſa: ergo & id, unde ſequitur. M. patet; nam ſatisfaciens ex rigore juſtitiæ acquirit jus adverſus offenſum, ut hic offenſam & vindictam remittat; quod ſi offenſus nolit remittere, infert injuriam ſtricte dictam ſatisfacienti, quia lædit ejus jus, quod habet ad remiſſionem. m. prob. videtur implicare, quod creatura, quæ eſt eſſentialiter ſubjecta Deo, contra hunc aliquod jus ſtrictum acquirat, ita, ut Deus contra hoc jus agens dici poſſit injurius creaturæ: nam ſi creatura haberet jus adverſus Deum, tunc creatura aliquo modo ſuperioritatem erga Deum haberet, & Deus eſſet aliqua ratione inferior, & ſubjectus, ſeu obligatus creaturæ: quod implicat. Hinc licet Deus acceptarit opera Chriſti in ſatisfactionem pro peccatis humani generis, & pro iis promiſerit nobis remiſſionem peccatorum, tamen per hoc non eſt nobis debitor factus, ſed ſibi, nimirum ſuæ veracitati, & fidelitati, ne ipſe labem infidelitatis incurrat, ut notat Scotus cit. cum D. Thoma & aliis PP. Videatur tractatus de jure & juſtitia: ubi ſatis oſtenſum eſt, quod Deus non poſſit obligari ex titulo ſtrictæ juſtitiæ.

Confirm. Nec Deus, qua Perſona Divina, nec qua homo poteſt adverſus Deum habere jus ſtrictum juſtitiæ in ordi-

ne ad remittenda peccata. Non qua Perſona Divina; alias haberet hoc jus contra ſe ipſam; jus enim hoc in Divinitate, vel in voluntate Divina fundatur, quæ etiam eſt in perſona Filii, ac in omnibus tribus Perſonis æqualiter; atqui nec Divinitas nec perſona Filii Divini ratione Divinitatis poteſt adverſus ſe ipſam habere jus; cum nemo contra ſe habeat jus.

Neque tale jus ſtrictum adverſus Deum habet Chriſtus qua homo, quia taliter eſt eſſentialiter creatura, proinde eſſentialiter cum omnibus ſuis actionibus meritoriis Deo ſubjicitur, neque ulla ratione per illas contra Deum jus acquirere poteſt.

Objic. I. Meritum Chriſti a Verbo dignificatum eſt infiniti valoris: ergo licet actio alterius creaturæ non dignificata per Verbum non poſſit obligare ex rigore juſtitiæ Deum, tamen hæc poteſt.

R. 1. N. a. juxta dicenda. R. 2. licet meritum Chriſti ſit dignificatum à Verbo, & transmiſſo, quod ſit infiniti valoris, tamen eſt, & manet actio creata, quæ non poteſt obligare Deum; neque Verbum dignificans talia merita poteſt fundare jus adverſus Deum: quia alias Deus haberet jus adverſus ſe ipſum. Et implicat unam perſonam Divinam obligari alteri.

Objic. II. Peccatum eſt injuſtitia rigoroſe dicta contra Deum: ergo ut ſatisfactio pro peccato ſit condigna & æqualis, debet & ipſa eſſe à juſtitia rigoroſa.


R. 1. retorq. argument: ergo ut Chriſtus ſatisfecerit condigne pro peccatis impænitentiæ & infidelitatis &c. debuit & ipſe exercere actus formales virtutis pænitentiæ, & fidei, quod tamen univerſaliter negatur.

R. 2. N. c. Actus ſatisfactorius non debet neceſſario ſpectare ad illam virtutem, cui opponitur peccatum vel offenſa, ut patet ex retorſionibus, ſed tantum requiritur, ut actus, qui in ſatisfactionem fit, æſtimabilitate & bonitate ſua adæquet offenſam, & injuriam illatam per peccatum, quod fieri potuit

per

per actus meritorios, & satisfactorios elicitos ex motivo aliarum virtutum, quibus non opponebantur peccata commissa.

Sunt plura, quæ pro & contra nostram conclusionem dici possunt, ea tamen multum habent quæstionis de nomine, cui non adeo est immorandum.



ARTICULUS IV.

An satisfactio & merita Christi sint valoris simpliciter & intrinsece infiniti?

ASSERO & Rdeo. negative. Scotus in 3. D. 19. q. un. n. 9. & 10. cum omnibus suis excepto unico Vulpe contra 145
Thomist. & RRes. plerosque.

Prob. I. Ille effectus est simpliciter finitus, ad quem præter principium infinitum concurrunt plura principia finita; sed ad valorem meritorum, & satisfactionem Christi præter infinitam Personam Verbi concurrunt plura principia finita: ergo merita & satisfactiones Christi sunt simpliciter finitæ. M. videtur esse certa: *tum quia effectus sequitur debiliorem partem causæ, & bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Tum, quia principium finitum nullam habet proportionem ad effectum aliquem infinitum. Tum, quia Deus ceu principium infinitum cum causa creata concurrens finitum tantum effectum efficit. m. vero prob. Ad valorem meritorum & satisfactionum Christi præter infinitam personam Verbi concurrunt moralis actus, bonitas, ejus objectum, ac plures circumstantiæ, ut difficultas, intensio, duratio, quæ omnia sunt finita.

Rdebis. I. Sola dignitas Verbi formaliter dignificat merita Christi, & illis valorem tribuit, non vero bonitas moralis ex objecto, fine, aliisque circumstantiis desumptum, quæ tantum

tantum ſe habent præſuppoſitive ad dignitatem & valorem meriti Chriſti, & ejus ſubſtratum materiale ſolum conſtituunt.

Contra eſt 1. Si ſola dignitas Verbi formaliter conſtituit valorem meritorum & ſatisfactionum Chriſti, & ad hunc nullum aliud principium formale requiritur, tunc non eſt ratio, cur non quoque actiones mere naturales & involuntariæ Chriſti, ut pulſus arteriarum, & cordis fuerint infiniti valoris in ratione meriti & ſatisfactionis: & cur non etiam, ſi Verbum aſſumpſiſſet naturam leoninam, actiones leoninæ fuiſſent infinite meritoriæ, & ſatisfactoriæ: nam & actiones illæ naturales, & hæ beſtiales habuiſſent principium formale, & adæquate conſtitutivum dignitatis & valoris, & quidem infiniti meritorum Chriſti juxta AArios: ergo.

Contra eſt ſecundo. Valor operis ſatisfactorii, vel meritorii, eſt vel ipſa bonitas moralis operis, vel ſaltem eſt paſſio immediate conſequens bonitatem moralem; atqui hæc bonitas moralis, & æſtimabilitas ejus non deſumitur unice à perſona & ſuppoſito operante, ſed etiam ab aliis principiis ad opus concurrentibus vg. ab objecto, difficultate, intenſione diuturnitate &c, etiam hæc principia finita præter Perſonam infinitam concurrunt ad valorem operum & meritorum, ac ſatisfactionum Chriſti.

Contra eſt 3. Etiam juxta AArios multos gravitas offenſæ in peccato non deſumitur unice ex dignitate perſonæ offenſæ, aut vilitate perſonæ offendentis: ſed etiam ex cognitione, objecto, intenſione, & aliis circumſtantiis &c. ergo neque valor meritorum, & ſatisfactionum deſumitur unice ex dignitate perſonæ infinitæ præſtantis ſatisfactionem, ſed etiam ex aliis principiis concurrentibus.

Contra eſt 4. Si valor meritorum proveniret à ſola dignitate perſonæ operantis, tunc homo in majori gratia ſanctificante conſtitutus plus mereretur, ſi tantum minimum opus ſupernaturale eliceret, quam alius minori gratia præditus, eliciens actum præſtantiſſimum & ſumme heroicum amoris; atqui hoc eſt abſurdum: ergo & illud, unde ſequitur.

Contra

Contra est 5. Quamvis gratia sanctificans in homine justo concurrat ad opus meritorium dignificandum in genere causæ formalis moralis, tamen ejus effectus, seu opus meritorium limitatur per alia principia simul concurrentia, ut per objectum, finem, & circumstantias, intensionem actus &c. & sic homo justus habens gratiam sanctificantem ut 7mo. intensam minus mereretur per actum charitatis intensum ut duo, quam intensum ut tria vel quatuor: ergo à pari, quamvis Verbum Divinum in genere causæ formalis moralis dignificaret merita Christi, tamen hæc limitarentur per alia principia simul concurrentia.

Contra est 6. Persona Divina ad actus Christi dignificandos duntaxat concurrit in ratione suppositi, non vero in ratione naturæ: ergo natura humana Christi limitata sub ratione sibi propria per potentias suas, intellectum & voluntatem pariter concurrit ad dignificandas ejusmodi actiones, sed solum limitato modo, quia & ipsa natura humana Christi tantum limitata est.

Prob. II. Non datur unum infinitum majus altero; sed inter merita Christi unum est majus altero quoad valorem: ergo merita Christi non sunt infinita quoad valorem. m. prob. quia utique plus meritus est Christus per tolerantiam & acceptationem crudelissimæ mortis, quam per unicum suspirium? insuper plus meritus est Christus omnibus operibus meritoriis simul acceptis, quam una actione seorsim & solitarie considerata.

Prob. III. Quamvis suppositum Divinum, maxime juxta AArios sanctificet sanctitate increata humanitatem Christi, tamen sanctificat solum modo finito, eoquod humanitas Christi, tanquam creatura solum sit capax sanctitatis finitæ: ergo quamvis suppositum Verbi dignificet actus & opera humanitatis Christi, tamen ea dignificat tantum modo finito, quia actiones finitæ sunt capaces solius dignitatis finitæ.

Prob. IV. Suppositum Divinum in se physice entitative spectatum neque influit physice in actum meritorium humanitatis Christi, nec eum sub ratione meriti & valoris intrinsece consti-

constituit, sed tantum influit in eum moraliter, quasi forma moralis: ergo hic influxus non debet esse necessario ad æqualitatem, & juxta dignitatem infinitam Verbi, maxime, cum actio meritoria creata talis infinitæ dignitatis non videatur esse capax. A. constat ex hoc, quia actiones præsertim humanitatis Christi sunt tantum denominative suppositi, & ab hoc tantum denominative dignificantur, quatenus ob communicationem idiomatum denominant suppositum Divinum, & fiunt actiones Theandricæ, & ob hoc evehuntur ad dignitatem & ordinem supremum in ratione meriti & valoris, non tamen fiunt formaliter & intrinsece infinitæ, nec pro constitutivo formali habent ipsam personalitatem Verbi.

Prob. V. Si homo per impossibile haberet gratiam sanctificantem infinitam, omnia opera ejus non essent valoris simpliciter infiniti; sed opera perfectiora plus, & minus perfecta minus mererentur: ergo idem dicendum de operibus meritoriis Christi, quamvis hæ dignificentur per personalitatem infinitam Verbi. C. patet, quia Verbum dignificat opera humanitatis Christi ad normam, qua nostra opera de condigno meritoria dignificat gratia sanctificans, scilicet commensurative ad majorem vel minorem perfectionem actus.

146 Objic. I. Variæ authoritates dicunt, merita Christi esse infinita: ergo sunt infinita.

R. d. a. dicunt esse infinita secundum quid negative C. a. infinita simpliciter & intrinsece N. a. non sunt simpliciter infinita ista merita, ut dictum est, sunt tamen eatenus infinita secundum quid, & negative, quatenus sunt in supremo quodam ordine, ita, ut per nulla præmia excogitabilia in infinitum eorum valor, imo etiam valor unius meriti Christi possit adæquari, & exhauriri, & ut sufficiant impetrandæ remissioni, & præstandæ satisfactioni pro peccatis in infinitum committendis, à quibus pariter vis satisfactoria eorum exhauriri nequit.

Dices: Eo ipso, quod nec unius meriti valor possit adæquari vel exhauriri per præmia in infinitum possibilia, debent merita Christi esse intrinsece infiniti valoris: ergo.

R. N. a.

R. N. a. Licet unum peccatum mortale non possit in malitia & offensa adæquari per infinita peccata venialia, tamen non est infinitæ malitiæ, ut multi ex nostris AAriis, & inter hos clarissimus D. Mayr docent, sed solum ex hoc sequitur, quod sit in superiore quodam ordine malitiæ & offensæ Dei respectu omnium peccatorum venialium: ergo licet unum meritum Christi non possit exhauriri per infinita præmia possibilia, tamen non est infiniti valoris intrinseci, sed solum est in superiore quodam ordine respectu omnium præmiorum. 2. Angelus ex eo non est simpliciter infinitæ perfectionis, quod excedat in perfectione infinitas possibiles creaturas inferiores corporales, producibiles, sed tantum est in superiore ordine respectu talium creaturarum corporearum: ergo idem est dicendum in proposito.

Igitur meritum Christi duntaxat habet infinitatem negativam, & secundum quid: consistit autem hæc infinitas negativa in excellentia ordinis, quatenus merita Christi ob Personam Verbi ita sunt in supremo ordine satisfactionis & virtutis meritoriæ, ut major satisfactio dari, aut excogitari non possit; quia non potest esse major persona, quæ talem satisfactionem poneret: & ob ipsum hunc ordinem supremum non tot peccata committi, nec tot præmia concedi possunt, quæ adæquarent, & exhaurirent valorem operum Christi, & sic sufficit iste valor pro infinitis præmiis obtinendis, & infinitis peccatis delendis: quia omnia præmia & peccata excogitabilia sunt in ordine inferiore respectu meritorum Christi.

Per hoc tamen non adstruitur aliqua infinitas intrinseca in meritis Christi: nam licet sint in supremo ordine, tamen in hoc sunt intrinsece finita; tum ob principia finita ad ejus valorem concurrentia, tum quia ipsum Verbum infinitum tantum finito, quamvis supremo modo dignificat hæc merita, ceu actiones creatas, quæ sunt incapaces infinitæ dignitatis: tum quia in ipso hoc ordine supremo meritorum dantur aliqui gradus, & inæqualitas, cum unum meritum altero sit majus; quod in rebus infinitis implicat: nam unum infinitum altero majus esse non potest.

Inftabis : Ex effectibus perfectioribus & perfectioribus in infinitum, ad quos fe extendere poteft omnipotentia Dei, arguimus infinitam virtutem productivam in Deo : ergo etiam ex injuriis infinitis gravioribus & gravioribus in infinitum, ad quas per modum condignæ fatisfactionis fe extendere poteft valor operum Chrifti, arguere debemus infinitum valorem fatisfactorium in talibus operibus Chrifti.

R. 1. invert. argument. Ex cognitionibus perfectioribus, & perfectioribus, quas intellectus Angelicus poffet habere in infinitum circa objecta poffibilia perfectiora & perfectiora, non licet ftatim inferre perfectionem infinitam in tali intellectu : ergo à pari ex hoc, quod fufficiat fatisfactio Chrifti pro gravioribus & gravioribus peccatis in infinitum, non licet inferre infinitatem ejus intrinfecam.

R. 2. N. c. & parit. Quamvis omnipotentiæ infinitas ex prædicto capite fequatur; tamen inde folum infertur, quod illa caufa phyfica efficiens fit infinitæ virtutis, quæ fe poteft ad effectus femper perfectiores in infinitum extendere, non vero etiam fequitur, quod caufa moralis debeat habere infinitam virtutem : etenim caufæ moralis virtus in ordine ad caufandum effectum bonum defumitur ex bonitate, ac perfectione & æftimabilitate talis caufæ : fed fæpe poteft bonitas unius rei finitæ effe in tam excellenti ordine, ut per alias res inferioris ordinis in infinitum multiplicatas non poffit adæquari vel exhauriri. Exemplum habes de vifione beatifica Angeli, vel animæ beatæ, quæ tantæ perfectionis eft, ut per cognitiones alias inferioris ordinis in infinitum poffibiles non poffit adæquari, & tamen eft folum finita. Iterum de actu aliquo fupernaturali, qui ita præponderat in ratione meriti actibus mere naturalibus honeftis, ut his etiam in infinitum multiplicatis non poffit æquari : Idem conftat ex oppofito de unico peccato mortali, quod quia eft in fuperiori ordine refpectu venialium, ab his etiam infinitis quoad malitiam non adæquatur : igitur quia fatisfactio Chrifti ob perfonam Divinam ad fupremum ordinem inter res finitas elevatur, ideo ea etiam moralem valorem habet ad quævis peccata in infinitum dimittenda, ita, ut ab his non poffit exhauriri. Objic. II.

Obiic. II. Valor satisfactionis crescit ex persona operante, & satisfaciente : quo enim maior est persona satisfaciens, eo maioris valoris est eius meritum ac satisfactio : ergo si persona satisfaciens sit infinita, satisfactio quoque erit infiniti valoris.

R. 1. retorq. argument. Actus amoris crescit ex dignitate objecti amati : ergo si objectum amatum est infinitum, etiam amor est infinitus.

R. 2. D. a. Valor satisfactionis crescit aritmethice juxta dignitatem personæ operantis, & ad æqualitatem dignitatis talis personæ N. a. crescit non ad æqualitatem, & proportione incommensurabili C. a. & N. c. dignitas quidem Personæ auget valorem meriti, sed non certa & aritmethica proportione, nec ad æqualitatem, ita, ut meritum & satisfactio tantum in suo genere crescat, quanta est dignitas personæ. Exempli causa, crescit quidem amor ex objecto, & perfectior est, si perfectius objectum amatur, non vero crescit ad æqualitatem objecti, ut tantus sit, quantum est objectum, consequenter infinitus sit, si objectum est infinitum : nam non solum objectum concurrit, sed & alia principia ad perfectionem amoris, quæ ejus bonitatem limitare possunt. Idem in proposito dic ad argumentum, quia etiam valor meriti & satisfactionis non desumitur unice à dignitate personæ, sed etiam ab aliis principiis, & dato, quod totus valor desumeretur à dignitate infinita Verbi, tamen hæc tantum modo finito dignificaret actiones creatas humanitatis Christi : de quo statim plura.

Dices : Suppositum Christi infinite excedit supposita alia creata : ergo & meritum Christi infinite excedit merita aliorum suppositorum.

R. N. c. Nam merita Christi non crescunt ad æqualitatem & aritmethice juxta dignitatem Personæ. Vel D. .c Meritum Christi excedit infinite infinitate extrinseca, & negativa C. c. infinite intrinsece N. c. eo ipso, quod merita Christi infinita negative, seu sint in supremo ordine, jam per nulla merita, etiam in infinitum ponibilia ab aliis suppositis inferioribus possunt exhauriri vel adæquari.

Instabis. Suppositum Divinum est forma intrinsece constitutiva valoris meritorii, & satisfactorii: ergo sicut suppositum Divinum, tanquam forma intrinseca, est formaliter & intrinsece infinitum: ita quoque valor meritorius Christi erit formaliter intrinsece infinitus. A. indicatur ab Apostolo dicente ad Hebræ. 5. *dum esset filius Dei, exauditus est pro sua reverentia.*

R. D. a. Suppositum Divinum est forma vera physica, secundum entitatem & dignitatem suam physicam constituens valorem intrinsece N. a. est quasi forma moralis moraliter tantum constituens & dignificans valorem meriti. C. a. N. c.

Universaliter Persona, vel suppositum operans physice spectatum non constituit intrinsece, tanquam forma dignificans, valorem meritorum; sed est tantum quasi forma moralis propriæ suæ operationis, & moraliter, seu in æstimatione morali, & per denominationem extrinsecam eam dignificans: nam eo nobilior est honor, vel obsequium, quo nobilior est persona præstans talem obsequiosam actionem. Interea non tota forma constituens valorem obsequii & meriti est unica dignitas personæ: alias enim non esset attendendum, qualem vel quantam actionem, quam intensam, quam laboriosam persona in dignitate constituta exercet: & ejusdem valoris esset in Principe eleemosyna paucorum crucigerorum, ac elargitio plurimorum millium aureorum: nam utique actus à sola dignitate operantis personæ, quæ est eadem, dignificaretur, non vero à quantitate materiæ, aut ab aliis circumstantiis: quod tamen falsum esse videtur.

Deinde specialiter notandum est ex Amico T. 3. Disput. 35. Art. 6. quod non idem valor, & dignitas, quam habet persona Divina Verbi, communicetur operibus humanitatis Christi. Nam dignitas Verbi cum hoc identificatur, & est à se, & est essentialiter immultiplicabilis: valor vero communicatus operibus & meritis humanitatis Christi est tantum denominative à Verbo, & est valor Verbi solum moraliter, non physice: insuper istevalor est ab alio multiplicatus juxta multiplicationem operum humanitatis Christi. Quare valor Verbi

bi ipsius intrinsecus est magis æstimabilis, quam communicatus operibus humanitatis.

Paucis: Opera humanitatis Christi tantum denominative per denominationem extrinsecam à Verbo desumptam, & sic moraliter non physice dignificantur à Verbo Divino: actiones enim sunt suppositorum tantum denominative; proinde dignificantur à suppositis tantum denominative, non vero intrinsece, ac physice, quasi supposita secundum propriam & totam entitatem physicam essent partes constitutivæ actuum ut meritoriorum. Unde per actum meritorium Christi non intelligitur totum complexum ex actu & Christo, ac supposito Divino operante; quale complexum est physice infinitum in ratione entis, utpote in se excludens personam Divinam infinitam: sed intelligitur sola operatio humanitatis Christi moraliter dignificata per Personam Verbi, quæ inde dici solet Theandrica, ac Deificata.

Objic. III. Ideo merita & satisfactiones Christi non sunt juxta nos infiniti valoris, quia in hoc sunt inæquales: ut dictum est prius: sed hæc ratio nulla est: nam omnia merita æquale mererentur præmium: ergo sunt æqualia: ergo.

R. C. M. N. m. omnia mererentur æquale præmium, seu gratias & præmia in infinitum possibilia. C. m. mererentur æquali modo & jure N. m. majus meritum tribuit majus jus, & fortiorem titulum, quod sufficit ad majorem vim merendi: nam possunt duo eamdem rem ac idem præmium mereri, & tamen unus habet majus meritum, quam alter, qui nobiliorem actionem posuit pro assequendo hoc præmio.

Dices 1. Si merita Christi essent inæqualia, tunc ideo, quia plus meritus esset omnibus actionibus meritoriis, quam una sola; sed hæc ratio nihil probat: nam una persona perfectione & dignitate est æqualis omnibus tribus Personis: ergo etiam una actio Christi quoad valorem meritorium potest esse æqualis omnibus actionibus Christi.

R. C. M.

R. C. M. & N. m. ad ejus prob. N. c. & paritatem : æqualitas personarum Divinarum desumitur adæquate ab una natura Divina, quæ æqualiter inest singulis tribus Personis : at vero valor meritorum Christi non desumitur unice à Personalitate Verbi ; sed etiam à fine, objecto, circumstantiis, quæ non sunt æqualiter in singulis meritis Christi.

Dices. 2. Complexum ex Deo & una creatura est æquale complexo ex Deo, & omnibus creaturis : ergo unum meritum Christi est æquale omnibus meritis Christi.

R. N. c. In illo exemplo de complexo ex Deo & creatura spectatur Deus in se physice & realiter, ac secundum omnes perfectiones suas, & prout continet omnes creaturas eminenter. Unde tale complexum est simpliciter infinitum, sive Deus cum una, sive cum multis creaturis sumatur imo ipse Deus solus sine ulla creatura est simpliciter infinitus. Ast in proposito sumitur persona Divina non in se physice, ac realiter, sed tantum quatenus moraliter secundum proportionem communicatur actionibus meritoriis Christi, earumque valorem ita constituit, ut admittat alia principia creata, quæ ipsa persona Divina non supplet. Pro quo magis intelligendo.

Dices 3. Persona Verbi infinita continet eminenter omnes perfectiones principiorum creatorum concurrentium ad actum meritorium Christi, easque sua perfectione quasi absorbet : ergo à sola personalitate Verbi valor meritorum Christi desumendus est.

R. D. a. Verbum eminenter continet omnes perfectiones principiorum concurrentium &c. & tamen ut taliter continens istas perfectiones non influit, nec constituit actus meritorios Christi C. a. secus N. a. Verbum Divinum in actiones meritorias Christi solum influit sub ratione Personæ, & quatenus continet dignitatem vel perfectionem suppositi ; cujus ratio est : quia Verbum humanitatem & perfectiones humanitatis tantum assumpsit in ratione Personæ terminantis illarum dependentiam : ergo tantum munus personalitatis humanæ & creatæ supplet modo quodam eminenti, non vero supplet naturam ipsam humanam

manam, nec influxum potentiarum activarum humanitatis, scilicet voluntatis, aut intellectus, neque aliorum comprincipiorum. Unde neque supplet libertatem, aut bonitatem moralem quam habent actus meritorii tam à voluntate humana, quam ab aliis comprincipiis creatis: alioquin etiam pulsus cordis, & alii actus mere naturales, libertate carentes essent in Christo meritorii, quia libertatem & moralitatem creatam, qua carent, supplet Verbum. Imo alias etiam natura leonis assumenda à Verbo esset capax meriti, & satisfactionis infinitæ; quia cognitionem intellectivam, ac libertatem voluntatis ad meritum requisitam suppleret Verbum, hæc omnia eminenter in se continens.

ARTICULUS V.

An pura Creatura potuisset de condigno satisfacere pro peccato mortali, vel peccatis omnibus mundi?

NOTA 1. Per puram creaturam hic intelligi hominem vel Angelum non unitum hypostatice Verbo Divino, vel alteri personæ Divinæ, ornatum tamen donis supernaturalibus gratiæ. Quare per creaturam puram non intelligitur illa, quæ solis naturalibus viribus provisa destituitur gratia sanctificante, ac omnibus aliis donis supernaturalibus. 147

Nota 2. Non esse quæstionem de satisfactione de congruo, sed de condigna, & æquivalenti offensis Deo illatis.

Nota 3. Non posse creaturam aliquam puram tam perfecte, nec abundanter satisfacere, sicut satisfecit Christus: ratio est: quia merita & satisfactiones creaturæ puræ non dignificantur per suppositum Divinum, & hinc nunquam ad tantum valorem ascendere possunt, quantum obtinent actiones Christi à Verbo Divino dignificatæ. His præmissis.

148 Dico. De absoluta potentia pura creatura immunis à peccato originali, & instructa plenitudine gratiæ potuisset satisfacere pro peccato mortali alterius hominis, imo pro peccatis totius generis humani. Scot. in 3. D. 20. §. *contra illud* n. 9. ubi ita ait: *præterea unus purus homo potuisset satisfacere pro omnibus, si fuisset conceptus sine peccato, sicut potuisset fieri de possibili, & Deus dedisset sibi summam gratiam, quam potuisset recipere, sicut dedit Christo sine præcedentibus meritis ex liberalitate sua*: talis enim potuisset mereri deletionem peccati, sicut & beatitudinem. Scotistæ contra extraneos.

Hæc conclusio ab aliquibus non recte probatur: quia totus valor satisfactionis & meriti condigni provenit ex acceptione Divina, & Deus potuisset acceptare opera puri hominis, sicut acceptavit opera Christi. Nam contra hanc probationem est 1. Quia condignitatem & æqualitatem operis meritorii in actu primo non dat acceptatio vel promissio Divina, sed hæc illam condignitatem jam supponit, ut dictum est superius in Tract. de merito. 2. Si hæc probatio subsisteret, potuisset Deus acceptare opera pure naturalia hominis in puris naturalibus constituti: ut ex textu pro conclusione laudato apparet. 3. Iterum si vera foret ista probatio, potuisset pura creatura tam perfecte satisfacere, sicut Christus satisfecit, quia potuissent opera creaturæ puræ æqualiter acceptari, ac opera Christi: quod est contra Scotum. in 3. D. 19. q. un. §. *quantum ad sufficientiam* n. 7. ubi docet, quod opera cujuscunque creaturæ non unitæ Verbo non habeant, nec habere possint condignitatem, quæ in Christo desumitur à supposito Divino. 4. Acceptatio non reddit opus condignum, sed tantum declarat Deum tali satisfactione, seu condigna sit, seu non, contentum esse.

Probant. alii 2. Iterum non bene negantes, quod peccatum crescat in ratione offensæ ob personam seu Deum offensum. Etenim licet offensa mere realis, quæ fit in bonis externis, & in pecunia non crescat ex dignitate personæ, tamen sic crescit offensa personalis; patet in offensa illa, qua afficitur persona Regis, quæ eo major est, quo altior est persona: hinc major est injuria inflicta superiori, quam subdito, vel alteri, qui non est

est constitutus in aliqua dignitate. His igitur probationibus dimissis concludo aliter.

Prob. I. Non potest hujus implicantia ostendi, ut ex solutione objectionum constabit. 2. Reddens personæ offensæ tantum, quantum per offensam abstulit, præstat satisfactionem condignam, & æquivalentem offensæ; sed pura creatura donis supernaturalibus exornata de potentia absoluta potest tantum reddere Deo, quantum ipsi per peccatum, & offensam mortalem abstulit: ergo potest creatura pura de potentia absoluta præstare Deo pro peccato mortali satisfactionem condignam. m. prob. tota malitia, gravitas & offensa peccati mortalis consistit in privatione rectitudinis & honestatis debitæ, & in aversione à Deo tanquam ultimo fine, & supremo Bono; sed in actu charitatis sunt omnia bona his malis opposita: est enim rectitudo debita, est conversio ad Deum tanquam ultimum finem, & supremum Bonum: ergo creatura pura donis supernaturalibus exornata eliciens actum charitatis redderet omne illud, quod per peccatum mortale est ablatum: ergo per actum charitatis posset pro aliquo peccato mortali alterius satisfacere, si cæteroquin vellet Deus ejusmodi actum charitatis in satisfactionem acceptare.

Prob. II. Posset Deus aliquem hominem purum producere absque peccato originali, eumque constituere caput omnium hominum, ac opera ipsius tanquam merita & satisfactiones velle acceptare juxta dignitatem eorum intrinsecam, ac simul statuere, quod velit solum intuitu meritorum talis hominis aliis hominibus peccantibus primam gratiam & remissionem peccatorum conferre. 2. Posset Deus tali homini gratiam sanctificantem conferre tantam, quantam contulit Christo, vel adhuc duplo aut triplo majorem. 3. Posset Deus hunc hominem ita exornatum gratiis conservare per multa millia annorum: atqui his suppositis non videtur esse impossibile, talem purum hominem per actus charitatis sæpissime repetitos, & multiplicatos satisfacere condigne pro peccatis totius generis humani: ergo.

Prob. III. Impugnando rationem præcipuam AAorum. Quamvis peccatum in ratione offensæ crescat ex dignitate infinita Dei offensi, tamen peccatum sub ratione offensæ non est simpliciter infinitum, nec ita incomparabiliter magnum, ut per nullam satisfactionem creaturæ puræ possit æquari: ergo pura creatura potest de condigno satisfacere pro peccato mortali: Consequentia est liquida. A. quoad 1. membrum jam abunde probatum est in Tract. de peccatis Tomo. 3. Quoad 2. membrum vero prob. 1. Quamvis peccatum in ratione offensæ sit in supremo ordine inter offensas, ita, ut nulla offensa alterius entis à Deo distincti, quatenus præcise est offensa talis entis creati, possit in gravitate esse æqualis peccato & offensæ Dei; tamen inde non sequitur, quod tale peccatum etiam sit in supremo ordine respectu omnium satisfactionum puræ creaturæ, ita, ut per eas quantumcunque excellentes, & multiplicatas non possit adæquari, & de condigno extingui: ergo.

Confirm. 1. Si non posset condigne satisfacere aliqua pura creatura, tunc ideo, quia ad condignam satisfactionem requiritur æqualitas inter personam offensam, & satisfacientem, & consequenter requiritur, ut persona Divina satisfaciat Deo offenso, & non pura creatura, vel persona creata; sed hæc ratio videtur esse falsa: ergo. M. est Achilles AAriorum. m. prob. 1. Quia ad compensationem condignam offensæ non exigitur æqualitas inter personam satisfacientem & offensam, sed sufficit æqualitas inter offensam & satisfactionem, seu inter peccatum & opus pro eo præstitum. 2. Si ad satisfactionem æquivalentem & condignam requiritur semper æqualitas inter personam offensam, & satisfacientem, tunc homo plebejus nunquam potest satisfacere Principi offenso: quia homo plebejus non est æqualis in dignitate personæ Principis; sed hoc videtur esse falsum: nam homo etiam infimæ conditionis videtur de condigno satisfacere Principi offenso, si pro ipsius vita conservanda manifesto mortis periculo se exponat, præsertim, si hoc sæpius faciat.

Nec dicas, Personam Principis offensi & subditi satisfacientis non differre essentialiter, bene vero personam Divinam

nam offensam, & creaturam puram satisfacientem. Nam contra est: inter personam Principis, & personam infimi subditi moraliter spectatos est essentialis inæqualitas, & tamen obsequium ab infimo subdito præstitum potest esse æquale injuriæ illatæ principi, quoad vim satisfaciendi: ergo.

Confirm. 2. Gratia sanctificans intensissima homini tali collata ipsum & ejus opera plurimum dignificaret, maxime, quia gratia sanctificans est quædam participatio naturæ Divinæ, hominem, etsi vilem, elevans ad statum supernaturalem supremum, & esse quoddam Divinum juxta illud: *vos Dii estis, & filii excelsi omnes*: ergo homo instructus tanta gratia videtur posse ponere satisfactionem æqualem peccato. Nam obsequium & quidem excellens ac arduum præstitum à tali filio Dei, adoptivo, tam grato, & tam excellenti modo participante naturam Divinam per gratiam, videtur esse æquale injuriæ illatæ alicui personæ Divinæ, maxime, quia persona Divina infinitam gravitatem non transfundit in peccatum, sed hoc tantum finito modo aggravat.

Confirm. 3. Transmisso, sed minime concesso, quod peccatum grave aliquo modo sit superioris ordinis respectu satisfactionis puræ creaturæ, tamen etiam aliqua, quæ videntur in moralibus esse ordinis superioris, possunt adhuc coæquari per plura entia inferioris ordinis sufficienter repetita, & multiplicata aut intensa: ergo idem in proposito dicendum est. A. prob. licet furtum sit inferioris ordinis, quam peccatum contra Religionem, potest tamen furtum gravissimum vg. aliquot mille aureorum esse gravius in æstimatione morali, quam omissio Sacri die festo, quæ est peccatum contra Religionem: item actus spei possunt ita intense & frequenter elici, ut in ratione meriti præponderet actui charitatis, quamvis spes sit in ordine inferiore, quam charitas: ergo.

Confirm. 4. Juxta AArios potest homo purus satisfacere de condigno pro peccato veniali, quamvis hoc sit offensa Dei infiniti: ergo etiam potest satisfacere de condigno pro peccato mortali, quamvis & hoc sit offensa Dei infiniti. Et sane

si in satisfactione condigna pro peccato veniali non debet esse æqualitas inter personam offensam, & offendentem, tunc neque hæc debet esse in satisfactione pro peccato mortali: vel enim ista æqualitas inter has personas universaliter requiritur, vel nunquam? certe argumentum AAorum. universaliter probat.

148 Objic. I. SS. PP. insinuant absolutam necessitatem meritorum & mortis Christi ad satisfactionem condignam pro peccato mortali: ergo.

R. 1. SS. PP. dicunt, mortem & merita Christi fuisse necessaria 1. non solum ad condignam, sed etiam superabundantem, & tam excellentem satisfactionem, qualem Christus potuit, & nulla creatura pura etiam juxta nos præstare potuisset. 2. Vel loquuntur de mera convenientia, & non absoluta necessitate. 3. Vel loquuntur de necessitate supponente decretum Divinum, & de moderna providentia, in qua Deus noluit aliam satisfactionem acceptare, quam Christi. 4. Vel dicunt, quod creatura pura, peccato originali vel actuali inquinata, de qua hic non est quæstio, non potuerit pro omnibus condignam satisfactionem præstare.

Ex hoc liquet, quod Christus in nostra sententia non omnino sit gratis & frustra mortuus; quia ejus mors fuit necessaria necessitate consequente Decretum Divinum, & quia hæc redemptio fuit convenientior quam alia.

Objic. II. Offensa Dei infiniti non potest æquari, nisi per satisfactionem Personæ infinitæ, qualis persona non est creatura pura: ergo creatura pura non potest præstare satisfactionem æqualem offensæ Divinæ. A. prob. *honor est in honorante, & offensa in offendente*; sed ratio offensæ desumitur à persona offensa, & satisfactio à persona satisfaciente, consequenter nisi inter has personas fiat æqualitas, neque fieri potest inter ipsam offensam & satisfactionem.

R. N. a. ad ejus prob. dico equidem, rationem obsequii & satisfactionis & meriti partialiter desumi à persona exhibente tale obse-

obsequium; quo major est persona præstans obsequium, eo majus hoc est: ast non desumit adæquate valorem suum à persona; sed etiam ab aliis comprincipiis: ita vicissim est de offensa Dei. Quare licet inter personas ipsas non sit æqualitas, potest tamen fieri inter injuriam & satisfactionem, maxime, quia Deus offensus tantum moraliter & extrinsece concurrit ad offensam, & pura creatura in plenitudine gratiæ constituta moraliter, & suo modo intrinsece participat esse Naturam Divinam, per quam participationem multum elevatur ad æqualem satisfactionem, accedente simul ipsa operis satisfactorii præstantia.

Dices: Res inferioris ordinis nequeunt æquare illa, quæ sunt superioris ordinis; atqui satisfactio puræ creaturæ est res inferioris ordinis, & peccatum est superioris ordinis, quia est offensa Dei, & satisfactio est tantum opus creaturæ: ergo peccatum nequit æquari satisfactione puræ creaturæ.

R. transf. M. quæ non est universaliter vera, ut patet ex confirmat: tertia probat. tertiæ. N. m. nam si satisfactio talis puræ creaturæ tantis gratiis instructæ comparetur cum peccato mortali, non est inferioris ordinis, nec est taliter constituta, ut non possit valore suo æquare peccatum mortale, ut dictum est in ipsa probatione tertia. Proinde neque est paritas cum peccato mortali considerato in ordine ad venialia: nam in ordine ad venialia est in superiori quodam ordine simpliciter, ita ut nullo modo per venialia in infinitum multiplicata possit adæquari. Ast peccatum grave consideratum cum respectu ad satisfactionem puræ creaturæ adæquate compensari potest, ut nostræ probationes ostendunt.

Objic. 3. Peccatum mortale tanquam offensa supremi ordinis non potest ad æqualitatem compensari, nisi per satisfactionem supremi ordinis; sed satisfactio supremi ordinis non est illa pura creatura, utpote quæ supra se habet nobiliorem ordinem satisfactionis creaturæ unitæ Verbo: ergo.

R. N. M.

R. N. M. nam licet peccatum ſit in ſupremo ordine inter offenſas, tamen non eſt in ſupremo ordine, ſi comparetur ad ſatisfactionem Chriſti: alias ſi ſatisfactio Chriſti eſſet in æquali ordine cum peccato, tunc talis ſatisfactio non eſſet ſuperabundans reſpectu omnium peccatorum mortalium, & per peccata poſſet exhauriri, quod falſum eſt. Cum ergo ſatisfactio Chriſti ſit ſuperabundans, debet poſſe dari aliqua inferior ſatisfactio, quæ ſit æqualis peccato mortali, & talis eſt ſatisfactio puræ creaturæ.

Dices: Tam ſatisfactio Chriſti quam peccatum in ratione offenſæ deſumitur à Deo: ergo æqualiter ſunt in ſupremo ordine: adeoque peccatum mortale tantum per ſatisfactionem Chriſti adæquate compenſari poteſt. R. D. a. diverſo tamen modo C. a. eodem modo N. a. Nam ut alia taceam, circumſtantia perſonæ offenſæ limitatur multum per cognitionem finitam, qua à peccante Deus cognoſcitur modo finito. At tatem limitationem non habet ſatisfactio Chriſti; etenim circumſtantia perſonæ operantis, & ſatisfacientis independenter à quavis cognitione refundit in ſuo genere valorem & dignitatem in actum; ut patet in homine juſto, qui ignorans ſe eſſe in ſtatu gratiæ adhuc tam perfecte meretur de condigno præmium pro opere bono ſuo ſupernaturali, ſicut alius, qui conſcius eſt ſtatus gratiæ. Adde, ſatisfactionem Chriſti deſumi à Verbo Divino tanquam perſona operante, cui actiones ſatisfactoriæ tribuuntur, & a qua maxime tanquam forma morali dignificantur. Aſt ratio offenſæ deſumitur à Deo tanquam objecto extrinſeco, cui perſona peccans non unitur, & cui non tribuuntur tanquam operanti actiones peccaminoſæ &c. unde & à Deo offenſo in tanto gradu non ſpecificantur, in quanto ſunt actiones ſatisfactoriæ Chriſti ob ipſam Divinam.

Objic. IV. In noſtra ſententia vileſcit paſſio Chriſti, & gravitas offenſæ, cum hæc aliter, quam per paſſionem Chriſti potuiſſet condigne compenſari; ergo noſtra ſententia non eſt admittenda.

D. N. a. potius commendatur beneficium paſſionis Chriſti, & miſericordia Dei, qui cum longe minori impendio nos liberare

berare potuisset, tamen tantum pro nobis filium suum pati voluit. Gravitas offensæ adhuc satis ponderatur; quia est offensa summi Boni, pro qua Deus saltem nullam aliam acceptare voluit satisfactionem, quam passionem proprii filii.

Objic. V. Non potest aliquis de condigno satisfacere pro peccato proprio: ergo neque pro alieno.

R. trans. interea a. quod à Mastrio & aliis pluribus negatur, loquendo de potentia Dei absoluta. N. c. ideo homo non posset pro peccato proprio satisfacere de condigno, quia pro priori ad satisfactionem non potest habere gratiam sanctificantem dignificantem opera satisfactoria; hæc enim gratia est incompossibilis cum peccato. Et illud prius jam, seu ante præstitam satisfactionem gratis ac de congruo deleret, & sic superflua esset satisfactio, saltem pro culpa, Aliud est, si innocens, ac gratia sanctificante prius gratis accepta satisfaciat pro peccatis alienis: quia ibi non sequitur istud absurdum.

Dices: Nulla pura creatura potest mereri de condigno pro peccato gratiam: ergo.

R. D. a. de Providentia moderna C. a. de possibili & absolute N. a. in moderna providentia ex Divina dispositione meritum de condigno puræ creaturæ insumitur in promerenda pro se gratia & gloria: si vero in alia providentia Deus voluisset alicui creaturæ puræ gratis concedere maximam gratiam & gloriam, & deinde omnia opera, quæ operata fuisset, acceptare pro aliis, certa nulla est implicantia. Nam opera ex se sunt condigna tali præmio, ut ex dictis suppono: ergo potuisset Deus ea acceptare etiam pro aliis, & illis retribuere præmium condignum.

Objic. VI. Pro condigna satisfactione Deo præstanda non sufficit tantum rependere, quantum ablatum est, sed debet plus reddi: ita docet Divus Anselmus l. 1. *cur Deus homo* 11. ergo cum creatura pura possit tantum æquale addere, non potest de condigno satisfacere.

R. S. Anselmum vel exaggerative esse locutum, vel solum intelligendum esse de moderna Providentia, in qua Deus noluit aliam satisfactionem acceptare, quam superabundantem sui filii.

Cæterum, licet non habeamus SS. PP. positive pro nobis stantes, nullum tamen habemus, qui nobis esset positive contrarius. Neque PP. multum attenderunt ad has speculationes scholasticas, quæ examinant, quid de potentia Dei absoluta potuisset fieri, sed solum tradunt id, quod de facto contigit.

DISSERTATIO VII.

De Communicatione Idiomatum, modo loquendi circa hoc Mysterium, Dignitatibus Christi, & Defectibus humanæ Naturæ à Verbo assumptis, ubi ad finem de virtute patrandi miracula in Christo.

ARTICULUS I.

De Communicatione Idiomatum, & modo loquendi circa hoc Mysterium.

§. I.

Generales Regulæ de Communicatione Idiomatum.

149 Idioma nomen græcum latine significat proprietatem, hic vero à Theologis usurpatur paulo generalius pro prædicato. Quare Idiomatum Communicatio nihil aliud est, quam communicatio mutua prædicatorum inter Naturam Divinam & humanam in Christo, ita ut Deus possit dici homo & Deus homo &c.

Assero I.

Aſſero I. In myſterio incarnationis ex unione hypoſtatica Naturæ divinæ & humanæ in eadem Perſona oritur vera & propria Communicatio idiomatum ſeu prædicatorum inter Deum & hominem. Hæc concluſio eſt de fide.

Prob. I Ex S. ſcriptura, quæ illa, quæ in Chriſto conveniunt homini, tribuit Deo, & viciſſim, quæ competunt Deo, aſſerit de homine. Ita 1. Corinth. 2. dicitur Dominus gloriæ, ſeu Deus, crucifixus. Et Joan. 8. v. 58. Chriſtus dixit: *antequam Abraham fieret, ego ſum &c.* ubi æternitas, quæ Deo convenit, homini tribuitur.

Prob. II. Ex ſymbolis, quæ dicunt, Filium Dei unicum de Spiritu S. conceptum, natum ex Maria Virgine, paſſum, crucifixum. 3. Ex Concilio Epheſino contra Neſtorium definiente, Beatiſſimam Viginem eſſe Deiparam vel Matrem Dei, quia ille homo, cujus Mater eſt, verus eſt Deus. 4. Ex Concilio Francofortenſi in Epiſt. ſyndica, ſic dicente: *Perſonæ unitas* facit, ut quod homo pertulit, Deus pertuliſſe credatur. Origenes in Epiſt. ad Rom. *per indiſſolubilem unitatem Verbi, & carnis, omnia quæ carnis ſunt, adſcribuntur & Verbo, quomodo & quæ Verbi ſunt, prædicantur in carne.* Accedit unanimis PP.

Prob. V. Et explicatur ratione. Quandocunque duæ formæ, vel proprietates, aut res vere & realiter in eodem ſuppoſito uniuntur, vere & realiter de ſe invicem prædicantur in concreto; ergo etiam, quia Natura Divina & humana, & utriusque Naturæ hujus proprietates vere ac realiter uniuntur in eodem ſuppoſito, ita etiam vere ac proprie de ſe mutuo in concreto prædicari poſſunt. A. conſtat. quia albedo & dulcedo in eodem ſubjecto, vel ſuppoſito lactis uniuntur & repeꝛiuntur, ideo vere & proprie de ſe invicem in concreto prædicantur, dicendo *album eſt dulce*, & viciſſim *dulce eſt album*, Item, ſi in eodem homine ſit ſcientia Theologica, & peritia muſicæ, vere dici poteſt: *Theologus eſt muſicus, & viciſſim, muſicus eſt Theologus.* Faciunt autem iſtæ propoſitiones hunc veriſſimum, & proprium ſenſum: *ſuppoſitum habens albedinem, eſt ſuppoſitum habens dulcedinem;* item *ſuppoſitum habens ſcientiam*

Theologicam, est suppositum habens peritiam musicæ, & vicissim. Deus est homo, & homo est Deus &c. Istæ propositiones habent verum & proprium sensum: *suppositum habens Divinitatem, est suppositum habens Humanitatem*, & vicissim. *Suppositum vel Persona habens humanitatem, est suppositum habens Divinitatem.* Igitur ejusmodi prædicationes sunt veræ, & proprie tales: quod ulterius confirmatur inde: quia tot Evangelicæ, & Apostolicæ, ac in Symbolis & PP. contentæ sententiæ non debent sine urgenti fundamento ad sensum improprium detorqueri.

150 Assero. II. Per communicationem Idiomatum prædicata Divina non insunt formaliter humanitati, nec prædicata humana Divinitati: est de fide. Ratio est: quia prædicata Divina nequeunt formaliter communicari Humanitati, ita, ut huic formaliter insint, & Natura humana formaliter & intrinsece fiat Divina, immortalis, immensa: hæc enim prædicata formaliter & intrinsece soli Naturæ Divinæ inesse possunt. Idem est de prædicatis humanis, quæ formaliter & intrinsece nequeunt esse in Divinitate; alias Deus formaliter & intrinsece esset mortalis &c. Ratio rationis est: quia in Incarnatione salva mansit utraque realiter distincta Natura Divina & humana, ac utriusque proprietas, & operatio inconfusa perstitit. Quare in abstracto nequit dici Humanitas est immensa. Quod ut clarius capiatur, sequentes regulæ circa communicationem Idiomatum sunt observandæ.

151 Regula 1. Tam Natura Divina, quam humana cum utriusque proprietatibus debent exprimi non in abstracto, sed concreto. Unde male dicitur: *homo est Deitas, Deitas est homo: Humanitas est Deus:* item *Humanitas est Deitas, mortalitas est Immortalitas vel Humanitas est Immortalis.* Recte tamen dicimus: *homo est Deus: Deus est homo: mortalis est immortalis, Deus est crucifixus, Deus seu Verbum constat ex corpore & anima, Verbum natum est in tempore ex Virgine;* item *hic homo est æterni Patris filius, est principium Spiritus sancti.* Ita Herinx cum aliis. Ratio hujus est: quia etiam non recte dicitur: *albedo est dulcedo*, bene vero dicimus: *album est dulce:* ergo à pari. Ratio rationis est: quia prædicationes ejusmodi in abstracto præscindunt ab

ab unione in eadem perſona, & ab unitate ſuppoſiti, ratione cujus tamen hæc communicatio Idiomatum, & hæc prædicatio verificatur: non vero ſic præſcindunt prædicationes in concreto: ergo prædicationes tales in abſtracto non ſunt veræ, ſi fiant in concreto, ſunt veræ.

Regula 2. Quamvis de Chriſto Domino ob dualitatem Naturarum dici poſſint prædicata contraria, non tamen contradictoria. Quare dici poteſt, quod hic homo, ſeu Chriſtus ſit paſſibilis, & impaſſibilis, mortalis & immortalis: etenim quatenus eſt habens humanitatem eſt mortalis, & quatenus eſt habens Deitatem eſt immortalis: non tamen poteſt contradictorie dici: quod hic, *vel Chriſtus ſit mortalis*, & *non ſit mortalis*, *ſit Deus*, & *non ſit Deus*, ita ut negatio cadat ſuper copulam. Nam ſi negatio afficit copulam, tunc negat, quod ſuppoſitum illud, quod eſt Chriſtus, habeat aliquam naturam paſſibilem &c. quod eſt falſum, ſi vero negatio ſolum afficit prædicatum, dicendo, hic homo Chriſtus eſt impaſſibilis, ſeu non paſſibilis, tunc non fit propoſitio negativa, ſed affirmativa de prædicato infinito, & facit ſenſum, quod hoc ſuppoſitum habens Naturam Divinam & humanam, non ſit paſſibile ſecundum Naturam Divinam. 152

Regula 3. Prædicata Verbo Divino convenientia ſive ratione Deitatis, ſive ratione Perſonalitatis Verbi poſſunt vere & proprie, modo in prioribus duabus regulis ſpecificato prædicari de homine, dicendo: eg. *homo eſt Deus*, *homo eſt æternus*, *homo eſt filius Dei naturalis*, *homo eſt principium Spiritus ſancti* &c. Non tamen poteſt dici: *homo eſt Pater*, *vel Spiritus ſanctus*: quia prædicatum Patris & Spiritus ſancti non conveniunt Deo ratione Deitatis, vel ratione Perſonalitatis Verbi, ſed ratione Perſonalitatum à Verbo diſtinctarum, à quibus natura humana non eſt aſſumpta in unitatem ſuppoſiti. 153

Regula 4. Prædicata Divina non poſſunt de Chriſto homine prædicari cum reduplicatione humanitatis, neque prædicata humana poſſunt de Deo prædicari cum reduplicatione Divinitatis, dicendo, Chriſtus qua homo eſt immortalis, Chri- 154

ſtus qua Deus eſt paſſibilis, eſt crucifixus, eſt homo. Ratio eſt; quia hæ prædicationes dicerent, quod Chriſtus ſecundum naturam humanam eſſet immortalis, eſſet Deus, & viciſſim ſecundum Naturam Divinam eſſet homo paſſibilis, mortuus &c. qui ſenſus falſus eſt.

155 Regula 5. Communicatio idiomatum non habet locum in illis prædicatis, quæ excludunt perſonalitatem Divinam. Quare nequit dici: *Chriſtus eſt purus homo, vel Deus eſt purus homo*: hæc enim prædicatio facit ſenſum manifeſte falſum. Neque poteſt firei communicatio idiomatum in illis prædicatis, quæ conveniunt Naturæ Divinæ, aut humanæ, ut præſcindit à ſuppoſito & Perſona. Sic quamvis poſſit dici: *Natura humana eſt aſſumpta à Verbo*; non tamen poteſt dici *Deus eſt aſſumptus* vel ſuſtentatus à Verbo. Imo ut notat Doctor ſubtilis. 3. D. 7. q. 2. quod illa prædicata omnia, quæ naturæ humanæ cum Perſona Divina unitionem exprimunt, non poſſint mutuo de natura humana & Divina, vel potius de Deo & homine in Chriſto prædicari. Rationem dat Doctor; quia omnis communicatio idiomatum fit propter unionem hypoſtaticam tanquam cauſam & fundamentum neceſſario præſuppoſitum: hinc bonæ ſunt iſtæ propoſitiones: *Verbum Divinum eſt Incarnatum: Deus factus eſt homo*: Paucis: omnia illa nequeunt mutuo dici in Chriſto de Natura Divina & humana, quæ non poſſunt de toto Chriſto prædicari. Hinc non potes dicere: *Deus eſt aſſumptus à Verbo; homo eſt Incarnatus*: quia non potes dicere: *Chriſtus eſt aſſumptus à Verbo: Chriſtus eſt Incarnatus*, cum non totum complexum, quod eſt Chriſtus, ſed tantum ejus unum conſtitutivum, quod eſt Verbum, fuerit Incarnatum, & alterum ſolum conſtitutivum, ſcilicet natura humana fuerit aſſumpta à Verbo.

156 Regula 6. Prædicata Divinitatis & humanitatis ſeu alterutrius naturæ eſſentialia non debent de Chriſto prædicari accidentaliter, ſed ſubſtantive, debet ergo dici: *Deus eſt homo, non vero Deus eſt humanus &c.* ſi enim accidentaliter vg. prædicata Divinitatis de humanitate prædicarentur, ſignificaretur duplex diſtinctum ſuppoſitum: ut in hac prædicatione, qua

homo

homo dicitur *veſtitus*, ubi indicatur *homo eſt veſtis*, tanquam duo entia, quorum quodlibet ſuppoſitalitate gaudet. Unde Concilium Epheſinum Can. 5. damnat vocem: Theophoros, id eſt, Deifer, quia ſignificat hominem propria perſonalitate humana & creata ſubſiſtentem, qui ferat Deum. Similiter vitandæ ſunt voces *Deificatus*, *Dominicus*, niſi in ſano ſenſu explicentur; qualis ſenſus ſanus eſt, ſi intelligatur per hominem Deificatum humanitas ſubſtantialiter unita Deitati in eadem perſona; & per hominem Dominicum ſignificetur Flius Domini, ſeu Patris æterni, qui ſpeciali appropriatione ſolet dici Dominus.

Regula 7. Illorum idiomatum communicatio non eſt uſurpanda ſine ulteriore explanatione, quæ vel ex ſpeciali aliqua hæreſi, vel ex aliquo alio capite eſſet ſuſpecta de ſenſu falſo: 157
hinc non facile uſurpanda eſt iſta propoſitio: Verbum eſt *creatura*, eſt *mutatum*, quamvis revera Chriſtus ſit *homo*, *conſequenter creatura*, *fuerit mortuus*, *conſequenter mutatus*: nam iſtæ propoſitiones videntur coincidere cum hæreticis, qui dixerunt, Verbum eſſe creaturam intrinſece & formaliter, & Deum eſſe formaliter mutatum. Igitur quando dubium eſt, an prædicatum aliquod in communi modo loquendi poſſit per communicationem idiomatum prædicari, tunc hujusmodi prædicatio debet fieri cum adjecta reduplicatione ſenſum clare explicante: vg. taliter dicendo: *Chriſtus ut homo eſt creatura*, *Chriſtus ut homo eſt mutatus*. Vel Verbum ſecundum naturam humanam ſibi unitam eſt mutatum &c.

§. II.

Examinantur in ſpecie aliquæ Propoſitiones.

QUÆRES I. An Chriſtus ſit & prædicetur homo univoce cum aliis hominibus? R. affirmative. Ratio eſt: quia 158
prædicatum *homo* ſecundum eandem rationem primario ſignificatam, nimirum ſecundum naturam humanam convenit Chriſto & aliis hominibus, quamvis connotatum ſuppoſitalitatis ſit diverſum.

Obſer-

Observant tamen varii Scotistæ, quod prædicatum *homo* de Deo, & Christo non dicatur univoce, stricte loquendo. Nam licet in his propositionibus *Christus est homo: Verbum, vel Deus est homo:* eadem res, seu natura humana prædicetur, non tamen eodem modo. De Christo enim prædicatur humanitas essentialiter, de Verbo & Deo accidentaliter: Christo enim, qui complexum est ex Deo, & natura humana: Deo vero vel Verbo accidentale est, esse unitum humanitati, & eam sustentare.

159 Quæres II. An in triduo mortis vere dici potuerit: Christus est homo? R. loquendo Theologice & realiter, negative. Ratio est: quia homo realiter est compositum ex anima & corpore physice unitis; atqui in triduo illo anima & corpus Christi non erant physice unita: ergo Christus realiter non fuit homo. In sensu tamen logico juxta aliquos dici potuisset in illo triduo: Christus est homo, sicuti defacto dicimus: *Petrus est homo:* etiamsi Petrus sit mortuus. Verum hunc loquendi modum etiam in sensu logico impugnat Scotus 3. D. 22. n. 18.

160 Quæres III. An possit dici: Verbum vel Christus est prædestinatus, ut fieret homo?

R. 1. Certum est, quod Incarnatio fuerit vere & proprie prædestinata: nam prædestinari est à Deo præordinari; atqui Incarnatio Verbi Divini fuit à Deo ab æterno præordinata: ergo.

R. 2. Non potest dici; *Christus est prædestinatus ad Divinitatem, vel unionem hypostaticam, aut ad humanitatem.* Ratio est, quia nullus prædestinatur ad illud, quod essentialiter in se includit; sed Christus includit in se essentialiter Divinitatem, unionem hypostaticam, & humanitatem: ergo ad hæc non potest dici prædestinatus. M. patet: nam subjectum & terminus prædestinationis, seu id, quod prædestinatur, & illud ad quod ordinatur, debent realiter distingui. Accedit D. Augustinus Tract. 105. in Joan. dicens: *recte non dicitur prædestinatus secundum id, quod est Verbum Dei Deus apud Deum, ut quid enim prædestinaretur, cum jam esset?* R. 3.

R. 3. Poteſt tamen in aliquo ſenſu dici: Verbum eſt prædeſtinatum ad unionem hypoſtaticam, & Incarnationem, & humanitatem: Suarez, Vaſquez, Herinx, Henno & alii. Verbum præſupponitur unioni hypoſtaticæ, & humanitati, & ex ordinatione, ſeu prædeſtinatione Divina terminat unionem hypoſtaticam, ac ſuſtentat naturam humanam. Dixi in *aliquo ſenſu*: quia prædeſtinatio ſtricte ſumpta eſt collatio alicujus beneficii: Verbo autem Divino non fuit collatum beneficium per hoc, quod ex ordinatione Divina aſſumpſerit naturam humanam.

R. 4. Poteſt dici Chriſtus prædeſtinatus ad gloriam & gratiam: Scotus, Vaſquez, Becanus, Rada, Henno & alii. Ratio eſt; quia Chriſtus ſecundum humanitatem ab æterno fuit præordinatus ad gratiam & gloriam.

Quæres 4. An ſicut recte dicitur: *Deus factus eſt homo*, 161
ita quoque recte dicatur: *homo factus eſt Deus?*

Rdet Scotus in reportatis 3. D. 7. q. 3. & cum ipſo paſſim Theologi negative. Nam hæc propoſitio *homo factus eſt Deus* ſignificat in ſenſu proprio ante unionem cum Verbo præexſtitiſſe humanitatem; quia prius eſt rem exiſtere, quam per formam acquiſitam e. g. per unionem hypoſtaticam fieri talem; atqui falſum eſt, quod humanitas Chriſti pro aliquo tempore præexſtiterit unioni hypoſtaticæ.

Rdeo. 2. cum eodem Scoto in ſcripto Oxonienſi, quod eſt præcipuum, & ſemper intelligitur, quando allegatur ſine addito. 3. D. 7. q. 2. n. 7. Sannig & alii. Etiam hæc propoſitio in ſenſu aliquo ſuſtineri poteſt, & vere dici. *Homo factus eſt Deus.* Ratio eſt: quia SS. Patres hanc propoſitionem uſurpant, ut D. Auguſtinus Serm. 15. de Nativitate, & 1. de Trinit. c. 13. & S. Gregorius Nazianzenus Oratione 35. & alii PP. cum S. Damaſceno, qui lib. 3. de fide c. 11. ita ait: *Verbum caro factum eſt, & homo Verbum, & Deus homo, & homo Deus.* Ratio eſt: humanitas fuit unita Verbo: conſequenter homo fuit factus Deus, ſicut Deus propter hanc unionem fuit factus homo. Neque per hunc loquendi modum neceſſario intelli-

gitur pro instanti temporis præcessisse humanitas Christi unionem cum Verbo. Etenim non requiritur talis prioritas temporis, sed sufficit prioritas naturæ, vi cujus natura humana haud dubie fuit præsupposita unioni hypostaticæ.

162 Quæres V. An hæ propositiones: *Christus incepit esse, Christus desinit esse*: sint veræ? R. cum Scoto 3. D, 11. q. 3. Vasquez, Herinx cum aliis contra alios affirmative. Ratio est: Christus importat complexum & compositum ex natura humana & Verbo unitis, quod compositum & complexum in tempore, quando peracta fuit Incarnatio, vere incepit, ac etiam in morte Christi, ubi humanitas Christi destructa est, desiit.

163 Quæres. VI. An Christus vel Verbum possit dici creatura?

Rdent multi, hanc propositionem non posse tolerari, ut D. Thomas. Richardus, Magister sententiarum, Scotus vero est problematicus.

R. 2. Probabilius vera est hæc propositio: *Christus est creatura*: ita D. Bonaventura, Varro, Hurtadus, Herinx, Mastrius, Poncius &c. Ratio hujus est. 1. Quia sic locuti sunt SS. PP. August. Ambrosius, Leo & alii. S. Hieronymus in illud ad Ephes. 2. *Ipsius enim sumus factura, ita dicit: nos libere proclamamus, non esse periculum, eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, crucifixum &c. profitemur.* 2. Ratione humanitatis crucifixæ Christus simpliciter dicitur crucifixus: ergo etiam ratione ejusdem humanitatis creatæ, seu productæ potest dici creatura. Existimo, tamen non facile usurpandam esse hanc propositionem: Verbum est creatura, sine addita limitatione, secundum humanitatem assumptam: quia sine limitatione prolata propositio illa potest facere sensum Arianum.

164 Quæres VII. An Christus possit dici servus Dei? Ante responsionem nota, servum dici illum, qui non est sui juris saltem quoad actiones suas. Servitus vero est duplex: *Naturalis* una, secundum quam creatura quælibet vi suæ creationis subjicitur in omnibus Deo, ita, ut Deus de illa possit disponere,

ponere, prout ipſi libuerit: *Legalis* eſt altera, ſeu *Politica*, ſecundum quam bello aut juſto titulo venditi alterius dominio ſubduntur. Additur ab aliis tertia, ſcilicet ſervitus peccati, quam incurrunt peccatores. Jam certum eſt, Chriſtum ut hominem non eſſe ſervum Servitute legali, vel peccati. Ratio eſt, quia utraque hæc ſervitus dedecet dignitatem Chriſti, & hic non fuit peccato maculatus, nec bello captus, aut juſte venditus. H. N.

R. 1. Chriſtus ut homo fuit vere ſervus Dei ſervitute naturali. Ita Scotiſtæ communiter cum Thomiſtis contra Vaſquez, Lugonem, & alios. Ratio 1. quia Scriptura appellat Chriſtum ſervum. Zach. 3. *Ecce ego adducam ſervum meum.* Iſaiæ 53. *juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos.* Ratio eſt ſecunda, quia etiam PP. Chriſtum vocant ſervum. S. Cyrillus lib. 12. Theſau. c. 18. *ſervus factus eſt, quia vere homo.* S. Athanaſ. Serm. 3. contra Arianos: *nihil diſcriminis attulerit, ſive ſervus, ſive filius hominis appelletur.* S. Auguſt. Epiſt. 178. circa finem: *in qua enim infirmitate* (humanitatis) *non ſolum ſubditum, ſed etiam ſervum evidentiſſime confitemur.* Idem dicunt SS. Nazianzenus, Chryſoſtomus, Hilarius, Fulgentius, Iſidorus, Bernardus &c. Ratio tertia eſt: Deus eſſentialiter & inabdicabiliter eſt Dominus omnium creaturarum: ergo eſſentialiter & viciſſim, & inabdicabiliter omnes creaturæ ſunt ſervæ Dei: ergo & humanitas Chriſti: quia & hæc eſt eſſentialiter creatura.

Dices 1. Leo Papa Serm. 2. de Nativitate cum aliis negat in Chriſto conditionem ſervilem: ergo.

R. S. Leo loquitur de ſervitute videlicet pænali, quæ tanquam pæna contrahitur ex peccato: hanc non habuit Chriſtus.

Dices 2. Concilium Francofortenſe & Adrianus Primus damnarunt Elipandum, qui aſſeruit, Chriſtum ut hominem eſſe ſervum Dei: ergo.

R. D. a. damnarunt ideo præciſe, quia aſſeruit Chriſtum ut hominem eſſe ſervum Dei N. a. quia aſſeruit modo Neſtoriano, Chriſtum non ſolum ſecundum naturam humanam, ſed

etiam secundum suppositum creatum, & humanum esse servum Dei, & consequenter cum Nestorianis duplex suppositum unum creatum, & alterum Divinum in Christo admisit C. a. Ad mentem hujus Concilii & Adriani loquitur quoque D. Damascenus l. 3. de fide c. 21. dicens : *qui servum eum dicunt*, unum Christum instar Nestorii in duos dividunt : nos vero dicimus Christum esse duntaxat servum Dei secundum naturam, quæ creatura est, non vero secundum suppositum, quod increatum est & Deus. Judicat tamen Herinx disp. 1. de Incarnatione secundum se n. 117. abstinendum esse à simplici prolatione servi quoad Christum, nisi addatur, aut saltem sic intelligatur particula reduplicativa secundum naturam humanam.



ARTICULUS II.

De Dignitatibus, & officiis Christi.

165 QUÆRES I. An Christus ut homo sit filius Dei naturalis? R. 1. Christus, ut Deus, est Filius Dei naturalis. Ita enim nos fides docet : est enim secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis vere & naturaliter genita à Patre æterno. Unde Christus ut homo saltem per communicationem idiomatum potest dici Filius Dei naturalis : si enim potest dici : *hic homo est Deus, est Verbum :* cur non etiam per communicationem idiomatum dici posset, *hic homo est filius naturalis Dei?* Igitur quæstio nostra procedit ulterius, an etiam aliqua ratione *Christus qua homo* in sensu formali possit dici, & sit filius naturalis Dei Patris? ad quod

R. 2. Christus ut homo potest dici aliquo sensu filius naturalis Dei Patris : Herinx, Henno, Scotistæ plures, ac Thomistæ. Ratio est 1. quia ita asserit epistola Adriani approbans Concilium Francofortense, & Sacrosylabus ejusdem Concilii. 2. Christus, ut homo dicit suppositum Divinum sustentans naturam humanam; sed Christus ut suppositum Divinum, quod

quod ſuſtentat naturam humanam eſt unigenitus & naturalis Dei Filius: ergo Chriſtus ut homo eſt filius Dei naturalis.

Nota, me in reſponſione ſecunda dixiſſe: *poteſt aliquo ſenſu dici filius naturalis Dei.* Chriſtus enim ut homo dupliciter poteſt accipi: primo, ut to *qua homo* non importet in recto, & formaliter humanitatem, ſed ſuppoſitum, quod ſuſtentat humanitatem, adeo, ut ſenſus ſit iam dictus: *Chriſtus ut ſuppoſitum Divinum ſuſtentans humanitatem, eſt filius Dei naturalis:* & in hoc ſenſu veriſſima eſt propoſitio. Secundo poteſt ita exponi, ut per to *qua* homo principaliter & formaliter importetur ipſa natura humana: vg. *Chriſtus ſecundum naturam humanam in abſtracto, & ut præſcindentem á ſuppoſito Divino eſt filius Dei Patris naturalis:* in quo ſenſu propoſitio eſt falſa: quia humanitas Chriſti non eſt naturaliter, ſed libere, neque in ſimilitudinem naturæ Dei, neque medio principio vitæ conjuncto, producta à Deo Patre: ergo non eſt ejus naturalis filia: quia filius eſt ille, qui naturaliter, & non libere oritur à vivente, medio principio vitæ conjuncto, in ſimilitudinem naturæ intellectualis.

Quæres II. An Chriſtus ut homo poſſit dici filius Dei 166
adoptivus. R. 1. certum eſt, quod Chriſtus, ut Deus, nullo modo poſſit dici Filius Dei adoptivus. Ratio eſt: quia taliter conſideratus eſt eſſentialiter Filius Dei naturalis, habens in ſe neceſſario & intrinſece divinam hæreditatem, qua per eſſentiam fruitur.

R. 2. De Chriſto ut homine negant communiter Thomiſtæ & Recentiores, affirmant Scotiſtæ plures, Scotus vero eſt problematicus, vel potius videtur in diverſis locis diverſimode loqui. Nihilominus quantum ego judico, non videtur eſſe admittenda iſta propoſitio: *Chriſtus qua homo eſt filius Dei adoptivus.* Ratio eſt 1. quia ex Scriptura non habetur iſte modus loquendi, ut argumentatur Concilium Francofortenſe in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ. 2. Adoptio ſecundum Juriſtas & ad propoſitum eſt perſonæ extraneæ in filium, vel nepotem legitima aſſumptio, qua adoptatus ſolo affectu jungitur adoptanti, &

& manet perſona ab illo extranea, id eſt talis, quæ ex ſua generatione naturali non habet gradum filii; ſed Chriſtus etiam qua homo non eſt extranea Deo Patri, ſed etiam vera Perſona Divina naturaliter genita à Patre æterno. 3. Hunc modum loquendi rejicit Concilium Francofortenſe. 4. Denominatio filii, vel filiæ non cadit ſupra naturam abſtrahentem à ſuppoſito, ſed denominat ſuppoſitum; atqui ſuppoſitum, qua ſubſiſtit humanitas Chriſti, eſt Divinum, & non eſt extraneum Deo: ergo. Maſtrius I. 3. diſp. 2. n. 121. & ſeq. cenſet, Chriſtum ut hominem eſſe Filium proprium Dei ſeu totius SS. Trinitatis: Ratio hujus eſt 1. quia Chriſtus ſecundum naturam humanam, ſeu qua homo in omni rigore nequit dici filius naturalis, neque adoptivus Dei: ergo debet dici proprius. Ratio autem, quod filius naturalis non poſſit dici in omni rigore, eſt: quia Chriſtus qua homo ſeu ſecundum naturam humanam non eſt productus in ſimilitudinem naturæ Divinæ, quod tamen ad rationem filii naturalis in rigore requiritur. Quod non ſit adoptivus, patet; quia non eſt perſona extranea Deo. Quod vero ſit filius proprius Dei, ulterius probatur. 1. ex illo ad Rom. 8. *proprio filio ſuo non pepercit Deus.* Chriſtum etiam filium proprium Dei appellat Concilium Francofortenſe. Prædicatum filiationis provenit juxta Maſtrium à gratia ſanctificante habituali, quæ tribuit formale jus ad gloriam. Ratio autem proprietatis, vel proprii filii provenit ab unione hypoſtatica, quæ naturaliter conjungit Deo phyſice, & ſubſtantialiter, & facit, ut Chriſtus etiam qua homo non ſit perſona extranea Deo. Dicitur autem ſecundum laudatum Maſtrium eſſe filius naturalis Dei, & totius SS. Trinitatis, quia tam unio hypoſtatica, quam gratia ſanctificans, quæ conſtituunt Chriſtum ut hominem in ratione filii proprii Dei, à tota SS. Trinitate cauſantur. Hæc ille.

167 Quæres III. An Chriſtus ut homo ſit verus Filius Mariæ? R. affirmative 1. Chriſtus dicit ſe ſæpe filium hominis: ergo habuit parentem hominem, qualis fuit ſola B. V. 2. Chriſtus dicitur in Symbolis natus ex B. V. 3. Beata Virgo eſt Mater Chriſti: ergo & Chriſtus eſt Filius B. V. Mariæ.

R. 2. Filiatio, qua Chriſtus conſtituitur filius Virginis, eſt realis: adeoque dantur in Chriſto duæ filiationes, una æterna, qua tanquam Unigenitus Dei filius refertur ad Patrem, altera, qua ratione Humanitatis refertur ad B. V. Scotus in 3. D. 8. q. un. cum ſuis contra Thomiſtas. Ratio eſt: quia relatio Maternitatis ad Filium in B. V. eſt realis: ergo etiam relatio filiationis ad Matrem. 2. Vere realiter Chriſtus eſt Filius Virginis, ergo etiam vere realiter refertur ad B. V. Mariam.

Quæres IV. An Chriſtus qua homo fuerit caput Eccle- 168
ſiæ? R. 1. affirmative. De Chriſto enim dicitur ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam.* & cap. 5. *Chriſtus eſt caput Eccleſiæ.* & D. Auguſtinus in Pſal. 127. unus ergo Homo Chriſtus caput. Ratio eſt: quia Chriſto etiam qua Homini conveniunt proprietates capitis: excellit enim omnes creaturas rationales, eſtque illis conformis, & arcto fœdere conjunctus tanquam frater. 3. In omnes creaturas rationales (ſi damnatos excipimus) influit ad inſtar capitis gratiam & gloriam, ceu vitam ſpiritualem.

R. 2. Eccleſia, cujus Chriſtus caput eſt, complectitur Viatores fidem habentes, animas in purgatorio, ac Beatos omnes, etiam Angelos: nam in hos omnes inſtar capitis Chriſtus exercet influxum donorum ſupernaturalium.

Non tamen Chriſtus eſt caput damnatorum: quia hi nec moraliter vel myſtice cum Chriſto uniuntur, neque influxum ſupernaturalem ab eo recipiunt, utpote privati omnibus gratiis ſupernaturalibus.

Neque Viatores carentes fide, id eſt, infideles, hæretici &c. videntur eſſe membra Chriſti. Ita D. Thomas cum plurimis aliis, inter quos etiam ſunt aliqui Scotiſtæ. Scotus tamen de hac re nil habet, eſt tamen contra alios. Ratio eſt 1. Quia caput cum membris, & hæc cum illo debent conjungi; atqui fide carens nullam habet conjunctionem cum Chriſto: nam non habet conjunctionem gratiæ ſanctificantis, & charitatis, quæ præſupponunt fidem, neque habet conjunctionem mediante

mediante fide : ergo nullam. 2. Ille est membrum Christi, qui est membrum Ecclesiæ, sed Viator fide carens non est membrum Ecclesiæ : ergo neque est membrum Christi.

Nihilominus Viatores fide carentes possunt dici membra Corporis Christi mystici in potentia ; quatenus saltem per gratiam & virtutem vivificam Christi, ad fidem & gratiam perduci possunt : & in hoc distinguuntur a damnatis, quia neque amplius membra Christi fieri possunt.

R. 3. Gratia Christi tanquam capitis fere in his tribus consistit. 1. radicaliter in unione hypostatica. 2. In gratia sanctificante Christi tanquam causæ exemplaris gratiæ reliquorum membrorum. 3. In valore excellenti, ac superabundanti meritorum ejus, ratione quorum tanquam causa meritoria omnem vitam spiritualem, scilicet gratiam & gloriam in sua membra derivat.

169 Quæres 5. An Christus fuerit, & sit etiamnum Sacerdos? R. 1. Christus fuit vere & proprie dictus Sacerdos.

Prob. ex S. Scriptura Psal. 109. de Christo dicitur : *tu es Sacerdos in æternum.* & ad Hebræos 4. *habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, JESUM Filium Dei.* Accedunt SS. PP. Epiphanius hæresi 55. D. August. in Psal. 132. & alii. Idem docet Tridentinum Sess. 22. c. 1. Ratio est : quia Sacerdos est persona publica, legitima authoritate deputata, ut sit Mediator inter Deum & homines pro eis orando, ac Sacrificium offerendo ; sed hæ conditiones competebant Christo : qui tanquam Persona publica authoritate Divina deputata duplex Sacrificium obtulit, alterum cruentum in ara crucis, alterum incruentum in Eucharistia.

Neque obest Sacrificio cruento, quod se ipsum Christus non occiderit : nam adhuc seipsum moraliter sacrificavit in cruce, quatenus potuisset impedire mortem, & tamen non impedivit.

Neque sequitur, quod etiam Martyres taliter sint Sacerdotes, & se ipsos sacrificent : nam non sunt deputati ; ut Personæ publicæ, ut seipsos offerant tanquam mediatores inter Deum & homines, sicut Christus a Deo erat deputatus.

R. 2.

R. 2. Sacerdotium Chriſti manet in æternum; tum, quia id iterum docet S. Scriptura juxta illud: *Tu es Sacerdos in æternum*: & juxta illud Apoſtoli, *eoquod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Tum, quia miniſterio Sacerdotum nomine ſuo agentium, pergit adhuc ſeipſum offerre. Tum, quia poteſtas ejus ſacerdotalis manet in æternum, quamvis ea non ſit amplius uſurus poſt diem judicii. Tum, quia durant in æternum effectus ſacrificii a Chriſto oblati, ſcilicet ſalus Beatorum.

Quæres 6. An & qualiter Chriſtus fuerit Rex? R. 1. 170
Eoipſo, quia Chriſtus fuit Sacerdos ſummus, fuit, & eſt quoque Rex ſpiritualis Eccleſiæ, quam inſtituit, ordinavitque, ac perpetuo gubernat vices ſuas in ordine ad regimen viſibile committendo Vicariis, Primario quidem Summo Pontifici, ac hoc mediante aliis Paſtoribus. Ita habet certa Theologorum ſententia. Ratio deſumitur tum ex ipſa ratione ſummi ſacerdotii, & capitis, quod fuit, & eſt Chriſtus in Eccleſia. Tum ex S. Scriptura, quæ de hoc regno ſpirituali ita prophetice prædixit: *Veniet dux, qui regat populum meum Iſrael*, id eſt, Eccleſiam; & Gabriel Angelus Lucæ 1., *Dabit illi Dominus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob* (in Eccleſia) *in æternum.*

R. 2. Chriſtus ut homo fuit quoque Rex temporalis ſeu in temporalibus reſpectu totius mundi, quoad actum primum, non vero quoad actum ſecundum & exercitium. Antoninus, Suarez, Henno cum aliis contra alios, qui poteſtatem temporalis Regis Chriſto denegant. Ratio eſt 1. Apocal. 1. Chriſtus dicitur: *Princeps Regum terræ*; & Matthæi ult. dicit de ſeipſo: *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*; ſi autem omnis: ergo & temporalis. 2. Hæc dignitas nec Chriſtum dedecet, nec fini Incarnationis opponitur; imo glorioſa eſt Chriſto: ergo ei eſt tribuenda.

Secunda pars aſſertionis clara eſt ex Evangelio, ex quo ſcimus, Chriſtum non imperaſſe hominibus tanquam Regem, ſed obediviſſe Regibus tanquam ſubditum, tributum ſolvendo; & in hoc ſenſu Joan. 18. dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

R. 3. Chriftus non fuit fpeciali titulo Rex Judæorum, feu non fuit aliter Rex Judeæ, quam fuerit totius mundi. Ita communiffima Theologorum: ratio eft; quia non poteft oftendi aliquis fpecialis titulus electionis, donationis, aut fucceffionis. Et quamvis Chriftus fecundum carnem defcenderet a Davide, tamen regia dignitas jam dudum translata erat a familia Davidis in Machabæos, ut patet 1. Machabæorum 14. & confequenter jus fucceffionis ceffaverat in filiis Davidis.

171 Quæres. An Chriftus habuerit dominium rerum temporalium? R. Chriftus quoque habuit dominium directum univerfale refpectu omnium temporalium, quantum ad jus & poteftatem. 2. Non vero quoad actum & exercitium. Hæc affertio quoad 2dam partem eft communis ac certa: & patet ex vita Chrifti, qua fe pauperem potius, quam Dominum univerfalem exhibuit in cafu rerum temporalium.

Prob. 1. pars. Debemus Chrifto tribuere, quod ipfi eft gloriofius, fi hoc fieri poffit fine inconvenienti; atqui tale dominium univerfale, & excellentiæ poteft Chrifto tribui fine inconvenienti: ergo debet ei tribui.

Dices 1. Vicario Chrifti, feu fummo Pontifici non convenit tale dominium univerfale directum in omnia temporalia: ergo neque Chrifto.

R. N. C. Multa conveniunt Chrifto qua homini ratione unionis hypoftaticæ, quæ non conveniunt fummo Pontifici, ut patrare miraculum, inftituere Sacramenta &c. ergo & hoc dominium univerfale & directum Chrifto convenire poteft, quin conveniat fummo Pontifici.

Dices 2. Tali modo daretur dominium duorum in folidum refpectu ejusdem rei. vg. Petrus in fuas res temporales haberet dominium, & Chriftus in easdem res haberet: ergo.

R. D. a. Daretur dominium ejusdem rationis in folidum refpectu ejusdem rei n. a., diverfæ rationis c. a. dominium Chrifti

eft

est universale & excellentiæ, & altioris ordinis, dominium Petri est privatum ac subordinatum & diversum, ac inferioris ordinis; at vero duo dominia diversi ordinis & rationis possunt dari respectu ejusdem rei: sic Deus habet dominium altissimum in omnes res creatas, & tamen homines possunt habere dominium aliud subordinatum in easdem res: ergo etiam dominium universale Christi, & dominium Petri respectu ejusdem rei possunt simul dari.

Dices 3. Joan. XXII. *extravagante*: inter nonnullos, & *extravag. quia quorumdam* dicit, Christum habuisse interdum dominium aliquarum rerum sibi donatarum: ergo supponit, quod non habuerit dominium omnium rerum. 2. Nicolaus III. Capit. exiit de verb. significatione, docet, Christum aliquando caruisse proprietate omnis rei temporalis: ergo.

R. Uterque Pontifex fuit hic locutus de dominio humano ac subordinato, seu privato, quod Christus interdum respectu aliquarum rerum assumpsit, eas ex titulo etiam talis dominii sibi appropians; non autem habuit semper tale dominium privatum & subordinatum, aliis quoque hominibus æqualiter conveniens. Jam vero nostra assertio non loquitur de dominio tali subordinato, aliis hominibus etiam competente, sed de dominio universali & excellentiæ, quod Christo qua homini solum est proprium ob unionem hypostaticam.

ARTICULUS III.

De Christo ut Advocato nostro, & ut adorando, & de defectibus Humanitatis a Verbo assumptis.

QUÆRES I. An Christus qua homo in terris fuerit, & in cælis sit Advocatus noster? 172

R. 1. Christus est Advocatus noster; ita enim dicitur 1. Joan. 2.: *Advocatum habemus apud Patrem JEsum Christum Justum.* Quoniam vero præcipuum officium est orare, ac intercedere pro alio; hinc,

R. 2. Christus qua homo in hac vita vere & proprie rogavit, est communis ac certa.

Prob. 1. ex S. Script. Joan. 17. dicitur: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo,* ubi orat pro discipulis: & infra: *non pro eis tantum rogo, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me,* ubi orat pro illis, qui erant credituri Apostolis; & Luc. 23. oravit Christus in cruce pro suis interfectoribus: *Pater dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* Hic textus in sensu proprio & obvio (ubi S. Scriptura accipi debet, nisi aliquid obstet) significat Christum proprie & formaliter orasse: ergo sic dicendus est orasse qua homo: dixi, *qua homo*, quia ut Deus non potuit orare, cum oratio essentialiter dicat subjectionem, & est petitio indigentis auxilio, quod Deo non convenit, qui neque pro se, neque pro aliis alterius auxilio indiget.

R. 2. Christus qua homo etiam in cælis adhuc proprie orat pro nobis. Viva, Henno cum aliis contra alios existimantes, Christum in cælo solum improprie & interpretative pro nobis orare, repræsentando scilicet suam passionem & sua merita

Prob. 1. Sacra Script. dicit, Christum in cælis orare pro nobis, ad Rom. 8.: *Qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis;* & ad Hebræ. 7., *semper vivens ad interpellandum pro nobis;* & Joan. 14. Christus ipse dicit: ego (assumptus in cælum) rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Hi textus cum in sensu proprio possint intelligi, debent in eo intelligi, maxime, quia per orationem formalem extollitur charitas Christi in cælo erga nos. 2. Non est indecens, Christum orare proprie in cælo, cum non fuerit indecens, Christum in terra proprie orasse. 3. Christus in cælo quoque est Pontifex, Mediator, ac Advocatus noster; atqui ad horum munus spectat orare: ergo.

Non dicimus autem ad Christum *ora pro nobis;* quia id vetat consuetudo Ecclesiæ; ne credatur Christus purus homo, sicut credebant Ariani.

Quæres 2. Quomodo Christus, ejusque humanitas sit ad- 173
oranda? R. 1. Christus simpliciter, sive Christus-Homo est adorandus perfectissima latria soli Deo propria: est de fide. Ita definitum in Concilio Ephesino, & ratio est: quia Christus-Homo est verus Deus, qui est adorandus cultu latriæ. Deinde adoratio tendit in personam, quæ est Deus.

R. 2. Quando Christus adoratur latria, eadem coadoratur humanitas Verbo unita, licet tanquam objectum secundarium adorationis.

Prob. ex Concilio 7. Act. 6., ubi dicitur, cum adoratur Christus, non separari divinitatem ab humanitate, sed utramque adorari latria. Id docent PP. passim: quia cum Rege eadem adoratione adoratur purpura, ut argumentatur S. Augustinus, & cum anima corpus, ut dicit S. Cyrillus: ergo etiam cum Persona divina adhuc adoratur humanitas assumpta a Verbo divino. Adde, hanc coadorationem deberi humanitati Christi propter increatam excellentiam speciali modo ei communicatam per unionem hypostaticam.

R. 3. Humanitas Christi mentaliter præcisa a Verbo, & in se considerata potest coli cultu hyperduliæ ob perfectiones creatas ipsi intrinsecas: ratio est, quia excellentia humanitatis taliter consideratæ præscindit ab unione cum Verbo, ratione cujus ipsi debetur cum Verbo latria, & tantum involvit excellentias supernaturales creatas, vi quarum meretur cultum majorem, quam quævis alia creatura: consequenter hyperduliam.

R. 4. Adorantur etiam adoratione latriæ imagines & simulacra Christi; ita enim definitum est in septimo Concilio generali contra Iconoclastas, & Trident. sess. 25.; non autem adorantur istæ imagines præcise ratione sui, quasi illis inesse crederemus aliquam divinitatem; tali enim modo committeretur idololatria: sed adorantur simul cum prototypo per illas repræsen-

tato, adorando primario & abſolute prototypon ſeu Chriſtum, ſecundario & reſpective imaginem. Quare objectum talis latriæ partialiter, & quidem primario eſt Chriſtus, & iterum partialiter & ſecundario ac reſpective eſt imago Chriſti, ita, ut imago ſimul vere adoretur, & non ſit mera conditio.

R. 5. Omnia, quæcunque inſtrumenta paſſionis adorantur adoratione latriæ, quia ſunt figura amoris erga nos exhibiti, & triumphi de peccato ac morte reportati. 2. Quælibet etiam crux adoratur eadem latria, non vero adoratur quælibet lancea, ſpina, vel clavus. Ratio eſt, quia cum crux poſt edictum Conſtantini non amplius habeat uſum profanum, nec ad ſupplicia reorum amplius adhibeatur, hinc quælibet crux cenſetur eſſe imago Crucifixi, adeoque cultu latriæ digna: at lancea, ſpina, & reliqua inſtrumenta dolorifera Chriſti adhuc uſum profanum habent. 3. Cultus latriæ debetur quoque omnibus, quæ Chriſtum tetigerunt, quia ratione hujus contactus Chriſtum nobis repræſentant haud aliter, ac crux & imagines.

Nihilominus non convenit adorare cultu latriæ. 1. B. V. Mariam, quamvis Chriſtum utero virgineo geſtarit, & toties tetigerit, ne videamur illam reputare Deum. Neque 2. terram, quam tetigit, neque aſinum, in quo ſedit Chriſtus, aut alia hujusmodi, utpote ad humanos & profanos etiam uſus deputata. Neque 3. manus ſatellitum, qui Chriſtum percuſſerunt &c., quia faciunt unum cum ſacrilegis illis hominibus.

174 Quæres 3. Quos defectus humanitatis aſſumpſerit Verbum?

Ante reſponſionem ſupponendum eſt, quod corpus Chriſti fuerit omnino integrum & perfectum, bene diſpoſitum, optimi temperamenti, & perfectæ pulchritudinis, qualem in humano ac virili corpore eſſe oportebat. Id, quod teſtantur D. Auguſtinus, & alii PP., qui hoc deducunt ex illo Pſalmi 44.: *Specioſus forma præ filiis hominum*, in quem verſum ait S. Hieronymus ad Principiam Virginem ſcribens: *Univerſis pulchrior eſt Virgo de Virgine, qui non ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt.* Atqui talis perfecta pulchritudo virilis non fœminea, decebat Spiritum ſanctum, qui corpus efformavit, & Verbum divinum, quod

quod illud assumpsit, ac sanctissimam & perfectissimam animam, quæ informavit, uti & finis redemptionis, quem promovebat, utpote amænam reddens conversationem cum hominibus.

Quare R. 1. Verbum non assumpsit corpus aliquod debile. 2. Neque subjectum morbis: prima pars jam est probata: alteram tenent D. Thomas, & S. Bonaventura cum aliis contra alios. Ratio hujus est: quia neque Scriptura neque PP., dum recensent pœnas corporis Christi, ullius morbi meminerunt. 3. Morbi exsurgunt vel ex imperfecta informatione corporis, vel ex inordinato victu, vel ex causa externa, ut ex intemperie aëris; prima duo abfuerunt a Christo, ut ex dictis colligitur. 3tium seu causas externas morbi, uti potuit Christus, ita declinavit, quia corpus morbis infectum obfuisset ejus salutiferæ conversationi cum hominibus.

R. 2. Fuerunt tamen in corpore Christi defectus aliqui communes toti generi humano post lapsum primi Parentis, qui non involvunt aliquam specialem imperfectionem Christo non convenientem. Unde sitim, famem, fatigationem & alia passus est, ac omnino mortuus; hos enim defectus in Christo fuisse Scriptura testatur, & expediebat hos in Christo esse. 1. Ut ostenderet se verum esse hominem, per omnia nobis similem. 2. Ut præberet nobis exempla patientiæ & humilitatis, ac 3, ut opus redemptionis perageret.

R. 3. Fuerunt in appetitu Christi sensitivo passiones innoxiæ, ut dolor, tristitia, gaudium, ira justa &c., ut ex Evangelio habemus.

R. 4. Nulla tamen passio appetitus sensitivi in Christo prævenit rationem, & rectum ac justum voluntatis imperium. Ratio est, quia hic defectus, quo nostræ passiones præveniunt rationem, dedecebat Christum.

R. 5. Neque fuit in Christo fomes peccati, sive in actu primo consideretur, sive in actu secundo. Herinx, Viva & alii: ratio est, quia fomes peccati in actu primo est appetitus sensitivus, non simpliciter, sed ut solutus directione rationis, & volun-

luntatis imperio, & ut proxime dispositus ad motum inordinatum contra rationem vg. iræ, desiderii, gaudii. In actu 2do est ipse motus per se inordinatus contra rectam rationem; sed nihil horum fuit in Christo, tum quia erat beatus, tum quia utrumque dedecebat Christum. Vide Herinx, Vivam, Henno & alios.

175 Quæres 4to. An Christus influxerit physice vel moraliter in miracula, quæ patravit.


R. Christus ut Deus physice, ut homo moraliter tantum influxit in effectus miraculosos ab ipso causatos: vel saltem non in omnes physice, qua homo influxit. Scotus, Vasquez, Lugo & alii contra Thomistas, Vivam, & alios quosdam.

Prob. 1. ex SS. PP., qui virtutem physicam patrandi miracula in Christo attribuunt Christo, qua Deo, ut D. Damascenus l. 3. de fide cap. 5. ait: *Neque enim vivificat Lazarum humana natura;* & D. Augustinus tract. 8. in Joan. *Miraculum autem, quod facturus erat* (Christus in Cana Galilææ) *secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem, secundum quod Deus erat, non secundum id, quod infirmus natus erat.* Similia habent alii PP. apud Henno, Herinx & alios laudati.

Prob. 2. Si humanitas Christi physice patravit miracula, tunc id per potentiam obedientialem; nam per vires mere naturales non potuit opera supernaturalia, qualia sunt miracula, efficere; atqui humanitas Christi non habuit potentiam obedientialem ad omnia miracula, quæ operata est: ergo non patravit physice, vel per influxum physicum omnia illa miracula, quæ operata est. m. patet; tum quia a nostris rejicitur passim potentia obedientialis activa quodlibetica: tum, quia humanitas Christi non habuit potentiam inchoatam ad quævis opera miraculosa, maxime ad resuscitationem mortuorum.

Igitur Humanitas Christi miracula, saltem illa, ad quæ non habuit potentiam inchoatam, causavit solum moraliter, movendo per dignitatem ac merita sua, ut Deus per suam omnipotentiam quosvis effectus miraculosos efficeret, quos ipse Christus qua homo vellet effici.

DIS-



DISSERTATIO VIII.

Appendix ad Tractatum de Incarnatione, de cultu & invocatione Sanctorum, & veneratione SS. reliquiarum, & sacrarum imaginum, nec non de dotibus B. V. Mariæ.

ARTICULUS I.

Synopsis historica, & prænotanda.

PLura jam tom. 1. de Prolegomenis Theologiæ sparsim fuere 176
dicta de hæreticis cultum Sanctorum, & sacrarum imaginum impugnantibus: ea in synopsin hic contraho, & alia addo. Itaque Manichæi tertio jam sæculo omnem Sanctorum cultum respuerunt, objicientes Orthodoxis teste S. Augustino, quod pro Diis gentium Martyres invenissent: ex quo deduces, jam horum hæreticorum ætate cultum Sanctorum in Ecclesia catholica fuisse celebrem.

Manichæorum errorem sectatus est sæculo IV. in oriente Eunomius, Arianus, & in occidente initio sæculi V., Vigilantius natus Gallus, & postea Barcinonensis Ecclesiæ in Hispania Presbyter, adversus quem calamum acuit S. Hieronymus.

Signum crucis, quod a Catholicis manuum motu exprimi solet, deriserunt iidem Manichæi ex S. Augustino L. 6. contra Faustum, & alii recentiores Manichæi apud Pithæum in historia Aquitanica. Amalorius sæculo IX. lib. de off. Eccles. c. 14. narrat quorumdam errorem, mox tamen extinctum, qui veram crucem Christi honorandam censuerunt, ut reliquas ad ejus similitudinem formatas rejicerent. Alii paulopost Duce Taurinensi Episcopo tam veram quam cæteras cruces contemptui habe-

bant, quos fequebantur fæculo XI. in occidente Henriciani feu Petrobufiani.

IV. Sæculo in oriente S. reliquias impugnarunt, jam dictus Eunomius, & initio Sæculi V. in occidente Vigilantius tefte S. Hieronymo, qui Catholicos per contemptum cineranos & idololatras appellabant.

Sacris imaginibus bellum movere primo Judæi. 2. Mahometani, quorum fecta erupit fæculo VII. 3. Ex Chriftianis Manichæi tefte Thorafio Epifcopo Conftantinopolitano act. 4. Concilii VII. æcumenici. 5. Præ omnibus Leo Ifauricus Imperator a Judæo deceptus, nimio furore in facras imagines debachatus: Paternum fcelus Conftantinus Copronimus totis viribus profecutus, congregatis ex variis Provinciis Conftantinopoli Epifcopis 338. anno 754. imagines abrogari juffit: miffisque Legatis ad Pipinum Regem Franciæ, eum in focietatem hujus impietatis conatus eft pertrahere. Aft nihil effecit: Etenim Pipinus in conventu Gentiliaci hac de caufa habito per eosdem Legatos Imperatorem ab errore ifto revocare ftuduit, fed conatu fruftraneo ob præconceptum a Copronimo atrox in imagines odium, cujus & filium Leonem quartum hæredem reliquit. Porro Leoni Ifaurico acerrime fe oppofuerunt in Oriente SS. Joannes Damafcenus, & Germanus Archipræful Conftantinopolitanus, in Occidente Gregorius Papa II. in fynodo Romana, Gregorius III. in Concilio 93. Epifcoporum anno 732. ita referente Anaftafio in ejus vita. Stephanus IV. quoque anno 769. damnavit conciliabulum Iconoclaftorum a Conftantino Copronimo coactum.

Denique fub Conftantino pio Imperatore & Irene matre ejus adjuvante Nicææ Bythiniæ Metropoli habitum eft concilium generale VII., dictum Nicænum II. Adriano I. Papa per fuos Legatos præfidente, in quo facris imaginibus fuus honor & cultus in Oriente eft reftitutus.

Errorem Iconomachorum ubique profcriptum tandem fæculo XII. innovarunt Waldenfes Petrobufiani, Henriciani, & Albigenfes: & fæculo XVI. Lutherani & Calviniftæ inftaurantes impietatem Manichæorum, Vigilantii & aliorum hujusmodi hæ-

hæreticorum circa cultum Sanctorum &c. ut ſectam eorum recte vocaveris ſentinam, in quam omnium hæreſum ſortes confluunt, quamvis Lutherus in Evangelium Dom. 23. poſt Pentecoſten omnem cultum Sanctorum vocet rem diabolicam, & Centuriatores cent. 1. L. 2. c. 4. vocent idololatriam, minus tamen inſaniunt cæteri Lutherani multi, qui non omnem venerationem negant Sanctis propter nimis claros textus S. Scripturæ. Dicunt ipſis convenire cultum civilem, & eatenus coli poſſe, quatenus 1. Deus laudatur propter gratias & dona Sanctis conceſſa. 2. Quatenus laudantur Sancti propter fidele ſervitium Deo præſtitum, & commemorantur eorum virtutes. 3. Quatenus proponuntur eorum geſta ad imitationem. Pernegant tamen, Sanctos poſſe coli religioſe, ſcilicet cum omni devotione certas preces, vota &c. in eorum honorem faciendo, aut eos invocando ſuppliciter in neceſſitatibus internis & externis. Hæc eſt ſynopſis hiſtorica, nunc veniunt quædam notanda.

Prænotabis 1. Nomine *cultus*, ſeu *adorationis*, quæ hic 177
pro eodem ſumitur, intelligi recognitionem excellentiæ in altero, ejusque cum debita animi ſubmiſſione conteſtationem, ſeu hæc fiat ſignis externis, ſeu internis tantum intellectus & voluntatis actibus: ſigna enim externa veroſimiliter non ſunt de eſſentia adorationis, licet ſint perfecta ejus conſummatio. Unde adoratio differt a laude & honoratione, quæ teſtificantur alterius excellentiam quidem, ſed ſine externa animi ſubmiſſione, quam addit adoratio.

Prænot. 2. Excellentiam, quam in altero conteſtari poſſumus, eſſe triplicem, nempe *naturalem*, *ſupernaturalem*, *divinam*. Naturalis excellentia reperitur in Regibus, Principibus, Magiſtratibus, parentibus, doctis, nobilibus &c. Supernaturalis datur in Sanctis, conſiſtens in donis ſupernaturalibus & ſpiritualibus, uti eſt gratia ſanctificans, gratiæ actuales, variæ virtutes &c. *Divina* eſt in ſolo Deo, unde & ſoli Deo debetur talis adoratio, quæ nulli alteri convenire poteſt, & appellatur *latriæ cultus*. *Dulia* dicitur cultus, quo coluntur Sancti propter excellentiam donorum ſupernaturalium, quæ in iis ſunt. Quia vero B. Virgo præ omnibus Sanctis eminet peculiari excellentia

 ſuper-

fupernaturali ob maternitatem Dei, ob quam gaudet fingulariffimis aliis donis fupremis & gratiis, ei competit cultus hyperduliæ, qui eft major cultus illo, qui aliis Sanctis convenit: Quid de humanitate Chrifti, quo cultu fit adoranda, fit cenfendum, jam fuperius dictum eft.

Demum cultus, qui defertur aliis propter excellentiam naturalem, & dona naturalia vg. ob nobilitatem, doctrinam, poteftatem gubernativam, dicitur cultus *civilis*, vel *politicus*, cui opponitur cultus *religiofus*, qui tribuitur Deo ob excellentiam infinitam, & infuper Sanctis ob excellentiam fupernaturalem & fpiritualem. Nam nos Catholici omnem cultum a civili & politico diftinctum, vocamus religiofum & fanctum, quod eadem virtus religionis moveat ad Deum, & Sanctos colendos, licet diverfo modo, nimirum Deum propter fe, & ut infinitate excellentem, Sanctos propter Deum, ut ab eo excellentia fupernaturali & donis fupremis exornatos amicos & dilectos Dei, ficut eadem virtus charitatis nos movet ad Deum, Sanctosque propter Deum amandos.

Ex his deduces: craffam effe calumniam, quam Lutherani Catholicis impingunt, dum ajunt, nos effe idololatras, dum Sanctos colimus; perpetuo enim proteftamur, non divino & latriæ cultu nos afficere Sanctos, & Angelos, ac B. V. Mariam, fed multo inferiore, nec Sanctos facere omnipotentes & omnifcios, prout amplius ex dicendis patebit. Nec afferimus, dari præceptum pofitive & directe obligans ad colendos & invocandos Sanctos, fed folum, quod liceat eos colere.

ARTICULUS II.

An liceat Sanctos religiofe colere?

178 ASSERO I. Licite & recte coluntur Sancti tanquam Amici Dei cultu religiofo: idem eft de Angelis bonis. Ita fides catholica contra jam dictos hæreticos articulo præcedente.

Prob.

Prob. 1. ex S. Script. Gen. 18. v. 2.: Abraham *cucurrit in occursum eorum* (Angelorum) *de ostio tabernaculi sui, & adoravit in terram;* Loth Genes. 19.: *adoravit* (Angelos) *pronus in terram, & dixit, obsecro Domine!* Josue 5. v. 13. 14. 15. *Vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait, noster es, an adversariorum? qui respondit, nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait &c.;* Tobiæ 12. v. 16.: *Tobias senior & filius Raphaelem Angelum adoravit: ceciderunt super terram &c.:* quibus locis adoratio non supremum latriæ cultum, sed alium multo inferiorem significat, religiosum tamen, non pure politicum: Sancti scilicet viri illi in Angelis venerati sunt eximiam eorum sanctitatem, supernaturales dotes, quibus Angeli Deo conjunguntur: sed eadem ratio est de Sanctis reliquis, præsertim in cælo cum Christo regnantibus: ergo.

Adde: Abdias, qui fuit potens aulicus, adoravit pronus Eliam Prophetam adhuc viventem 3. Reg. 18.: atqui non adoravit propter excellentiam Eliæ naturalem, quia pauper erat, sed propter excellentiam supernaturalem, quia nempe erat Propheta Deo acceptus, atque adeo adoravit cultu religioso, non mere civili.

4. Reg. c. 2. v. 15. cum filii Prophetarum intellexissent, Spiritum Eliæ in Elisæum transiisse: *Venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram* cultu nimirum religioso ob prophetiæ supernaturaliter acceptum donum, quo eminebat: ergo licet homines in hac mortali vita tot miseriis obnoxios religioso cultu prosequi: quanto magis licebit id deferre Sanctis misera mortalitate exutis, & visione Dei in gloria fruentibus.

Præterea ipse Deus honorat amicos suos, & glorificat glorificantes se, nempe propter virtutes & dona supernaturalia: sic enim dicitur 1. Reg. 2.: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum;* Psalm. 138.: *mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus;* & Joan. 12.: *si quis mihi ministraverit, honorificabit illum Pater meus.* ergo propter hæc ipsa licet & nobis colere Sanctos cultu religioso.

Prob. ex Tradit. SS. Patrum. S. Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Cypriani Martyris: *Cyprianus*, ait, *fere nobis* effluxit, *o grave damnum*, *idque vos passi estis*, *qui eum maxime suspicitis*, annuisque honoribus, festisque celebratis. S. Damascenus lib. 4. orthodox. fidei c. 16. docet, honorandos esse Sanctos, ut servos, amicos & filios Dei. Eusebius l. 7. hist. c. 19. refert, summa reverentia servatam esse S. Jacobi Jerosolymitani cathedram; cujus reverentiæ rationem reddit his verbis: *satis perspicue declarantes*, *qualiter tam antiquiores*, *quam nostri temporis Christiani viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt*, *& hactenus venerantur*; S. Ambrosius serm. 6. circa finem: *quisquis honorat Martyres*, *honorat Christum*, *& qui spernit Sanctos*, *spernit & Dominum*; S. Hieronymus epist. ad Riparium de erroribus Vigilantii: *Honoramus servos*, *ut honor servorum redundet ad Deum*, *qui ait*: *qui vos suscipit*, *me suscipit*; S. Augustinus l. 20. contra Faustum c. 21: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat - - colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis*, *qua & in hac vita coluntur sancti homines Dei. - - At illo cultu*, *qui græce* λατρεία *dicitur*: *latine uno verbo dici non potest*, *cum sit quædam proprie divinitati debita servitus*, *nec colimus*, *nec colendum docemus*, *nisi unum Deum*. Hæc verba Lutherani notent.

Prob. etiam ratione. Cultus religiosus Duliæ est cultus sacer, seu qui exhibetur creaturis propter excellentiam & dona supernaturalia: sed in Sanctis nonnulla sunt dona supernaturalia, ut gratia sanctificans, habitus virtutum, visio beatifica &c. ergo.

179 Assero 2. B. V. Maria digna est cultu Hyperduliæ, Catholici contra hæreticos.

Prob. B. V. Maria habet excellentiam supernaturalem creatam omnino eximiam ac singularem sibi propriam & intrinsecam, longe majorem excellentia Angelorum & hominum, consistentem in gratia habituali & gloria excellentissima ipsi physice inhærente, & in dignitate Maternitatis Dei, quæ ei moraliter inest: ergo B. V. Maria digna est quodam cultu singulari & eximio, qui nulli alteri puræ creaturæ convenit, recteque Hyper-

perdulia, vel quaſi *ſuperdulia* dicitur: etenim cultus adaptatur excellentiæ. Quare de illa S. Ambroſius l. 2. de virginibus aſſerit: *Quid nobilius Dei Matre? quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit?* Inde factum eſt, ut quovis ſæculo fidelibus fuerit perſuaſum, plurimum eam ſuis precibus apud Deum valere. S. Auguſtinus L. de S. Virgine c. 6. docet, majorem non ſolum naturalis corporis Chriſti Matrem eſſe, ſed etiam myſtici, quod eſt Eccleſia. Mirum ergo non eſt, quod Chriſtiani ad eam tanquam filii ad matrem ſemper confugerint, eamque eo titulo ſupplices invocaverint.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Deuteronomii c. 6. v. 13. dicitur: *Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſervies*; & 1. Timoth. c. 1. v. 17.: 180
ſoli Deo honor & gloria: ergo nulli creaturæ licet cultum religioſum exhibere.

R. 1. Si ita ſtricte accipi deberent hæc verba, cur Præcones & alii Proteſtantes admittunt ſervos & ancillas? cur exigunt honorem a filiis & ſubditis? ſoli Deo debetur enim honor juxta ipſos, ſoli Deo eſt ſerviendum.

R. 2. c. a. N. c. Soli Deo debetur ſervitus ſumma & primaria ceu ſupremo omnium rerum Domino & Creatori, ac Redemptori propter ſupremam ſuam excellentiam; ſervitus vero inferior propter minorem excellentiam ſupernaturalem convenit etiam Sanctis tanquam amicis & Servis Dei propter Deum.

Objic. 2. Sanctis non poteſt etiam cultus Duliæ deferri: ergo. a. conſtat varie ex S. Scriptura.

R. N. a. Exempla S. Scripturæ affero, & explico. 1. Mardochæus noluit ſe inclinare coram Aman Eſther. 13. Hic enim non fuit ſanctus, & ideo indignus cultu religioſo: dein videtur exegiſſe cultum divinum, ut colligunt interpretes ex additis verbis Scripturæ: *ne honorem* Dei transferret ad hominem.

2.

2. Petrus Act. 10. prohibuit Cornelium ſe adorare volentem: ſiquidem vel Cornelius aliquid divinum exiſtimavit ineſſe Petro, & ideo recte a D. Petro eſt correctus: vel Petrus ex modeſtia & humilitate non admiſit honorem alias ſibi convenientem. 3. Paulus & Barnabas Act. 10. inhibuerunt Lycaonibus, ne ſe adorarent. Lycaones voluerunt Paulo & Barnabæ ſacrificare tanquam Diis Jovi & Mercurio, adeoque merito, ne hoc facerent, ſunt prohibiti: id quod obſervat S. Hieronymus lib. contra Vigilantium c. 3. dicens: *Paulus & Barnabas cum a Lycaonibus Jupiter & Mercurius putarentur, ſe homines eſſe dixerunt, quod ſub gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur.* 4. Angelus non admiſit adorationem a S. Joanne dicens: *Vide, ne feceris, conſervus enim tuus ſum, Deum adora.* Et hoc ideo, quia S. Joannes vel putabat eſſe Deum, quem adorare volebat, vel ſi adorare voluit, priusquam cognovit eſſe Angelum, voluit adorare cultu Duliæ, quem cultum tamen Angelus recuſabat ex reverentia erga S. Joannem, qui fuit Apoſtolus, Evangeliſta, Prædicator verbi divini, dilectus Chriſti diſcipulus, cuſtos B. Virginis: vel ex reverentia erga humanitatem Chriſti, ut enim advertit Bellarminus ex V. Beda, Anſelmo, Gregorio, poſt Verbum Incarnatum, Angeli non amplius ſe adorari permiſerunt, ut in veteri teſtamento. Tali modo facile diſſolvuntur iſti textus, qui male contra fideles ab adverſariis ſolent adduci.

Obji. 3. Cultus religioſus eſt cultus ſoli Deo debitus, quia ſpectat ad primam tabulam Decalogi: ergo hic cultus non poteſt exhiberi aliis, nempe Sanctis.

R. N. a. ad rationem dico: cultus religioſus Sanctis exhiberi ſolitus nec ad primam, nec ad ſecundam Decalogi tabulam proprie ſpectat, quia *præceptus* non eſt; in Decalogo autem reperiuntur mera præcepta; reductive tamen ad utramque ſpectare poteſt, ad primam ultimato & mediate, ad ſecundam proxime & immediate; quia Sanctos colimus tanquam amicos Dei, & ſic ultimato propter Deum: fere ſicut proximum diligimus ultimato propter Deum, quæ dilectio immediate ſpectat ad ſecundam tabulam, mediate ad primam.

Objic.

Objic. 4. Cultus Latriæ & Duliæ in Scripturis sumuntur pro eodem, & si non sumantur pro eodem, cultus duliæ erit major, quam cultus latriæ; Dulia enim significat *servitutem*, latria *cultum*: ergo.

R. D. a. secundum mentem & sensum Ecclesiæ N. a. juxta mentem & intellectum Ecclesiæ c. a. quidquid λατρεύειν & δουλεύειν in Scripturis significent, tamen ex usu & recepta Ecclesiæ consuetudine per latriam intelligitur cultus soli Deo debitus; per duliam vero cultus minor, licet sacer, creaturis tamen conveniens. Audiatur denuo S. Augustinus jam prius laudatus l. 20. contra Faustum c. 21. & l. 15. contra eundem c. 9.: *Latria verbum græcum est, & interpretatur servitus non quæcunque, sed illa, qua tantum modo Deo servitur.* Quam ob rem quidquid hæ voces ex primæva Græcorum institutione significent, tamen ex voluntate & usu Ecclesiæ latria importat summam servitutem Deo soli debitam, Dulia servitutem minorem etiam creaturis competentem. Nec turbet aliquem D. Augustinus l. 2. quæst. super Exod. n. 94. duliam appellans Deo debitam; ibi enim S. Doctor videtur Duliam accipere secundum vim rationis, non vero secundum usum postea ab Ecclesia receptum; illo enim tempore duliæ nomen non videtur adhuc innotuisse secundum modernam Ecclesiæ acceptionem.

Objic. 5. Colosſ. 2. v. 18. & 19. ait Apostolus: *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus - - crescit*: ergo religiosus cultus Angelis impensus reprobatur.

R. N. C. Apostolus ibi agit contra quosdam hæreticos, qui a Platonicis sumpto errore docebant, Angelos non dependere a Deo, & esse conditores hujus mundi, ideoque cultu latriæ adorandos, & honorem Christo debitum in illos transferendum, ut patet ex verbis sequentibus, *Et non tenens caput*, id est Christum. S. Chrysostomus in hunc locum dicit: *sunt quidam, qui dicunt, non posse per Christum adduci, sed per Angelos* scilicet ad Deum. S. quoque Epiphanius de hæresi Simonis ait, ipsum docere, *non posse salvari aliquem, nisi sacrificia Pa-*

tri universorum per eos principatus & potestates obtulerit. Horum igitur errorem hæreticorum S. Paulus rejecit, non Duliam Christianorum.

Objic, 6. Cultus religiosus, quem Catholici exhibent Sanctis, est idololatricus, quia Sanctos colunt sacrificiis, templis, altaribus, votis, paramentis &c., sed hi cultus sunt latrevtici: ergo erga Sanctos idololatrici.

R. N. M. Plerique ritus & actus externi, quibus adoratur alius, sunt secundum se indifferentes, ac pendent ab intentione, & subjectione interna colentium, ut sint cultus Latriæ, Duliæ, vel omnino politici excepto sacrificio, & iis, quæ ad Sacrificium pertinent. Igitur pensanda est mens fidelium, qui ejusmodi ritus peragunt, an Sanctis hos cultus deferant tanquam Diis, tanquam Dominis supremis infinitæ excellentiæ, an vero solum tanquam amicis & servis dilectis Dei & Christi. Prius nemini vere Catholicorum adhuc in mentem venit, & esset vera idololatria, posterius faciunt absque periculo omnis idololatriæ, quia minore subjectione colimus Sanctos, quam Deum, non ut Deos, sed ut creaturas Deo acceptas, in quibus ipse honorari cupit. Sacrificia proprie dicta, quia sunt contestatio supremi dominii in omnes creaturas, soli Deo offerimus, eique soli templa & altaria erigimus, supra quibus celebratur Missa: quamvis hæc semper facimus in memorias Sanctorum: quando ergo offertur Missa de aliquo Sancto, non sacrificatur Sancto, sed soli Deo, de Sancto autem fit memoria aliqua aut preces accidentales, ut Deum colamus etiam in aliquo dilecto amico suo, hujusque accedente intercessione facilius impetremus, quæ petimus. Id quod jam pridem docuit S. Augustin. l. 20. contra Faustum Manich. c. 21.: *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituimus altaria: quis enim Antistitum in locis SS. Martyrum assistens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule &c.* Ferme idem de votis & juramentis est respondendum; hæc enim principaliter Deo fiunt, possunt tamen fieri secundario in honorem Sanctorum, ut inde in eos aliquis honor derivetur, sicut & Hospitali cadit aliqua utilitas, cui per votum aliqua summa pecuniæ promittitur:

tur : juramenta fiunt quidem principaliter per Deum, ſecundario tamen etiam fieri poſſunt per creaturas, in quibus Dei virtus ſpecialiter elucet, & reſpicitur : vg. per cælum, SS. Evangelia, cur non etiam per Sanctos, in quibus plura dona Dei eniteſcunt.

Denique per cultum SS. hominum non minuitur, ſed potius augetur cultus Dei : ſicut non minuitur, ſed augetur honor Principis, quod ejus etiam miniſtri & amici honorentur, & ſicut dilectio Dei non minuitur per hoc, quod proximi amentur propter Deum. Imo honor Sanctorum ſemper redundat in Deum, quem in ſuis Sanctis & amicis colimus.



ARTICULUS III.

De Invocatione Sanctorum.

Licet magis eruditi & perſpicaces Proteſtantes cultum, qui Sanctis præſtatur, non videantur rejicere, tamen contra eorum invocationem velut idololatricam, & Chriſti mediationi, ac Redemptioni contrariam pugnant, ſecuti Vigilantium ſæculi IV. hæreticum, & Petrobuſſianos ſæculi XII. hæreticos. Sæculo autem XVI. Lutherus, ut liquet ex libris ab ipſo ad Waldenſes ſcriptis, & Calvinus L. 1. inſtit. c. 14. & 12. adverſus Sanctorum invocationem quatuor puncta docuerunt. 1. Ex divinis litteris non haberi, quod Sancti in altera vita pro vivis orent. 2. Si Sancti orent, eos orare pro tota electorum Eccleſia, non autem peculiariter, id eſt, pro his aut illis hominibus in particulari. 3. Inutiliter Sanctos in altis regnantes invocari, cum, ut inquiunt, viventium preces minime cognoſcant. 4. Per ejusmodi invocationem non parum obſcurari gloriam Chriſti, qui unicus eſt Mediator noſter, & interceſſor. Hos ſuos duces ſectantur proteſtantes moderni. 181

Quibus opponit ſe Eccleſia Catholica in Trident. ſeſſ. 25.

de invocatione Sanctorum ita dogmatizans: „ Mandat sancta
„ Synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus su-
„ stinentibus, ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum
„ primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sancto-
„ rumque Patrum consensionem, & sacrorum Conciliorum de-
„ creta, in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, Re-
„ liquiarum honore, & legitimo imaginum usu, fideles diligen-
„ ter instruant, docentes eos, Sanctos, una cum Christo re-
„ gnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bo-
„ num atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob bene-
„ ficia impetranda a Deo per filium ejus JEsum Christum Domi-
„ num nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eo-
„ rum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero, qui
„ negant Sanctos, æterna felicitate in cælo fruentes, invocan-
„ dos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non ora-
„ re; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invoca-
„ tionem esse idololatriam, vel pugnare cum Verbo Dei, adver-
„ sarique honori unius Mediatoris Dei, & hominum JEsu Chri-
„ sti: vel stultum esse, in cælo regnantibus voce, vel men-
„ te supplicare, impie sentire. Sanctorum quoque Martyrum
„ & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva
„ membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso
„ ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda a fidelibus ve-
„ neranda esse: per quæ multa beneficia a Deo hominibus præ-
„ stantur: ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis veneratio-
„ nem, atque honorem non deberi: vel eas, aliaque sacra mo-
„ numenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis
„ impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari;
„ omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, &
„ nunc etiam damnat Ecclesia. Imagines porro Christi, Dei-
„ paræ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim
„ habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & ve-
„ nerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in
„ iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod
„ ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit
„ figenda; veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem
„ suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur,
„ refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant: ita ut per ima-
„ gi-

„ gines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & „ procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum il„ læ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, „ præsertim vero secundæ Nicenæ Synodi decretis contra ima„ ginum oppugnatores est sancitum. „ Hac Catholica doctri„ na nixus adversus sectarios.

Assero: Bonum & utile est invocare Sanctos, ut pro no- 182
bis ad Deum intercedant.

Prob. 1. ex S. Scriptura Genes. 48. v. 16. Jacob Patriarcha benedicens filiis Joseph ait: *Angelus, qui eruit me de omnibus malis, benedicat pueris istis:* ibi invocatur Angelus. Ibidem Jacob subdit: *& invocetur nomen meum super eos:* nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac, ubi Jacob docet posteros, ut nomen suum & Patrum suorum invocent, ex quo etiam deduces, licite & pie a nobis alios Sanctos invocari. Huic exemplo obsecutus Moyses Exod. 32 v. 13. orat dicens: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Jacob Sanctorum tuorum.* Unde D. Augustinus q. 149. in Exodum Edit. Basileensis anno 1528. circa illa verba Dei ad Moysen: *Dimitte me, & iratus conteram eos, &c.* inquit: *ut eo modo admoneremur, cum merita* (seu potius demerita) *nostra nos gravassent, ne diligamur a Deo, relevari nos apud Deum illorum meritis posse,* quos Deus diligit. Salomon oravit Deum 2. Paralip. 6. v. 42. cum David jam esset mortuus, per hunc tamen sic orat: *Domine Deus ne averteris faciem Christi tui, memento misericordiarum David servi tui.* Daniel quoque c. 3. v. 35. allegat merita Patrum suorum ita orans: *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel Sanctum tuum.*

Ex his ita infero: non fuit facta injuria Deo, quod fuerit invocatus in veteri testamento per merita Sanctorum: ergo nec fit injuria, si sic invocetur in novo per merita & intercessionem Sanctorum.

Accedit & illud 2. Machab. c. 15. v. 12., ubi Judas in visu videt Oniam jam defunctum, *qui fuerat summus Sacerdos, orare*

orare pro populo Judæorum. Ab eodem etiam Onia hæc audivit: Hic est fratrum amator & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei. Si igitur PP. in limbo adhuc existentes orarunt pro suis, quid modo poterunt Sancti in cælo cum Christo regnantes.

Prob. 2. Licet orare & invocare Sanctos adhuc in terris degentes, ut patet ex illo Jobi ultimo, ubi Deus ipse mittit amicos Job ad servum suum Job, ut oret pro iis. Et Apostolus in utraque epistola ad Thessalonicenses ait: *Fratres orate pro nobis*, & alibi sæpius petit orationes fidelium; ergo & licet invocare Sanctos in cælo regnantes: sic enim nos docet S. Hieronymus Tom. 2. adversus Vigilantium c. 3.: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti: quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam; & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur; & postquam cum Christo esse cæperint, minus valebunt?*

Ex quo ruit hæreticorum improperium, & deducitur, non esse signum diffidentiæ, nec injuriosum Christo principali Advocato & Mediatori, quod Sancti in cælo invocentur tanquam secundarii Advocati, & mediatores Christo subordinati: alioquin enim pariter foret signum diffidentiæ, & injuria Christo illata, quod invocentur adhuc nobiscum degentes. Unde Calvinus splendidum committit mendacium l. 3. instit. c. 20. §. 21. dicens, Papistas velle moliri per intercessionem Sanctorum, ut abducamur a Christo, eaque oblectari, eoquod anxietate laborent, ac si Christus hic deficeret, aut nimium severus foret. Profecto sicut nihil horum subest, dum confugiunt etiam Calvinistæ ad intercessiones Sanctorum, hic in carne adhuc viventium, ita neque subest, dum Catholici confugiunt ad intercessiones Sanctorum in cælis cum Christo regnantium: siquidem utrobique manet, quod ipse Calvinus cit. §. 19. agens de Beatis hic viventibus scribit: *Ita unus statuitur Mediator Christus, cujus intercessione propitius & exorabilis nobis reddatur Pater. Quamquam interim & suæ Sanctis intercessiones relinquantur, - - sed tales,*

les, quæ ab unica illa dependeant, tantum abest, ut delibent ex ea quidpiam,

Prob. 3. Ex traditione Patrum Ecclesiæ. In actis martyrii S. Ignatii, S. Petri in Antiochena Ecclesia post Evodium successoris, & S. Polycarpi, qui Joannis Apostoli discipulus fuit, legimus illos SS. Martyres a fidelibus hujus ætatis esse inovocatos. Origenes, qui obiit anno 254. seu sæculo III. Homil. in Cantica inquit: *Omnes Sancti, qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & juvare eos precibus suis, atque interventu suo apud Deum non erit inconveniens; scriptum namque est in libris Machabæorum, hic est Jeremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo Dei:* & Homil. 26. in c. 11. Numer.: *quis dubitat,* ait, *quod Sancti quique Patrum, & orationibus nos juvent, & gestorum suorum confirment exemplis?* S. Cyprianus, qui obiit 258. epist. 57. ad Cornelium Papam, rogat, ut qui ex alterutro prior e vita discesserit, pro superstite, aliisque fratribus divinam imploret misericordiam: *Memores,* inquit, *nostri invicem simus, concordes atque unanimes pressuras & angustias mutua charitate relevemus, & si quis isthinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio pro fratribus ac sororibus nostris, apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Eusebius, qui natus est anno 340. L. 13. Præcept. Evangel. c. 11. hæc scribit: *quæ quidem in hominum Deo charissimorum obitu egregie conveniunt, quos veræ pietatis* milites jure appellaveris. Nam & eorum sepulchra celebrare, & preces ibi, votaque nuncupare, & beatas illorum animas venerari consuevimus, idque a nobis merito fieri statuimus.

S. Hieronymus jam est allegatus in prob. 2.: obiit autem anno 420., scripsit pro cultu & invocatione Sanctorum contra Vigilantium circa finem IV. Ecclesiæ sæculi.

S. Augustinus mortuus anno 430. serm. 17. de verbis Apostoli ait: *Injuria est pro Martyre orare, cujus nos debemus precibus commendare.*

Ex IV. & sequentibus sæculis non est necesse plura recensere

fere testimonia, cum Protestantes ipsi fateri cogantur, usum invocationis Sanctorum jam IV. sæculo invaluisse.

Prob. 4. Ex Conciliis: in Ephesino celebrato anno 431. sub Cælestino I. Papa, S. Cyrillus, qui nomine Pontificis Romani præsedit, beatum Joannem invocavit in oratione, quam habuit hujus die festivo, In Calcedonensi celebrato anno 451. sub Leone summo Pontifice Act. 11. de S. Flaviano dicitur: *S. Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis orat*; In Nicæno II. quod est generale VII. celebrato anno 787. sub Adriano I. Act. 6. habetur: *ergo cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem intemeratæ Dominæ nostræ, & natura Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, atque sanctorum Angelorum, & simul omnium Sanctorum.* Adde innumera beneficia, & miracula, quæ Deus per Sanctorum intercessionem contulit, ut constat ex authoribus fide dignissimis: Inter quos S. Augustinus l. 22. de Civitate c. 8. narrat plurima miracula, quæ coram numerosa multitudine ad cultum & invocationem S. Stephani Protomartyris sunt facta.

Solvuntur objectiones.

183 Objic. 1. Non licet invocare, nisi in quem credimus, juxta illud ad Rom. 10. v. 14.: *quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt*: atqui in quem credimus, Deus est; *Credo in Deum*: ergo solum Deum licet invocare.

R. 1. ex hoc argumento sequitur nimium, probat enim non licere invocare Sanctos in hac vita existentes.

R. 2. D. M. in quem credimus fide ipsi conveniente c. M. fide non conveniente n. M. fides, qua creditur Deus esse bonorum omnium Dominus & supremus Largitor, soli Deo convenit; fides vero, qua Sancti creduntur aliquid apud Deum posse, creaturis potest tribui juxta illud ad Philemon. v. 4. & 5.: *Gratias ago Deo meo - - audiens charitatem tuam & fidem, quam habes in Domino JEsu, & in omnes Sanctos.* Hæc vero fides necessaria est, non illa, ut Sanctos invocemus. Ad hæc

Apo-

Apostolus ibi loquitur de invocatione Dei tanquam primi & supremi authoris bonorum : etenim ante verba illa, *quomodo invocabunt &c.*, immediate ponuntur ista : *omnis enim, qui invocaverit nomen Domini , salvus erit.* Neque vox ista *invocare* in Scripturis solum significat illam orationem , quæ immediate ad Deum dirigitur, ut male sibi persuadent Adversarii. Siquidem Jacob Genes. 48. v. 16. inquit : *Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac.*

Objic. 2. Christus Matth. 6. v. 9. formam orandi præscripsit : *Sic ergo vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis &* Luc. 11. v. 2. ait : *cum oratis, dicite Pater &c.* , & v. 9. : *Petite, & dabitur vobis* : ergo Christus solus Deum Patrem orari voluit, non Angelos aut Sanctos.

R. 1. Hoc argumentum iterum nimium , & sic nihil probat : ut nihil dicatur de Sanctis in terra existentibus , probat solum Patrem , nec Christum , nec Spiritum sanctum esse orandum.

R. 2. Christus non prohibet , ne alios rogemus , sed ad summum indicat , Deum Solum ut supremum bonorum Largitorem esse orandum , & in hoc præcipue nostram spem esse collocandam ; Sancti vero & Angeli sunt rogandi , ut amici Dei, ut intercedant pro nobis.

Obji. 3. Per invocationem Sanctorum plures mediatores junguntur Christo contra Apost. 1. Timoth. c. 2. v. 5. ibi : *unus est Mediator Dei & hominum :* ergo.

R. D. a. Junguntur plures Mediatores secundarii c. a. primarii, qui vice Christi funguntur N. a. Sancti non sunt Mediatores in sensu, in quo Christus est Mediator, nempe primarius, sed solum sunt secundarii, seu potius intercessores nomine & virtute Christi : Mediator primarius est is , qui nos dato pretio redemit, & reconciliavit Deo per merita sua a nullo alio mediatore vim habentia, & per illa sua merita Christus solus meritus est justificationem , salutem & omnia dona supernaturalia. Mediator secundarius est, qui orat pro nobis per meri-

merita primarii Mediatoris, & in virtute gratiarum a primario Mediatore acceptarum. Ecce Moyses adhuc vivens dicitur in Scriptura Mediator, nempe secundarius: nam Deut. c. 5. v. 5. ait: *Ego sequester & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo*; & D. Paulus Galat. 3. v. 19. dicit, legem ordinatam esse per Angelos *in manu Mediatoris*, seu Moysis.

Objic. 4. In Scripturis nullum exstat mandatum, vel probatum exemplum invocationis Sanctorum alterius vitæ: ergo.

R. 1. N. 2. membrum, cujus falsitas patet ex probationibus. R. 2. retorq. Lutherani baptizant infantes ante usum rationis, & plura alia faciunt, de quibus nullum exstat in Scripturis mandatum, vel promissio particularis atque explicita. Multa recte fiunt, etiamsi in Scripturis non sint mandata, ut servare virginitatem, omnia dare pauperibus. Insuper etiamsi nullum exemplum exstaret in Scripturis, sufficerent exempla innumera piorum fidelium, & SS. Patrum. Deus etiam promisit exaudire preces supplicantium sine ulla exceptione dicens: *Petite, & accipietis*, Matth. 7.: *omnis, qui petit, accipit.*

Objic. 5. Omnis cultus Deo gratus debet esse juxta voluntatem Dei: sed si in Scriptura S. nihil exstat de invocatione Sanctorum, non est juxta voluntatem Dei: ergo.

R. 1. N m. præter sacram Scripturam datur etiam Verbum Dei non scriptum, quo manifestatur nobis voluntas Dei

R. 2. D. M. Debet esse juxta voluntatem Dei vel præcipientem, vel consulentem, vel approbantem C. M. semper præcipientem N. M. S. Paulus Coloss. 2. v. 8. & 22. solum rejicit cultus superstitiosos, inanes & falsos ab hominibus contra voluntatem Dei & Christi excogitatos. Invocationem vero Sanctorum debite factam a fidelibus Deus nullibi reprobat, sed potius probat, ut ex probationibus nostris liquet.

Objic. 6. Sancti nihil sciunt de nostris precibus in particulari: ergo. Ant. variis nihil probantibus textibus conantur evincere.

R. N. a.

R. N. a. Dum adducunt illum textum 3. Reg. 8.: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum;* R. hunc sensum esse: Tu Deus solus nosti secreta cordium, ex natura tua, & intrinseca infinita perfectione, quo sensu Deus etiam dicitur solus bonus, immortalis, justus, faciens mirabilia, quæ tamen & creaturis possunt convenire, sed alio modo, scilicet non a se per essentiam & naturam, sed per participationem & communicationem ac modo limitato. Ad illum textum Eccl. 9.: *mortui nihil noverunt amplius*, respondetur, illum loqui de cognitione naturali, quam solam habent mortui etiam justi ante adventum & descensum Christi ad inferos, utpote necdum beati; non vero illum textum intelligendum esse de cognitione supernaturali & intuitiva, quam habent Beati in cælo. Itaque ordinarie & dempta revelatione spirituali tunc in limbo nihil sciebant de iis rebus, quæ gerebantur in terris, licet probabiliter etiam iis revelaverit Deus, dum per illos vivi rogabant Deum. Præter istud responsum potest ad eum textum Isa. 63.: *Abraham nescivit, & Israel ignoravit nos*, dici: Abraham & Israel non agnoscunt nos pro filiis propter peccata nostra.

Ad alias authoritates. R. 1. Coloss. 2. v. 18. illo textu: *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum &c.* Paulus & Concilium Laodicenum damnant solum hæresin, & idololatriam Simonis Magi docentis quosdam Angelos, velut quosdam minores Deos esse adorandos tanquam fabricatores mundi.

R. 2. S. Chrysost. Homil. 5. in Matth. equidem dicit: *Deus salutem nostram non tam aliis pro nobis rogantibus vult donare, quam nobis &c. . . . nullius Patroni, nullius mediatoris precibus inflexus &c.* Verum S. Chrysost. ibi agit contra illos, qui in propria persona orare nolunt, sed præcise alienis precibus volunt juvari; subjungit enim: *Hæc dicimus, NB. non ut supplicandum esse Sanctis negemus, sed ne dormientes ipsi aliis tantummodo nostra curanda mandemus.* Præterea fatemur nos Catholici, absolute non esse necessariam invocationem Sanctorum, & posse nos immediate accedere ad Deum solum, & exaudiri, licet simus facilius & certius exaudiendi ordinarie, si Sancti nobiscum orent, quod ipsi Adversarii censere debent, invocantes eos, qui adhuc sunt in vivis. His breviter expeditis.

 Objic.

Objic. 7. Sancti in gloria jam receperunt omne præmium pro suis operibus, scilicet æternam gloriam: ergo ipsis nihil superest aliis impetrandum, vel elargiendum.

R. D. a. Receperunt omne præmium essentiale consistens in visione & amore beato, & inde exurgente gaudio C. a. accidentale, ad quod etiam pertinet invocari ab hominibus, & eorum preces a Deo exaudiri, imo & gloria corporis suo tempore assequenda N. a. & c.

Objic. 8. Sancti in cælo sibi ipsis nihil mereri possunt: ergo multo minus nobis.

R. N. C. Licet nunc nihil amplius Sancti mereri possint pro se, meriti tamen sunt in vita pro se, & sic aliquo modo etiam pro nobis, quatenus nempe per merita sua in vita collecta facti sunt Deo valde chari, & per consequens valde potentes in suis intercessionibus pro nobis.

Objic. 9. Catholici imitantur Ethnicos, dum aliquos Sanctos invocant pro viatoribus, alios pro febre vel alio morbo laborantibus, alios pro bobus, alios pro ovibus, quasi tanquam Dii gentilium præsiderent his creaturis: ergo.

R. N. a. Invocamus quidem Sanctos in certis necessitatibus religiose, non vero latrevtice, ut gentiles implorabant suos falsos Deos. Imploramus autem certos Sanctos in certis necessitatibus, quia vel floruerunt peculiariter aliqua virtute, vel plura in certo membro, aut certo cruciatuum genere pro Christo passi sunt, vel quia experientia docet, certos Sanctos in quibusdam necessitatibus a Deo auxilium impetrasse, quam alios, ut S. Sebastianum & S. Rochum in morbis contagiosis, S. Antonium in rebus deperditis recuperandis.

Objic. 10. Sæpe Sancti invocantur frustra: imo aliqui invocantur, qui nunquam in rerum natura exstiterunt, ut Georgius, Christophorus, Catharina, quorum Legendæ scatent fabulis: ergo.

R. Ad

R. Ad 1. memb. tranſ. nunquid ſæpe etiam fruſtra invocatur Deus, eſtne propterea iſta invocatio non amplius licita, vel penitus omittenda? etiam Proteſtantes ſuarum ſectarum alumnos ſæpe invocabant fruſtra, & tamen eorum preces ſolicitari ſibi perſuadent. Sæpe non exaudimur, quia vel male, vel mala & ad ſalutem noſtram pernicioſa petimus.

R. ad 2. memb. N. a. certe protervia eſt Acatholicorum dubitare, an ſint in rerum natura, quos univerſalis Eccleſia colit ut Sanctos: ſi quorumdam acta fuerint corrupta, vel apocrypha, inde non ſequitur, ut ejusmodi homines non fuerint unquam, vel non ſint Sancti, Eccleſia non definit veritatem hiſtoriæ, ſed ſanctitatem hominum.

Id quoque obiter notare oportet, ex mea juſta defenſione Revelationum Agredanarum pag. 641. & n. 445., quamvis ordinarie Sancti poſſint multa bona impetrare pro nobis orando, tamen etiam per ſe nobis opem ferendo poſſe prodeſſe, & ſuccurrere. Ita Leſſius de jure, & juſt. l. 2. c. 37. & n. 29. & 31. & alii. Nam id conſtat primo ex officio Angelorum cuſtodum, qui per ſe ipſos multa mortalibus beneficia præſtant, ut Scriptura multis locis docet. Idem poſſe alios Sanctos poſt Chriſti mortem, Leſſio certiſſimum eſt, tum quia ſunt ſimiles Angelis ſapientia, charitate & potentia; tum quia Scriptura docet: *Sanctos poſt hanc vitam regere mortales* Apocal. 2. *qui vicerit, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eos in virga ferrea:* item *eſſe columnas in templo Dei:* Apocal. 3. id eſt ſuſtinere Eccleſiam: *ſedere cum Chriſto in throno*, id eſt, cum ipſo regere orbem.



ARTICULUS IV.

De veneratione ſanctarum Reliquiarum, & ſacrarum imaginum.

JAm dixi Articulo 1. hujus diſſertationis, Eunomium Arianum ſæculo IV., & ad initium V. ſæc. Vigilantium hæreticos damnaſſe cultum SS. Reliquiarum, quem ſæculo XVI. ſecutus eſt

Lutherus, cui Calvinus adhæsit l. de reformandæ Ecclesiæ necessitate, & in admonitione de Reliquiis Helvetica confessio art. 8. ita habet: multo vero minus credimus Reliquias Divorum esse adorandas aut colendas. Anglicana posterior docet: *Doctrinam Romanensium in veneratione Reliquiarum esse rem futilem inaniter confictam.*

Nos autem Catholici, qui sumus in sensu opposito, ratione Reliquiarum sacrarum, non solum intelligimus corpora Sanctorum, vel eorum partes, sed etiam vestes, baculos, rosaria, & alia Sanctorum usu vel attactu sacrata, ut sunt instrumenta martyrii.

Qui sacris imaginibus bellum moverint, jam dictum est tom 1. de Prolegomenis pag. 494. n. 327. & articulo I. hujus dissertationis, ubi videatur. Nunc sit.

§. I.

Deciditur primum Punctum hujus Controversiæ.

184 ASSERO: Reliquiæ Sanctorum pie, licite, & utiliter coluntur. Ita Catholici contra sectarios novos & antiquos.

Prob. 1. ex S. Scriptura, in qua Reliquiarum cultus laudatur & commendatur. 1. Judæi tabernaculum, Arcam, & quæ in illa erant, religioso cultu prosequebantur, nec propterea uspiam in Scriptura redarguuntur. 2. Deus ipse jubet nos honorare loca & res sanctas: sic ad Moysen dixit Exodi 3.: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est;* Angelus ad Josue c. 5. dicebat: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, sanctus est.* Psalm. 98. ait Spiritus sanctus: *adorate scabellum pedum ejus:* id est Arcam testamenti, quæ per scabellum hoc intelligitur 1. Paralip. 28. 3. Moyses ex Ægypto discedens ossa Josephi Patriarchæ honorifice secum transtulit: & cineres hujus Eccli. 49. v. 19. dicuntur prophetasse. 4. L. 4. Reg. 2. v. 8. Elisæus pallio Eliæ aquas Jordanis percussit, & sunt divisæ; sed uti pallio ad miraculum patrandum, est utique Eliæ pallio honorem & cultum exhibere. Eodem l. c. 13. v. 21. cum in Eli-

ſæi mortui ſepulchrum projectum eſſet cadaver, revixit homo, & ſtetit erectus in pedes: ergo ipſe Deus miraculo honoravit corpus defuncti Eliſæi: ergo & illud, & omnia alia corpora Sanctorum etiam ab aliis hominibus religioſe coli poſſunt, Act. 19. v. 21. multi ſanantur per ſudaria, & ſemicinctoria D. Pauli: atqui qui hujusmodi ſemicinctoria ægris applicabant, ea procul dubio religioſe colebant, & honorabant. Matth. 9. v. 21. Mulier Hemoroiſſa ſperavit, ſe ex contactu fimbriæ Chriſti obtenturam ſanitatem, quam reipſa obtinuit: ergo eam fimbriam tanquam rem ſacram venerata eſt: ergo etiam veſtis Chriſti, ſi præſens eſſet, religioſe tanquam res ſacra coli poſſet.

Prob. 2. Per conſtantem Eccleſiæ traditionem, cujus teſtes ſunt antiqui PP. & Concilia. 1. Euſebius lib. 7. hiſt. c. 19. ſic de cultu, quo Chriſtiani cathedram Jacobi primi Jeroſolymitani Epiſcopi proſequebantur, loquitur: *Jacobi cathedram - - ad noſtra usque tempora conſervatam fratres illius Eccleſiæ, jam inde a Majoribus magna proſequuntur reverentia.*

Id etiam ex Euſebio eodem l. 4. hiſtoriarum c. 15. meminiſſe juvat: anno Chriſti 163. Polycarpus Schmyrnæ martyrio affectus eſt: ibi Judæi Proconſuli ſuaſere, ut illius oſſa comburi juberet, *ne forte*, ut ajebant, *relicto Crucifixo hunc deinceps Chriſtiani colere inciperent*, ita apud Euſebium cit. habet Eccleſia Schmyrnenſis in ſua de morte Polycarpi epiſt. Igitur jam tunc, nempe ſæculo II. Judæis perſuaſum eſt & notum, Chriſtianos religioſe colere ſanctorum Martyrum Reliquias: quod ex eadem relatione Schmyrnenſi apud Euſebium patet: ibi enim ſic pergunt Schmyrnenſes: *Stulti, qui ignorarent, nos nec Chriſtum unquam poſſe relinquere, nec alium quemquam colere, ſcilicet* Latriæ cultu. *Illum enim utpote Filium Dei adoramus: Martyres vero tanquam diſcipulos & imitatores Domini merito amore proſequimur ob eximiam benevolentiam, quam erga Regem & Magiſtrum ſuum declararunt.* Additit eadem Eccleſia, ſe tandem collegiſſe laudati S. Martyris oſſa & cineres, opportuno tempore die feſto publice colendos. 2. S. Baſilius Magnus, qui obiit 378. Homil. in Pſal. 115. ait: *Si quis* (juxta veteris legis inhibitionem) *tetigerit cadaver, immundus erit. Nunc e diverſo Martyris oſſa quisquis*

quis attigerit, ob gratiam corpori infidentem, fit quadotenus fanctificationis particeps. 3. S. Cyrillus Jerofolymitanus, qui obiit anno 386. Catechefi 18. Catechumenos praxin Ecclefiæ de honorandis Reliquiis docet. 4. S. Gregorius Nyffenus, qui obiit anno 393. oratione in Theodorum Martyrem hæc de illius Reliquiis commemorat: *Nam ipfas attingere Reliquias, quam optabile fit, norunt, quicunque funt experti. Hi enim tanquam vivum ipfum corpus, & florens videntes ofculantur, & ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes fenfus admovent. Dein Martyri, quafi integer effet & præfens, fupplicant, ut pro ipfis intercedat.*

5. S. Chryfoftomus, qui obiit anno 407. Homil. 40. in SS. Juventium & Maximum: *Sæpe eos invifamus, capfulam attingamus, magnaque fide Reliquias eorum contingamus, ut inde aliquam benedictionem affequamur.* Idem in oratione de S. Ignatio defcribit, quo cultu & honore illius Reliquias Roma Antiochiam translatas fideles fuerint profecuti. Plura adhuc pro commendando cultu SS. Reliquiarum refert Homil. 16. in epift. 2. ad Corinth. 6. S. Hieronymus, qui obiit anno 420., confuetudinem Ecclefiæ ex propofito defendit adverfus Vigilantium, qui fub finem IV. fæculi eam impugnavit: fic contra illum hæreticum difcurrit ex recepto ufu: *Male ergo facit Romanus Epifcopus, qui fuper mortuorum hominum corpora, Petri & Pauli, fecundum nos offa veneranda, fecundum te vilem pulvifculum offert Domino Sacrificium, & tumulos eorum Chrifti arbitratur altaria. Et non folum unius urbis, fed totius orbis errant Epifcopi, qui Cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Bafilicas Martyrum.* Ex quo colligis morem totius Ecclefiæ jam fæculo IV.

7. S. Ambrofius obiit anno 397. epift. 53, refert, fe Deo revelante reperiffe Mediolani SS. Gervafii & Protafii corpora. 8. S. Auguftinus, qui obiit anno 430. l. 9. confeff. c. 7. narrat miracula, quæ in translatione corporum SS. Gervafii & Protafii Mediolani patrata funt, quorum fe oculatum teftem dicit. Et pluries alias honorifice loquitur de veneratione SS. Reliquiarum, ut l. 9. de Civit. Dei c. 8. nec non l. 20. contra Fauftum c. 21. & l. 22. de Civitate c. 8.

Concilia plura, ut Gangrense sub Sylvestro Papa, qui Ecclesiæ præfuit ab anno 314 usque ad annum 336. celebratum Præside Osio Cardinali, ejusdem Pontificis Legato Canone 20. & ultimo, anathema dicit illis, qui fidelium concursum ad Martyrum memorias vituperant. Concilium Ephesinum generale celebratum anno 431. suscepit, & probat epistolam Cælestini Papæ I., in qua Patribus sic gratulatur: *Vos Joannis Apostoli Reliquias præsentes veneramini.* Iconoclastæ & Nicæna Synodus, Geneneralis VII conveniebant, Reliquiis Martyrum cultum esse deferendum. Sequentibus sæculis habita Concilia eumdem morem probarunt, ut Bracarense III., ac denique Tridentinum sess. 25.

Prob. 3. ratione. Cum pium & utile sit, ut probatum est, honorare Sanctos, qui sunt amici & hæredes Dei, & in cælo cum Christo regnant, quique multum apud ipsum precibus suis valent: pium quoque & utile est honorare eorum corpora, quæ fuerunt templa Spiritus sancti, organa sanctarum animarum, & instrumenta virtutum, cum honor illis exhibitus referatur in ipsos Sanctos, quorum sunt pretiosæ exuviæ.

Objic. 1. Deus abscondit corpus Moysis, ne illud venerentur Judæi. Deut. cap. ult. ergo Deus non vult nos venerari Reliquias.

R. N. c. Deus satis honoravit corpus Moysis, quod Deus ipse sepeliverit, & sic docuerit corpora Sanctorum honorari posse, & ideo recte honorantur ab Ecclesia, cum nunc nullum amplius idololatriæ periculum subsit, nam corpus Moysis, si scivissent ejus tumulum, facile adorassent tanquam idolum, exemplo Gentilium seducti, inter quos diu in Ægypto vivebant.

R. 2. D. a. abscondit &c. ne illud venerarentur cultu Latriæ c. a. cultu Duliæ relativæ N. a. Et licet Israelitæ Moysem facientem prodigia maxima vivum non adorarint ut Deum, quia ipse viva voce prædicabat edita miracula solius Dei virtute fieri: cessante tamen hujusmodi admiratione, Moyse mortuo, facile potuissent idololatriæ exponi: sicut expost cultu latrevtico adorarunt æneum serpentem, cujus aspectu sanati fuerunt, & quem ob hanc causam l. 3, Reg. c. 18. ab Ezechia Rege confractum novimus.

Objic. 2. Eccli. 38. jubet Deus ſepeliri corpora mortua: *Fili in mortuum produc lachrymas - - - & ſecundum judicium contege corpus illius:* ergo alius honor ipſis non convenit.

D. N. C. Ibi eſt ſermo de ſepultura ſtatim poſt obitum, quam Catholici non negant Sanctis, eoquod corpora recens mortua tetrum exhalent fœtorem, & horrori ſint ſpectantibus: aſt poſtquam exeſa, & ab omni fœditate purgata, & præterea pretioſe ornata ſunt, recte exponuntur hominum oculis, idque Sanctis glorioſum, & ſpectatoribus utile eſt, cum ſic excitetur eorum memoria, & imitandi ſtudium.

Objic. 3. Chriſtus Luc. 11. v. 47. reprehendit Judæos, quod magnifica ſepulchra Prophetis ædificarent, & Matth. 23. v. 29. dicit: *Vœ vobis, qui œdificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta Juſtorum:* ergo.

R. N. a. Chriſtus non reprehendit Phariſæos propter conſtructionem ſepulchrorum Prophetarum, ſed partim propter hypocriſin, quia iſto cultu externo contenti internas animæ virtutes negligebant, partim & quidem principaliter propter eorum crudeles mores, quia non Prophetas, quorum ſepulchra recte ornabant, ſed potius Patres ſuos Prophetarum occiſores imitabantur; inſidias ſtruendo vitæ Chriſti, & Sanctorum.

Objic. 4. Concilium Eliberitanum, ſeu Illiberitanum Sæculo III. habitum Can. 34. prohibet, ne cerei per diem in cœmeteriis accendantur, *quia*, ait, *Spiritus Sanctorum non ſunt inquietandi.* ergo cultum ſanctorum corporum prohibere videtur.

R. N. C. Canon ille non cæremonias cultus divini aut Sanctorum, ſed necromantiæ impietatem, & divinationis præſtigias vetat, quibus utebantur multi, qui ex ſchola Simonis Magi, diſcipulorumque ipſius Baſilidis, Menandri, Saturnini prodierunt: unde etiam intra Hiſpaniam, in qua hoc Concilium eſt habitum, emerſit Priſcillianiſtarum viperea propago incantationibus & divinationibus addicta. Hujusmodi ſacrilegi nebulones conabantur curioſe mortuos evocare per tenebriones dæmones, quorum invoca-

vocatione ſuadebant mortuos evocari, atque ab his quaſi ab oraculis abditiſſima ſecreta, & futura poſſe addiſci.

Objic. 5. Tribus primis Chriſtianæ Religionis Sæculis non fuit in uſu Reliquiarum cultus: ergo.

R. N. a. Cujus falſitas patet ex probationibus; fuit quidem occultatus hic cultus Ethnicis per Chriſtianos primos, ne ſcilicet ex iis male intellectis arriperent occaſionem fideles inſimulandæ ſuperſtitionis. De reliquo longe diſtabat hæc Chriſtianorum praxis a Gentilium uſu: iſti enim adorationem Latriæ hominibus mortuis deferebant, eorumque Spiritus mortuorum ſepulchra circuire fingebant: Illi e diverſo SS. Martyrum Reliquiis, quorum Spiritus jam in cælis regnarent, religioſum quidem cultum, ſed Latria longe inferiorem exhibebant.

Objic. 6. Reliquiarum cultus expoſitus eſt periculo falſi cultus: nam pro Reliquiis Sanctorum (ut fieri poteſt) ſæpe exponuntur oſſa improborum hominum, latronum &c. ergo.

R. 1. N. a. Hoc enim falſum videtur de Reliquiis, quæ publice cum legitima approbatione exponuntur; ſemper enim Eccleſia diligenter cavit, ne Reliquiæ ſine ſufficiente examine & approbatione exponerentur fidelium venerationi, ut ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. conſtat.

R. 2. Tranſ. a. N. c. & prius retorq. plurimæ fraudes contigerunt, & adhuc contingere poſſunt circa natales filiorum, ita, ut multi ex adulterino coitu nati ſupponantur a matribus, qui poſtea honorantur, & ſuccedunt tanquam legitimi: ergo nullus prædicans Acatholicus honorari debet tanquam proles legitima, quia certum non eſt, an non ſit ſpurius: Ita argumentatur excellens Controverſiſta. Hinc etiamſi aliquoties quædam falſæ Reliquiæ fuerint ſuppoſititiæ, & abſolute adhuc eſſe poſſint vel ex malitia, vel ignorantia hominum, inde tamen male infertur, omnes Reliquias debere eſſe ſuſpectas, & ſic veneratione privandas.

Objic. 7. Cultus non impenditur nisi propter excellentiam, sed nulla est excellentia in cineribus & ossibus: ergo. R. D. m. nulla est excellentia in cineribus absoluta c. m. relativa N. m. Sanctorum igitur ossa, vestimenta &c. non veneramur absolute propter ipsa, sed propter Sanctos, quibus suo modo servierunt.

§. II.

Resolvitur secunda Pars hujus Articuli.

185 ASSERO: Pius & licitus est SS. Imaginum cultus, nec idololatriæ arguendus; ita Catholici contra Iconomachos.

Probatur 1. Quamvis Deus Judaico populo crasso, & ad idololatriam prono omne simulacrum prohibuerit, tamen non fuerunt ei simpliciter exosæ imagines; nam Deus ipse fecit, & fieri præcepit aliquas imagines, ergo licet eas facere & colere. A. prob. Deus Gen. 1.: *Fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam*: duos Cherubin fieri præcepit, & poni super Arcam, qui haud dubie in honore aliquo habebantur ab iis, qui proni Arcam adorabant. Atqui Cherubini ad latera Arcæ positi, imagines erant Angelorum, idque Judæis notum erat: ergo.

Insuper Num. 21. v. 9. Deo volente serpens æneus erigebatur, ut qui eum aspexissent, a serpentibus vulnerati sanarentur; sed talis aspectus venerationem, & cultum aliquem religiosum connotabat: ergo.

Accedit: Ipsam Arcam ex voluntate Dei apud Judæos fuisse in summo cultu & reverentia, licet esset opus ex lignis manufactum: ergo non est illicitus, nec idololatriæ accusandus cultus, qui rebus inanimatis, & arte confectis impenditur propter exemplar, quod repræsentant, & ad quod referuntur.

Conf.

Confirm. Judæi ad pronunciatum Dei nomen externa signa venerationis exhibebant: Paulus quoque monet Philipp. 2. v. 10. ut quisquis audito JEsu Nomine genua flectat. Hoc autem ideo fecerunt Judæi ad pronunciationem Nominis Dei, & nunc faciunt Christiani ex jussu D. Pauli, dum audiunt Nomen JEsu, quia Dei & JEsu Nomina, sunt Dei & JEsu imagines, non quidem permanentes, ut sunt figuræ tabulis depictæ, sed transeuntes: ergo pius & licitus est, ac ab idololatria alienus est religiosus imaginum cultus.

Prob. 2. Ex Ecclesiæ traditione & usu antiquissimo, quia Ecclesia in libertatem vindicata, & cessantibus persecutionibus cæpit esse communis, hoc est a Sæculo IV. usque ad præsens tempus, licet prius tam frequens non fuerit.

1. S. Basilius, qui obiit anno 378. Oratione S. in Barlaam Martyrem ait, gaudere se, quod pictores felicius penicillo suo, quam ipse oratione manum Martyris pro Christo exustam expresserint. Atque in epist. ad Julianum Apostatam scribit: *characteres* imaginum eorum (Apostolorum & Martyrum) honoro, adoro, & præcipue cum hoc traditum a SS. Apostolis, & non prohibitum sit.

2. Prioris frater Gregorius Nyssenus (obiit 393.) oratione de Filii & Spiritus S. Divinitate, dicit se moveri ad lachrymas, dum conspicit Isaac in pictura stantem sub gladio Patris. Oratione in S. Theodorum laudat pictorem, qui labores S. Martyris oculis exhibet, *solet enim*, inquit, *pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse.*

3. Eusebius Cæsariensis l. 7. hist. c. 18. testatur se vidisse statuam Christi, quam mulier a profluvio sanguinis per ipsum liberata, ut Evangelium refert, in memoriam accepti beneficii erexit: addit Philostarchius historiam suam continuans usque ad initium Sæculi V., licet Arianus Eunomianus l. 7. hist. c. 3. *Herbam ad pedes hujus statuæ enatam adversus morbos omnes, præcipue adversus tabem efficacissimum fuisse remedium, statuam vero fuisse in templum translatam, ubi ei competens observantia defere-*

 ba-

batur, & quam spectandi causa multi adventarent, amorem ipsius Archetypi declarantes. Eam postmodum regente Juliano Apostata, gentilium furore per urbem circumligatis ad pedes funibus, tractam fuisse, Christianis summe dolentibus. Idem Eusebius l. 3. Constantini memorat, in templis a Constantino in Palæstina exstructis multam fuisse imaginum aurearum & argentearum copiam.

4. S. Chrysost. qui obiit anno 407. Homil. 45. ad populum, testatur, neminem esse, qui non ambivit S. Meletii imaginem. 5. Theodoretus, qui obiit anno 460. in historia religiosa refert, effigiem S. Simeonis Stilitæ ubique haberi ad præsidium. Et transmissis pluribus aliis testimoniis adduco S. Gregorium Magnum l. 9. inductione 2. epist. 52., qui mittens ad Secundinum imaginem Christi, quam ille petierat, ita scribit: *Scio, quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei, in ejus amore recalescas, cujus tu imaginem videre desideras. Et nos quidem, non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, qui per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur.*

Confirm. hæc probatio ex ipsis decretis Conciliorum generalium VII., & VIII., Concilium Nicænum II. seu VII. generale expresse contra Iconomachos pro cultu imaginum anno 787. convocatum actione 7. in definitione fidei sic enunciat: sequentes divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum Magisterium, & Catholicæ traditionem Ecclesiæ (nam Spiritus sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat) definimus in omni certitudine, & diligentia, sicut figuram pretiosæ, ac vivificæ crucis, ita venerabiles & sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus & tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis: tam videlicet imaginem Domini Dei, & Salvatoris nostri JEsu Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum, simul & almorum Virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui eas contemplantur, alacrius eriguntur, ad primitivorum earum memoriam, & desiderium, &

his

his osculum & honorariam adorationem tribuendam, non tamen ad veram Latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam naturam divinam decet, impertiendam - - - imaginis enim honor ad primitivum transit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam.

Concilium Constantinopolitanum IV. Oecumenicum VIII. anno 869. habitum act. 10. Can. 3. cultum imaginum his verbis decernit: sacram Domini nostri effigiem eadem qua sancta Evangelia veneratione colendam statuimus; ut enim per syllabas in Evangelio scriptas salutem consequuntur omnes, ita per imagines arte coloribusque pictas, & expressas docti juxta ac indocti ex objecta re utilitatem capiunt; quæcunque enim in syllabis oratio, hæc in coloribus pictura docet & repræsentat. Ergo, quicunque Christi Salvatoris imaginem non adorat, is in secundo Christi adventu non videat ipsius faciem. Eadem ratione intemeratæ Genitricis illius effigiem, sanctorumque Angelorum, quemadmodum illos sacrarum litterarum paginæ describunt, ac Sanctorum omnium veneramur & colimus. Qui aliter sentinnt, anathema sunto. Tridentinum jam superius est allegatum art. 1., ibi videatur.

Prob. 3. Ratione. Inprimis negative; quia nullibi prohibetur habere & venerari imagines: non enim est prohibitum jure naturali; nam iste cultus in se & intrinsece nullam malitiam continet: siquidem in imaginibus, ut loquitur Trident. cit. non credimus, *aliquam in illis divinitatem, aut virtutem inesse*, in illis spem nullam ponimus, sed propter prototypa, quæ repræsentant, eas honoramus: per eas ad nostrum in Christum amorem & grati animi sensum propter tot beneficia, quibus nos affecit, significandum excitamur: præclara Sanctorum facta in memoriam revocamus, & ad eorum imitationem animamur. Neque cultus SS. imaginum jure positivo, saltem in novo testamento, cum nulla talis prohibitio exstet, est vetitus. 2do suadetur ratione positiva: honorantur imagines Regum, & Principum, Parentum &c. & Protestantes Prædicantes suos & suarum uxorum imagines pingi & sculpi curant, quas si honorari vident, seipsos honorari existimant, si vero ignominiose tractari advertunt,

tunt, se despici arbitrantur: ergo licite quis colit imagines saltem cultu politico: ergo cum imagines Christi & Sanctorum sint sacræ propter prototypa sancta, quorum sunt repræsentativæ, dignæ sunt cultu sacro seu religioso.

186 Objic. 1. Deut. 5. v. 8. Deus expresse prohibet, ne ullum fiat sculptile: *Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cœlo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur in aquis sub terra.* Idem habetur Exodi 20. v. 4. ergo &c.

R. N. c. Solum Judæis, qui valde proclives erant ad idololatriam, datum est hoc præceptum, nec tamen simpliciter, sed tantum ne facerent sculptile, *ut adorent illud*, tanquam Deum: etenim Deut. 5. statim additur: *non adorabis ea, neque coles*, & Exodi 20.: *non facietis Deos argenteos*, & sicut in primo præcepto Decalogi per verba, *non habebis Deos alienos*, prohibetur actus idololatriæ internus, ita per verba: *non facies tibi sculptile*, vetatur idololatria externa, ubi itaque periculum idololatriæ non est, fieri possunt imagines, & poni etiam in templis. Si Judæi non habuerint in templo imagines, & verum sit testimonium Josephi id affirmantis, credendum est, fuisse legem cæremonialem, quæ post Christi adventum abrogata est: vel dic, legem illam positivam ad tempus fuisse non perpetuam; exstant enim apud Judæos quoque probata imaginum exempla Arcæ, Cherubinorum, serpentis ænei: ea igitur lege non magis modo obstricti sumus, quam lege a sanguine & suffocato, quæ ad tempus tantum ab Apostolis lata fuit, non perpetuo duratura.

Dices: Per to non *adorabis* saltem prohiberi cultum religiosum: ergo.

R. D. a. Cultum religiosum Latriæ ultimato sistentem in imagine, quo modo colebant Ægypti, inter quos vivebant Judæi ad eorum imitationem valde proclives c. a. aliud dicentem, & quidem pro semper N. a.

Objic. 2. Concilium Elibertanum Can. 36. ait: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*: ergo. Ad hanc objectionem varie respondent

dent noſtri apud Cartier cit. Ego breviter dico, Concilium iſtud voluiſſe tantum conſulere imaginibus, ne ſcilicet irreverentia illis fiat, vel a cruſta decidente, vel a Gentilibus Chriſtianos tunc perſequentibus. Cæterum pro diverſitate temporum primorum varia Eccleſiæ diſciplina circa uſum & cultum imaginum erat: verum jam prima ætate Eccleſiæ viguiſſe uſum SS. imaginum, patet ex noſtris probationibus.

Objic. 3. Concil. Francofortenſe damnavit Concilium generale VII., & cultum ſacrarum imaginum in eo definitum: ergo.

R. N. C. Concilium Francofortenſe non eſt approbatum quoad ea, quæ ſtatuit contra imagines ſacras. Dein vel non damnavit Synodum VII., in qua definitus eſt cultus SS. imaginum, ſed aliam ſub Leone Iſaurico, quam Græci ſubin VII. appellant, vel ſi damnavit legitimam Synodum, id fecit non errore juris ſed facti, quia falſo exiſtimabant Patres Concilii Francofortenſis in illa Synodo decretam fuiſſe imaginibus adorationem Latriæ, vel omnino fuit Concilium Francofortenſe corruptum a ſectariis, ut docet Tannerus.

Objic. 4. Libri Carolini, ſeu opus ſub Caroli Magni nomine in 4. libros diſtinctum, & contra definitionem Concilii II. Nicænii, ſeu VII. Oecumenici emanatum, quorum ſelecta capita ipſe Carolus Magnus miſit ad Adrianum primum Papam, condemnant cultum SS. imaginum: ergo.

R. D. a. Et hi libri, ac ſimiles, cum contineant errorem ab Eccleſia damnatum, omnino ſunt rejiciendi C. a. ſecus N. a.

Ipſe quoque Adrianus I. cui, ut dicti libri loquuntur, Carolus omnia in iis contenta ſubjecerat, ſuo judicio eosdem libros reprobavit. Adhæc credibilius illi libri conficti ſunt, nec Caroli Magni juſſu, ſed ab ignoto quodam authore & deceptore exarati.

Ad alias objectiones retundendas nota 1. Catholicos non colere imagines tanquam idola, qualia ſunt falſi numinis imagines, vel quæ cum Deus non ſint, coluntur ut Deus, quod longe

ge abeſt a Catholicis. 2. Adolere thus, accendere lumen &c. coram imagine, non ſunt ſigna per ſe ex uſu determinata ad Latriam, ſed ſunt indifferentia ad Latriam & Duliam, & determinantur ex intentione illius, qui ſimilia exhibet. 3. Duo Concilia Conſtantinopoli coacta, unum ſub Leone Iſaurico anno 726., alterum ſub Conſtantino Copronymo anno 754. fuiſſe duo conciliabula merito refutata. 4. SS. PP. non improbare cultum ſacrarum imaginum debite & juxta conſuetudinem Eccleſiæ exhibitum, ſed tantum illum, qui fiebat more Gentilium adorantium ſua ſimulacra &c. &c.

ARTICULUS V.

QUamvis plura de dotibus & prærogativis B. V. Mariæ nunquam ſatis dilaudandæ jam per decurſum Tomi III. & IV. dicta ſint, tamen videntur remanſiſſe aliqua adhuc dicenda, de duplici certe prima prærogativa B. Virginis: nempe de ejus Maternitate divina, & perpetua virginitate, quarum utraque ab hæreticis fuit allatrata. Incipio a prima, utpote quæ in B. Virgine fuit omnium gratiarum fons & origo, quia nempe fuit ab æterno prædeſtinata & electa in Matrem Filii divini, ideo tot, tantisque gratiis & privilegiis extraordinariis præ aliis omnibus puris hominibus fuit exornata. Itaque ſit.

§. I.

An B. Virgo Maria ſit Deipara?

187 ASSERO & Rdeo affirmative contra Neſtorium, qui quia negavit Chriſtum Deum, negavit quoque B. Virginem eſſe Deiparam.

Prob. 1. ex S. Script. Lucæ 1. dicitur: *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*, inquit Angelus ad Mariam, & ibidem Eliſabeth ad illam: *unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me?* ad Rom. 1. Paulus de Filio Dei ſic ait: *qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem*, ad Galat. 4.: *miſit Deus* *Fi-*

Filium suum factum (Græcus textus habet*) *genitum ex muliere.* Proinde Maria est Genitrix Christi, qui est Filius Dei, sed Filius Dei est Deus: ergo & Genitrix illius est Genitrix Dei.

Prob. 2. Ex Symbolis, & Conciliis. 1. Symbolum Apostolorum, Nicænum, & S. Athanasii, Flium Dei natum, & Incarnatum ex Maria Virgine enunciant: ergo. 2. In Concilio Ephesino B. Virgo Deipara, seu Theotocos dicitur, & error contrarius damnatur. 3. Idem definitur in Calcedonensi Concilio, ubi Theodoretus, & Ibas adiguntur condemnare errorem contrarium. 4. Idipsum definit V. Concilium generale, quod anathemate percussit asserentes, B. Virginem non esse Deiparam, & Concilium Calcedonense hanc non agnovisse veritatem: sic loquitur Can. 6.: *Si quis abusive & non vere Dei Genitricem dicit sanctam, gloriosam semper Virginem Mariam, vel secundum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo Incarnato, & nato ex ipsa - - - & calumniatur Calcedonensem synodum, tanquam secundum istum impium intellectum, quem Theodoretus excommunicandus adinvenit, Dei Genitricem dicentem, vel qui hominis Genitricem vocat,* anathema sit: ergo.

Prob. 3. Ex Traditione PP. constanti; paucos tantum refero ex antiquioribus Sæculis. Ex Sæculo I. S. Ignatius ad Trallianos ita pronunciat: *Vere Maria genuit corpus, quod habitantem in se Deum habet: hoc vere genitum est Verbum de Virgine, indutum corpore, iisdem nobiscum affectibus obnoxio.* Si autem Verbum est genitum de Virgine, Virgo est vere Genitrix Verbi, seu Dei. Sæculo II. S. Irenæus l. 2. c. 32. aperte asseruit Christum, qui est Deus, natum esse ex Virgine.

Sæculo III. Tertullianus L. de carne Christi c. 19. veritati isti subscribit inter alia dicens: *Paulus Grammaticis istis* (id est hæreticis contrariis) *silentium imponit: misit, inquit, Deus Filium suum factum ex muliere.*

Sæculo IV. S. Basilius Homil. 25. de humana Christi generatione vocat B. Virginem Theotocon, id est, Deiparam. Idem facit S. Gregorius Nazianzenus oratione 35. pagina 564. Idipsum

psum clare adstruit epist. 1. ad Cledonium. Eodem sæculo idem docet S. Ephrem apud Photium Codice 228. pag. 407., S. Chrysostomus Homil. 11. in Joannem.

Sæculo V. S. Cyrillus Alexandrinus anathematismo primo decidit his verbis: *Si quis non confitetur Emmanuelem verum Deum esse, & ob id sanctam Virginem Deiparam; genuit enim illa Incarnatum Dei Verbum secundum carnem: anathema sit.* Similia ex posterioribus sæculis copiose suppeditantur testimonia, quæ tamen brevitatis ergo taceo, cum ista ex primis adducta abunde sufficiant.

Prob. 4. Ratione theologica 1. Beatissima Virgo est vera Mater Christi; sed Christus est Deus: ergo est vera Mater Dei.

Confirm. B. Virgo est vera Mater Christi, sicut aliæ Matres sunt suorum filiorum, imo plus, quia totam dedit sacratissimam materiam pro formatione sanctissimæ Humanitatis, quod aliæ matres, cum quibus Vir concurrit, non faciunt; sed aliæ matres sunt vere tales respectu suorum filiorum: ergo a fortiori B. Virgo talis est.

Hæc ratio plurimum dilucidatur a S. Cyrillo, qui in epist. ad Monachos, quæ legitur in Concilio Ephes., sic loquitur:
„ Et si mulieres istæ non nisi terrenorum sint corporum matres,
„ nihilominus cum totum animal pepererint, ex anima & corpo-
„ re compositum, non solum ejus partem peperisse dicuntur.
„ Nec aliquis dixerit, exempli causa, Elisabetham Matrem Jo-
„ annis, carnis esse Genitricem, non autem animæ; peperit
„ enim animatum Baptistam; ac si tanquam unum aliquid ex
„ duobus, hominem, anima videlicet ac corpore. Hujusmodi
„ quippiam actum esse fatebimur & in Emmanuelis generatione;
„ quippe natum est, ut dixi, ex Dei Patris substantia unigeni-
„ tum ipsius Verbum; cum autem carnem suscepit, eamque pro-
„ priam sibi fecit, ut Filius hominis esset, ac similis nostri fie-
„ ret; tunc minime est absurdum dictu, imo necessario profi-
„ tendum, illum ex muliere secundum carnem esse genitum:
„ quemadmodum & hominis anima una cum proprio corpore
„ gigni-

„ gignitur, & unum cum eo reputatur, tametsi natura intelli-
„ gatur, & sit ab eo diversa secundum propriam rationem. „

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. B. V. Maria in Scriptura nullibi vocatur Mater Dei: ergo non est. 188

R. D. a. nullibi vocatur mater Dei verbis explicitis C. a. verbis æquivalentibus N. a. vide probationem primam ex S. Scriptura.

Objic. 2. Joseph dicitur in S. Scriptura Pater Christi; & tamen non est vere Pater Christi: ergo a fortiori non est B. Virgo vere Mater Christi.

R. N, C. & parit. Nam S. Joseph solum dicebatur Luc. 3.: Pater Christi secundum existimationem hominum; sic enim dicitur de Christo: *putabatur filius Joseph*: imo S. Scriptura expresse negat B. Josephum fuisse Christi Patrem, juxta illud Matth. 1.: *antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Ex opposito B. V. dicitur ipsum peperisse: sic enim sonat textus: *quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Objic. 3. B. V. Maria non genuit divinitatem Christi: ergo non est Deipara.

R. N. C. Licet nulla mater generet animam rationalem, utpote quæ a solo Deo creatur, quæ pars est humanitatis præcipua, tamen est Mater totius humanitatis, quia nempe generat corpus animatum: ergo etiam, quia B. Virgo generavit Humanitatem Verbo hypostatice unitam, simul etiam genuit Verbum Incarnatum, quia Verbum, cum humanam naturam assumpsit, eam ut propriam suscepit, & propria Personalitate sustentavit, & alias actiones & passiones, ac productiones activæ & passivæ sunt suppositi.

Objic. 4. Si B. V. vere genuisset, & vera esset Mater Filii divini, deberet ei esse consubstantialis; sed hoc est contra fidem: ergo.

R. D. M. deberet ei esse consubstantialis, si vere genuisset, & esse per generationem dedisset Filio Dei secundum naturam divinam C. M. si tantum eum genuit secundum naturam humanam hypostatice unitam Verbo divino, eam personalizanti N. M. consubstantialis B. V. est ut Homo solum Filio divino, qua homini & Incarnato.

Objic. 5. Hebr. 7. Melchisedech assimilatur Filio Dei, in eo, quod sit sine Patre & Matre & genealogia, sed assimilatio nulla erit, si Christus habet Matrem: ergo non habet.

R. 1. D. M. assimilatur secundum Sacerdotium Christo, quod erat figurative in Melchisedech æternum, & ideo non refertur ipsius genealogia, ut veluti sine initio & fine appareat C. M. secundum nativitatem N. M. Responsio est ex textu D. Pauli, qui cum dixit, Melchisedech esse sine Patre & Matre-subdit v. 3. : *assimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in æternum.*

R. 2. D. M. Melchisedech est sine Patre & Matre apparenter, quia non refertur ipsius genealogia C. M. vere N. M.

Quæres hic incidenter, an Nestorius vindicari possit ab hæresi circa Dominicam Incarnationem.

R. Attentavit hanc vindicationem anno 1645, quispiam Anonymus, qui, ut plures existimant, creditur Albertinus Minister Calvinista: sunt & plures Novatores, qui eumdem impiissimum hæreticum excusare volunt. Sed frustra agunt, & certe æthiopem lavant: quam rem solidissime & vere erudite pro more suo dilucidat in Theologia Patrum Tom. 5. Tract. de Incarnatione Antonius Boucat dissertatione tertia sect. 2. pag. mihi 385. Ex ea satis est desumere synopsin, quam addit ad calcem pag. 391., ubi ita recapitulat præcedenter late dicta: - - - Nestorius negavit unionem hypostaticam.

Primo: hoc claret ex ejus ad B. Cyrillum epistola, in qua Christum non Deum, sed solum Divinitatis templum appellat: hoc, ex libello accusationis: hoc ex anathematismis, quos opposuit

ſuit B. Cyrilli capitulis, quæ fidem Dominicæ incarnationis explanabant.

Secundo: Hoc utique annuntiat Cæleſtini I. SS. Pontificis adverſus eum lata ſententia, nec non & altera Concilii Epheſini adverſus eumdem pronunciata.

Tertio: Idem teſtatur S. Leo epiſt. 134. nov. edit. Sic Theodoretus lib. 4. hær. fab., ſic Evagrius lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 1. & alii.

§. II.

An B. V. Maria ſemper fuerit Virgo?

Virginitas B. Dei Genitricis ante, in, & poſt partum ſpe- 189
ctata ſuos habuit Adverſarios. Statim I. Eccleſiæ Sæculo Cerinthus, Ebion, & Carpocrates aſſeruerunt, B. Virginem ex S. Joſepho Chriſtum concepiſſe. Ita teſtantur S. Irenæus l. 1. c. 15. Tertullianus l. de præſcriptionibus c. 48. & lib. de carne Chriſti c. 28.

Sæculo autem IV. Jovinianus docuit, Matrem Dei, licet in conceptione Virgo permanſerit, in partu Virginitatem amiſiſſe, Jovinianum præceſſerunt Tertullianus libr. de carne Chriſti c. 23., & Origenes Homil. 4. in Lucam. Durandus licet in partu Genitricem Dei Virginem profiteatur, tamen ejus integritatem quodammodo conatur labefactare; nam cum corporum penetrationem non putet poſſibilem, vult a Matre Dei Chriſtum eſſe genitum partium dilatatione absque fractura aut diviſione, quam opinionem amplectuntur Calviniſtæ ea ratione ducti, qua negant poſſibile eſſe, in Eychariſtia exiſtere Chriſtum ſine partium extenſione locali.

Ipſo ſæculo IV. Helvidius adſtruxit, S. Mariam poſt Chriſti Nativitatem ex S. Joſepho filios ſuſcepiſſe, ut teſtis eſt S. Hieronymus l. contra illum hæreticum, ubi facit eum authorem Antidicomarianitarum, ſeu Mariæ Adverſariorum, quamquam Origenes Homil. 7. in Lucam, & S. Hilarius c. 1. in Matth. Helvidio antiquiores jam hujus hæreſis meminerint Olim extinctum Helvidii errorem plures ex Novatoribus ſuſcitarunt, teſte Caniſio l. 2. de B. V. Maria,

VIII. Tandem Sæculo fuere, de potentia Dei diffidentes, ac ideo existimantes, corpus Christi nisi rupto Virginitatis claustro in lucem exire non potuisse; unde commenti sunt, illud ex latere Virginis prodiisse, quos refellit S. Joannes Damascenus l. 4. c. 15., Contra hos omnes stat invicta Catholica Veritas Concilii VI. Generalis Act. 11. his verbis propositis: *Mariæ Virginitas ante partum, in partu, & post partum intemerabilis*, quod amplius tribus distinctis assertionibus declarabitur, ut probabitur. Itaque.

190 Assero 1. B. Dei Genitrix fuit Virgo ante partum.

Prob. 1. ex S. Scriptura, Lucæ 1. v. 34. & 45.: *quomodo fiet istud, quoniam virum non agnosco - - - Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*: ergo non cognito viro, sed de Spiritu sancto B. Virgo Christum concepit: ulterius Matth. 1. v. 20.: *quod in ea* (B. Virgine) *natum est, de Spiritu sancto est. Hoc autem* (subdit Matthæus v. 22.) *totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam* (nimirum Isaiam c. 7. v. 14.) *dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Accedit illud Matth. 1. v. 18.: *antequam convenirent* (Maria & Joseph) *inventa est in utero habens de Spiritu S.*

Prob. 2. Ex Symbolis - - Apostolico, in quo Christus dicitur *natus ex Maria Virgine*, & Constantinopolitano ac Nicæno, in quo dicitur: *& Incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine*: adde Concilium generale VI. Act. 11. jam supra relatum.

Prob. 3. ex constanti traditione PP., qui contra errorem scripserunt, ut S. Irenæus, Tertullianus, Origenes, SS. Ambrosius, Leo, Augustinus, Hieronymus, & alii. S. Gregorius Magnus l. 10. moralium c. 52. alias 36. inquit: Spiritu sancto adveniente, mox Verbum in utero, mox intra *uterum* Verbum caro, apud Gallum Cartier Tom. 2. Tract. 3. de Incarnatione n. 166. afferuntur plures rationes & congruentiæ hujus veritatis ex SS. PP., S. Ignatio Episcopo ad Ephesios, S. Justino Dialogo cum Triphone, Irenæo lib. 3. contra Valent. c. 26. & 27., Tertulliano libro de carne Christi c. 17., Lactantio l. 4. instit.

Asse-

Assero 2. Sanctissima Dei Genitrix fuit, & mansit Virgo in partu. 191

Prob. 1. ex S. Scriptura Isaias c. 6. v. 14. (quem textum S. Matthæus in assertione prima laudatus de B. Virgine intelligit) ait: *Ecce Virgo concipiet, & NB. pariet filium:* ergo Virgo concepit, & peperit. Dein Lucæ 1. Maria dicens ad Angelum: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* aperte indicat firmum propositum Virginitatis semper custodiendæ: & Angelus ibi declarat, quomodo conceptura sit, & paritura salva Virginitate: Angelus dixit ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*, ubi ostendit, omnia hæc supernaturaliter a Deo, cui nihil est impossibile, complenda esse. S. Hieronymus in Commentario in citatum textum Isaiæ rem istam more suo præclare illustrat, ita pronuncians: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ, Ipse descendet in uterum virginalem, & ingredietur, & egredietur orientalem portam, quæ semper est clausa, de qua Gabriel dicit: Spiritus S. veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: propterea quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* - - - - Ecce semper clausam dicit, hoc est, Virginem.

Prob. 2. Hæc veritas ex Symbolis in assertione prima allegatis, & ex communi sensu Ecclesiæ, quæ semper pro hæreticis habuit, qui denegarunt B. Virgini perpetuam Virginitatem.

Prob. 3. Ex unanimi sensu SS. Patrum: paucos adduco: S. Epiphanius hæres. 78. ait: *Quis unquam, aut quo Sæculo ausus est proferre Mariæ nomen, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem, ex ipsis enim nominibus etiam Virginitatis signa elucent.*

S. Joannes Damascenus l. 4. fidei 15. inquit: *Quemadmodum, qui conceptus est, Virginem concipientem servavit illæsam, sic & natus ipsius Virginitatem servavit illæsam. Solus transivit per eam, & clausam servavit. Manet igitur post partum & semper Virgo.*

S. Ambrosius l. de instit. Virginis c. 7. in illa verba Ezechielis 44.: *Porta hæc clausa erit &c.*, ait: quæ est hæc porta,

ta, nisi Maria ? *ideo clausa*, quia Virgo : Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum claustrum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine, cujus altitudinem mundus sustinere non potest.

S. August. epist. 3. ad Volusianum alias, 137. sic ad rem nostram dicit : *Ipsa virtus divina* per inviolata Matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit, quæ verba etiam usurpat Concilium Toletanum II.

S. Chrysost. Homil. 2. in symbolum inquit : *Credimus in Dominum nostrum JEsum Christum, natum de Spiritu sancto, & Maria Virgine : sed dicturi sunt nobis Gentiles, depravantes fidem vestram; quomodo potuit Virgo concipere, Virgo parere, Virgoque permanere ? contra naturam est hoc, dicturi sunt verbis, & vos econtra respondebitis eis : credulitas nostra, quod verbis explicare non potest, fide tenet.*

192 Assero 3. Sanctissima Dei Genitrix etiam Virgo permansit post partum, seu fuit semper Virgo.

Probatur hæc veritas fere plerisque in præcedentibus duabus assertionibus allatis argumentis. Præterea Concil. Calcedonense in allocutione ad Imperatorem asseverat : *Virginitatem B. Mariæ a Christo servatam esse etiam post partum, uterumque ejus fuisse integritate obsignatum, ut nullius injuriæ pateret.* Accedit communis sensus Ecclesiæ contrariam doctrinam semper ut hæreticam rejicientis. S. Hieronymus ex professo contra Helvidium ostendit, Mariam perpetuo & constanter Virginem permansisse : inter alia sic loquitur : *Natum esse Deum de Virgine credimus, quia legimus, Mariam nupsisse post partum non credimus, quia non legimus* : Videantur jam prius dicta hujus S. Doctoris in cap. 44. Ezechielis v. 2., ubi expresse etiam de B. Virgine asserit : *quæ ante partum & post partum Virgo permansit.*

S. Ambrosius lib. de just. Virg. c. 6 : *fieri non poterat,*

ut Joseph Vir Justus in hanc prorupisset amentiam, ut Matri Domini corporeo coitu misceretur.

S. Augustinus in Joannem Tract. 10.: *Num Maria iterum peperit? absit: inde cœpit dignitas Virginum. Illa fœminæ Mater esse potuit, mulier esse non potuit.*

Etiam audiri meretur D. Thomas p. 3. q. 28. art. 1. 2. 3., ibi vide Zambaldi Tract. 6. fol. 298. „ Respondeo dicendum, quod absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere præsumpsit, Matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam, & alios filios genuisse. Hoc enim primo derogat Christi perfectioni, qui secundum divinam naturam Unigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia Filius ejus: ita decuit, ut esset Unigenitus Matris, tanquam perfectissimum germen ejus. Secundo. Hic error facit injuriam Spiritui Sancto, cujus Sacrarium fuit uterus Virginis, in quo carnem Christi formavit; unde non decebat, quod de cætero violaretur per commixtionem virilem. Tertio derogat dignitati, & sanctitati Matris Dei, quæ ingratissima videretur, si tanto filio contenta non esset, & si virginitatem, quæ miraculose in ea conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. Quarto. Etiam Ipsi Joseph esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam, quam revelante Angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et ideo simpliciter est asserendum, quod Mater Dei sicut Virgo concepit, & Virgo peperit, ita etiam & Virgo post partum in sempiternum permansit. Hæc Doctor Angelicus vere Angelice.

Occurritur Cavillationibus Adversariorum.

Objic. 1. ex Tertulliano & Origene supra citatis, qui aliud ex B. Virgine reserato Virginis claustro prodiisse inferunt ex illo Lucæ 2. v. 22., *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ - - - tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur.* 193

R. N. illationem istam. Authoritatem Tertulliani, & Origenis, ut in aliis multis, ita & hic, parum morari debemus. Lex illa; quam S. Lucas allegat, concepta est verbis, quæ communem spectant nascendi modum, in legibus enim ferendis Legislator ad id attendit, quod communi ac consueto naturæ ordine contingit, non ad id, quod est singulare & supra ordinarium naturæ ordinem, qualis est Nativitas ex Virgine. Proinde S. Lucas hoc unum intendit, quod lex ferebat, omne masculinum primogenitum offerri Deo debere, quocumque tandem modo, seu ordinario, seu extraordinario & singulari, vel potius tantum indicatur, quod B. Virgo, licet non obligata, se tantum voluntarie & libere accomodarit legi, quæ alias fœminas ordinario modo parientes tangebat.

Objic. 2. Cum Helvidio Matth. 1. v. 18. dicitur: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent; inventa est in utero habens de Spiritu S.*: ergo postea convenerunt: id denotat particula *antequam.*

R. N. c. Verba illa: *antequam convenirent*, explicari debent vel de cohabitatione domicilii, vel thori. Si primum, sensus est: antequam Maria, jam desponsata Josepho, simul cum eo habitaret in iisdem ædibus, nuptias brevi cum ipso celebratura, hoc temporis intervallo *inventa est in utero habens &c.*, huic expositioni favere videtur anxietas Josephi, qui dubitabat, an propterea Mariam in uxorem acciperet Matth. 1. v. 19. Si vero de cohabitatione thori laudata verba accipiantur, dicimus cum S. Hieronymo in cap. 1. Matth. Scripturam, quod factum non sit, nimirum non convenisse Mariam cum Joseph, antequam pareret Filium) declarare, non vero quid postea contigerit, cum nec quæreretur, nec esset necessarium: qua de causa falsa & insulsa est ista sequela: antequam Maria pareret Filium, non convenit cum Joseph: ergo postea convenit. Ad propositum nostrum S. Basilius Hom. 25. de humana Christi generatione egregie ait: *donec dispensabatur Christi generatio, necessaria erat Virginitas; quid vero postea sit factum, ad mysterii hujus doctrinam non anxie conjungendum est.*

eſt. Verumtamen, nec hoc eorum, qui Chriſtum amant, ſuſtinere poſſunt aures, quod Genitrix deſierit aliquando eſſe Virgo.

Objict 3. Eodem cap. 1. v. 25. Matth. Joſeph dicitur, *non cognoviſſe eam* (Mariam) *donec peperit Filium ſuum Primogenitum*; ergo poſtea eam cognovit: hunc enim ſenſum facere videtur particula *donec*

R. N. c. Particula donec, quod antea factum non ſit, duntaxat oſtendit, nec ita tempus præcedens connotat, ut futurum etiam non reſpiciat, ſic 1. Corinth. c. 15. v. 25. ex Pſal. 109. ait Apoſtolus: *oportet illum* (Chriſtum) *regnare, donec ponat inimicos ſub pedibus ejus.* Unde utique non ſequitur, deſtruendum fore Regnum Chriſti, cum ſub pedibus ejus poſiti fuerint ejus inimici. Item Apoc. 2. v. 25. dicitur: *Id, quod habetis, tenete, donec veniam*, ex quo non ſequitur, quod illud, quod habent, cum venerit, debeant dimittere. Eodem modo hic diſcurre.

Objic. 4. Chriſtus dicitur Mariæ Primogenitus: ergo Maria habuit adhuc alios filios poſt Chriſtum natos.

R. N. c. Per Primogenitum hic indicatur ille, ante quem nullus alius eſt genitus juxta phraſin S. Scripturæ. Sic ſapientia æterna dicitur primogenita, licet ſit unigenita. Et Exodi 13. omnia primogenita jubentur Deo donari, ubi etiam certo intelliguntur unigenita, ſeu illa, ante quæ nullum aliud eſt genitum, ſive poſtea alia ſint adhuc generata, ſive non.

Objic. 5. B. Dei Genitrix in S. Scriptura ſæpe mulier vocatur: atqui hoc nomine ſignificatur mulier, quæ ex concubitu viri generavit filios: ergo.

R. N. m. nomine mulieris ſignificatur ſolus ſexus, non conditio vel qualitas ſexus. Ita Eva ſtatim a creatione ſua, &

& antequam a viro suo Adam cognosceretur, mulier est dicta.

Objic. 6. Matth. 13. v. 55. plures Christo fratres assignantur: ergo.

R. N. c. Juxta morem Scripturæ consanguinei etiam fratres vocantur. Genes. 13. Abraham nepoti suo Loth dicebat: *nos fratres sumus*, & alibi.

Hic tandem concluditur Pars I. hujus Tomi ad majorem Christi Domini, Beatissimæ Virginis & Sanctorum omnium Gloriam.



PARS II.

PARS II.

TOMI IV. THEOLOGIÆ,

SEU

LIBRI III. SENTENTIARUM

TRACTANS

DE JURE ET JUSTITIA,

AC

JUDICIIS PUBLICIIS.

PROLOQUIUM.

EQuamvis Tractatus hujus notitia alias Juris-Consultis maxime sit propria, ea tamen & iis, qui Sacramentum Pœnitentiæ administrant, minime est superflua, sed summe utilis, ac præprimis necessaria; tot enim Sacerdotibus pro sacro tribunali sedentibus ab iis, qui suas conscientias exonerant, proponuntur casus & dubia, materiam Juris & Justitiæ, ac restitutionis spectantia, ut munus Judicis sacri nullus secure subire possit, qui perfecta hujus Tractatus scientia non sit instructus. Hanc igitur ut obtineamus, illo, qui Sol est Justitiæ, Authore, ac Auspice, omnem, quam tractabimus hac parte secunda, materiam in tres Tractatus minores secabimus: Eorum primus Juris ac Justitiæ naturam, secundus Restitutionis onus, tertius contractuum indolem examinabit.

TRA-



TRACTATUS I.

De Jure, & Justitia.

DISSERTATIO I.

De Natura, & Speciebus Juris.

JUstitia sine prævia notitia Juris perfecte intelligi nequit; solet enim justitia in ordine ad jus definiri, ut patet ex l. *Justitia*, ff. *de Justitia, & Jure*, ubi Justitia describitur *constans, & perpetua voluntas NB. jus suum cuique tribuendi.* Hinc, ne ignotum iterum per ignotum definiatur, & explicetur, ante definitionem Justitiæ aliqua declaratio ipsius juris præmittitur. Sit ergo.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Jus?

NOta: Nomen juris varie usurpari: 1. Accipitur pro justo, seu 194
pro quovis debito. 2. Pro scientia juris, & dicitur Juris prudentia. 3. Pro lege aliqua: sic dividitur in Jus Canonicum & civile, id est, in legem Ecclesiasticam & civilem. 4. Pro loco judicii, in quo pro tribunali Judex sedere solet: ita dicitur aliquis in jus, seu ad locum judicii vocari. 5. Pro jurisdictione, quam habet Superior, vel Princeps in subditos, & est potestas judicandi, & gubernandi subditos. 6. Sumitur pro jure *proprietatis*, quod est aliqua facultas, & potestas in aliquam rem ut suam, vel ut sibi debitam. Huic facultati, quæ dicitur *jus activum*, respondet in aliis debitum aliquod non impediendi alterum in usu sui juris activi: hoc autem debitum appella-

pellatur *jus passivum.* Atque in hac ultima acceptatione jus potissimum in præsenti Tractatu considerabimus; nam in hac sola postrema significatione illud a justitia commutativa respicitur. H. N. sit.

§. I.

Definitio Juris Proprietatis.

195 ASSERO: Jus Proprietatis activum est potestas legitima obligandi voluntarie alios ad actionem, vel omissionem actionis in bonum proprium. Ita quoad sensum satis Communis.

Dicitur 1. *Potestas*: quod vocabulum in significatione propria accipi debet, prout dicit facultatem cum authoritate conjunctam; non vero in significatione impropria, seu pro mera licentia; siquidem & Fratres Minores gaudere possunt licentia utendi rebus sibi donatis, quamvis incapaces sint omnis juris proprietatis, ut ostendetur.

Dicitur 2. *Legitima*, id est, talis, quæ conformis est legibus; nam potestas illa, cui leges resistunt, potius vis, & injuria est dicenda, quam jus.

Dicitur 3. *obligandi alios*; nam jus, quod uni favet, gravat, & obligat alios, ut eum non turbent, aut impediant in usu sui juris, vel ut rem, vi juris activi debitam, tradant, non auferant, ablatam restituant, destructam reparent &c.: quodsi hoc non observent, illicite agunt, illique, cui favet jus proprietatis, injuriam inferunt, utpote quæ nil aliud est, quam juris alieni violatio.

Dicitur 4. *Voluntarie*, id est, ex beneplacito, & pro libitu illius, qui habet jus; hoc enim peculiare est juri proprietatis, quod illo quis libere, & pro libitu suo uti, aut non uti possit.

Dicitur 5. *ad actionem, vel omissionem actionis*; Jura enim proprietatis mediate quidem respiciunt res, in quas habetur jus: immediate tamen obligant ad ponendas actiones, & omissiones eas, quæ sunt juri activo conformes, & ad illas non ponendas, quæ juri

juri activo sunt contrariæ. Ratio hujus est: quia homo non potest agere juxta jus alterius, neque potest violare jus alterius, nisi per actiones, aut omissiones actionum: ergo primario & immediate jus proprietatis obligat ad actiones, vel ad omissiones aliquas.

Dicitur 6, *In bonum*: quod potest esse *positivum*, vel *negativum*; sicut enim *positive* alicui commodum est, usurpare suas vestes, ædes, pecunias &c., ita etiam *negative* ei bonum est, non occidi, non verberari, non spoliari suis bonis &c.

Dicitur 7. *proprium*: per hanc particulam distinguitur jus proprietatis a jure jurisdictionis; etenim jurisdictio principaliter ordinatur in bonum subditorum, non autem in bonum Principis, habentis jurisdictionem: sic a Principe, vel alio Superiore, habente potestatem jurisdictionis, non potest ferri lex aut præceptum, nisi ob bonum commune, aut subditorum. Quare Tyranni dicuntur, qui ferendo leges sua solum commoda spectant. Jus vero proprietatis obligat alios tantum in bonum proprium illius, qui habet tale jus, saltem per se, & principaliter.

Ex quibus colligis, hanc definitionem esse bonam, quia est satis clara, & simul convenit omni & soli juri proprietatis: parum autem refert, quod non omnes minutias logicas observet.

Objic. Sæpe aliquis habet jus proprietatis ad illicita, & 196
peccaminosa: ergo jus proprietatis non est potestas legitima, seu legibus conformis; facultas enim peccandi non est legibus conformis, sed potius est contra leges. A. constat: sic vi juris proprietatis aliquis prodigus valide alienat, & dissipat sua bona, quamvis illicite, & peccaminose &c.

R. D. a. Sæpe aliquis habet jus proprietatis ad illicita, & peccaminosa ita, ut vi talis juris valide agat C. a. ut agat licite & honeste N. a. Nullum jus, neque ullæ leges approbant, aut permittunt peccatum aliquod ut licitum: permittunt tamen sæpe actum peccaminosum ut validum. Sic consecratio Sacerdotis, in peccato mortali constituti, est mala & illicita, ea tamen secundum jus divinum est valida: pariter alienatio, & dissipatio

prodiga bonorum propriorum illicita est, & tamen secundum leges valet. Hinc lex, cui jus proprietatis debet esse conforme, potest diversimode dare potestatem agendi: scilicet ut vel actum reddat simul validum, & licitum, vg. venditionem equi omni ex parte justam, vel ut reddat actum solum validum, non autem simul licitum, e. g. usum, & consumptionem prodigam bonorum propriorum. Ratio hujus est: quia valor, & licentia, seu honestas actionis sunt rationes realiter distinctæ, & ab invicem separabiles, hinc potest lex & jus dare potestatem vel ad utrumque, nempe ad valorem & licentiam actus, vel ad solum valorem, non autem ad licentiam.

Dices: Si possibile est jus, & legitima facultas ad actus illicitos, tunc etiam est possibile jus ad actus injustos; sequela est falsa: ergo. m. constat: nam actus a jure procedens semper est justus. M. p. actus illiciti, ad quos faciendos aliquando habetur jus proprietatis, plerumque sunt injusti, seu contra justitiam, ut patet in Petro, qui rem aliquam jam prius venditam Paulo, sed necdum extraditam, iterum secundo vendit, ac simul tradit Antonio: ubi secunda venditio est illicita, & injusta, utpote contra jus primi emptoris, seu Pauli, & tamen est valida, ac procedit ex jure proprietatis, quod Petrus in rem suam retinet, donec illam alteri legitime tradat: ergo sequela est vera.

R. D. M. est etiam possibile jus ad actus injustos qua injustos n. M. ad actus injustos, qui sunt injusti c. M. Jus proprietatis, quod Petrus in proposito casu habet ad secundam venditionem, est tantum ad eam qua validam; atqui secunda venditio qua valida non est injusta formaliter, cum non sit contra jus aut leges, sed potius est conformis juri permittenti valorem talis actus: est autem injusta, quatenus est illicita, & quatenus est contra jus primi emptoris, seu Pauli, quod opponitur soli licentiæ, non autem valori secundæ venditionis.

Instabis: Hoc modo duo Jura essent contraria; nam Petrus habet jus ad secundam venditionem, & Paulus, tanquam primus emptor, habet jus contra eamdem secundam venditionem: sequela iterum videtur absurda: ergo. R. N. Sequelam; nam Petrus habet tantum jus ad valorem secundæ venditionis, &

Pau-

Paulus habet jus adversus licentiam hujus secundæ venditionis, in quo nulla contrarietur.

Possent plura objici contra hanc descriptionem, quibus tamen non vacat immorari, ne propter ejusmodi minutias parum utile tempus præripiatur materiis longe utilioribus.

§. II.

Divisio Juris Proprietatis.

Jus proprietatis dividitur a quibusdam in *altum*, & *passum*. Jus proprietatis *altum*, seu *publicum* est illud, quod habet Princeps, vel Respublica in omnia bona subditorum, vi cujus, exigente necessitate publica, de illis disponere potest. Jus *passum*, & *privatum* est jus proprietatis, quod competit pluribus, seu privatis Personis, & suo modo subjectum est juri alto tanquam inferius, unde etiam passum dicitur. Verum missa hac divisione, quæ an bona sit, ex dicendis de justitia legali colligetur.

Assero 1. Jus proprietatis dividitur in *jus in re*, & *jus ad rem*. *Jus in re*, seu *reale* est, quo ipsa res aliqua mihi est devincta, & obligata. Hoc jus reale datur tantum in ordine ad rem actu existentem, & parit *actionem realem*, seu talem, qua exigere possum ipsam rem, ad quemcunque possessorem, etiam bonæ fidei, transeat. Proinde onus, & obligatio passiva, quæ respondet juri reali activo, moraliter inhæret ipsi rei, eamque inseparabiliter comitatur. Tale jus *reale* est, quod quis habet in mercem per emptionem, secuta traditione mercis. 197

Jus ad rem, seu *personale* est, quo res mihi necdum est absolute in se devincta, & obligata, nec est proprie mea, quamvis mihi debita. Hoc jus proinde potest etiam dari ad rem nondum existentem, vg. ad fructus primum nascituros. Insuper parit solam *actionem personalem*, seu in personam, ut hæc tibi procuret illam rem, ad quam habes jus. Item *Jus personale* est quasi via & medium ad acquirendum jus in re; nam si habes jus ad rem vg. tibi venditam, sed necdum traditam, tunc venditor vi tui juris personalis activi obligatur ad rem tradendam, qua tradita statim es plenus dominus ejusdem, & habes

jus in re. Ejusmodi jus perſonale eſt, quod competit alicui ad beneficium poſt electionem, vel præſentationem, item poſt collationem ante acceptationem, uti & illud, quod emptor ordinarie habet in rem emptam ante ejus traditionem; jus enim in re communiter acquirit primum facta traditione: de quo plura in Tractatu de contractibus.

Addunt aliqui tertiam ſpeciem juris, ſcilicet *jus mixtum*: verum hoc nihil aliud eſt, quam jus in re, & ad rem ſimul concúrrens, adeoque ſpeciali explicatione non indiget.

Petes: An jus in re ſit ſolum dominium? R. Quamvis omne dominium tam perfectum, quam imperfectum importet jus in re, non tamen ſolum dominium eſt tale jus reale, vel in re. Ita habet Communior apud Card. de Lugo, & Vivam p. 5. Theol. diſp. 2. Art. 2. n. 12. Ratio eſt: quia, qui habet vg. gemmam, pignori ſibi datam, habet jus in re erga talem gemmam, cum habeat ſibi obligatam, & eam actione reali poſſit perſequi: & tamen non habet dominium talis gemmæ, ſed hoc dominium manet penes creditorem, qui pignori dedit: ergo non ſolum dominium eſt jus in re, ſed hoc latius patet.

198 Aſſero 2. Jus ulterius dividi ſolet in *dominium perfectum*, & *imperfectum*. *Dominium perfectum* eſt jus perfecte diſponendi de re aliqua quovis modo poſſibili, niſi quis lege, aut vi per accidens ab aliqua diſpoſitione impediatur. Herincx, & quoad rem alii, ſecuti Bartolum. Proinde perfectus dominus poteſt omni poſſibili modo diſponere de ipſa proprietate, ſubſtantia, ac emolumentis, ſeu fructibus rei: adeoque poteſt rem ſuam deſtruere, donare, vendere alteri &c., item poteſt fructus ex ea re percipere, perceptos conſumere, donare, alienare quovis poſſibili modo, niſi interdum vi, aut lege aliqua ejusmodi diſpoſitio per accidens impediatur in actu ſecundo. Neque per hoc, ſi quandoque in actu ſecundo libera dominii uſurpatio impeditur, etiam dominium & jus in actu primo tollitur, aut minuitur, ſicut etiam in igne non tollitur vis combuſtiva in actu primo, quamvis interdum ea impediatur per accidens, ne exeat in actum ſecundum, & ne actu comburat vg. ſtupam. Dixi: Dominus perfectus poteſt deſtruere, alienare rem &c.; an vero im-

immediate & formaliter, vel tantum præsuppositive ejusmodi destructio, & alienatio rei proveniat a Dominio perfecto formali, inferius decidetur.

Dominium imperfectum est jus imperfecte disponendi de re aliqua; qui enim habet dominium imperfectum, vel non potest disponere de substantia & proprietate, vel de fructibus rei. Quare dominium imperfectum iterum secatur in *dominium directum nudum*, & in *dominium utile.*

Dominium directum nudum est jus proprietatis in re, vel potius in substantia rei, non autem in fructibus ejusdem. Dicitur dominium nudum, quia est nudatum fructibus, quos res vg. ager fert. Nihilominus hoc dominium non est absque omni spe utilitatis, saltem aliquando consequendæ; nam usus fructus, quem alius habet in ista re, cessare potest variis modis: cessante autem usufructu alterius obveniunt fructus Domino directo, ut habetur §. *usus fructus.* Instit. *de usufructu.* Præterea domino directo debetur honor, & obsequium personale ab eo, qui gaudet utilitate.

Dominium utile est jus in utilitatem rei, cujus proprietatem quoad substantiam & rem ipsam habet alius, scilicet dominus directus. Utriusque hujus dominii exemplum cape in casu, quo Petrus habet jus ad proprietatem & substantiam agri, non autem ad fructus ex eo colligendos; hos enim (ut pono) percipiendi jus habet Paulus: isto in casu Petrus est dominus directus, Paulus vero habet dominium utile.

Porro, quia dominium directum prævalet utili; est enim jus quoddam radicale, ex quo originem trahunt reliqua jura, quæ sunt ad emolumenta, & utilitatem rei: hinc & dominium directum vocari solet *dominium simpliciter tale*, dominium utile vero *dominium secundum quid.* Ex quo facile concordantur leges, quarum aliquæ usufructuarios, qui habent dominium utile, negant, aliæ affirmant esse dominos; negant enim, eos esse dominos *simpliciter*, & admittunt esse dominos *secundum quid.*

Asse-

199 Assero 3. Dominium utile iterum varie dividi solet, ut in *usumfructum*, *usum*, *habitationem*, *servitutem*, *emphytheusin*, & *feudum*.

Ususfructus L. ususfructus 1. ff. *de usufructu.* definitur *jus utendi*, *fruendi re aliena*, *salva ejus substantia.* Unde usufructuarius non solum habet jus ad utendum re, sed etiam ad fruendum, id est, ad percipiendos omnes fructus talis rei, quos & vendere, ac alienare, imo & rem in usumfructum concessam alteri elocare, commodare &c. non tamen alienare, aut destruere potest.

Usus juris, seu jus ad usum, est jus tantum utendi re aliena, salva ejus substantia. Qui habet ergo usum juris, de quo hic agimus, non potest rem in usum concessam destruere, nec alteri elocare, neque fructus alienare: sed tantum potest illos fructus colligere, qui ipsi & suæ familiæ sufficiunt ad quotidianam sustentationem, reliquos debet Domino directo, seu proprietario relinquere.

Habitatio est jus habitandi in ædibus alienis, salva earum substantia. Est multum affinis usui: differt tamen, quia usus versari potest circa plures res, habitatio circa solas ædes. 2. Qui habet habitationem, potest ædes non solum ipse cum familia sua inhabitare, sed & aliis elocare instar usufructuarii: quod non potest ille, cui solus concessus est usus ædium.

Servitus est jus reale in re aliena, salva ejus substantia: datur ergo tunc, quando vi tui juris, quod habes in re aliena, hæc tibi, vel tuis rebus servire cogitur. Plura de servitutibus §. mox sequenti.

Emphyteusis, *Erbrecht*, (sumendo eam pro jure, & non pro contractu) est jus fruendi re immobili, alicui a Domino directo, *von dem Grundherrn*, concessum perpetuo, aut ad longum tempus sub certo annuo Canone solvendo, in recognitionem dominii directi, quod penes concedentem manet.

Feudum, *Lehen*, est jus fruendi re immobili, alicui, & descendentibus masculis benevole in perpetuum concessum pro fidelitate, & obsequio personali præstando domino directo. Datur

tur ergo sola res immobilis in feudum: datur etiam benevole, & gratis, non soluto pretio pro re feudali, aut laudemio pro investitura, quamvis hodie status Imperii, exceptis Electoribus investitis, de feudis Regalibus solvant certam summam inter Officiales Curiæ Imperialis dividendam, ut habet *Aurea Bulla* c. 39. §. 1. & 2.

Quid in Bavaria sit usitatum circa feuda Bursatica (*Beutel-lehen*) & circa emphyteuses, aliaque ejusmodi, non hic vacat omnia discutere, maxime cum hæc sit materia, præcipue ad forum externum spectans, ac ad Juris-Consultos civiles, suntque omnia decisa in Codice Maximilianeo, & dilucidata in illius annotationibus. Si quis Confessarius in similibus casibus ad jus civile, vel patrium spectantibus pro consilio rogatur; non facile præpropere se ingerat, sed, ut suadet La-Croix, mittat eos ad Juris Civilis peritos Advocatos, Procuratores, & viros in praxi fori externi versatos, ni velit sæpius impingere, & sibi & aliis nocere.

§. III.

Resolvuntur quædam dubia ex præcedentibus relicta.

DUbitabis 1. An potestas acceptandi, retinendi, & abdicandi jus vel dominium sit ipsum formale jus, vel dominium? 200
vel aliter: An acceptatio, retentio, & abdicatio, aut translatio juris & dominii sint actus formalis juris, vel formalis dominii? R. negative. Gormaz de J. & J. disp. 11. n. 567. Viva p. 5. Curs. Theolog. disp. 2. q. 4. n. 3. Illsung T. 4. disp. 2. n. 62.

Ratio hujus est 1. Illud non est dominium, vel jus formale, quod etiam cum carentia & absentia juris, & dominii formalis conjungi potest; atqui potestas acceptandi dominium sic conjungi potest cum carentia dominii formalis, seu actualis; nam non habens dominium actuale libri vg. habet potestatem acceptandi illud: Iterum pro illo instanti, quo transfertur, & non retinetur dominium, hoc destruitur, & ejus carentia adest, & tamen ibi simul existit potestas transferendi dominium;

alias enim illo inſtanti non poſſet poni ejusmodi translatio: ſic quoque pro inſtanti, quo transfertur dominium præexiſtens, habetur ſimul potentia ad retinendum dominium; transfertur enim libere, & potuiſſet illo inſtanti non transferri: & tamen ſimul tunc non datur dominium actuale: ergo poteſtas acceptandi, retinendi, & transferendi dominium non eſt ipſum dominium formale.

Ratio *ſecunda* eſt: Poteſtas acceptandi ſummum Pontificatum non eſt formaliter ipſe Pontificatus: item poteſtas acceptandi privilegium non eſt ipſum privilegium: ergo etiam poteſtas acceptandi dominium formale non eſt ipſum dominium formale. Si vero poteſtas acceptandi non eſt ipſum dominium formale, tunc neque poteſtas abdicandi. Verum quidem eſt, quod non poſſit dari abdicatio dominii, niſi præexiſtat dominium: ex hoc tamen minime ſequitur, abdicationem, vel alienationem dominii eſſe actum ejusdem formalis dominii. Id, quod

Confirmatur, & exemplis ſtabilitur. Renunciatio privilegii præexiſtentis non eſt actus ipſius privilegii: ergo neque renunciatio, & abdicatio dominii præexiſtentis eſt actus ipſius formalis dominii. Vel aliter: Non poteſt dari renunciatio privilegii, niſi privilegium in privilegiato præſupponatur, & tamen ejusmodi renunciatio non eſt actus privilegii: ergo a pari, licet non poſſit dari alienatio, & abdicatio dominii, niſi hoc in alienante præſupponatur, tamen non eſt actus ejusmodi dominii formalis. Iterum renunciatio privilegii non eſt actus habentis, ſed præhabentis privilegium formale: & combuſtio libri non eſt actus habentis, ſed præhabentis librum: ergo etiam alienatio dominii, quæ eſt ipſa deſtructio dominii, non eſt actus habentis, ſed præhabentis dominium. Adde: liber, dum deſtruitur, & comburitur, non eſt potentia influens in combuſtionem, ſed eſt terminus per combuſtionem deſtruendus: idem eſt de privilegio in renunciatione: ergo & dominium, dum a Petro alienatur, & in eo deſtruitur, non eſt poteſtas, ſeu jus influens in alienationem, ſed eſt terminus per alienationem deſtruendus. Ex his

201 Colliges, poteſtatem acceptandi, retinendi, & alienandi dominium formale, ſeu actuale, eſſe dominium quoddam fundamen-

mentale, virtuale, vel reflexum. Vocant autem reflexum, quia est jus & dominium in ipsum dominium, cum sit potestas acceptandi, transferendi, ac destruendi dominium, & sic se reflectat quodammodo supra dominium formale, seu actuale. Dominium vero hoc virtuale videtur esse ipsa libertas nostra physica una cum absentia legis inhabilitantis ad actus acceptationis, retentionis, & alienationis dominii formalis: quæ libertas tamen, ut sit proxime expedita ad transferendum dominium, debet connotare pro instanti priori existens dominium formale, quod perseveraret in alienante pro instanti alienationis, nisi poneretur alienatio, a qua destruitur. Pariter potestas proxime expedita ad retinendum dominium debet connotare pro instanti priori existens dominium, quod perseverat, si continuatur voluntas habendi illud, & non ponitur volitio abdicandi, seu alienandi pro posteriori instanti. Ita quoque libertas proxima ad acceptandum dominium, supponit illud esse oblatum a præhabente, vel potente offerre. Ex hoc

Habes 1. Formaliter & immediate actus alienativos, & destructivos rei, ac dominii vg. per donationem, venditionem, imo & destructionem rei &c. non esse immediate, & formaliter actus dominii perfecti formalis, sed solum virtualis.

Habes 2. Aliqua tamen ratione dominium formale rei, quæ alienatur, præbere jus, ut possit alienari, quia ad justam alienationem, & destructionem ejusmodi rei debet saltem præsupponi, & connotari dominium præexistens in alienante.

Dices 1. Non dominus non potest alienare rem: ergo alienatio est actus dominii. R. D. a. Non dominus, id est, qui neque pro instanti præcedenti habuit dominium, non potest alienare C. a. non dominus, id est, qui præcise pro instanti præsenti, quo alienat, non habet dominium, non potest alienare N. a. & c. nam ad validam alienationem sufficit, quod alienans saltem præsuppositive seu in instanti immediate præcedenti fuerit dominus.

Dices 2. Omnis dispositio possibilis est actus perfecti, & pleni dominii; nam dominium perfectum est jus perfecte dispo-

nendi de re omni possibili modo: ergo etiam venditio, donatio &c. sunt actus dominii. R. D. a. omnis dispositio non destructiva dominii est actus dominii C. a. etiam destructiva dominii n. vel subd. a. ita ut destructio dominii proveniat a dominio formali tanquam causa, & potestate in ipsam immediate influente n. a. ut proveniat immediate a libertate connotante dominium formale c. a. & n. c. Dominium est jus, & potestas perfecte disponendi de re modo possibili; atqui non est possibile, ut destructio dominii proveniat a Dominio formali, tanquam a causa immediate influente, sed tantum tanquam a connotato.

202 Dubitabis 2. Quid sit notandum de servitute? R. *Servitus, Grund Dienstbarkeit*, est *jus reale in re aliena, salva ejus substantia*, vel ut definit Codex Maximilianeus p. 2. c. 7. §. 1. Servitus *ist eine gerechtsame, welcher man sich zu eignen Besten zu erfreuen hat auf fremden Gut*, id est: *est jus, qua quis ad proprium suum commodum in alterius, vel alieno bono gaudet.* Datur ergo servitus tunc, quando vi tui juris, quod habes in re aliena, hæc tibi, vel tuis rebus servire cogitur, ut jam supra insinuatum. Et sic definita servitus continet sub se omnia prius explicata dominia utilitatis, vg. usumfructum, usum &c.; nam, dum habes usumfructum in re aliena, tunc hæc tibi, & tuis commodis servire debet.

Ex hac definitione colliges, servitutem tantum constitui in re aliena: unde, quando ex re propria, quæ quoad substantiam ac proprietatem tua est, percipis fructus, vel aliud commodum aut obsequium sentis, in ea non diceris habere servitutem.

Dividitur servitus in *affirmativam*, & *negativam*, *Affirmativa* est, vi cujus possum aliquid in re aliena, vg. in fundo alterius agere, quod alias non est concessum e. g. si possum iter instituere, currum agere, ducere aquam per agrum alterius &c. *Negativa* est, vi cujus alter in re sua, vg. in prædio suo, tenetur aliquem actum omittere, quem alias exercere posset. Talis servitus *negativa* est, qua quis quandoque a vicino suo prohibetur, ne domum suam altius tollat, ne lumini obsit, aut ne novam fenestram, qua in ædes alterius inspicere possit, aperiat.

So-

Solet ulterius dividi in *personalem*, & *realem*. *Personalis* est, quando res aliena immediate servit alienæ personæ. Tales servitutes personales sunt etiam usufructus, usus, & habitatio; hæc enim jura omnia tantum sunt in utilitatem personæ usufructuarii, Usuarii &c. proinde & ossibus talis personæ inhærent, & ea extincta, ipsa quoque jura extinguuntur, nec ad hæredes ejus transeunt. *Realis*, vel *Prædialis* est, qua prædium unum, vel res una tenetur servire rei alteri, ad diversum dominum spectanti. Habetur tunc, quando vg. per prædium Pauli possunt agi currus, ut fructus in prædium Petri inferantur. Quare ad hanc servitutem duo prædia, ad distinctos dominos spectantia, requiruntur: unum, cui debetur servitus, & vocatur prædium *dominans*: alterum, quod servitutem debet, & vocatur *prædium serviens*. Est autem notabile discrimen inter servitutem realem, & personalem; realis enim transit ad hæredes, & ad quoscumque possessores, ad quos pervenit prædium, cui annexa est servitus: personalis autem cum persona, cui data est, extinguitur, nisi nominatim etiam ipsis hæredibus concessa sit.

Servitus realis denuo subdividitur in *urbanam*, *Haußdienstbarkeit*, & in *rusticam*, *Feld-Dienstbarkeit*. *Urbana* est, quando res aliena prædio urbano, *rustica*, quando prædio rustico servit. Ita P. Haunold, qui cum Communi putat, denominationem servitutis rusticæ, aut urbanæ esse desumendam a prædio dominante. Est autem *prædium urbanum*, quod habitationis, & hominis gratia constitutum est, sive dein intra, sive extra urbem existat. Talia sunt plerumque ædificia ad inhabitandum, ad exercenda commercia, custodienda arma &c., uti etiam horti ad recreationem hominis destinati: item stabula meritoria tam in villis, quam vicis pro recipiendis equis & hospitibus destinata. *Rusticum prædium* est, quod principaliter exstructum est, ut præbeat usum rusticum in conservandis fructibus, asservandis pecoribus &c. ut stabula, granaria, horti olitorii, horrea &c. sive in urbe, sive extra eam existant, dummodo sint separata a prædiis urbanis; si enim ejusmodi ædificia, rei rusticæ alias deputata, essent conjuncta habitationi hominum, ac aliis prædiis urbanis, tunc tanquam accessoria sequerentur naturam eorumdem

prædiorum urbanorum ; nam accessorium sequitur naturam sui principalis.

Ita de Jure communi Cæsareo : a quo tamen videtur recedere Jus Statutarium Bavaricum, secundum quod prædium urbanum & rusticum non desumitur ex usu urbano & rustico, sed ex ipsa natura, & qualitate prædiorum ; si enim ea sint ædificia aliqua, tunc semper ad prædia urbana spectant : si vero fundi, agri, horti, sylvæ, aquæ, lacus &c. sunt, servitutes rusticæ dicuntur. Ita jam jus antiquum Bavaricum Tit. 26. art. 1. &. 2. & novum Maximilianeum p. 2. c. 8. §. 1.

Servitutis urbanæ species sunt 1. servitus *tigni immittendi*, vi cujus tignum, vel trabem, aut aliquid aliud immittere possum in murum alterius. 2. Servitus *oneris ferendi*, vi cujus murus, vel columna vicini debet sustinere onus mearum ædium. 3. Servitus *stillicidii*, qua vicinus meus tenetur admittere aquam stillatim decidentem de ædibus meis in suum hortum, vel aream. 4. Servitus *altius non tollendi*, vi cujus vicinus in utilitatem alterius vicini prohibetur altius ædes suas elevare. 5. Servitus *luminibus non officiendi*, vi cujus vicinus meus non potest aliquid ædificare, quod mihi prospectum, vel lumen impediat. Plura qui desiderat de servitutibus seu rusticis, seu urbanis, uti & de personalibus, consulat Tom. 1. Tract. 3. *de Justitia, & Jure* P. Haunold, ubi exacte hanc rem exagitat, quæ tamen plus ad forum Juridicum, quam Theologicum spectat. De his servitutibus etiam exacte agit Codex Maximilianeus p. 2. c. 2. & 8.

Agunt hic etiam multi de Pignore, Hypotheca, ac Possessione : verum ista omnia inferius magis commode explanabuntur.

ARTICULUS II.

An usus distinguatur a Dominio in rebus, quæ unico usu consumuntur?

Controversia hæc dignissima est, ut quivis Franciscanus eam perfecte penetret ; habet enim ortum ex strictissima paupertate, quam profitemur, utpote vi cujus nos Fratres

tres Minores de Observantia neque in particulari, neque in communi alicujus etiam minimæ rei dominium, aut proprietatem habemus; siquidem rerum omnium, quibus utimur, dominium manet vel penes dantes, vel penes summum Pontificem, ex cujus licentia tam Ordo noster in communi, quam nos Franciscani in particulari utimur rebus illis, quæcumque sint. Quare earum tantum usum, non autem jus proprietatis habemus. Ut igitur punctum hoc olim tempore Joannis XXII. magno studio disputatum pro dignitate sua tractemus, Articulum hunc in duos §§vos secabimus. Unde sit.

§. I.

Notanda & Conclusio.

Nota 1. Duplicem esse usum, alium *Juris*, alium *facti*. 203
Usus facti est usurpatio actualis alicujus rei, vg. equi, domus, panis &c. Proinde, si actu equites, inhabites domum, comedas panem, tunc habes usum facti; quia taliter actu usurpas equum, domum, panem &c. *Usus juris* est ille ipse, quem supra Art. præc. §. 2. descripsi. Vel clarius: est jus, & potestas authoritativa utendi re aliena authoritate, & nomine proprio. Proinde ille, qui habet usum juris respectu alicujus rei alienæ, non potest ab usu, & usurpatione actuali ejusdem impediri absque injuria. Ratio hujus est: quia si impediretur ab usu facti, & actuali usu rei, tunc læderetur ejus jus, quod habet ad ejusmodi usum: atqui quando læditur jus alterius, tunc illi fit injuria: ergo.

Nota 2. Usum facti posse esse interdum illicitum, si nempe usurpes actu aliquam rem alienam, ubi neque jus, nec licentiam habes eadem utendi. Dixi: ubi *neque jus*, *neque licentiam* habes, per quod volo insinuare, quod ad licitum usum facti rei alienæ non requiratur determinate jus utendi illa re, aut usus juris, sed quod etiam sufficiat sola licentia a Domino rei concessa absque jure utendi. Inde

Nota 3. Ejusmodi licentiam esse tantum meram permissionem, & facultatem utendi re, non authoritate, & nomine proprio,

prio, fed aliena, fcilicet Domini, liberaliter talem facultatem concedentis. Quare hæc licentia differt a jure 1., quia ille, qui habet jus utendi, vel ufum juris, utitur re aliena authoritate propria, non autem ille, qui habet meram licentiam. Hinc 2. qui habet jus utendi re aliena, non poteft, etiam a Domino directo talis rei, fine injuria impediri, ne illa pro libitu fuo utatur: contra, qui habet meram licentiam, poteft ad nutum domini impediri ab ufu citra omnem injuriam; fiquidem talis licentia, eoquod ex parte licentiati non pariat ullum jus, eft ad nutum domini eam concedentis revocabilis, ac impedibilis.

Nota 4. Res, quibus uti poffumus, effe duplicis generis: aliæ enim funt, quæ unico ufu proprio, & primario non confumuntur, aut deftruuntur, ut domus, liber, currus &c. fic utimur domo, eam inhabitando, quin per hanc inhabitationem domus ftatim deftruatur. Atque in his rebus ufum facti feparari poffe a Dominio, & proprietate, certum eft, & patet in Religiofis, quorum fingulis variæ res, vg. libri, cella, veftes &c. ad quotidianum ufum conceduntur, quin ullus eorum in particulari aliquod jus proprietatis, aut dominium in talibus rebus habeat, aut habere poffit. Quare de fimilium rerum ufu non procedit quæftio.

Aliud genus rerum eft, quæ unico ufu proprio, & primario confumuntur, ut cibus, potus &c.; nam ufus primarius, & proprius, ad quem cibus & potus ordinantur, eft utriusque abfumptio. Huc etiam pertinet pecunia, quæ pariter unico ufu primario, & proprio confumi cenfetur, non quidem phyfice quoad entitatem, fed moraliter quoad dominium, veluti fit, dum expenditur, aut pro aliis rebus permutatur; ad hunc quippe ufum, fcilicet ad expenfionem & permutationem pro aliis rebus, pecunia eft primario & proprie inftituta juxta Ariftotelem 1. Polit. c. 7. & communem Juriftarum.

Dixi: *unico ufu primario, & proprio*; quia ufu fecundario, & improprio, feu tali, ad quem ex natura fua non ordinantur, non confumuntur, aut deftruuntur, ut fi vino utaris folum ad odorem, pecunia ad oftentationem &c. De hoc fecundario ufu modo non ago; fuppono enim, poffe aliquem habere

bere usum hunc secundarium similium rerum, quin habeat earum dominium: controversia duntaxat remanet de usu primario, per quem res consumitur.

Nota 5. Certum esse, quod quis usum juris *proprie dictum*, non possit habere in re aliqua unico usu consumptibili. Ratio est: quia usus juris proprie dictus secundum dicta superius est jus utendi re aliena salva ejus substantia; atqui re unico usu consumptibili aliquis uti no potest, saltem usu primario & proprio, salva manente ejus substantia; siquidem usus proprius & primarius talis rei est ejus consumptio, & destructio. ergo

Nota 6. Usum juris *improprium*, qui est jus utendi re aliena, etiam destructa, & non salva manente ejus substantia, non posse separari a dominio in rebus unico usu consumptibilibus. Ratio est: eo ipso, quod concedatur talis usus juris, conceditur simul jus destruendi, & consumendi substantiam ejus rei: atqui cui conceditur jus consumendi substantiam rei, conceditur ipsum dominium illius; solus enim Dominus vi juris sibi competentis potest nomine proprio, & authoritative destruere rem aliquam, ut colligitur ex dictis, & idipsum dicunt leges civiles, quas Juristæ adducunt.

Ex duobus ultimis notandis colliges, duplicem esse usum juris, unum proprie talem, qui tantum datur in re unico usu consumptibili: alterum improprie talem, qui etiam in rebus unico usu consumptibilibus, ut in pecunia, cibo & potu dari potest. Et hæc divisio usus est apud Juristas recepta, & nobis servit ad objectiones melius diluendas. H. N.

Assero: Dominium potest separari ab usu in iis rebus, quæ unico usu absumuntur. Ita defacto Communis contra Joannem XXII. summum Pontificem, & quosdam alios apud Lugo citatos. 204

P. 1. Defacto in ordine nostro datur usus rerum unico usu consumptibilium, scilicet cibi & potus, & tamen non habemus seu in particulari, seu in communi dominium earum: ergo potest usus talium rerum esse absque dominio. c. patet; nam

ab actu ad potentiam optima est argumentatio. A. p ex ipsa nostra Regula, in qua c. 6. Fratribus prohibetur, ne ullam rem sibi approprient: adeoque cujuscunque rei, etiam unico usu consumptibilis, dominium & proprietas illis interdicitur : ut patet per verba Regulæ: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem &c.* NB. *nec aliquam rem*, consequenter nec cibum, aut potum.

Accedit Nicolaus III. c. *Exiit, qui seminat. de V. S. in* 6. Ibi laudatus Pontifex declarat 1., quod Fratres Minores nec singuli in speciali, nec eorum Ordo in communi habeat ullius rei dominium, vel proprietatem. 2. Quod Fratres Minores tantum habeant usum facti, non autem juris, in illas res, & quidem omnes, quæ ipsis offeruntur. Aliqua ejus verba, quæ huc faciunt, adduco: *Qui inquam usus* (concessus Fratribus Minoribus) *non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum, in utendo præbet utentibus, nihil juris: quin imo necessariarum rerum tam ad vitæ sustentationem* (quales sunt cibus & potus) *moderatus usus concessus est Fratribus: quibus rebus Fratres licite uti possint, durante concedentis licentia.* 3. Exemplo Prædecessorum suorum præfatus Papa in se, & Ecclesiam Romanam assumit dominium omnium eorum, quorum usus est licitus Fratribus Minoribus, & quorum dominium donantes sibi non reservarunt.

Rdebis: Constitutiones adductorum Pontificum circa hoc punctum editas, esse revocatas a Joanne XXII. in sua extravag. *Ad Conditorem Canonum.* de V. S. In hac Extravagante Joannes Papa negavit, dominium posse separari ab usu rerum unico usu consumptibilium: & ob eam causam dominium earumdem rerum, Fratribus Minoribus concessarum, a se & Romana Ecclesia abdicavit.

Contra est: Quamvis Joannes XXII. videatur derogasse declarationibus, & constitutionibus citatorum Pontificum, tamen & alii plures Pontifices Joanne XXII. posteriores reassumpserunt in se iterum dominium rerum unico usu consumptibilium Minoribus concessarum, ac confirmarunt de novo declarationes Regulæ nostræ editas a Nicolao III. & Clemente V.; imo expresse derogarunt Extravaganti *ad Conditorem*, & aliis extravagantibus materi-

teriam prædictæ Extravagantis tangentibus: ut videri potest in Constitutione Pauli IV., quæ incipit: *Ex Clementis Sedis*: data 1. Julii 1555., in qua idem Pontifex testatur, prædictis extravagantibus Joannis XXII, jam antea derogatum esse per Martinum V., Eugenium IV., Nicolaum V. & Sixtum IV. Eamdem derogationem resumit Gregorius XIII., uti & dominium rerum nobis oblatarum reassumpsit similiter Alexander VI. Constit. *Uberes fructus*. data 10. Julii 1494. Ex quibus omnibus patet, declarationes Nicolai III. & Clementis V., ac aliorum Prædecessorum Pontificum esse in suo antiquo vigore: illa vero, quæ in contrarium edidit Joannes XXII. nullius jam esse roboris, consequenter non esse amplius attendenda. Verum de hac re plura in solutione objectionum.

Confirm. Nullus acquirit dominium alicujus rei, nisi illud acceptet; atqui Fratres Minores nullius rei, etiam unico usu consumptibilis, dominium possunt acceptare: ergo etiam nullius rei dominium possunt acquirere: consequenter solum habent usum facti respectu rerum sibi oblatarum, quibus non nomine proprio, sed authoritate & nomine concedentis, si sibi reservavit dominium, vel saltem nomine summi Pontificis utuntur. M. est certi, & clari juris. m. patet ex Regula, quæ c. 6. præcipit strictissime: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem.*

P. 2. Non repugnat, ut aliquis habeat meram licentiam utendi re aliena, unico usu consumptibili, & quidem absque jure, & dominio proprio in talem rem, ac solum nomine, & ex commissione alterius: ergo non repugnat usus simplex facti respectu rei unico usu consumptibilis, absque dominio ejusdem. A. p. variis exemplis: Sic Religiosi solenniter professi in aliis Religionibus, quam nostra, in particulari habent licentiam absumendi cibum & potum, ad vitæ sustentationem necessarium, & tamen non habent ejusdem dominium; nullus enim Religiosus, in quacunque Religione sit solenniter professus, in particulari est capax dominii alicujus rei vi voti Paupertatis. 2. Conviva utitur cibis appositis, manente dominio interea apud invitantem; qui & illos invitato posset subtrahere citra injuriam, & læsionem juris. Sic etiam servus comedit cibos heri sui, Filiusfamilias

abſumit cibos ſui parentis, & tamen nec ſervus, nec filiusfamilias horum ciborum eſt Dominus.

P. 3. Si uſus facti in rebus unico uſu conſumptibilibus non eſt ſeparabilis a dominio, tunc ideo, quia aliquis non poteſt licite rem aliquam deſtruere, & conſumere, quin habeat jus vel dominium talis rei: ſequela non eſt admittenda: ergo neque id, unde ſequitur. M. eſt AAriorum. m. p. poteſt famulus ex licentia, vel juſſu heri ſui licite comburere ſtruem lignorum, aut domum, quin per talem combuſtionem fiat Dominus illius rei, quam comburit, & deſtruit. Item famulus ex commiſſione Domini ſui expendens pecuniam ejus, & aliquid pro ea emens, non cenſetur propter talem conſumptionem pecuniæ eſſe factus ejusdem Dominus: imo ipſa deſtructio, & conſumptio rei, de voluntate, atque authoritate Domini a ſervo facta, videtur potius eſſe actus, atque exercitium dominii ipſius Domini, quod ille per ſervum, ceu ſuum inſtrumentum, & ſuo nomine agentem exercet: ergo poteſt aliquis rem deſtruere, quin hujus ſit Dominus, ſi nempe eam conſumat, & deſtruat authoritate, & nomine alterius, prout & Fratres Minores abſumunt ipſis conceſſas res authoritate alterius. Quare ſi non nemo cibum & potum Franciſcanis donatum auferret, tunc hi non poſſent eum nomine proprio, ſed tantum nomine donantis, vel ſummi Pontificis vindicare, aut repetere.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

205 Objic. 1. Juxta varias leges civiles non poteſt a dominio ſeparari uſus, vel uſusfructus rerum unico uſu conſumptibilium: ergo noſtra concluſio eſt contra leges civiles. R. d. a. & illæ leges loquuntur de uſu juris c. a. de uſu ſimplici facti, fundato in mera licentia n. a.

Dices: Uſus juris non poteſt dari in rebus unico uſu conſumptibilibus: ergo dum leges dicunt, uſum non diſtingui a dominio in rebus unico uſu conſumptibilibus, non poſſunt loqui

qui de usu juris, sed de usu facti: consequenter juxta leges usus facti in rebus unico usu consumptibilibus non distinguitur, aut separatur a dominio. A. patet; nam usus juris est jus utendi re aliena, salva ejus substantia: atqui rebus unico usu consumptibilibus non potest quis uti salva earum substantia: ergo. R. d. a. usus juris proprie talis c. a. improprie talis n. a. Vide dicta n. 202. Not. 5. & 6.

Objic. 2. Qui ita potest disponere de re aliqua, ut etiam illam possit destruere, est Dominus ejusmodi rei: sed Frater Minor potest ita disponere de pane, cerevisia, vino, ut has res etiam possit destruere, & consumere: ergo Frater Minor est Dominus harum rerum. R. 1. Retorq. argum. ergo etiam servus, qui jussu Heri comburit lignum, expendit pecuniam ejusdem Heri sui, eo ipso est Dominus ligni, ac pecuniæ. R. 2. d. M. qui ita potest disponere nomine & authoritate propria, ac vi juris stricti sibi competentis c. M., qui tantum ita potest disponere authoritate & nomine alieno, ac ex permissione alterius n. M. Fratres Minores consumunt has res nomine donantium, aut summi Pontificis.

Neque in hoc absurditas est; nam 1. testibus etiam Adversariis, ac ipso Joanne XXII. in sua famosa Extravagante: *Quia quorumdam*: possumus nos nomine summi Pontificis uti rebus unico usu non consumptibilibus, uti libris, vestibus, Ecclesiis &c. ergo & rebus unico usu consumptibilibus. 2. Potest famulus pecuniam Domini sui nomine ejusdem pauperibus expendere, & sic eam moraliter consumere: ergo etiam nos possumus nomine summi Pontificis, vel donantium consumere cibum & potum.

Dices forte frivole: Si nos nomine summi Pontificis comedimus, & bibimus, tunc summus Pontifex singulis diebus in nostra mensa reficitur; quod absurdum est: ergo. R. N. M. Non enim Fratres Minores hoc sensu reficiuntur nomine summi Pontificis, quasi in ejus utilitatem & alimentationem comederent, & biberent: sed solum hoc sensu, quod ex licentia summi Pontificis consumant cibum & potum. Nam, qui habet usum facti alicujus rei, potest illa quandoque uti tali modo, ut usus neutiquam cedat in utilitatem Domini, concedentis ejusmodi usum: uti fit in

famulo, ex jussu Heri sui destruentis domum ejusdem, vel donantis pauperi pecuniam.

Objic. 3. Si dominium rerum Fratribus Minoribus concessarum esset penes donantem, aut summum Pontificem, tunc hoc deberet esse utile donanti, aut Pontifici; sed non est utile: ergo. m. constat quia nec Pontifex, nec donans utuntur talibus rebus, sed soli Fratres: adeoque hi soli ex iisdem utilitatem percipiunt. M. p. ex L. *Omnium. ff. de usufructu*, & ex L. *Antiquitas. C. eodem*, ubi dicitur, quod ideo ususfructus non possit perpetuo separari a dominio, ne dominium hujusmodi sit penitus inutile Domino: ergo supponunt leges, quod dominium saltem aliquando debeat esse utile domino suo, consequenter, si dominum prædictarum rerum esset penes summum Pontificem, aut donantem, deberet illud his esse utile. R. 1. N. m. nam hoc dominium posset absolute adhuc esse utile summo Pontifici, aut donanti, cum ante consumptionem possint rem Fratribus datam revocare, & illam in propriam utilitatem convertere, absque ulla injuria Franciscanis illata: sicut & Herus nullam facit injuriam famulo, dum ab eo revocat pecuniam, quam ei dedit hoc fine, ut suo, nempe Heri, nomine in pauperes distribueret. R. 2. cum nostro Herincx: transmittendo etiam, quod nobis obstent leges civiles, tamen illæ non sunt attendendæ in proposito casu, in quo Pontifex, qui supra jus civile est, aliud declaravit, & sanxit pro Fratribus Minoribus. Neque tale dominium apud summum Pontificem existens est nugatorium (ut vult Extravagans *ad Conditorem*) quamvis enim sit rerum minimarum, conducit tamen ad salvandum perfectissimum modum Evangelicæ paupertatis, &, ut ait Nicolaus III., alius illarum rerum Dominus non est commode assignabilis.

206 Objic. 4. Fratres Minores possunt res sibi concessas in judicio defendere, & ablatas ab aliis repetere: ergo signum est, quod sint illarum Domini. R. N. a. Fratres enim Minores nec per se, nec per alios suo nomine substitutos, & agentes, possunt juridice & authoritative res sibi ablatas in judicio defendere, aut repetere: potest tamen id illorum Syndicus Apostolicus, non quidem nomine Fratrum, sed nomine summi Pontificis, vel dantium, penes quem, vel quos tunc dominium residet. Sicut etiam nullus Frater minor *nomine, & authoritate propria* potest

ali-

aliquam rem ſibi conceſſam valide, aut licite vendere, permutare, aut alium actum dominii circa eam exercere.

Dices: Saltem ſi aliquis homo privatus ſurriperet Franciſcano cibum & potum, faceret ei injuriam; ergo Franciſcanus habet dominium aut jus in cibum &c.; nam injuria eſt læſio juris alterius. R. 1. retorq. argum. in Religioſos particulares aliarum Religionum, & quæro: an fiat talibus injuria, ſi ſurripiatur eisdem cibus & potus? quidquid reſponderint AArii, ſerviet nobis; nam & Religioſi Profeſſi cujuslibet Ordinis habent in particulari ſimplicem tantum uſum facti, non autem dominium in res ſibi conceſſas.

R. 2. *directe.* d. a. Si ſurriperet ei cibum vel potum ſine vi aut fraude n. a. ſi per vim aut fraudem *ſubd.*, tunc faceret injuriam, quia læderet aliquod jus reale, vel dominium, quod Franciſcanus haberet in cibo & potu n. a. quia læderet jus perſonale, quod Franciſcanus generaliter, & naturaliter habet adverſus omnes alios, ne ipſum per vim aut fraudem impediant a conſecutione cujuscunque boni c. a. Igitur, ſi ſine vi, vel fraude aliquis privatus Franciſcano auferret rem aliquam, non inferret injuriam directe Fratri ipſi, violando aliquod ejus jus reale proprie dictum: inferret tamen injuriam ſummo Pontifici, aut donanti, penes quem nempe adhuc eſſet dominium rei illius ablatæ. Quodſi vero per vim, vel fraudem aliquis Franciſcanis ſurriperet quidpiam, ipſis Franciſcanis inferretur injuria, non quaſi hi haberent aliquod jus reale, aut dominium rei ablatæ; hujus enim ſunt incapaces: ſed ideo, quia Fratres Minores, ſicut alii homines, obtinent jus naturale, & generale adverſus omnes, qui ipſos vi, vel fraude impediunt a conſecutione cujuscunque boni, etſi alias nullo jure debiti. Et huic juri naturali & generali non renunciavimus per noſtram Profeſſionem. Ex quo

Colliges, quod Franciſcanus habeat quidem jus perſonale adverſus fraudulenter, vel violenter ipſum impedientes ab uſu cibi ſibi licito; non autem habeat jus reale, vel dominium in ipſum cibum: ſicut Religio, vel Monaſterium aliquod habet jus perſonale adverſus omnes, qui vi, vel dolo impediunt Candida-

didatum ab ingressu Religionis, & tamen ejusmodi Monasterium nullum habet jus, vel dominium in ipsum Candidatum. Verum hic non controvertitur, an usus simplex facti sit separatus ab omni jure personali: sed solum, an separetur a jure reali, & dominio, quod bene observandum.

Instabis: Qui Franciscanis aufert aliquid, debet illud ipsis restituere: ergo signum est, quod Franciscani habeant dominium talis rei ablatæ. R. 1. Qui depositario aufert rem, debet illam ei restituere, etsi non sit Dominus proprietarius talis rei. R. 2. N. c. Quod Franciscanis debeat fieri talis restitutio, oritur ex voluntate Domini, Franciscanis concedentis usum ejusmodi rei, non autem hoc provenit ex jure, vel dominio Franciscanorum, quod apud hos non residet.

207 Objic. 5. Ex nostra sententia sequitur, donantes nobis cibaria, & se abdicantes illorum dominio, non dare eleemosynam; sequela est absurda: ergo. P. M. Illa donatio non est eleemosyna, per quam dominium non in pauperem, sed divitem transfertur; atqui taliter nobis donantes cibaria transferunt dominium eorum in summum Pontificem, qui non est pauper, sed dives: ergo. R. N. M. Siquidem talia cibaria non dantur Pontifici in usum Pontificis, sed in usum pauperum, ut nempe per ea pauperculis Franciscanis succurratur modo eis conveniente.

Dices: Saltem sequitur, eum, qui dat Franciscanis, minus mereri, quam si daret vg. Augustinianis: sequela est absurda: ergo. P. sequela: qui minus dat, minus meretur: sed dans eleemosynam Franciscanis minus dat, quam si eam daret Augustinianis; Franciscanis enim dat solum usum simplicem facti ad nutum revocabilem, Augustinianis non daret verum dominium eleemosynæ: ergo.

R. N. sequel. 1. magis meretur ille, qui dat pauperiori, & magis egenti; sed Franciscani sunt magis pauperes, quam Augustiniani, cum hi saltem in communi habeant dominium, cujus illi sunt incapaces. 2. Dominus dando solum usum facti, dummodo eum non amplius revocet, prout tamen potest, æque

que ſublevat in actu ſecundo paupertatem & indigentiam alterius, ac ſi daret dominium. Certe panis ille, cujus uſum facti tantum habeo, non minus ſatiat, quam ille, cujus dominium aliquis habet: ergo in ordine ad ſublevationem paupertatis, in qua ratio eleemoſynæ conſiſtit, parum refert, an concedatur dominium, vel ſolus uſus facti, dummodo Dominus concedens ſolum uſum facti non utatur jure ſuo, & rem Fratribus conceſſam ante abſumptionem ejus non revocet.

Urgebis: Saltem noſtra paupertas non eſt major, quam aliorum Religioſorum, cum non minorem utilitatem recipiamus ex eleemoſyna, quam alii Religioſi. R. N. illat. quia Franciſcani habent tantum uſum revocabilem, & ex nutu donantis, vel ſummi Pontificis pendentem, qui, ſi vellet, poſſet revocare: alii Religioſi vero ſaltem in Communi habent uſum irrevocabilem, & verum quoddam jus: ergo non habent tantam paupertatem.

Objic. 6. Etiam Frater Minor habet uſum irrevocabilem panis, ſaltem tunc, dum actu utitur, & trajicit per guttur; nam tunc non poteſt revocari amplius: ergo habet tunc ſaltem dominium. R. D. a, habet uſum irrevocabilem pro illo inſtanti, quo res, vg. cibus, cenſetur moraliter conſumptus, & inutilis factus ad omnem liberam diſpoſitionem c. a. pro illo inſtanti, quo res adhuc moraliter exiſtit, & utilis eſt ad liberam diſpoſitionem n. a. Dum cibus actu in ſtomachum demittitur, non eſt amplius ſub ullius dominio, quod etiam verum eſt, ſi aliquis proprium ſuum panem, cujus dominium habuit, comedit. Ratio eſt: quia dominium tantum poteſt dari circa res vere exiſtentes, & quidem tales, de quibus adhuc poteſt dari libera diſpoſitio: ſed panis ejusmodi, dum actu comeditur, non cenſetur amplius exiſtere, cum moraliter jam ſit conſumptus, nec poteſt de eo amplius libera fieri diſpoſitio, ut per ſe claret; nam non eſt in poteſtate libera eumdem panem extrahendi e ſtomacho &c. ergo. M. conſtat; nam dominium eſt jus reale: jus autem reale ſecundum dicta poteſt ſolum dari circa res actu exiſtentes. Item dominium importat ex ſua intrinſeca ratione facultatem libere diſponendi de re aliqua: hinc dominium non po-

teſt dari in brutis, quæ libertate carent, nec poteſt verſari circa illas res, quæ liberæ diſpoſitioni noſtræ non ſubjacent.

208 Objic. 7. In conventione, vel contractu precarii conceditur alicui petenti uſus rei gratis; ac revocabiliter ad arbitrium ipſius concedentis, & tamen verum conceditur jus ad uſum: ergo etiamſi gratis, & revocabiliter concedatur uſus facti Fratri Minori, tamen conceditur ſimul jus ad eumdem uſum. R. eſſe diſparitatem inter precarium, & licentiam ad uſum ſimplicem facti; nam in precario obligat ſe concedens rem, quod illam non ſtatim in continenti velit revocare, niſi urgeat neceſſitas, conſequenter quod velit aliquo ſaltem temporis ſpatio ad arbitrium judicis, vel etiam boni viri, ei, cui conceſſa eſt, relinquere, ne talis omni uſu, & commodo deſtituatur. Aliud eſt in licentia pura ad uſum; hæc enim in continenti absque injuria licentiati revocari poteſt.

Dices: Saltem pro illo inſtanti, quo Dominus concedit uſum facti, non poteſt illum etiam revocare: ergo ſaltem pro illo inſtanti haberet Frater Minor jus irrevocabile, & dominium. R. d. a. pro illo inſtanti non poteſt revocare per ſe, & ex defectu juris, vel dominii n. a. per accidens, ob incompoſſibilitatem ſimultaneam duorum actuum oppoſitorum c. a. Non ideo ejusmodi uſus facti in propoſito caſu eſt irrevocabilis, quaſi tribueret Fratri Minori aliquod jus, vi cujus revocari non poſſet, vel quaſi Dominus non haberet jus revocandi, ſed ideo, quia actualis revocatio per accidens impeditur ob incompoſſibilitatem ſimultaneam duorum actuum oppoſitorum: nempe Dominus pro eodem inſtanti non poteſt dare, & ſimul negare, vel revocare licentiam, ac uſum facti. Hoc autem non officit dominio; non enim obeſt dominio alicujus, quod ipſe ſimul & ſemel non poſſit velle, ac nolle deſtructionem ſuarum rerum, quarum habet dominium; eoquod nolitio & volitio circa idem omnino objectum ſint actus incompoſſibiles: ergo neque obeſt dominio donantis aliquid Franciſcanis, quod ſimul & ſemel non poſſit dare, & revocare licentiam, ac uſum facti reſpectu talis rei, eoquod conceſſio & revocatio uſus ejusdem facti pariter ſint duo ſimul incompoſſibiles actus.

Objic.

Objic. 8. Fratres Minores utuntur juste cibo & potu: ergo jure: ergo habent jus ad cibum & potum. R. d. c. ergo jure negative c. c. positive n. c. Jure *negative* Franciscani absumunt cibum & potum, ipsis concessum, quatenus non agunt contra jus alicujus alterius: non autem *positive* agunt taliter ex jure aliquo, quia non habent aliquod jus reale in ejusmodi cibum & potum.

Objic. 9. Franciscani, uti & alii homines, habent jus ad sustentationem: ergo fit ipsis injuria, si cibi auferantur: consequenter habent jus ad cibos. R. D. a. habent jus naturale, & generale c. a. habent jus reale, & stricte tale n. a. & d. c. ergo fit ipsis injuria, si cibi auferantur omnes, ita, ut neque alii subministrentur, aut adsint, per quos possint sustentari, sicque lædatur jus naturale c. c. si tantum appositi auferantur, & alii supersint, vel acquiri possint, per quos sustententur n. c. habemus equidem jus naturale ad sustentationem: non autem habemns jus ad sustentationem determinate obtinendam per hos numero cibos. Sufficit, si reficiamur, vel sustentemur etiam per alios qualescumque.

Objic. 10. Si usus facti in rebus usu consumptibilibus est separabilis a Dominio, tunc Dominus seorsim potest vendere usum, & seorsim dominium ejusmodi rerum: sequela non potest admitti: ergo. m. p. usus rerum usu consumptibilium, & earum dominium non habent distinctum valorem: ergo seorsim non possunt vendi. A. constat ex D. Thoma. q. 78. art. 1. imo Theologi ex hoc communiter desumunt malitiam usuræ, eoquod usus pecuniæ non habeat distinctum valorem ab ipsa pecunia, vel a dominio pecuniæ.

R. N. M. quod Dominus cibi vg. seorsim absque dominio possit vendere usum facti simplicem, quin simul vendat dominium ejusdem cibi. Ratio hujus est: quia nulla venditio potest fieri, nisi venditor se abdicet aliquo jure, & emptor jus novum acquirat; atqui in hoc casu nullo jure se abdicaret venditor, nec jus novum acquireret emptor, cum usus simplex facti nullum jus importet, ut claret ex dictis: ergo. M. est

certa apud omnes; quia venditio est contractus onerosus, quo uterque contrahens debet obligari: quod non fieret in nostro casu, nisi venditor dimittendo aliquod jus se obligaret emptori. Hinc, qui vellet vendere usum cibi, vel pecuniæ, deberet vendere usum juris: atqui usus juris in rebus unico usu consumptibilibus est ipsum dominium: ergo qui venderet usum cibi, venderet ipsum dominium. Item pecunia non plus valet, quam jus utendi pecunia: ergo qui transfert dominium pecuniæ in alium, eoipso transfert etiam usum juris ejusdem in illum: consequenter non plus, neque aliud sine usura potest accipi pro pecunia & usu simul, quam pro sola pecunia, quæ tamen omnia non sunt contra nos. Ex his

209 Colliges 1. Usum simplicem facti, separatum a dominio & jure stricte tali, non esse æstimabilem pretio formaliter tali; pretium enim formaliter tale tantum solvi solet pro illa re, in quam conceditur jus & dominium: atqui in usum simplicem facti, separatum a dominio & jure, non conceditur jus vel dominium, ut ex terminis patet.

Colliges 2. Dominum, qui solum usum facti venderet retento dominio, injuste agere; quia venditio est contractus onerosus, in quo uterque contrahens debet obligari: sed in venditione solius usus facti non obligaretur uterque contrahens, id est, vendens, & emens; licet enim emptor obligaretur ad solvendum pretium, venditor tamen non obligaretur ad concedendum usum simplicem, sed hunc posset statim pro libitu revocare, cum nullum jus in illum concederet: & sic ulterius venditor reciperet pretium, & tamen nihil daret emptori, cum totam potestatem & jus disponendi de usu vendito, consequenter & totum usum sibi retineret: quæ utique non licent.

Dices: Saltem ille, cui concessus est usus simplex facti, posset vendere spem utendi tali re; potest enim talis sperare, quod Dominus hanc licentiam utendi non sit revocaturus, & quod taliter possit uti ejusmodi re in suum commodum: ergo. A p. etiam ejusmodi spes est pretio æstimabilis, sicut & illa spes, qua speratur ab altero emolumentum quoddam temporale: ergo.

R. cum

R. cum Haunoldo: hanc ſpem ſolum importare jus quoddam perſonale ad uſum, non autem dominium, aut jus reale ipſius. Quæritur autem hic ſolum, an uſus ſimplex facti poſſit ſeparari a dominio & jure reali, non vero, an poſſit ſeparari a quovis jure perſonali; nam certum eſt, quod uſum ſimplicem facti etiam in Franciſcano comitetur jus perſonale, ut dictum eſt ſupra.

Objic. 11. Uſus ſimplex facti eſt materia gratiarum actionis: ergo etiam eſt pretio æſtimabilis. R. N. c. Jus eo ipſo non eſt pretio æſtimabilis, quia materia gratiarum actionis qua talis, neceſſario debet eſſe *gratuita*, & nullo titulo oneroſô, neque pro pretio data. Et hoc eſt de eſſentia gratiarum actionis. Ita Lugo. Hinc gratitudo ex ſe neceſſario non verſatur circa translationem juris, ſed circa beneficium qualecunque, quale etiam eſt licentia ſine jure conceſſo: ut ſi invites convivam, eumque laute tractes, talis tenetur eſſe gratus absque jure in ipſum translato: neque cibi reſpectu convivæ, in quem nullum jus transfertur, cenſentur formaliter & proxime pretio eſſe æſtimabiles. 210

Objic. 12. Si uſus ſimplex facti non importaret verum uſum juris, tunc ideo, quia eſſet ad libitum Domini revocabilis: ſed hæc ratio nulla eſt: ergo m. p. poteſt dari jus jurisdictionis ad libitum concedentis revocabile: ergo & jus proprietatis poteſt eſſe ad nutum revocabile. R. d. M. & ſimul ideo, quia uſus ſimplex facti non exercetur nomine proprio, ſed tantum alieno, ſcilicet nomine Domini c. M. ſolum ideo n. M. Et hinc eſt diſparitas etiam ad alia exempla, quæ ſolent afferri, in quibus poteſtas ſemper exercetur nomine proprio, non alieno, uti fit in jurisdictione etiam revocabili.

Cæterum nota: Religioſus aliquis accipiens rem aliquam, vel uſurpans abſque licentia ſui Prælati, peccat; quia votum paupertatis ex intentione voventium non ſolum obligat ad carentiam dominii, vel juris alicujus civilis, ſed etiam ad non habendum uſum facti rerum temporalium, niſi ex voluntate Prælati; ſecus enim Religioſus nunquam peccaret contra votum paupertatis accipiendo aliquid ab externis, quia nunquam po-

test accipere jus ab externis, utpote cujus est incapax. Ratio a priori est: quia Religiosi per votum paupertatis non solum abdicant a se omne jus, sed vovent etiam imitari statum pauperum, ita, ut careant etiam iis rebus, quibus indigent ad vitam humanam, imo & usum talium rerum non habeant, nisi ex beneplacito alterius, scilicet Superioris.

211 Quæres: Quid in hac materia senserit Joannes XXII.? Ante responsionem sequentia ex nostro P. Henno percipe:

Joannes XXII. ab initio sui Pontificatus summe addictus nostro Ordini, utpote qui inter alia beneficia eidem collata, etiam S. Ludovicum Episcopum inter Sanctos retulit: postea tamen ratione Michaelis Cesenæ Ministri Generalis, & Guilielmi Ockami Scoti discipuli, & Nominalium Principis nonnihil in nostram Religionem, adeo sibi antea dilectam, exacerbatus, duas constitutiones edidit, quibus docet, Fratres Minores non habere usum rerum unico usu consumptibilium a dominio separatum. Quare in Extravagante *Quia quorumdam.* de Verb. signif. negat terminis expressis, Franciscanos habere posse in re aliqua simplicem usum facti: & Extravag. *Ad conditorem.* dicit, usum facti a dominio separatum in rebus unico usu consumptibilibus repugnare juri, & obviare rationi. Insuper in iisdem extravagantibus abjecit a Sede Apostolica dominium rerum unico usu consumptibilium, Fratribus Minoribus donatarum. H. S.

Rdent aliqui 1. Joannem XXII. facile cum Nicolao III. & Clemente V. concordari posse, nec negare usum simplicem facti in rebus unico usu consumptibilibus. Verum ne inutili verborum litigio me implicem.

R. 2. Transmisso etiam hoc, quod laudatus Pontifex doceat, simplicem usum facti non posse separari a dominio in rebus unico usu consumptibilibus: ejus tamen authoritas non obest nostræ conclusioni. Nam 1. præfatam doctrinam, quod usus simplex facti non possit separari a dominio, non affert Joannes per modum alicujus constitutionis, decisionis, definitionis aut decreti, sed solum per modum alicujus rationis, ex qua osten-

ostendit tantum, se prudenter & sapienter agere, abjiciendo ab Ecclesia, & Sede Apostolica dominium ejusmodi rerum: atqui rationes in decretis Pontificiis additæ non habent vim juris, imo eæ possunt esse falsæ. 2. Hæ duo Extravagantes nostræ conclusioni contrariæ per plures Pontifices Joannem XXII. subsequentes sunt revocatæ, ac denuo confirmatæ declarationes nostræ Regulæ per Nicolaum III. & Clementem V. factæ, qui Pontifices Joannis XXII. Successores etiam in se denuo reassumpserunt dominium rerum usu consumptibilium, nobis oblatarum, uti videre est in Constitut. Pauli V. *Ex Clementis Sedis.* data 1. Julii 1555, in qua idem Pontifex testatur, Extravagantibus Joannis XXII. derogatum fuisse per Martinum V., Eugenium IV. Nicolaum V., & Sixtum IV. Eandem derogationem resumit Gregorius XIII. Tot tantique Pontifices, tam Antecessores, quam Successores, uni utique prævalebunt Joanni?

De cætero novum non est, quod unus Pontifex alterius Prædecessoris constitutiones revocet, aut moderetur. Id, quod liquet ex ipsius Joannis XXII. testimonio, qui extravagante *quia nonnunquam.* de V. S. ita loquitur: *Quia nonnunquam, quod conjectura profuturum credidit, subsequens experientia nocivum ostendit, non debet reprehensibile judicari, si Canonum Conditor Canones a se, vel suis Prædecessoribus editos, vel aliqua in eisdem contenta Canonibus, revocare, modificare, vel suspendere studeat, si ea obesse potius viderit, quam prodesse.* Item notandum est, quod nec nostra conclusio, nec sententia adversa possit definiri ut de fide, prout ipse Joannes XXII. in extravagante *Quia quorumdam.* fatetur, & ostendit; est enim tantum punctum juris civilis potius, quam fidei. Dum autem Pontifex laudatus sibi contrarium sentientes declaravit esse hæreticos, & contra fidem agentes, id non fecit propter hoc punctum, sed propter alia in dictis Constitutionibus, præsertim in extravagante: *Cum inter nonnullos.* contenta, vg. quia sustinebant, Christum & Apostolos nihil habuisse proprium in communi, aut particulari, quod assertum ipsorum definivit esse hæreticum. Ubi

Inci-

Incidentaliter nota: Nicolaum III. docentem, quod Christus & Apostoli caruerint proprio, non esse oppositum Joanni XXII. Ratio hujus est, quia Nicolaus volebat, Apostolos & Christum tantum *aliquando* caruisse proprio, & sic paupertatis altissimæ exemplum reliquisse: contra Joannes XXII. vult, Christum, & Apostolos non semper caruisse proprio in communi, & particulari, sed aliquando proprium habuisse in Communi, uti defacto habent aliæ Religiones. Quæ duo, nempe Christum aliquando habuisse proprium, & aliquando non habuisse, non sunt opposita, aut contradictoria.

212 Petes: Penes quem tempore Joannis XXII. dominium rerum unico usu consumptibilium, nobis donatarum, fuerit? R. 1. Parum interesse, penes quemcunque fuerit, dummodo non fuerit penes Franciscanos, qui illud certo non habuerunt: cujus ratio est, quia dominium non potest esse penes illum, qui illud non acceptat: atqui Franciscani vi suæ Regulæ nec potuerunt, nec voluerunt dominium ejusmodi rerum acceptare: ergo. R. 2. Tales res, si dantes non reservarunt dominium, fuisse nullius Domini, vel fuisse habitas pro derelictis. Ratio est: quia nec dantes, nec Fratres, nec Pontifex, nec alius habuisset dominium talium rerum: ergo fuissent sub nullius dominio.

Petes iterum: An Franciscanus in extrema necessitate non fiat Dominus rerum tunc necessariarum? R. negative; nam solo habito usu facti rerum, etiam extremam necessitatem pellere potest: ergo neque tunc requiritur, ut usurpet dominium in ejusmodi res. Haberet tamen in tali casu jus personale contra omnes, qui vellent eum ab usu in tali necessitate impedire; nam tali juri pro hoc casu non censetur renunciasse Franciscanus per Professionem suam. Videatur P. Lugo.

DISSER-

DISSERTATIO II.

De Subjecto, & Objecto Dominii.

ARTICULUS I.

De subjecto, & objecto Dominii in communi.

§. I.

De Natura capaci Dominii.

ASSERO 1. Sola entia intellectum & voluntatem habentia, sunt capacia dominii. Est communis. Prob. Radix dominii est intellectus, & voluntas: ergo entia carentia intellectu & voluntate, non possunt gaudere dominio. A. p. quia de essentia dominii est, libere ac voluntarie posse disponere de re aliqua: atqui sine intellectu & voluntate aliquis non potest libere, ac voluntarie agere, aut disponere: ergo. Ex quo 213

Colliges 1. Subjectum proximum, ac immediatum dominii esse voluntatem. Ratio est: quia illa potentia est proximum subjectum dominii, per quam possunt exerceri actus dominii: atqui actus dominii exerceri possunt per voluntatem, & quidem solam; hæc enim sola libere ac voluntarie agere, & disponere potest.

Colliges 2. Bruta, & cætera entia irrationalia carere omni dominio, & jure proprie dicto. Ratio est: quia carent voluntate, & potentia libere ac voluntarie disponendi.

Assero 2. Non requiritur tamen actualis usus rationis ad dominium, etsi hic requiratur ad exercitium actuale dominii, vel ad dominium expeditum. Iterum Communis. 214

P. 1. *Pars.* Parvuli, perpetuo amentes &c. sunt Domini suorum bonorum, etsi usu rationis careant: ergo. *Confirm.* do-

minium in actu primo in sola potentia volitiva, & libera radicatur, quæ etiam in pueris & amentibus vere existit, quamvis per accidens in iis sit ligata, & impedita, ne in actum secundum exeat: ergo.

P. *etiam* 2. *pars*. Actus dominii exigunt libertatem in actu secundo, quæ sine actuali usu rationis nequit exerceri: ergo. C. patet ex Philosophia. A. constat ex dictis; quia actus dominii sunt liberæ, & voluntariæ dispositiones.

Confirm. *utraque pars* ex illo D. Pauli ad Gal. 4. v. 1.: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo; cum sit Dominus omnium.* Ubi Apostolus supponit 1. parvulum esse verum dominum, quamvis non habeat usum rationis. 2. Judicat, eum non habere usum dominii, eoquod careat usu rationis.

Objic. Ad dominium in actu primo obtinendum requiritur acceptatio voluntaria, & quidem actualis: atqui parvulus expers usus rationis non potest actu voluntarie acceptare aliquid: ergo. R. D. M. requiritur acceptatio universaliter n. M. in aliquibus, & plurimis casibus c. M. Certum est, quod aliquarum rerum dominium habeamus absque ulla acceptatione, vg. dominium famæ, honoris, membrorum, item & vitæ quoad usum: potuit & Respublica transferre dominium in aliquos absque eorum acceptatione, acceptante Republica pro ipsis: hinc R. 2. d. m. parvulus non potest acceptare per se ipsum c. m. per Rempublicam, aut per tutores, in quorum arbitrio voluntas parvuli authoritate publica est collocata n. m.

215 Assero 3. Deus est absolutissimus Dominus omnium rerum creatarum. P. 1. ex S. Scriptura, in qua dicitur Judith 9. *Dominus totius creaturæ.* Sap. 12. *Omnium Dominus.* Ratio est: quia ille est Dominus alicujus rei, qui de ea potest disponere tanquam sua: atqui Deus absolutissime potest de omnibus rebus creatis disponere tanquam suis, eas pro libitu suo destruendo, aut in alium usum applicando: ergo. Et hoc dominium in omnes res creatas est Deo essentiale, & inabdicabile; nam iste essentialiter, & semper manet, & debet esse supremus Domi-

minus, & Gubernator cujuscunque alterius rei, quæ non eſt Deus.

Objic. Qui habet dominium rei alicujus, poteſt etiam illius dominium abdicare: atqui Deus nullius rei creatæ dominium poteſt abdicare juxta dicenda: ergo Deus nullius rei creatæ dominium habet. M. conſtat; nam 1. dominium eſt jus, ſed de eſſentia juris eſt, ut illud ſit abdicabile, prout colligitur ex definitione juris ſupra data. Iterum 2. certum eſt, quod Dominus rei poſſit illam vendere, vel donare alteri, & ſic ejus dominium abjicere. 3, Quia Dominus rei poteſt de illa diſponere omni modo: atqui qui ejus dominium non poteſt abdicare, non poteſt de ea diſponere omni modo: ergo.

R. D. M. qui habet dominium creatum, ac finitum c. M. qui habet dominium increatum, infinitum, & ſupremum n. M. Ex quo patet reſponſio ad primam & ſecundam probationem; nam illa definitio juris loquitur tantum de jure creato & finito, quod eſt abdicabile, & in alium transferri poteſt rem vendendo, vel alio modo alienando. Ad tertiam probationem R. iterum d. M. omni modo poſſibili c. M. impoſſibili n. M. atqui Deo eſt impoſſibile, abdicare a ſe rei alicujus creatæ dominium.

Aſſero 4. Etiam Chriſtus qua homo adhuc in terris vi- 216
vens, propter unionem hypoſtaticam probabiliter, *ſaltem quoad jus & actum primum*, habuit dominium quoddam *univerſale*, & *excellentiæ* in omnes res creatas, vi cujus potuiſſet de omnibus rebus mundi pro libitu ſuo diſponere, eas deſtruendo, aliis donando &c. Henno, Herincx, Antoninus Durandus, Suarez, & alii contra alios.

Prob. De Chriſto ſemper illud eſt aſſerendum, quod ei eſt magis honorificum, dummodo id fieri poſſit abſque inconvenienti: atqui tale dominium in actu primo, & quoad jus Chriſto eſt magis honorificum, & de eo aſſeri poteſt abſque omni inconvenienti: ergo.

Dixi: *ſaltem quoad jus, & actum primum*; in actu enim ſecundo non uſus eſt hoc dominio, quoad in terris ambulavit, ſaltem ordinarie, dum ordinarie pauperem egit vitam.

Objic. Nicolaus III. c. *Exiit.* de V. S. in 6. docet, Christum aliquando caruisse proprietate omnis rei temporalis: ergo non fuit Dominus omnium rerum. R. Illud capitulum loqui de dominio privato, ac subordinato, quale etiam competit cæteris hominibus: & hoc utique ad tempus caruit Christus qua homo; non autem loqui de dominio universali, & excellentiæ. Quoad alia solvenda nota, unum dominium privatum excludit alterum privatum, quia sunt ejusdem rationis; non autem dominium Christi universale, & excellentiæ excludit aliquod hominis privati dominium, quia est diversæ rationis.

217 Assero 5. Omnis homo est capax dominii. Communis. P. Omnis homo gaudet intellectu & voluntate, & consequenter in actu primo saltem potest disponere de rebus tanquam suis &c. ergo est capax dominii. Ex quo

Colliges: etiam infideles & peccatores esse capaces dominii. Ita definitum est in Concilio Constantiensi sess. 15. contra Wicleffum, & Joannem Husſs. Veritas hæc desumitur ex sacra pagina; nam 1. Petri 2. & ad Rom. 13. jubemur obedire dominis non tantum bonis, sed etiam *discolis*, reddere tributum, obsequium, honorem Principibus gentilibus, & peccatoribus. Ratio est: per peccatum nemo amittit intellectum, aut voluntatem: ergo neque capacitatem ad dominium. Accedit, maxima ex AAriorum sententia sequi absurda: nam cum nemo sit certus, an sit in statu gratiæ, incerta forent omnium rerum dominia: proinde nulla foret securitas & fides, & via aperiretur continuis spoliationibus, & injuriis sub prætextu, quod spoliatus bono aliquo existat in statu disgratiæ, & sic non amplius sit Dominus ejusmodi boni, ac proinde illo licite spoliari potuerit.

Petes: An Angeli etiam habeant dominium? R. Eos esse dominii capaces asserunt omnes: an autem defacto habeant aliquod dominium, vel strictum jus in hæc inferiora, & corporalia, affirmant aliqui, alii negant. Verum de hoc nihil constat, eoquod nihil de eo sit revelatum. Quare misso dominio Angelorum, cujus notitia nobis non adeo necessaria est, pergemus ulterius indagare dominium humanum, quem in finem sit

§. II.

§. II.

An dari possit dominium ejusdem rei penes duos in solidum?

Sermo hic est 1. *de dominio ejusdem rationis*; etenim certum est, duobus in eadem re posse competere dominium diversæ rationis: sic in eadem re potest Deus habere dominium supremum & absolutum; creatura vero vg. Petrus, dominium creatum & subordinatum: item respectu ejusdem agri potest uni competere dominium directum, alteri utile, uni jus proprietatis, alteri usus juris, vel ususfructus. 2. *de dominio in eandem rem, ac pro eodem tempore, & instanti*; nam quod duo homines duarum distinctarum rerum possint esse Domini, omnibus clarum est. Pariter liquet, plures successive posse dominium usurpare in eamdem rem: sic Petrus hoc anno est Dominus hujus agri, anno sequenti potest ejusdem Dominus fieri Paulus, si e. g. eum a Petro emat &c. 3. est quæstio de dominio *pleno*, & *perfecto* tam *ex parte objecti*, seu rei, quæ cadit sub dominium, quam *ex parte subjecti*, seu illorum, qui sunt Domini talis rei. Verbo: inpræsentiarum controvertitur, an duo vel plures pro eodem instanti respectu ejusdem totius rei totaliter possint habere dominium, & quidem singuli in solidum, ita, ut cuilibet, etiam seorsim sumpto totum dominium in totam rem totaliter competat. 218

Dixi: *cuilibet seorsim*; nam certum est, quod plures *indivisim* possint habere dominium totale alicujus rei: sic omnes cives per modum unius Domini indivisum habent Dominium respectu alicujus sylvæ & agri, sed nulli ex his seorsim accepto competit totale jus, vel dominium in ejusmodi agrum, Sylvam &c. Dixi 2. *totum dominium*, & quidem *totaliter*; nam si duo, vg. Petrus & Paulus, haberent dominium in solidum respectu alicujus rei, tunc Petrus e. g. seorsim acceptus haberet jus ita libere, ac plene disponendi de hoc agro, eum etiam vendendi, ac alienandi &c., ac si nullus alius foret Dominus ejusdem; si enim tam plenum jus non haberet, non esset Dominus per-

fectus, & plenus ejusmodi rei, & fic everteretur ftatus quæftionis; nam hic unice quæritur, an duo poffint effe *pleni*, ac *perfecti* Domini refpectu ejusdem omnino rei.

219 Nota ulterius, duplicem hic quæftionem effe: *una* eft: an detur dominium duorum in folidum *permanens*, id eft, an Pe- Petrus & Paulus refpectu ejusdem agri poffit per aliquam continuatam temporis durationem, vg. per integrum, aut plures annos habere dominium in folidum? *altera* eft, an hujusmodi dominium in folidum faltem fit poffibile *in inftanti* donationis, vel translationis dominii. Per inftans autem donationis intelligo illud, in quo verum eft dicere: *Nunc donatarius acquirit dominium, quod immediate prius non habuit.* Jam indagatur, an in illo inftanti, quo donatarius primo & immediate acquirit dominium, donans etiam fit Dominus ejusdem rei donatæ: adeoque quæftio eft, an in inftanti donationis dominium ejusdem rei donatæ fit penes donantem fimul, & donatarium?

Ante refolutionem quæftionis obiter quoque adverte, per *donatarium* intelligi illum, cui aliquid donatur, ficut & per *fidei commiffarium*, cujus fidei aliquid committitur, per *promiffarium*, cui datur promiffum. Similes termini fæpius per decurfum hujus tractatus redibunt, ac femper in prædicta fingnificatione accipiendi funt. H. N.

220 Affero I. Impoffibile eft circa eamdem rem dominium duorum in folidum permanens. Communior contra Francifcum Schmier L. 3. Tract. 2. c. 2. fect. 3. §. 5. Cæleftinum Mayr Tract. de J. & J. q. 5. art. 2. §. 2. & 3., Erneftum a Someting. l. 2. tr. 1. n. 36.

P. I. Impoffibile eft, ut aliquis pro eodem tempore habeat, & fimul non habeat poteftatem difponendi perfecte de aliqua re: atqui fi daretur dominium duorum in folidum, tunc aliquis pro eodem tempore haberet, & fimul non haberet poteftatem perfecte difponendi de aliqua re: ergo impoffibile eft dominium duorum in folidum circa eamdem rem. M. patet ex lumine naturæ. m. facile probatur; fingamus enim Petrum & Pau-

Paulum esse Dominos in solidum respectu ejusdem equi. In hoc casu Petrus haberet potestatem plene, & perfecte disponendi de equo juxta suum beneplacitum, quod facile concedunt AArii, & status quæstionis supponit: & simul idem Petrus non haberet potestatem perfecte disponendi de tali equo, quod ostenditur; siquidem circa illud Petrus non habet jus plene disponendi, circa quod alius, scilicet Paulus, habet jus impediendi dispositionem Petri, atqui Paulus habet jus impediendi dispositionem Petri circa equum, eo ipso, quia Paulus æquale habet jus, ac Petrus: proinde, si Petrus vellet uti suo equo ad equitandum, posset Paulus resistere, & impedire equitationem, & quidem vi juris & dominii, quod & ipse habet in equum. Profecto quantum juris Paulus habet in equum tantum, decedit de jure Petri in eumdem equum: ergo dato, quod Petrus & Paulus haberent simul jus, & dominium in equum, nullius dominium esset perfectum & plenum, sed cujuslibet juri aliquid decederet, scilicet illud ipsum, quod accedit juri alterius. Hæc ratio probat quoque impossibilitatem dominii instantanei in solidum circa eamdem rem.

P. 2. ex L. 5. *Si ut certo. §. si duobus* 15. ff. *Commodati, vel contra*, ubi habetur: *Si duobus vehiculum commodatum sit, vel locatum simul, Celsus filius scribit l. 6. digestorum, quæri posse, utrum unusquisque eorum in solidum, aut pro parte teneatur, & ait: duorum quidem in solidum dominium, vel possessionem esse non posse. Quid clarius?*

Objic. 1. Duo possunt eamdem rem in solidum possidere: ergo etiam duo possunt esse Domini in solidum ejusdem rei. R. 1. N. a. Ratio negandi clare colligitur ex lege mox citata, & verbis ejus ultimis. R. 2. D. a. possunt duo eamdem rem possidere in solidum eodem genere possessionis, id est, ambo naturaliter, vel ambo civiliter N. a. diverso genere possessionis, scilicet unus naturaliter, & alter civiliter C. a. Quid sit possessio in Communi, & quid sit possessio civilis, & naturalis, dicetur inferius agendo de præscriptione. Interea consulatur Reiffenstuel de possessione. 221

Objic. 2. L. *Si debitor.* 10. ff. *de pignoribus & hypothecis.* habetur: *Si debitor res suas duobus simul pignori obligaverit, ita, ut*

ut utrique in solidum obligatæ essent ; *singuli in solidum adversus extraneos Serviana utentur* : ergo singuli haberent jus plenum in tali pignore. R. d. c. Singuli haberent jus plenum tum ex parte objecti, quam subjecti N. c. solum ex parte objecti, non autem ex parte subjecti, seu haberent singuli seorsim jus plenum in totum pignus, non autem totaliter C. c. Atque in hoc sensu citata lex intelligi debet, ne sit opposita priori, quam in secunda probatione adduxi. Hinc, si eadem omnino res sit tota Petro, & Paulo oppignorata, tunc quilibet ex his seorsim, vg. solus Petrus, potest eam adversus extraneos, ad quos forte ea devenit, defendere actione, quæ dicitur *Serviana*. Si autem sic agendo in judicio recuperat rem oppignoratam, tunc eam non solum sibi, sed & Paulo recuperat. Ex quo patet, quod Petrus habeat quidem jus in totam rem oppignoratam, sed non habeat id totaliter, quia non habet cum exclusione juris alterius, scilicet Pauli. Quare & actio Serviana singulis seorsim, vg. soli Petro, adversus extraneos competit solum in ordine ad totam rem, non autem ad eam totaliter sibi recuperandam. Terminos in hac distinctione, & responsione adhibitos ex notandis, & probatione conclusionis quivis facile intelliget.

Objic. 3. Finge casum : Francisco, & Antonio donatur equus, & conceditur cuilibet plenissima facultas disponendi de eodem equo in omnem usum possibilem, sola addita conditione, ut quoad equi usum inter hos duos donatarios valeat jus præventionis, vi cujus unus alterum possit prævenire, & consequenter etiam impedire in equi usu. Jam sic argumentor : in hoc casu uterque habet potestatem perfecte disponendi de equo : ergo uterque est perfectus ejus Dominus in solidum.

R. N. a. Habens perfectum, & plenum dominium rei alicujus, potest de illa disponere pro libitu, illam alienando, servando, aut ad quoslibet usus applicando, idque pro quovis tempore, quin ab aliquo privato citra injuriam possit impediri. Ast hoc non amplius esset verum stante jure præventionis in altero vg. Antonio ; hic enim licite, & absque injuria vi juris præventionis posset Franciscum impedire ab usu equi ; si enim Antonius præveniret, & equum adhiberet ad equitandum,

vel eum omnino venderet, aut destrueret, tunc eo tempore Franciscus non posset equo uti ad similem usum. Ex quo omnino patet, quod neque penes Franciscum, neque penes Antonium sit plenum jus; in quantum enim vi juris præventionis unus alterum gravat, in tantum utriusque jus in equum diminuitur.

Dices: Jus præveniendi appellat solum super actum secundum, & super actuale exercitium dominii, quod per ejusmodi præventionis beneficium impeditur: ergo non obstante jure præventionis, in nostro casu Franciscus & Antonius haberent dominium in solidum in actu primo respectu ejusdem equi, C. patet ex dictis. R. N. a. Jus præveniendi non solum actum secundum dominii, verum & actum primum, ac ipsum jus dominii limitat, & restringit; nam dum Antonius habet jus præveniendi, & vi hujus juris potestatem nomine, & authoritate propria disponendi de equo, adimitur Francisco jus eodem tempore, quo prævenitur, disponendi de illo equo: adeoque non habet jus plenum disponendi, quia non potest, & quidem ex defectu juris, omni tempore disponere de equo.

Instabis: Etsi Pupillus sine consensu Tutoris non possit valide disponere de bonis suis, tamen est verus, & plenus Dominus suorum bonorum in actu primo: ergo, etsi Franciscus & Antonius quandoque per jus præventionis impediantur, ne disponant de equo, tamen sunt veri & pleni Domini ejusdem. R. N. c. & & parit. Lex prohibens, aut annullans dispositionem Pupilli, sine authoritate Tutoris factam, aut faciendam, nullum jus ponit in aliquo alio, vi cujus hic posset de rebus Pupilli nomine proprio disponere, adeoque jus & dominium Pupilli substantialiter, & intrinsece in actu primo omnino intactum, & illæsum relinquit, solumque actum ejus secundum, & actualem dispositionem prohibet, ac irritat. Longe aliter contingit in casu objectionis, ubi Franciscus ab Antonio præventus, ideo prohibetur uti equo, quia Antonius ipse habet jus, nomine & authoritate propria pro eo tempore equum applicandi ad usum quemvis sibi placitum.

Objic. 4. Possunt duo, vel plures Judices habere potestatem jurisdictionis respectu alicujus certæ Communitatis, vel cer-

torum subditorum: ergo etiam jus proprietatis potest duobus in solidum competere respectu ejusdem rei. R. d. a. possunt duo, vel plures habere in solidum potestatem jurisdictionis diversi ordinis, unus vg. supremam, alter inferiorem, & subordinatam C. a. ejusdem ordinis & rationis, *subd.* ita tamen, ut inter hos Judices detur jus præventionis, & causam ab uno rite judicatam, alter de novo non possit judicare C. a. secus N. a. & c. Verum tali modo non habetur verum jus duorum in solidum, ut patet ex præcedentibus. Pro aliis objectionibus.

Nota: Juristas duplex distinguere dominium in solidum, unum vocant *privative* tale, vi cujus quis ita est Dominus rei alicujus, ut quoscumque alios ab usu ejusdem rei impedire possit. Alterum est *cumulative* competens duobus, vi cujus ambo habent jus plenum disponendi de re per beneficium præventionis, si scilicet unus alterum in dispositione præveniat. Primum dominium duorum in solidum negant esse possibile: alterum admittunt, quod & nos admittimus cum ipsis: hoc tamen Juristis negamus, quod ejusmodi dominium, cumulative duobus competens, sit ex parte utriusque Domini perfectum, & omnino plenum; est enim utrinque restrictum per ipsum jus præventionis, ut abunde ex dictis patet.

Objic. 5. Possunt plures esse debitores ejusdem rei in solidum: ergo etiam possunt plures esse Domini ejusdem rei in solidum. R. d. a. possunt esse debitores in solidum, ut quivis tantum teneatur solvere in defectum alterius, vel aliquam partem debiti C. a. secus N. a. Et sic possunt etiam esse plures Domini ejusdem rei, ita, ut quivis tantum possit disponere de parte rei, vel quando alter non disponit &c., sed tali modo non datur dominium duorum in solidum plenum, & perfectum.

Objic. 6. Si tres Personæ divinæ assumpsissent tres naturas humanas, tunc quælibet ex his naturis habuisset dominium respectu totius mundi, sicut defacto habet natura humana a Verbo assumpta: ergo tunc penes has tres naturas fuisset dominium in solidum. R, In tali casu dominium excellentiæ, & universale fuisset penes tres naturas assumptas indivisim, vel penes quamlibet ex iis inadæquate.

Assero

Assero 2. Neque datur dominium duorum in solidum instantaneum circa eamdem rem. Ita Communissima contra Cardinalem de Lugo, & R. P. Antonium Mayr. 222

P. 1. ex ratione jam allegata, quæ etiam hic procedit; si enim in instanti donationis tam donans, quam donatarius essent pleni & perfecti Domini respectu ejusdem equi, sequeretur manifesta contradictio, nempe donantem e. g. esse Dominum perfectum, & non esse Dominum perfectum: esset Dominus, ut dicunt AArii, & non esset Dominus perfectus, quia tantum de plenitudine dominii decederet donanti, in quantum donatarius etiam esset Dominus, ut constat ex dictis.

P. 2. In instanti donationis completivo solus donatarius habet dominium rei donatæ, non autem donans: ergo tunc non datur dominium duorum in solidum. A. p. pro illo instanti donans dominium suum destruit; nam illi renunciat, ac transfert illud in donatarium: ergo pro illo instanti donans non potest habere dominium. c. patet; nam implicat, ut Petrus vg. simul dominium destruat, & simul illud actu habeat: sicut implicat mori, ac vitam perdere, & simul actu eam possidere, & vivere.

Confirm. Implicat, ut Religiosus in instanti completivo Professionis, quo per votum paupertatis renunciat omnibus bonis suis, adhuc habeat dominium illorum bonorum: ergo etiam implicat, ut aliquis pro instanti completivo donationis, quo in donatarium dominium rei donatæ transfert, illud simul habeat. A. constat; nam illud instans completivum Professionis, est primum instans status Religiosi, quocum non potest stare dominium. C. tenet a pari; nam sicut donatio, ita illa renunciatio bonorum per votum solemne paupertatis, est libera dispositio de bonis suis, procedens ex potestate disponendi.

Prob. 3. evertendo rationem AAriorum. Jux a AArios donans ideo esset Dominus in instanti donationis, quia libere tunc disponeret de re donata, & dominium in donatione actu exerceret: hæc ratio nulla est: ergo. m. p. *tum*, quia etiam Religiosus in Professione libere disponit de suis bonis, illorum domini-

nium abjiciendo, & tamen non est Dominus: *tum*, quia ille, qui comburit librum suum, etiam in instanti completivo combustionis exercet dominium in librum, & de eo libere disponit, eum destruendo, & tamen in illo instanti completivo combustionis, & destructionis non est Dominus libri. Ratio est: quia in instanti completivo destructionis liber desinit, & non amplius existit: sed rerum non existentium non potest esse dominium. Afferunt Authores passim & alia exempla, ex quibus absurditatem sententiæ contrariæ ostendere conantur, quæ brevitatis gratia omittuntur.

223 Objic. 1. Donator in instanti donationis de re sua perfecte disponit, eam donando alteri: ergo in eodem instanti est Dominus rei C. patet; nam qui de re sua perfecte disponit, debet esse Dominus ejusdem. R. 1. Retorq. Argum. Dominus comburens librum suum, in instanti combustionis & destructionis illius de eodem libere disponit: ergo debet pro eodem instanti esse Dominus libri. R. 2. D. a. donator pro eo instanti perfecte disponit de re, quæ erat præsuppositive sua C. a. quæ etiamnum pro instanti donationis est sua N. a. Distinguo etiam rationem additam: qui de re sua perfecte disponit dispositione conservativa dominii, debet pro illo instanti dispositionis esse Dominus ejusdem Conc. qui disponit de ea dispositione destructiva dominii Neg.

Nota ex præcedentibus, acceptationem, translationem, ac retentionem dominii non esse actum ipsius dominii formalis, sed fundamentalis: seu potestas acceptandi, retinendi, & transferendi dominium est dominium radicale. Ratio est: illud non est dominium formale, quod etiam cum negatione, & carentia dominii formalis conjungi potest: atqui potestas acceptandi dominium datur in non habente dominium actuale, & ante hoc: iterum pro illo instanti, quo transfertur, & non retinetur dominium, hoc destruitur, & ejus carentia adest, & tamen simul ibi existit potestas transferendi, vel non retinendi; alias enim non valide transferretur. Et hoc dominium radicale respectu ejusdem rei in ordine ad diversam functionem, & actionem potest esse, quarum una alteram non impedit; sic enim unus potest

test habere facultatem donandi dominium, & alter acceptandi illud. Hoc tamen notandum est, quod dominium radicale ad hoc, ut sit expeditum ad acceptandam rem, præsupponat carentiam dominii formalis: & potestas expedita transferendi præsupponat existentiam dominii, sicut etiam potestas proxime expedita ad destruendum aliquid, præsupponit rem illam existere.

Objic. 2. Nemo dat, quod non habet: ergo Dominus in illo instanti, quo donat alteri librum, debet eum habere, & ejus esse Dominus. R. 1. Retorq. Argum. Nemo moritur, qui non vivit: nemo perdit pecuniam, quam non habet: ergo pro illo instanti, quo quis moritur, & privatur vita, habet vitam, & vivit, & pro illo instanti, quo quis perdit pecunias, & illis spoliatur, eas habet. R. 2. D. a. nemo dat. quod non habet, to *habet* accipiendo secundum *statum* pro tempore, vel instanti præsenti N. a. secundum distractionem, vel *ampliationem* pro instanti immediate præcedente C. a. Vel D. aliter: nemo dat, quod non habet extrinsece, ac præsuppositive pro instanti immediate præcedente C. a. quod non habet actu intrinsece, & pro tempore præsenti, quo dat N. a. to *habet* in prædicta propositione debet accipi cum ampliatione ad tempus immediate præteritum, uti fit in his propositionibus: *Justus peccat: cæcus videt.* Videantur Summulæ de ampliatione & statu, uti & Physica de inceptione & desitione rerum tam intrinseca, quam extrinseca.

Dices: Ex hoc sequeretur, quod Petrus, donans librum suum alteri, injuste agat: sequela est absurda: ergo M. prob. donat rem alienam; nam liber ille in instanti donationis non amplius est Petri, sed donatarii: atqui qui donat rem alienam alteri, injuste agit: ergo. m. claret; fur enim, rem furtivam donans alteri, ideo injuste agit, quia rem alienam donat. R. N. M. ad prob. D. M. donat rem alienam, quam ipse per suam donationem primum facit alienam C. M. quæ antecedenter jam erat aliena N. M. Ideo fur peccat donando rem alienam, quia immediate ante instans donationis nullum habuit dominium in rem alienam, adeoque eam donando non potest exercere aliquod dominium, illud destruendo: aliter se res habet in donan-

te rem, quæ erat immediate fua, & cujus domininm per donationem deftruit.

Objic. 3. Quando donatarius non acceptat rem donatam, manet dominium penes donantem: ergo faltem tunc in inftanti donationis non deftruitur dominium. R. D. c. non deftruitur in inftanti donationis necdum completæ C. c. completæ N. c. Pro illo inftanti donatio eft completa, pro quo illi refpondet acceptatio donatarii; & de tali completa donatione hic eft fermo.

Objic. 4. Actus non deftruit potentiam fuam, a qua elicitur: ergo neque donatio, quæ eft actus dominii, deftruit potentiam fuam, feu dominium, a quo exercetur. R. D. a. actus confervativus, & perfectivus C. a. actus deftructivus *fubd.* in phyficis Tr. a. in moralibus N. a. Dein R. univerfim negando fuppofitum, quod translatio dominii fit actus formalis dominii actu exiftentis, fed eft actus dominii radicalis.

Objic. 5. Caufa exiftit pro illo inftanti, pro quo ponit effectum: fed dominium eft caufa donationis: ergo debet exiftere pro inftanti donationis. R. D. m. dominium virtuale, & radicale eft caufa donationis C. m. dominium actuale *fubd.* immediate præhabitum. C. m. fecus N. m.

Nota etiam, donare tantum poffe illum, qui dominium rei donatæ adhuc habuiffet pro illo inftanti, quo donat. Unde folvis iftud argumentum: Ex noftra fententia fequeretur, quod ille, qui dominium tantum ad tria inftantia accepiffet, poffet illud transferre donando pro quarto inftanti. R. enim neg. affumptum. Ratio eft; quia nequit donare, qui, fi non donaffet, non habuiffet dominium talis rei pro illo inftanti, quo donat.

Objic. 6. Si Petrs vg. in extrema neceffitate conftitutus, furriperet, & comederet panem Pauli, nullam huic injuriam irrogaret, quia in fimili neceffitate æque haberet jus, & dominium in panem Pauli, ac ipfe Paulus: ergo tunc Petrus & Paulus funt Domini in folidum ejusdem rei. R. Tr. a. N. c. Si verum eft antecedens, tunc hujus panis, quem Petrus in extrema neceffitate occupat, dominus eft folus Petrus, utpote in

quem

quem transfertur dominium ejusdem per ipſum jus naturæ, vi cujus in extrema neceſſitate res etiam alienæ fiunt primo occupantis. De quo tamen plura alibi.

Objic. 7. Tota hæc difficultas poſſet expediri dicendo, quod donans, & donatarius habeant quidem dominium rei donatæ ſimul pro eodem inſtanti reali, non autem pro eodem ſigno naturæ; poſſet enim idem inſtans reale temporis in duo ſigna naturæ dividi, in quorum primo donans haberet dominium rei donatæ, illudque actu exerceret; in ſecundo vero ſigno illud non amplius haberet ipſe donans, ſed donatarius: ergo. R. N. a. nam donans pro ſigno naturæ, vel pro inſtanti illo, quo actu donat, non poteſt amplius eſſe Dominus rei donatæ. Ratio hujus eſt: quia donans in illo inſtanti, vel ſigno, quo donat, amittit, & deſtruit dominium rei donatæ: ergo illud pro tunc non amplius habet; ſi enim adhuc haberet dominium, tunc illud non amitteret, aut deſtrueret, ſed potius conſervaret. Itaque 2. antequam AAriis concedantur hæc duo ſigna naturæ in eodem inſtanti reali, probent illi prius, quod in eodem inſtanti reali donans, & donatarius ſimul habeant dominium ejusdem rei donatæ: item, quod donans in inſtanti reali donationis adhuc ſit Dominus rei donatæ. 3. Habere dominium, & non habere dominium, ſunt talia contradictoria, quæ ſimul pro eodem inſtanti reali non poſſunt eſſe vera; alias enim pro eodem inſtanti reali poſſet aliquod ſubjectum habere aliquam formam, & ſimul poſſet carere illa forma, vg. dominii: & ſic privatio formæ, & forma ſimul pro eodem inſtanti reali in eodem ſubjecto darentur: quod eſt contra principia philoſophica.

ARTICULUS II.

Qualium rerum dominium homo habeat?

§. I.

An Homo ſit Dominus vitæ?

ASSERO: Homo nec eſt Dominus vitæ ſuæ, nec alienæ. 224
Communis, ac certa omnium Catholicorum. Prob. 1. ex S. Scriptura, ubi humanæ vitæ dominium ſpecialiter tribui-

buitur Deo, ut Sap. 16. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* & Deuter. 23. dicit Dominus: *Ego occidam, & vivere faciam.* Accedit communis sensus omnium hominum recte sentientium, qui judicant, homini non competere dominium in vitam humanam.

Prob. 2. Si homo haberet dominium in vitam humanam, tunc illud accepisset a Deo, a quo omne jus debet provenire: sed non accepit a Deo: ergo. m. p. Non accepit a Deo tale jus per legem positivam Dei, cum nulla talis exstet: imo S. Scriptura, quæ est lex positiva Dei, satis indicat, vitæ nostræ dominium ad solum Deum spectare. Neque accepit per legem naturalem; si enim homo vi legis naturæ haberet dominium in suam, vel alienam vitam, tunc vi ejusdem legis haberet jus disponendi de vita sua, & aliena, ac se, & alios homines occidendi pro libitu: atqui vi legis naturalis debet potius aliquis abstinere ab occisione sui, & se, ac vitam suam conservare; instinctus enim naturæ vel maxime hominem inclinat, & impellit ad vitæ suæ conservationem: prout & lumen naturæ prohibet, ne quis usurpet jus pro libitu suo alterum in vita violandi: ergo.

Ex his habes, quod homo sit tantum custos, & usufructuarius vitæ suæ, ac ea tantum uti, & frui valeat salva ejus substantia.

225 Objic. 1. Eccli. 15. habetur, quod Deus ab initio constituerit hominem, & reliquerit eum in manu consilii sui, posueritque ante eum vitam & mortem: ergo homo est Dominus vitæ suæ. R. hunc textum loqui de libertate hominis in ordine ad vitam æternam obtinendam, vel deperdendam: non autem loqui de dominio vitæ temporalis.

Objic. 2. Respublica potest occidere malefactores: ergo Respublica habet dominium in vitam malefactorum. R. D. a. potest occidere malefactores ex licentia, & permissione Dei, qui est Dominus vitæ & mortis C. a, ex jure proprietatis, & dominii in vitam malefactorum N. a.

Objic. 3. Potest unus homo habere dominium in alterum hominem: ergo etiam in vitam alterius hominis. A. constat in

casu, quo homo in servitutem redigitur, & fit mancipium; tale enim mancipium a suo Domino etiam vendi potest. R. D. a. potest unus homo habere dominium utile in alterum hominem C. a. dominium directum in ipsam substantiam, ac vitam alterius N. a. Dominus in mancipium habet dominium utile quoad operas serviles, & utilitatem temporalem: non autem habet dominium directum quoad vitam ejus; alias ejusmodi Dominus talem servum posset pro libitu occidere.

Objic. 4. Etsi Noë in Arca non potuerit occidere animalia, tamen fuit eorum Dominus: ergo etsi homo non possit seipsum occidere, tamen est vitæ suæ Dominus. R. D. a. Noë fuit Dominus, etsi non potuerit occidere animalia ob defectum juris N. a. ob adjectam prohibitionem divinam, vi cujus non potuit in actu secundo licite uti suo jure & dominio C. a. Homo autem non potest seipsum occidere ex defectu juris, ac dominii in vitam suam.

§. II.

An Homo possit seipsum occidere?

Nota: dupliciter posse aliquem influere in homicidium, sci- 226
licet *directe*, & *indirecte*. *Directe* aliquis influit in homicidium juxta nostrum Bosco *de Baptismo* disp. 2. Herincx, & P. Ildephonsum Tausch in suo moribundo fol. 68., quando mors hominis tanquam finis immediatus, vel tanquam medium ad finem obtinendum intenditur ex natura actionis illius, quæ ponitur: contra quando mors neque ut finis, neque ut medium intenditur ex natura actionis: esto cæteroquin tali actioni infallibiliter sit annexa, tunc occisio hominis non est *directa*, & per se, sed potius *indirecta*, & per accidens in æstimatione morali.

Res hæc clarior fiet exemplis. Sic directe seipsum occidit, qui bibit venenum, vel suo pectori infigit gladium, hunc in finem, ut miserias hujus vitæ evadat. Item directe occidit alterum, qui in eo ejusmodi actionem exercet, vg. eum transfodiendo, ut ab ejus persecutione liberetur. Ratio est, quia in his casibus mors tam sua, quam aliena ut medium ad aliquem finem obtinendum intenditur, & quidem ex natura actionis; cum

transfossio hominis, & potatio veneni actiones sint ex natura sua primario, & unice causativæ mortis.

Ast vero miles ad evertendam turrim hostilem, quæ victoriæ capessendæ plurimum obstat, submittit copiosum pulverem nitratum, eumque accendit, certus, se tam impetu ignis, quam ruina turris corruentis occisum iri: miles, inquam, iste se tantum indirecte occidit, & in sensu morali non tam sibi infert, quam ex justa causa solum permittit mortem suam. Ratio est: quia per immissionem, & accensionem pulveris pyrii directe, & unice, & quidem ex natura actionis hujus, intendebatur eversio turris, cui per accidens interitus militis conjungebatur, qui neque ut finis, neque ut medium intendebatur: non quidem ut finis; cum finis hujus actionis fuerit nocumentum hostibus inferendum, ac victoria promovenda: neque ut medium; nam eversio turris, non autem occisio militis erat medium ad nocendum hostibus &c. Idem est cum proportione dicendum de occisione hominis alterius: sic miles, qui fugit hostem insequentem, nec aliter potest evadere, nisi equi ungulis proteratur, & occidatur infans, in via jacens, non censetur infantem hunc directe occidere; quia actio hæc nec ex natura sua, nec ex intentione fugientis primario & unice dirigitur ad causandam mortem infantis, sed ordinatur potius ad fugam, & salvandam vitam fugientis. H. N.

227 Assero: Secluso mandato, aut instinctu divino non licet in ullo casu sibi ipsi violenta manu inferre mortem. Est certa omnium Catholicorum sententia contra Circumcelliones hæreticos.

Prob. 1. ex S. Scriptura, quæ per præceptum: *Non occides*, prohibet omnem occisionem rectæ rationi contrariam: sed nulla occisio est magis contraria rectæ rationi, quam sui ipsius; cum lumen naturæ ipsum inculcet obligationem maximam servandi vitam propriam: ergo,

P. 2. Homo non est Dominus vitæ suæ, sed Deus: ergo eam sine jussu, aut instinctu divino non potest destruere.

Prob.

Prob. 3. authoritate D. Augustini, qui l. 1. de Civitate Dei c. 20 sic ait: *Restat, ut de homine intelligamus, quod dictum est: Non occides: non alterum: ergo nec te; neque enim, qui se occidit, aliud, quam hominem occidit.* Id etiam docet alibi, ut eodem l. 1. de Civit. Dei c. 17. cujus verba referuntur c. 9. caus. 23. q. 5.

Ex quibus rejecta manet hæresis illorum ex Donatistis, qui Circumcelliones, vel Circumeuntes vocabantur, ac circuibant omnia loca, docentes, hominem seipsum interficientem, aut ab alio, quem rogaverat, interfectum esse Martyrem.

Objic. 1. Multi se ipsos occiderunt, & tamen non pec- 228
carunt: ergo potest aliquis licite seipsum occidere. R. D. a. Multi seipsos occiderunt, vel ex instinctu speciali Spiritus sancti, vel ex ignorantia invincibili, & tamen non peccarunt C. a. secus N. a. Aliqui equidem seipsos occiderunt sine peccato, sed id vel Spiritu S. inspirante, vel ex ignorantia invincibili factum est. Sic de S. Apollonia legitur in Breviario, quod se in ignem injecerit, *majori Spiritus S. flamma intus accensa.* De Samsone, qui eversione totius ædificii seipsum oppresserat, ait D. Augustinus l. 1. de Civit. c. 21: *Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat:* Unde D. Paulus ad Hebr. 11. inter Sanctos commemorat Samsonem. Idem etiam dici potest de Eleazaro, qui l. 2. Machab. 6. occidendo Elephantem, cui Regem insidere credebat, seipsum interemit. De Razia vero posset superesse dubium, de quo Scriptura 1. Machab. 14. dicit, quod seipsum petierit gladio, eligens potius nobiliter mori, quam subditum peccatorum fieri. Et revera D. Thomas 2. 2 q. 64. art. 5. ad 5. non videtur adeo laudabiliter loqui de facto hoc Raziæ: quare & dicit, mortem ipsius a Scriptura vocari *nobilem* ex mente Raziæ, in hoc puncto decepti, & errantis. Verum noster Nicolaus de Lyra, Victoria, & Bannez volunt, quod & hic ex Spiritus S. inspiratione egerit: vel saltem per ignorantiam invincibilem excusari potest.

Objic. 2. D. Hieronymus relatus Can. *Non est nostrum;* 23. q. 5. ait: *Non licet propria perire manu absque eo, ubi castitas periclitatur:* ergo saltem ad tuendam castitatem licet seipsum occide-

cidere. R. 1. Opponendo S. Hieronymo S. Augustinum, qui neque ob hanc, aut aliam causam admittit suicidium: Quare occisionem sui, propria manu a Virginibus aliquibus factam pro custodia pudicitiæ, idem S. Doctor l. 1. de Civit. Dei c. 26. excusat per specialem instinctum Spiritus sancti. Rdent aliqui 2. S. Hieronymum omnino sensisse, quod liceat pro custodia Virginitatis seipsum occidere: propterea eum cum reverentia dimittunt.

R. 3. melius explicando Canonem sub distinctione: Non licet propria perire manu, absque eo, ubi castitas præcise periclitatur, & nullus adest instinctus Spiritus sancti, neque ignorantia invincibilis N. a. si adest Spiritus S. instinctus, vel ignorantia invincibilis C. a. S. Doctor hunc casum, ubi castitas periclitatur, noluit comprehendere sub generali Regula, & præcepto de non occidendo se, quia noluit peccati arguere eas fæminas, quæ se tutandi pudoris gratia occiderunt, quæ poterant laudabiliter agere vel ob ignorantiam invincibilem, vel ob specialem inspirationem divinam. Rdent alii aliter: sed meo judicio multum torquent authoritatem Canonis in sensum, quem non videntur habere ex mente S. Hieronymi.

Objic. 3. *Debemus pro fratribus animas ponere*, Joan. 3.: ergo licet seipsum occidere pro salute proximi. R. D. a. debemus animas ponere &c. mortem nobis inferendo N. a. aliunde illatam patienter sustinendo C. a.

Objic. 4. Potest homo aliquando occidere alterum hominem, vg. Judex reum, & homo privatus injustum aggressorem vitæ suæ: ergo etiam potest aliquis seipsum occidere. R. N. c. & parit. Suicidium enim directe pugnat contra inclinationem naturæ: non sic occisio alterius, præsertim rei, vel injusti invasoris vitæ alienæ. 2. Nec ex S. Scriptura, nec ex praxi tribunalium, nec ex communi sensu hominum habetur, quod Suicidium in aliquo casu sit a Deo, tanquam Domino vitæ, permissum: aliud est de occisione alterius in certis circumstantiis.

Objic. 5. Licet aliquando sibi optare mortem ex justa causa: ergo etiam licet eam sibi inferre. R. D. a. licet optare sibi

mortem ſecuturam debito modo per cauſas naturales, aut alia ratione licita C. a. licet optare mortem ſecuturam modo indebito, aut a ſeipſo inferendam N. a. &c.

Colliges 1. quod neque reus ex juſſu judicis poſſit in ſe 229
ſententiam mortis exequi, ſeipſum transfigendo gladio, vel venenum ebibendo. Ita Lugo, Herincx, Mezger, Antonius Mayr: & teſte Herincx eſt communiſſima omnium DD. ſententia contra noſtrum Poncium, & Haunoldum. Ratio eſt: quia judex non poteſt juſte imperare ejusmodi occiſionem ſui ipſius, a reo exequendam: ergo neque reus poteſt ſeipſum occidere ex juſſu judicis. C. eſt clara; ſi enim reus poſſet ſeipſum occidere, tunc juxta AArios ideo, quia ſic ſe occidendo juſtam judicis ſententiam exequeretur. A. igitur prob. Judex non habet dominium in vitam, ſed habet tantum jurisdictionem occidendi reos ex commiſſione divina eatenus, quatenus hoc neceſſarium eſt ad bonum commune: ſed ad bonum commune non eſt neceſſarium, ut reus ſeipſum occidat, ſed ſufficit, ſi occidatur per alium: ergo.

P. 2. Non poteſt homo etiam ex juſſu judicis ſe occidere, niſi Deus, ceu Dominus vitæ, id permiſerit: atqui nec ex S. Scriptura, nec aliunde habetur. quod Deus permiſerit, ut reus ſeipſum occidat: ergo.

P. 3. Suicidium directe pugnat contra naturam, ac contra praxin omnium tribunalium Chriſtianorum, an omnium Gentium morigerarum: ergo non videtur a Deo conceſſum.

Confirm. Homo non eſt idoneus miniſter ad exequendam ſententiam mortis in Patre ſuo ob repugnantiam naturæ: ergo minus eſt idoneus miniſter ad exequendam ſententiam talem in ſeipſo ob eamdem, vel adhuc majorem rationem.

Ad objectiones in contrarium dico, poſſe quidem reum ſæpe in ſe exequi aliquas ſententias judicis, vg. ſententiam exilii exeundo e patria, quia illas exequendo non lædit dominium Dei. Aliud eſt in præſenti caſu.

230 Colliges 2. Neque Virginem ob tutandam castitatem, neque reum ad evitandum ultimum supplicium, neque innocentem ad evitanda gravissima tormenta, & mortem etiam maxime infamem ac crudelem, posse seipsos occidere. Ratio est, quia nullo in casu a Deo est permissum, seipsum interimere.

231 Colliges 3. Neque hominem reum juste damnatum, ut fame pereat, posse respuere cibos clanculum oblatos, præsertim si hi constanter afferantur, ita, ut pœnam mortis penitus, vel saltem per longum tempus evitare possit. Ita Lugo, & Herincx, citans pro se plures alios, & inter hos etiam D. Thomam, contra Lessium, Henricum, & Sotum. Ratio est 1., quia ejusmodi homo respuendo constanter cibos seipsum occideret, etenim aliquis seipsum non solum interficit, dum sibi manum violentam injicit, vg. transfigendo se gladio, sed etiam dum mediis communibus, & quotidianis non utitur ad conservandam vitam. Hinc ille, qui pertinaciter nollet aliquid comedere, ubi posset, apud omnes diceretur seipsum enecare, & peccare. 2. Si talis non peccaret non comedendo, tunc ideo, quia se conformaret justæ sententiæ judicis, quæ vult ipsum non comedere, sed hæc ratio nulla est: ergo M. est AAriorum m. p.; nam sententia judicis tali nec imperat, nec imperare potest, ut non comedat, si aliquid habeat ad comedendum, sed præcipit tantum, ne alii ei aliquid ad manducandum afferant: ergo.

Colliges 4. Non solum reum juste capitis damnatum, verum & innocentem, qui a Tyranno ad supplicium trahitur, posse cervicem inflectere, patibulum ascendere, accommodare jugulum, ponere se super strue lignorum, in qua comburatur, vel posse aperire os, ut a carnifice venenum infundatur &c. Ratio est, quia in his omnibus se non occidit, sed solum permittit, ut ab alio occidatur. Ita Lugo, Herincx.

§. III.

An liceat aliqua facere, vel omittere, ex quibus certo, vel probabiliter mors propria indirecte est secutura?

232 Assero, & R. affirmative, si justa, & gravis causa adsit. Reiffenstuel, Herincx, ac ipse Scotus 4. D. 14. q. 3. §. *de secundo*, cum

cum communi aliorum. Prob. Per præceptum: *Non occides*, non est nobis mandatum, ut omni modo vitam nostram servemus, nec eam unquam periculo mortis exponamus, sed solum est præceptum, ut non ex directa intentione vitam nostram veluti exosam nobis auferamus, & ne sine justa, & sufficiente causa eam periculo exponamus; si enim sine sufficiente causa nos exponeremus periculo mortis, tunc in æstimatione morali censeremur nobis directe inferre mortem.

Rationem hanc exemplis communiter receptis declarant, & roborant DD. Sic 1. miles potest, imo tenetur pugnare, & stationem suam militarem in communi periculo non deserere, etsi certo prævideat se occidendum. 2. Reus mortis, etsi sciat se certo occidendum, potest manere in carcere, etiam aperto, & non fugere: imo potest zelo justitiæ, ut sua peccata ad aliorum exemplum vindicentur, se judici tradere, prout quidam ex homicida factus Monachus in Prato spirituali fecisse legitur; quia ob justam causam potest aliquis mortem procurare, legitimo modo sibi inferendam per alium. Herincx, Lessius, Navarrus. 3. Potes inservire peste infectis, etsi putes te inficiendum: imo si sis Parochus talium hominum, debes ipsis Sacramenta necessaria ministrare cum periculo vitæ tuæ. 4. Grassante incendio, si non suppetat alia ratio tam horrendæ mortis evadendæ, potes te e sublimi per fenestram demittere cum certo mortis discrimine; non enim in hoc casu intenditur ipsa occisio per præcipitationem, sed tantum fuga tormenti illius, quod quis sustinere deberet, si esset vivus comburendus: mors autem desilientis, si sequatur, habet se per accidens, & concomitanter: imo & animalia instinctu naturæ se taliter salvare nituntur, ne viva comburantur. Non tamen potest aliquis ad evitandum vivicomburium se gladio confodere; quia hæc esset directa occisio sui ipsius: qualis semper est, dum mors intenditur tanquam finis, aut medium, saltem ex natura actionis, prout hic contingeret; mors enim esset medium necessarium ad evadendum vivicomburium. Aliud est in eo, qui se præcipitat; nam etsi ex præcipitatione mors non sequatur (uti interdum fit) tamen adhuc evaditur incendium. Herincx p. 3. Tr. 2. D. 6. n. 11.

5. Poteſt, & debet aliquis confiteri fidem cum periculo vitæ, ubi confeſſionis hujus eſt neceſſitas: imo etſi non ſit neceſſitas, dummodo martyrium cedat in defenſionem fidei, & honorem Chriſti, poteſt aliquis ſe illi ſuſtinendo offerre: indiſcrete vero ſine grandi utilitate ſeſe offerre martyrio, peccatum eſt mortale.

6. Licitum eſt deſiderio majoris perfectionis, & pro ſalute animæ ingredi monaſterium, vel Religionem, quamvis cum probabili, aut quaſi certo periculo brevioris vitæ. Nec obligatur Novitius egredi e Religione, vel Religioſus quærere, aut petere diſpenſationem a communi diſciplina, & rigore Ordinis, vg. a nocturnis matutinis, etiamſi exinde morbi, vel mortis periculum immineat. P. Mezger. Videatur etiam Reiffenſtuel p. 1. T. 9. D. 3. n. 14. Ratio hujus eſt: quia hoc non eſt, mortem ſibi poſitive afferre, quod directe nunquam licet: ſed tantum eſt, non adhibere omnia media ad impediendam mortem, & eam permittere ſequi ex curſu naturæ: quod ob bonum virtutis ſæpenumero licet. ut patet in illo, qui inſervit peſte infectis: ſic etiam D. Caſimirus laudatur ab Eccleſia, quod maluerit ſervare propoſitum Virginitatis, quam pro ſalvanda vita juxta conſilium Medicorum uxorem ducere.

7. Per mortificationes moderatas aliquis non peccat, etſi ſubeat periculum aliquod non notabile abbreviationis vitæ. Idem eſt de illo, qui voluntario cibi & potus exceſſu non notabiliter vitam abbreviat. Ratio hujus eſt, quia alias innumeræ actiones tam Sæcularium, quam Regularium forent peccati gravis damnandæ, quod tamen non adeo facile fieri debet. Aliud eſt, ſi quis per mortificationes ſuas (quæ certe in hoc caſu eſſent indiſcretæ) notabilem vitæ abbreviationem cauſaret, vel ſaltem periculo ſe ejusmodi abbreviationis exponeret. Idem a fortiori eſt, qui id faceret per exceſſum in cibo & potu, ut obſervant Lugo, Herincx, & alii.

8. Nec tenemur vitam noſtram ſervare, niſi per media ordinaria, & communia. Quare non tenemur bibere vinum, nec ad locum alium etiam propinquum migrare ad quærendum ſalubriorem aërem: neque tenemur adhibere medicinas nimis pretio-

tiosas, etsi his non applicatis vita forte ad decennium esset abbrevianda: sic neque Carthusianus in morbis etiam periculosissimis tenetur comedere carnes: neque tenemur admittere abscissionem membri necessariam ad vitam conservandam, si hæc abscissio sine extraordinario dolore, aut horrore fieri nequit: aliud esset, si illa sine gravi difficultate peragi valeret.

Tandem omissis aliis, quæ apud Casistas inveniuntur, nota in præsenti materia, non posse semper haberi rationem aliquam a priori: hinc sæpe standum est judicio communi a natura insito. Et ex hoc communi sensu apparet, Authorem naturæ non exigere in multis casibus curam conservandæ vitæ, & permittere, ut ea plurimis periculis ex justa causa exponatur. Accedit: si vita non sæpius ex justa causa posset non servari, vel discrimini objici, tunc essemus continuis scrupulis, & anxietatibus obnoxii, ne hic & nunc iterum noceremus vitæ nostræ, eam aliqualiter abbreviando, vel non omni modo possibili servando. Insuper, si nihil simile liceret, pessime consultum foret Reipublicæ humanæ, cum omittendæ essent plurimæ actiones bono communi utiles, aut omnino necessariæ, ne per eas læderetur sanitas, ac vita in discrimen abbreviationis adduceretur. Quare non potest rationabiliter cogitari, Deum, ceu Dominum vitæ, in hac parte esse invitum, cum licentia ejusmodi actionum plus boni afferat, quam mali, considerando etiam vitas hominum: vg. licentia curandi ægros utique conducit ad plurimorum vitam conservandam, esto, cum aliquo periculo vitæ paucorum Medicorum, qui subinde, licet raro, inficiuntur.

§. IV.

An Homo sit Dominus membrorum suorum?

Assero 1. Homo non est Dominus, sed custos, & fructuarius suorum membrorum. Communis DD. P. *tum* ex communi sensu hominum: *tum*, quia homo non accepit a Deo dominium in membra; nam de vita & membris quoad dominium est par ratio. Ex quo 233

Deduces 1. Quod per se loquendo, & extra casum necessitatis illicita sit mutilatio sui, sive per se, sive per alium adhibenda. Ratio est: quia nemo licite disponit de re illa, cujus non est Dominus: atqui homo non est Dominus membrorum suorum: ergo non disponit de illis licite, eadem abscindendo a corpore. Idemque reductive est prohibitum per præceptum: *Non occides.*

Deduces 2. Non esse licitam castrationem hominis, seu ob suavitatem vocis, seu ob castitatem servandam id fiat: cujus ratio est partim jam data, partim patet ex Canonibus 22. & 23. Apostolorum, ubi se castrantes dicuntur sui homicidæ, scilicet partiales. Similiter Can. 1. Concilii Nicæni prohibetur, ne tales se castrantes ad Clerum admittantur.

Neque dicas: ejusmodi mutilationem posse fieri ex sanctissimo fine, scilicet ob carnis illecebras facilius vincendas. Contra est 1. Pernicies hominis spiritualis non tam a membris humanis oritur, quam a malitia, & negligentia voluntatis: ergo ad vincendas tentationes carnis potius amputanda est malitia, & negligentia voluntatis, quam membra humana. 2. Sanctiora suppetunt remedia, quibus castitatem servare possumus, dummodo velimus. 3. Neque castratio est remedium conveniens ad vincendas carnis tentationes, sed solum impedit generationem. Imo illi, qui castrantur, præsertim in virili ætate, magis agitantur libidine, ut Herincx noster ostendit ex S. Chrysostomo Hom. 63. in Matth. & Basilio l. *de Virginitate* circa finem, ubi id probat rationibus, & exemplis. Quod & ipsum satis aperte indicat Scriptura Eccli, 20. & 30., & hujus mentis etiam est D. Augustinus l. 6. contra Julianum c. 14. Quare passim improbatur factum Origenis, qui teste S. Hieronymo *zelo Dei, sed non secundum scientiam ferro truncavit genitalia.*

234 Objic. 1. Christus Matth. 18. ait: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te:* ergo licet amputare manus & pedes ob tollendum scandalum. R. hunc textum loqui de abscissione quadam morali, seu de fuga occasionum peccati, non vero mutilatione corporali membrorum.

Objic.

Objic. 2. D. Marcus dicitur sibi pollicem præscidisse ex humilitate, ne deberet fieri Sacerdos: ergo ob virtutem licet sibi membrum amputare. R. Marcus hic (qui non est Evangelista, sed Anachoreta quidam) nisi ex inspiratione divina, vel ex ignorantia invincibili id fecerit, non potest a peccato excusari. Ex hujusmodi instinctu superno censetur egisse adolescens ille, qui linguam sibi mordicus præscidit, & præcisam exspuit in faciem impudentem meretricis, ut se ab impuro ejus amplexu defenderet, cum aliter se tueri non posset: de quo D. Hieronymus in vita S. Pauli in principio ejusdem. Imo, ut recte judicat Lessius, in simili extrema necessitate, in qua alia se tuendi via non superest, etiam sine instinctu speciali aliquem posse linguam cruentare, aut parvulam ejus particulam resecare: uti & miles in extrema necessitate, ubi plumbum non amplius esset ad manum, posset sibi dentes excutere, iisque loco plumbeæ glandis uti: quod aliquando a Lusitanis factum esse, Historiæ Indicæ referunt. Ita Lessius.

Assero 2. Non obstante priore conclusione potest aliquis 235
seu per alium, seu per se abscindere aliquod membrum suum, quando hujus abscissio necessaria est ad conservandam vitam totius hominis. Communis. Prob. Pars, & membrum est propter totum: ergo ob conservationem totius hominis potest membrum ejus abscindi, & destrui ab illo, qui habet authoritatem id faciendi. *Subs.* atqui quilibet respectu suorum membrorum habet hanc authoritatem; cum quilibet sit eorum Custos, & Administrator: adeoque potest de illis disponere, prout expedit, & necessarium est ad salutem totius hominis.

Objic. 1. Homo non potest se ipsum occidere: ergo neque potest seipsum mutilare. R. N. c. & parit. Ideo potest membrum tolli in homine. quia ejus mutilatio potest esse necessaria ad salvandum aliquid præstantius in homine, quam est membrum, videlicet ad servandam vitam, quæ, non abscisso membro, perire deberet: ast occisio sui non potest esse medium ad salvandum aliquid præstantius in homine, quam esset ipsa vita. 2. Membrum est propter vitam totius: ergo recta ratio dictat, ut aliquando possit tolli membrum ad salvandam vitam: id non

procedit de ipsa vita. 3. Inclinatio naturalis non ita pugnat contra mutilationem, sicut contra occisionem sui.

Objic. 2. Non sumus Domini membrorum: ergo de iis non possumus disponere. R. D. c. ad arbitrium nostrum C. c. ex concessione Domini, quam ratio dictat adesse tunc, dum ejusmodi dispositio, & mutilatio est necessaria ad avertendum gravissimum malum, & majus bonum, nempe vitam conservandam N. c.

Dixi in hac assertione: *potest* abscindere, non autem *debet*, si id sine ingenti, & acerbissimo dolore fieri non posset; nam obligamur ad vitæ nostræ conservationem tantum adhibere media ordinaria, & non admodum difficilia, non autem extraordinaria, & nimium cruciativa, ubi locum habet illud Marii, qui, cum ei crus aperiretur, dixit: *Non est tanto dolore digna salus.* Id, quod jam §. præcedente est insinuatum. Excipitur tamen casus, quando vita alicujus hominis esset bono communi necessaria; tunc enim ob bonum commune tenetur ejusmodi mutilationem, quamvis peracerbam, admittere.

236 Assero 3. Potest etiam aliquis seipsum mutilare, quando tyrannus id imperaret sub interminatione mortis certæ, vg. ita ferendo sententiam: nisi hic sibi ipsi amputet manum, capite plectatur. Herincx, Lessius, & alii passim contra Sotum. Et hæc assertio habet locum, etsi sententia sit injusta. P. iterum sicut prius; quia & hic destructio membri est necessaria ad salvandam vitam totius hominis.

Objic. 1. Necessitas ista provenit ab extrinseco, nempe a voluntate, & malitia tyranni, & non ab ipsis membris: ergo propterea membra non debent destrui. R. Etsi ista necessitas causaliter proveniat a malitia tyranni, & is propterea peccet, moraliter tamen est in ipso homine, & in membris ejus, quæ propter malitiam alterius fiunt esse moraliter noxia homini. Unde tali necessitate pressus non peccat, dum medio mutilationis utitur, & resecat membra illa, ob quæ servata vitam deberet perdere. In forma D. a. non provenit a membris causaliter, & physice C. a. moraliter N. a.

Objic-

Objic. 2. Ergo etiam, dum tyrannus, totam alias civitatem eversurus, petit a civibus occidi aliquem innocentem, possent hunc illi occidere; quia membrum, & civis posset se exponere pro toto, seu pro civitate, sicut membrum corporis ad imperium tyranni potest exponi pro toto corpore. R. N. illat. & parit. Respublica non habet tantam authoritatem in suos cives, sicut homo in membra, vitæ suæ non necessaria; nam civis quilibet est suppositum aliquod per se subsistens, & sui juris, non habens essentialem dependentiam a Republica: contra membra illa essentialiter, & necessario dependent a corpore reliquo, a quo etiam vitam participant.

Hæc nostra conclusio a fortiori haberet locum ad mandatum Judicis, qui alias justa morte puniret reum, nisi hic sibi ipsi præscinderet manum: quamvis, ut notat Herincx ex Maldero, Judex id non possit reo, etiam mortem promerito, legitime præcipere, qui proinde non obligaretur præcipienti obedire, neque tam duro remedio, quale est abscissio membri proprii, vitam redimere, quamvis, ut assertio dicit, posset obedire, si libere vellet.

Nihilominus hucusque dicta merito limitant Lessius, & Herincx in casu, quo abscissio membri proprii imperaretur in contemptum Fidei, aut Religionis: vg. si ideo tyrannus infidelis præciperet, ut tibi ipsi amputares manum, quia absolvisti pœnitentem, baptizasti infantem, aut alium neo-conversum, quia celebrasti Sacrum; tunc enim præscindendo tibi manum ad imperium tyranni, videreris punire, & improbare factum tuum, veluti pœna dignum, quod redundaret in injuriam Religionis, & fidei.

§. V.

An homo sit Dominus famæ, honoris, libertatis, actionum suarum liberarum &c.?

Certum est 1. Quod homo sit Dominus suarum actionum liberarum; quia de iis ad libitum potest disponere, illas vel eliciendo, vel omittendo. 237

 Cer-

Certum eſt 2. Sub dominio hominis poſſe eſſe bona ſpiritualia externa, qualia ſunt jurisdictio ſpiritualis, Epiſcopatus, Prælatura, Jura beneficiorum; nam & de his, quamvis non ad omnem uſum, diſponere poteſt.

Certum eſt 3. Etiam bona ſpiritualia interna, ut gratiam ſanctificantem, habitus, ac operationes liberas pertinentes ad ordinem ſupernaturalem, poſſe cadere ſub dominium humanum. Ratio eſt: quia hæc bona ſunt in poteſtate noſtra, ut ea pro libitu poſſimus habere, vel deperdere, & ea etiam noſtra induſtria aliquando diſpoſitive, aliquando meritorie comparamus. Gratiæ tamen gratis datæ non ſubſunt hominis dominio; quia eas homo non comparat induſtria propria, nec de iis pro libitu diſponere poteſt.

Certum eſt 4. Bona fortunæ eſſe objectum dominii humani: imo etiam homo unus poteſt eſſe ſub dominio alterius, talis proinde Dominus ſuum ſervum, vel mancipium, in quod habet dominium, etiam vendere poteſt. Res hæc clara eſt de jure civili, & gentium: remanet ſolum quæſtio, an homo etiam ſit Dominus famæ, & honoris proprii? ad quod

238 Aſſero: Homo eſt Dominus famæ, & honoris proprii. Communis contra Cajetanum. Prob. 1. Fama, & honor acquiruntur ex actionibus noſtris liberis. quarum habemus dominium: ergo etiam ſumus Domini noſtræ famæ, & noſtri honoris.

Confirm. ad eumdem Dominum ſpectat fructus, ad quem ſpectat dominium rei illius, quæ fructificat: ſed dominium actionum noſtrarum, quæ fructificant famam & honorem, ſpectat ad nos: ergo etiam dominium ipſius famæ, & honoris.

Prob. 2. Niſi homo eſſet Dominus ſuæ famæ, non poſſet ejus reſtitutionem condonare detractori: ſed poteſt condonare: ergo eſt Dominus ſuæ famæ. M. patet; Dominus enim ſolus, non autem alius, qui non habet dominium, poteſt condonare reſtitutionem rei ſibi ablatæ, & ad ſe ſpectantis.

Prob. 3. In multis caſibus poſſumus licite nos infamare ob honeſtum aliquem finem: ſed hoc non liceret, ſi famæ noſtræ Do-

Domini non essemus: ergo m. constat; nam ex nullo, etiam honesto fine possumus nos ipsos occidere, quia vitæ Dominium non habemus. M. prob. 1. Possumus aliquid revelare ad nostram infamiam, si id requiratur ad petendum consilium: 2. ad nostri humiliationem, ac vitandum peccatum superbiæ: 3. si alicui detraximus, tenemur restituere famam etiam cum nostra infamia.

Objic. 1. Fama & vita pari passu ambulant: sed homo non est Dominus vitæ: ergo nec est Dominus famæ. R. D. M. fama & vita pari passu ambulant quoad aliqua Tr. M. quoad omnia N. M. Quamvis fama, & vita quandoque, præsertim apud nobiles, *quoad æstimabilitatem* sint pares: discrimen tamen inter utramque est, quod fama, non autem vita sit in dominio hominis, quia sunt rationes diversæ pro vita, quæ non pugnant pro fama. 239

Objic. 2. Homo se diffamans sine justa causa, peccat: ergo non habet dominium suæ famæ. R. 1. Retorq. Argum. Homo sine causa prodigens pecunias proprias, peccat: ergo talis homo non est Dominus pecuniarum propriarum. R. 2. N. c. Ratio negandi patet ex retorsione: quia homo etiam potest peccare, dum rem, cujus habet dominium, sine justa causa prodigit, aut dissipat.

Objic. 3. D. Augustinus L. *de bono viduitatis.* c. 22. dicit: *Conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximis, ac proinde crudelem esse, qui famam negligit*: ergo se infamans peccat contra justitiam. Ante Rnem.

Nota, famam proximo posse tripliciter esse necessariam. 1. Quando ex nostra fama dependet fama alterius: sic ex fama Religiosorum in particulari dependet fama totius Religionis: proinde ex infamia Religiosi nascitur infamia Ordinis. 2. Quando fama nostra est necessaria, ut præstemus proximo officium, ei stricto jure debitum: ita fama bona est necessaria Episcopis, Parochis &c., ut bene regant sibi commissos subditos. Atque in his duobus casibus ex multorum opinione contra justitiam peccat, qui se infamat, non quidem ideo, quia seipsum fama privat: sed quia ex concomitanti proximo nocet, vel ipsum infamando, vel se reddendo ineptum ad præstandum illi debitum

ex

ex justitia officium. 3. Quando per infamationem nostram tantum sumus impedimento, ne illud impendere possimus proximo, ad quod solum ex charitate, non ex justitia tenemur. In hoc ultimo casu solum contra charitatem peccat, qui se infamat, quemadmodum & ille tantum contra charitatem delinquit, qui pecuniam, qua pauperibus succurrere poterat, inutiliter dilapidat. H. N. in forma.

R. D. c. ergo, qui se infamat, peccat contra justitiam, propterea præcise, quia se infamat N. c. quia simul concomitanter proximo nocet in bonis famæ, vel fortunæ T. c. Si autem homo non esset Dominus famæ suæ, deberet ideo contra justitiam peccare, quia se infamaret, & se propria fama privaret.

Objic. 4. Etiam Respublica est domina famæ subditorum: ergo illa posset infamare subditum innocentem. R. N. c. Respublica non est magis domina famæ, quam bonorum aliorum, quæ spectant ad homines privatos, scilicet est domina dominio jurisdictionis. Quare sicut non potest civem spoliare aliquo bono, nisi exigat necessitas communis, ita nec privare aliquem fama, nisi id petat bonum commune: sed bonum commune non potest exigere ablationem famæ, quæ fieret innocenti, & quæ consequenter deberet fieri per mendacium, aut falsum crimen impositum: ergo.

Objic. 5. Ex eo, quod homo possit remittere restitutionem membri abscissi, non sequitur, quod homo sit Dominus suorum membrorum: ergo ex eo, quod homo possit condonare restitutionem famæ propriæ, non sequitur, quod sit Dominus famæ propriæ. R. N. suppposit. Ant. quod homo possit remittere restitutionem membri abscissi. Imo membrum abscissum non potest amplius restitui, ut per se liquet, si autem ejusdem resti utio foret possibilis, tunc ab homine condonari non posset: ast contra, etsi restitutio famæ sit possibilis, tamen ab illo, cui detractio est facta, potest condonari.

Ex quo habes, illam restitutionem, quæ quandoque ratione membri abscissi fieri debet, non fieri pro membro ipso, sed pro damnis, quæ in bonis fortunæ concomitanter ex abscissione membri sequuntur, ut dum mutilatus ob defectum membri suo officio non amplius fungi potest.

ARTI-

ARTICULUS III.

An, & quale dominium habeant Clerici sæculares?

Articulus hic ob præstantiam, & utilitatem suam in 6. §§ vos secabitur, Quare sit.

§. I.

Præmittuntur aliqua quæsita.

QUÆRES 1. Quotuplicis generis sint bona, quæ ad Clericos aliquo modo spectare possunt? R. Esse quadruplicis præcipue generis; nam 1. alia sunt *patrimonialia*, seu illa, quæ Clericis obveniunt titulo mere sæculari, & independenter a beneficio, aut ministerio Ecclesiastico. Talia sunt, quæ Clericus acquirit ex hæreditate, legato, donatione, arte, & labore profano: ut si Clericus sit Musicus, Pictor &c. 2. alia sunt *quasi patrimonialia*, vel *industrialia*, quæ Clericis obveniunt tanquam merces, vel stipendium ob laborem, & functionem sacram, seu ob aliquod Ministerium Ecclesiasticum: cujusmodi functiones sunt, celebrare Missas, administrare Sacramenta Baptismi, extremæ Unctionis, assistere matrimonio, habere Conciones, canere in Ecclesia, peragere funeralia &c. 240

Ad hanc classem proinde pertinent 1. *Redditus Stolæ*, ut vocari solent. 2. etiam huc reducuntur *distributiones quotidianæ*, seu *præsentiæ*, quæ Canonicis præsentibus in choro, non autem absentibus, dari solent ob singulas præsentias, ut foveatur studium, & assistentia chori. 3. Huc quoque revocantur bona *parsimonialia*. quæ Clerici frugalius, & parcius vivendo comparant ex proventibus beneficialibus, in congruam sustentationem sibi concessis. De redditibus Stolæ & distributionibus aliqui scrupuli moventur a nonnullis, qui tamen inferius facile abigentur.

3. Alia sunt bona *beneficialia* : & sunt redditus, seu proventus annui, quos Clerici ratione alicujus beneficii Ecclesiastici, in titulum collati, percipiunt: vg. quos habent ex Decanatu Cathedrali, Canonicatu, Episcopatu, Parochia &c. Ejusmodi bona sunt decimæ, vel annua stipendia in fixo consistentia. 4. aliqua sunt simpliciter *Ecclesiastica*, nempe bona mobilia, & immobilia deputata ad rem divinam peragendam, uti sunt paramenta Ecclesiæ, ac vasa sacra &c. Item, quæ ad fabricam, vel ornatum templi, aut alterius piæ causæ destinata sunt: itemque domus, agri, vineæ, jus decimandi, jurisdictiones, & similia, ex quibus redditus etiam pro beneficiatis colliguntur: quæ tamen non tam bona Clericorum, quam Ecclesiarum sunt: germanice dicitur: *Sie gehören dem Heiligen zu.*

241 Quæres 2. An Clerici Sæculares, seu non Religiosi habeant dominium bonorum suorum Patrimonialium, & quasi patrimonialium? R. 1. Clerici Sæculares sunt veri Domini bonorum patrimonialium, & de illis possunt disponere ut Laici, etiam ad causas profanas. Herincx, Lessius, Holzman, ac alii. Prob. Per assumptionem Clericatus Clerici neque fiunt incapaces dominii, neque se eodem abdicant, nec se obligant ad patrimonialia in pias causas expendenda: ergo. Constat idem aperte ex cap. *Quia nos. de testamentis*, & ex communi sensu, & praxi.

R. 2. Clerici habent etiam absolutum dominium bonorum quasi patrimonialium, adeoque ea quoque in causas profanas, sicut patrimonialia expendere possunt. Ita citati, ac communis DD. Prob. Hæc bona dantur Clericis per modum justi stipendii laborum: ergo absque intentione expressa, vel tacita restringendi dominium.

Confirm. 1. Clerici quoad stipendium laboris non sunt deterioris conditionis, quam Officiales Laici: ergo sicut dominium mercedis justæ, quæ solvitur Officialibus Laicis, nec solet, nec potest restringi, ita nec restringi debet dominium justæ mercedis, & stipendii, quod Clerico est solutum.

Confirm. 2. Pauper fit Dominus absolutus eleemosynæ, quam gratis, & precario accipit: ergo a fortiori Clericus fiet Do-

Dominus absolutus justi stipendii, & illud pro libitu in causas quoque profanas expendere poterit. Ex quo

Deduces 1. Clericum etiam fieri Dominum absolutum horum stipendiorum, etsi ea longe excedant operam: ut si alicui pro unico sacro celebrato dentur 10. aurei, ut resolvunt Lessius, & Schmalzgrueber. Ratio est 1., quia hæc stipendia libere a fidelibus, & sine restrictione dominii dantur. 2. Si pauper absolute, & sine restrictione fit Dominus eleemosynæ, liberaliter, & gratis donatæ, etsi ea sit magna: quidni Clericus fiat Dominus absolutus, & illimitatus stipendii libere collati pro aliquo onere. 242

Deduces 2. Redditus quoque stolæ, qui dantur Parocho ob functiones quasdam Parochiales, vg. ob benedictionem nuptiarum, collationem Baptismi &c, esse sub absoluto dominio Parochi; nam sunt bona quasi patrimonialia, ut sentiunt Reiffenstuel L. 3. Decretal. Tit. 25. n. 7. Holzman, Engel, Navarrus, König, Molina. Ratio est; quia & isti Redditus stolæ dantur Clericis quoque curatis, uti Parochis, non intuitu beneficii, sed præcise intuitu industriæ, & laboris spiritualis præstiti, absque ullo expresso vel tacito onere, erogandi superflua in pauperes, vel causas pias; *Dignus est enim operarius mercede sua.* Verum 243

Dices: Ejusmodi bona Parochus per actus parochiales, & quia Parochus est, acquirit, non acquisiturus, si Parochus non esset: ergo illa acquirit intuitu beneficii parochialis, & non intuitu laboris: per consequens sunt bona beneficialia, & non quasi patrimonialia, vel industrialia. R. N. c. Beneficium Parochiale est tantum conditio, vel occasio, non autem causa motiva dandi Parocho redditus stolæ; hi enim a fidelibus, nullo habito respectu ad Beneficium Parochiale, sed intuitu solius ministerii, & laboris spiritualis exhibiti solvuntur. Quare si eadem ministeria ab aliis Clericis, qui beneficium Parochiale non habent, præstarentur, etiam his simile stipendium Christiani largirentur. Igitur beneficium Parochiale est mera conditio, & occasio ad hoc necessaria, ut ejusmodi Clericus possit legitime ponere illum actum, cujus præcise intuitu merces est reddenda.

244 Deduces 3. Distributiones quoque quotidianas transire in perfectum dominium Canonicorum, qui eas possunt pro libitu in causas etiam profanas expendere. Holzman, Mezger, Schmalzgrueber, Pichler, Engl, & communior contra Reiffenstuel Tit. jam cit. & nonnullos alios ab ipso allegatos. Prob. Hujusmodi distributiones non conferuntur intuitu Canonicatus, sed ratione laboris, ac assistentiæ particularis in choro, ut sic foveatur studium frequentandi chorum. 2. Distributiones quotidianæ nec nomine fructuum beneficialium veniunt: ergo non conferuntur intuitu beneficii, neque sunt bona beneficialia, sed industrialia, & quasi patrimonialia. A. prob.; nam possunt Canonici ex dispensatione, vel privilegio absentes, gaudere fructibus Canonicatus & Beneficii, quin accipere valeant distributiones, per textum cap. un. *de Clericis non residentibus.* in 6. ergo distributiones quotidianæ nomine fructuum beneficialium non veniunt, ne naturam eorum sequuntur. Addit Schmalzgruber: licet in impetratione Beneficii secundi exprimendus sit valor fructuum beneficii prius jam obtenti, non tamen est exprimendus valor distributionum quotidianarum: ergo signum est, quod distributiones inter fructus, & bona beneficialia non numerentur.

Dices 1. Distributiones quotidianæ acquiruntur intuitu beneficii, & fructibus beneficialibus subrogantur: ergo. A. prob. juxta Tridentinum sess. 21. c. 3. de Reform. in Ecclesiis, in quibus non sunt fundatæ speciales distributiones quotidianæ, eæ sunt ex Præbendarum, & beneficiorum proventibus detrahendæ: ergo fructibus, & proventibus beneficialibus subrogantur. R. N. a. ad prob. N. c.; nam distributiones nullatenus subrogantur redditibus beneficialibus: imo dum ex fructibus beneficii extrahuntur, perdunt naturam redditTuum beneficialium, & induunt naturam diversam distributionum.

Dices 2. Fructus beneficii interdum in solis distributionibus consistunt, prout colligitur ex cap. ult. de V. S.: ergo fructus beneficii (qui etiam fructus *grossi* dicuntur) non habent aliam naturam quam distributiones. R. D. c. non habent aliam naturam tunc, quando ipsi fructus beneficiales, & grossi in distributionibus consistunt Tr. c. quando præter distributiones adsunt alii fructus grossi N. c. Interim ita distinxi, & trans-

transmisi primum membrum distinctionis, quia A. R. P. Kreslinger T. 7. D. 4. n. 22. Theol. Moral. P. Reiffenstuel in additione aliqua existimat satis probabiliter, quod saltem tunc inter bona mere beneficialia numerari debeant distributiones, quando, præter eas nulli alii fructus grossi adsunt; tunc enim vices reddituum beneficialium supplent, & consequenter eorum naturam imitantur.

Verum probabilius est, quod & in hoc casu distributiones inter bona quasi patrimonialia sint numeranda, prout videntur sentire omnes supra citati pro assertione, & expresse ita docent plures apud Lugo allegati, ut Glossa, Abbas, Geminianus, Innocentius, Filliucius, ac Bonacina, qui omnes inter bona quasi patrimonialia referunt distributiones, etsi in illis solis omnes fructus beneficii consistant: quibus nec Lugo dissentit, & ego lubens consentio; nam dato, quod nulli alii fructus grossi adsint, distributiones tamen primario dantur intuitu laboris, & assistentiæ hic & nunc exhibitæ, consequenter per modum justi stipendii. 2. Esto, quod Parochus nullos alios redditus habeat, quam illos, quos ex stola, & functionibus parochialibus percipit, talis probabilissime horum reddituum fit plenus, & absolutus Dominus: ergo idem est de Canonico, qui nullos fructus grossos præter distributiones quotidianas obtinet. Ex quo colligis, quod ex objectione 2da adducta possit absolute negari consequentia.

Quæres 3. An etiam tunc distributiones, & præsentiæ sint 245
reputandæ inter bona quasi patrimonialia, quando nulla est proportio inter laborem, & distributionem, seu remunerationem, ut si Canonico pro assistentia ad unum anniversarium solvantur 100. Imperiales. & Episcopo pro una Missa cantata 1000. aurei? R. affirmative. Ita P. Mezger, & sequitur ex dictis; etenim ejusmodi remunerationes æquiparantur distributionibus: adeoque & earum naturam, ac legem sequuntur. 2. Fundatores ejusmodi remunerationum censentur respectum habuisse ad specialem laborem, quem majori munificentia voluere remunerari. 3. Parochus pro exequiis, vel benedictione nuptiarum alicujus Magnatis accipiens 50. vel 100. Imperiales, ob excessum stipendii non obligatur superfluum in pauperes, vel pias causas expende-

re: ergo idem est de Canonico, vel Episcopo in proposito casu. A. constat ex dictis. Conf. tenet a pari.

246 Quæres 4. Quibus bonis annumerari debeant redditus Capellaniæ, vel aliorum beneficiorum simplicium, sub onere singulis septimanis certas Missas legendi, vel certis temporibus chorum frequentandi?

Nota: duplicem esse Capellaniam: *una* est amovibilis ad nutum, quæ proinde non confertur in titulum. Fructus talium Capellaniarum sunt mere industriales, ac conferuntur præcise ratione laboris, non autem intuitu Beneficii: hinc & Capellani ejusmodi redditus possunt erogare secundum libitum etiam in causas profanas. Ita sentit communis DD. *Alia* autem Capellania est collativa, & inamovibilis, estque verum Beneficium cum certo onere Missarum singulis septimanis, vel mensibus &c. celebrandarum: de hac loquendo

R. Redditus Cappellaniarum collativarum sunt vera bona beneficialia: quare de iis eadem sunt servanda, quæ de fructibus beneficialibus dicentur. Ita sentiunt Mezger, Holzmann & alii communiter contra Cajetanum, Haunoldum, Sotum, & Vasquez. P. Isti redditus acquiruntur intuitu veri Beneficii in titulum collati: ergo sunt veri fructus beneficiales, consequenter sequuntur naturam fructuum beneficialium. Neque onus celebrandi Missas, & labor annexus facit, quo minus ejusmodi redditus dentur, & acquirantur titulo beneficii; nam fructus quoque Parochiarum, & Canonicatuum non dantur Clericis otiosis, sed Ecclesiæ & Altari inservientibus, & tamen propter hoc non extrahuntur a ratione bonorum beneficialium, seu titulo Beneficii acquisitorum: ergo etsi Capellanus obligetur ad certum numerum Missarum, non sequitur, quod fructus conferantur præcise intuitu laboris, & non ratione beneficii.

247 Quæres 5. Quis habeat dominium bonorum mere Ecclesiasticorum quarti generis? R. 1. Nullus Clericus, & nullus alius homo in particulari habet dominium bonorum immobilium Ecclesiæ, suppellectilis sacræ, & aliorum bonorum mere Ecclesiasti-

ſiaſticorum : imo nec S. Pontifex ſolitarie, & in particulari acceptus eſt Dominus eorumdem. Atque in hoc ſenſu Inſtit. *de rerum diviſione.* res ſacræ, & religioſæ dicuntur eſſe nullius, ſcilicet privati, aut etiam Prælati ſeorſim ſpectati. Itaque

R. 2. Harum rerum dominium eſt penes Eccleſias, etiam particulares, ſeu penes cœtus, & communitates fidelium, conſtantes ex capite & membris: Prælati vero: etiam S. Pontifex ſeorſim & ſolitarie accepti ſolum habent adminiſtrationem earum. Leſſius, Herincx, Haunold, & alii contra Navarrum, exiſtimantem tale dominium eſſe penes ſolum Chriſtum. Prob. Bona Monaſteriorum illorum, quæ ſunt dominii capacia, ſpectant ad cœtum Religioſorum, tanquam ad dominum: ergo idem eſt dicendum de bonis Eccleſiarum. Accedunt varii textus juris, in quibus dominium bonorum Eccleſiaſticorum Eccleſiis attribuitur, ut cap. *Quorumdam.* 1. *de Teſtamentis*, *&* Tridentinum ſeſſ. 25. *de Regularibus.* Ratio eſt: ejusmodi bona a fidelibus ſunt oblata Eccleſiis, licet cum onere & obligatione, ut eadem in Eccleſiæ bonum expendantur. Ex quo

Colliges: Prælatos, ac ipſum S. Pontificem poſſe peccare, 248
& obligatos eſſe ad reſtitutionem, ſi bona Eccleſiæ absque rationabili cauſa alienent, aut deſtruant in detrimentum illius Eccleſiæ, ad quam ſpectant. Ratio hujus eſt 1., quia ſunt tantum adminiſtratores horum bonorum: atqui adminiſtrator, damnum aliquod cauſans illi, cujus bona adminiſtrat, peccat, & tenetur ad reſtitutionem. 2. quia hoc cum onere a Fidelibus ſunt Eccleſiis oblata, ut non aliter, quam in bonum Eccleſiæ applicentur: hinc nequidem tota Communitas fidelium eadem bona aliter, quam in bonum Eccleſiæ, & finem, ad quem a Fundatoribus ſunt oblata, impendere poſſet absque rationabili cauſa.

Dices: Ejusmodi bona vocantur in Canonibus ſæpe *Res Dei*, *Patrimonium Chriſti*: ergo Chriſtus ſolus eſt eorum Dominus. R. 1. Retorq. Vocantur etiam bona Eccleſiæ, ut in cap. 1. *de Teſtamentis*, ac Can. *Expedit.* c. 12. q. 1. R. 2. vocantur bona Dei, quia ex intentione fidelium ea non licet aliter expendere, quam in cultum, & honorem Dei: vg. ut per ea Mini-

ſtri Eccleſiæ alantur, qui officium divinum peragant, Sacramenta miniſtrent, prædicent verbum Dei &c.

§. II.

An Clerici ſæculares ſint Domini bonorum beneficialium, præſertim ſuperfluorum?

249 Nota 1. Circa bona Clericorum tres eſſe diſtinguendos ſtatus juxta diverſa Eccleſiæ tempora. 1. Tempore naſcentis Eccleſiæ Clerici omnes in commune vivebant, emiſſo quoque voto paupertatis: ubi diſpenſatio, & adminiſtratio bonorum, quæ a fidelibus offerebantur Eccleſiis, erat penes ſolos Epiſcopos, qui illa in neceſſitates Clericorum, eleemoſynas pauperum, redemptionem captivorum, aliaque pia opera pro temporum ratione diſpenſabant, ut patet ex Can. 2. & ſeqq. c. 12. q. 1. & ſeq.

Poſtea vero tempore Simplicii Papæ, qui Eccleſiæ præfuit circa annum 471., redditus Eccleſiaſtici in quatuor partes dividi cœperunt, ex quibus una ceſſit Epiſcopo, altera inter Clericos eſt diſtributa pro eorum meritis, & officiis, tertia deſtinata eſt in eleemoſynam pauperibus, quarta applicata eſt Eccleſiæ fabricæ, ut habetur Can. 26. 27. ac ſeqq. c. 12. q. 2. Hæc tamen diviſio (ut refert Clariſſimus P. Antonius Mayr) non fuit ita univerſalis, ut non pro locorum & temporum varietate aliter, ac aliter diſponeretur, ut e. g. aliquando Epiſcopus tertiam partem, aliquando dimidiam Epiſcopus, & alteram dimidiam Clerus acciperet diſpenſandam.

Denique ſucceſſu temporis, cum Clericorum multitudo, & Eccleſiarum numerus in dies creſceret, bona Eccleſiæ ſunt diſtributa in certa beneficia, & præbendas, deputata ſingulis Beneficiatis congrua portione redditurum. Et hæc ultima diviſio, & diſpoſitio in hodiernam adhuc diem in Eccleſia viget.

Ex priori autem diviſione, quæ tempore Simplicii Papæ facta eſt, hodie adhuc reſtant ſeparati redditus Epiſcopi, & Clericorum, ac pro fabrica Eccleſiæ deſtinati: verum, quo devenerit pars quarta, quæ olim pro pauperibus deputabatur, ignoratur;

ratur; nescimus enim, an ea confusa sit cum portione Episcopi, Clericorum, aut fabricæ, vel an applicata sit in erectionem Hospitalium, aliarumque piarum fundationum, vg. beneficiorum novorum, etiam pro pauperibus Clericis.

Nota 2. Bona beneficialia, de quibus supra jam dictum est, esse subdividenda in duas partes: una est, quæ ad honestam & congruam Clerici sustentationem requiritur: Altera est, quæ supra honestam & congruam sustentationem redundat, & superflua est. Seu bona beneficialia alia sunt *necessaria* ad honestam sustentationem, alia *superflua*. De posterioribus præcipue disputari solet.

Nota 3. ex nostro Herincx, & aliis: congruam sustentationem Beneficiati non consistere in indivisibili, neque una certa regula posse determinari. Hinc sicut in mercibus venalibus triplex pretium, quorum quodlibet est justum, a Theologis assignari solet: sic & honesta sustentatio Clerici in tres classes dividi potest, scilicet in summam, mediam, & infimam: vg. si sustentatio congrua infima essent 500. floreni, media forent 600., summa essent 700., prout P. Pichler exemplificat. Si ergo Beneficiatus summam quoque sustentationem eligit, adhuc juste agit, nec peccat; sicut ille non peccat, qui mercem suam summo pretio vendit. Per summam tamen sustentationem nolim intelligere pompas, & delicias profanas, aliaque ejusmodi, quæ statum Clericalem minime decent: sed intelligo vitam honorabilem intra limites Clericalis honestatis, & decentiæ se continentem. Porro in determinanda sustentatione congrua attendendum præprimis est judicium timoratæ conscientiæ, cui recte formando, teste Herincx, servire potest praxis non improbata aliorum ejusdem gradus & tituli, qui vulgo habentur pro timoratis.

Nota 4. Ad congruam sustentationem pertinent ea omnia, quibus indiget Clericus non solum ad propriam Personam, familiamque domesticam decenter alendam in victu, vestitu, habitatione, ac relaxatione convenienti: item ad medicinas &c., sed etiam quæ requiruntur ad hospitalitatem erga peregrinos, etiam consanguineos, ad moderata convivia, donationes moderatas, tam liberales, quam remuneratorias, ad dandas eleemosynas, &

omnia alia, quæ Clericus fine nota avaritiæ nequit omittere. Huc etiam pertinent ea, quæ citra avaritiam provide fervantur in futuros cafus ægritudinis, fterilitatis &c.

Nota 5. Quod etiam Beneficiatus, majora habens merita ratione doctrinæ, nobilitatis, officii, laboris &c., poffit majorem fuftentationem exigere. Hinc plus poteft fibi impendere Decanus, quam fimplex Canonicus, plus Epifcopus, quam Decanus, plus filius Principis, quam tantum civis, ac cæteris paribus plus Doctor, quam ille, qui ea fcientia & gradu caret. Colligitur ex ipfo jure; nam Can. *de Redditibus* c. 12. q. 2. dicitur: *Ultima* (pars redditiuum) *inter fe Clericis pro fingulorum meritis dividatur.* Idipfum videtur infinuare Apoftolus 1. ad Timoth. 5.: *Qui bene præfunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime, qui laborant in verbo, & doctrina.* Hoc eft, ut Tirinus interpretatur, ejusmodi Presbyteri digni funt, ut abundanti fubfidio commode fuftententur. Recte nihilominus monet P. Pichler, cavendum effe, præfertim nobilibus, ne ex fimili prætextu abutantur patrimonio Chrifti ad luxum, & faftum, fed modefte, ac frugaliter tantum vivant, ut jubet Tridentinum feff, 25. c. 1. *de Reform.* H. N.

250 Affero 1. Clerici funt abfoluti Domini redditiuum beneficialium ad congruam fuftentationem neceffariorum. Communis contra aliquos antiquos Canoniftas.

Prob. 1. Beneficiatus eft operarius Ecclefiæ: ergo merito ab Ecclefia accipit fuam fuftentationem congruam; *Dignus eft enim operarius mercede fua.* Idem colligitur ex Apoftolo 1. ad Corinth. 9. v. 7. dicente: *Quis militat fuis ftipendiis unquam?* & v. 13.: *Qui Altari deferviunt, cum Altari participant.*

Prob. 2. ex Tridentino feff. 23. c. 1. *de Reform.*, ubi docet, Beneficiatos, qui non refident, *pro rata temporis abfentiæ fructus fuos non facere, nec tuta confcientia illos fibi detinere poffe*: ergo a contrario, qui refident, fructus faciunt fuos, eosque fibi licite detinent: atqui fructus facere fuos idem eft, ac eorum dominium acquirere: ergo.

Prob. 3.

Prob. 3. Redditus ad ſuſtentationem neceſſarii dantur Clericis tanquam ſtipendium propter functiones Eccleſiaſticas, & laborem: atqui de ratione ſtipendii eſt, ut tranſeat in dominium, & quidem plenum ac abſolutum operarii, ut colligitur ex dictis: ergo. Ex his.

Deduces 1. Iſta bona, quæ ad congruam ſuſtentationem ſpectant, poſſe a Clericis expendi etiam in cauſas profanas, uti redditus ſtolæ, & diſtributiones; ſunt enim & horum, uti illorum pleni, ac abſoluti Domini.

Deduces 2. Si Clerici parcius, quam tenerentur, vivendo aliqua ex his bonis comparent, & comparcant, ea fieri parſimonialia, & libere in uſus quoque profanos applicari poſſe. Plura alia, quæ circa expenſionem bonorum beneficialium, & aliorum Clericis licent, inferius reſolventur.

Aſſero 2. Probabilius Clerici Sæculares defacto ſunt etiam 251
Domini bonorum beneficialium ſuperfluorum, Maſtrius, Herincx, Holzman, Reiffenſtuel in ſua Theolog. morali, Cardinalis de Lugo, Mezger, Pichler, Schmalzgrueber, Covarruvias, Barboſa, & TT. ac Canoniſtæ moderni communiter contra plurimos antiquos, & aliquos etiam modernos, ſcilicet contra Sfondrati, Sannig, Van-Eſpen, Adm. R. P. Sigismundum Neudecker, ac noſtrum Hennonem, qui uti alias, ita & hic ſummum rigorem profitetur, & cenſuras plures ex aliis Authoribus in noſtram concluſionem recitat.

Prob. 1. Juxta Tridentinum ſeſſ. 23. c. 1. & ſeſſ. 24. c. 12. *de Reform.*: Clerici non faciunt fructus ſuos, niſi reſideant, niſi Profeſſionem Fidei intra præſcriptum tempus emittant &c.: ergo per argumentum a contrario, ii, qui reſident, & Profeſſionem præſcripto tempore emittunt, fructus beneficiales faciunt ſuos, & quidem omnes, cum nulla fiat exceptio, aut limitatio: atqui fructus ſuos facere, & eos lucrari, ſignificat acquiſitionem dominii eorumdem: ergo tales Clerici Beneficiati omnes, conſequenter etiam ſuperfluos fructus faciunt ſuos.

Confirm. Julius III. in Conſtit. *Cum ſicut*, ait, *fructus oc-*

casione Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore provenientes, licet, postquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt, & cum aliis ipsorum Beneficiatorum fructibus commixti sunt, non ulterius in Ecclesiasticis, sed potius ipsorum Beneficiatorum propriis, & ab eis acquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro Sæcularibus, & profanis haberi consueverint, nihilominus, quamdiu Beneficiati illos non exegerint, vere Ecclesiasticos esse, & censeri debere. Ubi indistincte dicitur de omnibus fructibus beneficialibus, consequenter etiam superfluis, quod illi, postquam a Beneficiato sunt percepti, ad ejus plenum dominium spectent.

Prob. 2. Neque ex Jure naturali; neque positivo constat, Clericos non esse Dominos partis superfluæ reddituum beneficialium: ergo non potest ipsis denegari dominium partis superfluæ. A. constabit ex solutione objectionum, C. vero prob. Clerici sunt in possessione partis superfluæ, quæ ipsis utique una cum congrua dari debet: ergo pro Clericis stat præsumptio dominii, eoquod possessor rei alicujus semper præsumatur Dominus ejusdem, nisi contrarium constet. Quare & in proposito locum habet illud: *In dubio melior est conditio possidentis.*

Prob. 3. In divisione a Simplicio Papa facta, tota quarta pars Clericis assignata, transiit in horum dominium, etsi forte aliqua superflua huic parti fuissent adjuncta: ergo etiam tota portio, quæ modo post erectionem Beneficiorum est assignata Beneficiatis, etiam in horum dominium transit, etsi forte aliqua superflua sint huic parti commixta. A. colligitur ex Can. *Quatuor autem* c. 12. q. 2., ubi Gelasius Papa totam quartam partem ait esse Clericorum, & non solum partem congruæ sustentationis.

Prob. 4. Per erectionem Beneficiorum bona tam congruæ sustentationi necessaria, quam superflua sunt divisa a reliquis bonis Ecclesiasticis, & per divisionem sunt assignata, & data Beneficiatis: atqui divisio ejusmodi est sufficiens titulus acquirendi dominii: ergo dicendum est, quod Beneficiati per ejusmodi divisionem acquisierint dominium partis non solum necessariæ, sed & superfluæ. M. est certa, & constat ex notandis. m. patet ex jure, in quo divisio bonorum est sufficiens titulus dandi, & ap-

appropriandi dominium: unde & vicem emptionis obtinere dicitur in l. 1. C. *Communia utriusque judicii.*

Prob. 5. Si Clerici non fierent Domini partis ſuperfluæ, tunc ideo, quia pauperes haberent ſtrictum jus ad illam ſuperfluam partem: ſed hæc ratio non ſubſiſtit; ergo M. eſt AAriorum, m. oſtendetur inferius.

Prob. 6. Si Clerici non haberent dominium bonorum ſuperfluorum, omnes donationes, & contractus de bonis ſuperfluis, qui non eſſent ad pias cauſas facti, forent nulli, & deberent reſcindi, ac illi, qui aliquid vi harum donationum, & contractuum recepiſſent, deberent ad reſtitutionem compelli: ſed hoc eſt contra praxin Eccleſiæ, quæ nunquam invalidavit ejusmodi contractus, neque propter eos reſtitutionem injunxit: conſequenter ſignum eſt, quod Clerici ſint Domini partis ſuperfluæ, & quod valeant donationes ex bonis ſuperfluis factæ: ergo. Plura, quæ pro hac concluſione faciunt, adducentur inferius.

Objic. 1. Fere tota antiquitas TT. & CC. ſtat pro ſententia contraria: ergo ea eſt tenenda. R. 1. Retorq. Argum. Fere omnes moderni TT. & CC. ſtant pro noſtra ſententia; & inter hos non pauci eximii virtute, & doctrina viri, ut Cardinalis de Lugo, Leſſius, Herincx, Maſtrius &c. nequaquam laxitatem, ſed veritatem ſunt pro viribus ſecuti: Neque ſemper, quæ antiquiora, ſunt etiam veriora; cum multæ ſententiæ apud antiquos celebres modo penitus exoleverint. R. 2. D. a. fere tota antiquitas ſtat pro ſententia oppoſita, ita, ut pro noſtra ſtent fere omnes moderni TT. & longe probabilior ratio, eidemque etiam faveat S. Thomas inferius citandus C. a. ſecus N. a. 252

Objic. 2. Bona beneficialia vocantur bona Deo dicata, & Patrimoninm Chriſti: ergo Clerici non poſſunt eorum eſſe Domini. R. 1. Retorq. Argum. Bona beneficialia indiſtinctim, conſequenter etiam quoad partem congruam, vocantur bona Deo dicata &c.: ergo Clerici neque partis ſuperfluæ, neque congruæ, & neceſſariæ ſunt Domini. R. 2. N. c. Vocantur bona Dei, & Chriſti, quatenus Dei, Chriſtique famulis, ſeu Clericis ad ho-

norem ejus sunt donata, & etiamnum ex præcepto Ecclesiæ superflua in honorem Dei, seu in causas pias expendi debent. Ex quo minime sequitur, Clericos non esse Dominos istorum bonorum; alias neque pauperes fierent Domini similium bonorum superfluorum in eos erogatorum, cum nimirum sint bona Dei & Christi. Verum de hoc plura inferius.

Objic. 3. Bona Clericorum dicuntur res pauperum: ergo pauperes, non Clerici, sunt Domini superfluorum. R. 1. Retorq. Argum. sicut prius. R. 2. Sunt res pauperum, quatenus superflua ex redditibus Ecclesiæ speciali ratione, scilicet ex præcepto Ecclesiæ, sunt pauperibus, & piis causis erogandæ. Imo plerique similes textus loquuntur de bonis Clericorum ante divisionem a Simplicio factam: pro tunc autem bona Clericorum erant singulariter res pauperum, quatenus & ipsi Clerici erant pauperes, & in particulari nihil proprium habebant, sed in communi vivebant, necessaria sustentatione contenti.

Objic. 4. Can. *Quisquis*. 19. c. 12. q. 2. &c. *Fraternitatem*. 2. *de donationibus*. Clerici vocantur dispensatores tantum, & administratores ejusmodi bonorum: ergo non sunt Domini eorum. R. Canones, qui ita loquuntur, vel sunt intelligendi de tempore divisionem bonorum Ecclesiasticorum præcedente, ubi Clerici non habebant proprium, sed bona Ecclesiæ solum administrabant ut Procuratores, & Dispensatores: vel sunt explicandi de bonis simpliciter Ecclesiasticis, seu quarti generis, quorum administratores, non autem Domini sunt Clerici. Et in hoc sensu loquitur cap. *Fraternitas*. ut legenti patet: in eodemque sensu exponi debet cap. *Ratio nulla*. de Præbend. & dignit. *Ratio nulla permittit, ut, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur, propriis cujusquam usibus applicetur*. Posset etiam retorqueri in congruam sustentationem; quia & ista ex communibus bonis desumpta non foret propria Clerico. Adde, quod Clerici, etsi dominium habeant superfluorum, tamen possint eorum administratores, & Procuratores dici: *tum*, quia hoc dominium, quamvis in actu primo plene existat apud Clericos, in actu secundo est vinculatum, cum iidem Clerici lege positiva impediantur, ne superflua pro libitu in causas profanas expendant: *tum*,

tum, quia aliquis etiam respectu propriorum bonorum potest esse dispensator, & administrator: & in hoc sensu prodigis declaratis dicitur administratio propriorum bonorum esse interdicta.

Objic. 5. SS. PP. Clericos, qui superflua non expendunt in pauperes, vocant fures, raptores, pauperum interfectores: sed, qui rem propriam, cujus habet dominium, non expendit in pauperes, propterea non est fur, aut raptor: bene autem ille, qui rem, ad pauperes spectantem, illis denegat: ergo Clerici non sunt Domini bonorum superfluorum, sed pauperes. M. constat ex pluribus textibus, quos Gratianus in suo Decreto allegat, uti & ex epistola 2. S. Bernardi ad Fulconem, ubi ita scribit: *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, Sacrilegium est.*

R. 1. Retorq. Argum. S. Hieronymus, prout refertur Can. *Hospitalem.* D. 42. etiam de Laicis, seu de sæcularibus, qui non sunt Clerici, ait: *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria retinere probatur.* 2. S. Augustinus omnes Christianos, consequenter etiam Laicos, alloquens ait in expositione Psalmi 147. *Res alienæ possidentur, dum superflua possidentur.* Et S. Ambrosius Can. *Sicut.* D. 47. de Laicis quoque ait, ipsis non esse propria, quæ sunt superflua: ergo si ejusmodi textus SS. PP. in rigore sunt accipiendi, tunc neque Laici habent dominium superfluorum, quod tamen falsum est.

R. 2. Plures Patres, uti Hieronymus, Augustinus, Basilius. ac Tertullianus, vixerunt ante Simplicium Papam, adeoque intelligendi sunt de tempore ante divisionem, ubi Clerici nondum erant Domini suorum bonorum. Item, quod spectat ad S. Hieronymum, relatum in Can. *Quoniam.* c. 16. q. 1., qui nobis objici solet, ex eo probaretur nimium; nam juxta hunc Canonem Clerici habentes bona patrimonialia non possent sustentationem accipere ex Redditibus beneficialibus: quod defacto ab omnibus negatur.

R. 3. S. Bernardus, & alii Patres, qui Simplicio Papa fuere posteriores, & post erectionem beneficiorum scripserunt, imo &

& illi, qui Simplicium Papam præcesserunt, non fuere locuti in sensu stricto, & theologico, sed concionatorio, & exaggerativo. Neque hæc explicatio torta videatur; si enim AArii Patres illos, qui Laicis denegare videntur dominium superfluorum, exponunt in sensu non stricto, sed exaggerativo: ita & nobis licebit exponere istos, qui de superfluis Clericorum tractant.

Rdent alii, apud Haunoldum, quod Patres sint intelligendi de casu extremæ, vel gravis necessitatis pauperum; cum enim in tali casu deberent Clerici etiam ex proprio patrimonio succurrere pauperibus, quommodo excusari poterunt, si, ut parcant proprio patrimonio, accipiant stipendia ab Ecclesia, quibus alioquin pauperibus subveniri potuisset. Item in casu extremæ necessitatis pauperum fiunt omnia communia in favorem pauperum, adeoque his, præ aliis sunt elargienda.

Rdent iterum alii: SS. PP. loqui de his, qui, quamvis aliunde vivere possent, beneficia ambiunt, & possident mala intentione, scilicet ditescendi, & consanguineos locupletandi, pompose, & delicate vivendi: in quem finem Beneficia Beneficiis accumulant, nunquam satiandi. Hinc beneficia, nescio quibus prætextibus impetrant, cum detrimento Ecclesiæ, & Fidelium scandalo, cum damno aliorum pauperum Clericorum. Videatur Haunoldus.

Objic. 6. Si Clerici essent Domini bonorum superfluorum, possent de illis libere disponere; sed non possunt: ergo m. prob. quia non possunt de illis testari, neque in alios usus profanos disponere secundum jus commune. R. 1. Etiam impuberes non possunt testari de bonis suis: item pupilli non possunt disponere de propriis bonis sine consensu tutoris: quo non obstante impuberes, & pupilli veri sunt Domini suorum bonorum. R. 2. N. M. Ex hoc, quod Clerici non possint disponere, & testari de bonis superfluis, solum sequitur, quod dominium eorum in actu secundo sit ligatum, & impeditum quoad aliquem usum.

§. III.

§. III.

An Clerici ſæculares bona beneficialia ſuperflua ex juſtitia teneantur in pauperes, vel pias cauſas erogare?

Nota 1. Communem eſſe DD. ſententiam, quod Clerici 253
bona beneficialia ſuperflua teneantur in pias cauſas erogare. Verum, ſicut in obligatione hac adſtruenda unanimiter TT. & Canoniſtæ omnes conſpirant, ita diſſentiunt maxime in aſſignanda radice ejusdem. Variæ enim ſunt opiniones circa hoc punctum: Aliqui exiſtimant, hanc obligationem oriri ex lege naturali, & quidem ex titulo juſtitiæ: alii judicant eam pariter ex lege naturali provenire, ſed ex aliis virtutibus: ſcilicet charitate, & Religione: reliqui tandem exiſtimant, totam hanc obligationem habere ortum ex lege poſitiva Eccleſiæ.

Nota 2. Non eſſe inanem ſpeculationem, ſed quæſtionem ſumme practicam, an hæc obligatio ex juſtitia, vel ex alia virtute proveniat; ſi enim ea oritur ex juſtitia, tunc illi Beneficiati, qui ſuperflua non expendunt in cauſas pias, ſed in alios uſus profanos, tenentur ad reſtitutionem cauſis piis faciendam: ad quam tamen non adſtringuntur, ſi prædicta obligatio ſuperflua in cauſas pias impendendi, oriatur ex alia virtute, quam juſtitia. Ratio eſt: quia læſio juſtitiæ commutativæ, non autem aliarum virtutum obligationem reſtituendi cauſat.

Nota 3. Etiam plures eſſe Authores, qui quidem dicunt, Clericos eſſe Dominos ſuperfluorum, eos tamen ſimul ex juſtitia obligatos pronunciant, ad eadem ſuperflua in pios uſus convertenda. Rem declarant exemplo: a prædivite Domino donantur Petro 100. aurei, impendendi in ſumptus peregrinationis, hac tamen cum obligatione, ut illud, quod poſt moderatas expenſas, factas in itinere, de pecunia hac donata ſupereſt, Petrus pauperibus det. Hoc in exemplo Petrus fit quidem omnium 100. aureorum Dominus: ex juſtitia tamen ſimul obligatur, ut illa, quæ ex peregrinatione manent ſuperflua, paupe-

ribus dispenset. Hæc si in alium finem, quam in pauperes, impenderet, deberet ex suis bonis tantumdem pauperibus restituere. Id proportionaliter etiam dicunt de Beneficiatis, quos volunt quidem fieri Dominos portionis tam congruæ, quam superfluæ, hac tamen cum obligatione, ut pars superflua in pauperes, ac pias causas distribuatur. Et hæc sententia, quam graves & multi Doctores tenent, est tutior, ut liquet, & propterea est merito in praxi suadenda. Interea, quia non omnes semper volunt tutiora sequi, nec semper melius, ac tutius videtur, homines velle tantum ad tutiora, & rigidiora obligare: Hinc

254 Assero: Probabilius Clerici Beneficiati sæculares non tenentur ex justitia, superflua expendere in pauperes, aut causas pias: proinde neque tenentur ad restitutionem, si ea in usus profanos erogarint. Lugo, Lessius, Herincx, Reiffenstuel, Holzman, Poncius, Schmalzgruber, Pichler, ac alii plane non pauci ex modernis. Favet nostræ sententiæ D. Thomas Quodlibeto 6. q. 7. art. 12., ubi dicit: *In secundis* (id est, in bonis beneficialibus, de quibus ibi loquitur) *non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut & in patrimonialibus dictum est; unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam peragendam.*

Prob. 1. Ex una parte certum est, quod Dominus rei alicujus possit de ea pro libitu disponere, nec teneatur determinate in certum usum applicare ex justitia, nisi hæc obligatio, ex justitia orta, satis constet: ex altera parte Clerici sunt domini bonorum superfluorum, neque satis constat obligatio applicandi determinate ex lege justitiæ illa superflua in causas pias: ergo Clerici ex justitia non tenentur applicare superflua determinate in causas pias. Ant. quoad 1. membr. ex eo patet, quia quisque rei suæ est moderator, & arbiter, & consequenter de ea pro libitu disponere potest, nec eam determinate in unum usum applicare debet, nisi ejusmodi obligatio satis probetur. Adde, quod dominium ex se sit facultas disponendi de re in omnem usum possibilem pro libitu. Qui igitur habet dominium rei alicujus, est in possessione juris libere disponendi in quosvis usus possibiles, nec potest ab hac possessione deturbari, aut ad unam determinatam dispositionem duntaxat alligari, & obligari, nisi suffici-

ficienter probetur, adesse talem obligationem: id, quod clarum est ex Regula juris: *In dubio nemo spoliandus est jure, quod possidet. In dubio melior est conditio possidentis.* Membrum vero 2. Antecedentis ejusdem partim jam constat ex §. præcedente, partim etiam hoc §. amplius declarabitur. Igitur

P. 2. Canones nuspiam clare explicant hanc obligationem superflua beneficialia in pauperes impendendi: ergo ea non supponitur adesse. A. constabit ex solutione objectionum, & ex eo, quia nullum clarum textum juris AArii pro se allegare possunt. Cons. vero inde ostenditur. Res hæc est maximi momenti, quæ ad omnes Beneficiatos pertinet, & summopere ad ædificationem publicam, & subsidium pauperum facit: ergo, si vel ex natura rei, vel ex Ecclesiæ præcepto tanta obligatio ex justitia adesset, ea debuisset clare per summos Pontifices, aut Concilia Oecumenica exprimi, nec tanta injustitia tolerari: præcipue, quia in rebus multo minoribus, & de se clarioribus Ecclesia, ac summi Pontifices mentem suam declararunt, ne quis prætextu ignorantiæ se posset excusare, vg. eum teneri ad restitutionem, qui preces canonicas, aut aliquam partem earum prætermitteret, aut a sua residentia supra tres menses emaneret: & alia id genus, quæ in Concilio Lateranensi sub Leone X. Tridentino, & aliis constitutionibus Pontificum clare habentur decisa

Confirm. 1. Ecclesia clare proponit Clericis obligationem, quam in genere habent ad pie dispensanda superflua, ut colligetur ex dicendis: ergo, si adesset aliqua obligatio, superflua ex virtute justitiæ erogandi in causas pias, eam etiam clare proponeret.

Confirm. 2. Ecclesia non rescindit pacta, aut donationes in causas profanas, ex superfluis beneficialibus factas: atqui hoc facere deberet, si judicaret, ejusmodi superflua pauperibus stricto jure deberi: ergo Ecclesia judicat, ejusmodi bona superflua non deberi pauperibus ex stricto jure, aut ex justitia. M. constat; quia neque ex Canone, neque ex praxi tribunalium Ecclesiasticorum habetur, quod Ecclesia unquam rescciderit ejusmodi donationes, aut quod unquam Clericum, qui superflua in consanguineos divites erogavit, compulerit ad restitu-

ftitutionem faciendam pauperibus: imo neque legitur, quod ulli tali Clerico lis unquam fuerit intentata propterea, quia superflua aliter, quam in pauperes, & pias caufas difpenfavit. m. vero prob., quia ftrictiffima eft obligatio Prælatorum Ecclefiæ, ut fint Patres, & defenfores pauperum, eorumque caufam agant, juri eorum affiftant, idque, ubi requiritur, clare proponant, & quod eis ex juftitia debetur, dari curent, imo etiam compellant: ficut facere folent, quando pauperibus aliquid in Teftamento, & piis legatis relinquitur, ubi Epifcopi executionem fimilium legatorum in favorem pauperum, & caufarum piarum maxime urgere folent.

255 Rdebis: Ideo non refcindi ejusmodi donationes, quia non poteft difcerni, an eæ fint factæ ex fuperfluis, vel parfimonialibus, aut patrimonialibus. Adde, Ecclefiam, fi certo fcit, fuperflua beneficialia effe profane expenfa, urgere illorum reftitutionem; id enim colligitur ex Can. *de Redditibus*. c. 12. q. 2., ubi Gaudentio præcipitur reftitutio.

Contra eft: Etfi forte in particulari non conftet, faltem in genere certum omnino videtur effe, quod fæpius fiant ejusmodi expenfiones, & donationes in caufas profanas: cur ergo Ecclefia in genere per aliquem Canonem non exprimit obligationem iftam ex juftitia reftituendi, præfertim quia alias obligationes minoris momenti clare proponit? Exemplum Gaudentii non eft ad rem; ille enim non de portione fibi competente, fed de bonis communibus tres portiones per integrum triennium fibi inique appropriavit, unde merito ad reftitutionem condemnatus.

Rdebis 2. Ideo tolerari, & non refcindi ejusmodi contractus, & donationes in caufas profanas, ne per eorum refciffionem majora caufentur mala, & ne multiplicentur lites.

Contra eft: Etfi forte ob cavenda mala majora poffent illæ donationes tolerari, publice tamen, & clare deberent reprobari; fiquidem, quamvis fæpe mala aliqua debeant tolerari, ea tamen clare improbantur, ut patet in hærefibus, quæ, etfi nonnunquam tolerentur, tamen damnantur, & reprobantur: ergo faltem aliquo Canone, aut conftitutione deberet Ecclefia clare re-

reprobare tales donationes Clericorum, factas ex superfluis in causas profanas: atqui non sic reprobat: ergo.

Prob. 3. Impugnando præcipuum fundamentum AAriorum. 256
Si Clerici bona superflua tenerentur in pauperes expendere ex justitia, tunc ideo, quia Fideles bona sua Ecclesiis donavere hoc sub onere, ut superflua ex titulo justitiæ in pauperes expendantur: atqui hæc ratio nulla est: ergo. M. est AAriorum Achilles. m. prob. quamvis fideles optarint, ut bona sua, Ecclesiis donata, pie expendantur, non tamen est verisimile, quod hoc sub onere donarint, ut superflua ex lege justitiæ in pauperes distribuantur; nam 1. non constat, quod sub conditione onerosa intenderint sua Ecclesiis relinquere. 2. Fideles Fundatores supponuntur fuisse modestiores, quam ut suis superioribus Episcopis, & Parochis, ac aliis Clericis vellent tantum onus imponere. 3. Neque verisimile est, quod Clerici fuissent consensuri in tantam obligationem, quæ tamen sine acceptatione & consensu Clericorum, & Superiorum Ecclesiæ non potuit oriri. 4. Laicis, vg. Cantoribus, Sacristis, & aliis, qui inserviunt Ecclesiæ, absolute permittunt dominium sui salarii, etsi illud superfluum sit congruæ sustentationi: ergo non est præsumendum, quod partem superfluam denegent Clericis, qui longe melioris conditionis sunt, quam Laici. 5. Fideles non poterant dubitare, quin Episcopi, & Prælati, qui bona Ecclesiæ administrabant, sua sponte essent ordinaturi, ut superflua pie expenderentur: imo id actu, & abunde videbant fieri, & observari a Clericis: ergo non est credibile, quod novam obligationem justitiæ illis voluerint imponere.

Confirm. 1. Saltem decimis (quæ tamen quandoque unice, quandoque maxima ex parte bona beneficialia constituunt) non potuerunt Fideles obligationem justitiæ annectere erga pauperes: ergo neque reliquis bonis beneficialibus. A. prob. Jus decimarum ad Clericos transiit non libera Fidelium voluntate, sed titulo rigoroso justitiæ; siquidem tenetur populus ex lege justitiæ eos, qui ipsi spiritualia, præsertim Sacramenta, ministrant, pro dignitate sustentare; id, quod lumen naturæ dictat, quare & Ethnici suis Sacrificulis sustentationem præbuerunt. Jam vero ad

 hanc

hanc ſuſtentationem Eccleſia ab initio determinavit decimam fructuum partem, exemplo legis veteris, ubi, etſi Levitæ, & Sacerdotes, aliique Sacrorum Miniſtri minores eſſent dignitate, & etiam pauciores numero, quam modo in nova lege, tamen decima pars fructuum, præter primitias & oblationes, a Deo ipſis conſtituta fuit, neque ulla obligatio juſtitiæ ſuperflua in pauperes expendendi, fuit impoſita: ergo decimæ a Fidelibus non ſolvuntur libere, ſed ſunt ex juſtitia debitæ Clericis poſt determinationem, & ordinationem Eccleſiæ factam, qua ſuſtentatio Clericorum in decima parte fructuum fuit conſtituta: ergo a Fidelibus ratione decimarum Clericis non poteſt imponi obligatio, ſuperflua in cauſas pias expendendi. *Ratio rationis:* Quando aliquis ex juſtitia debitum ſalarium, vel ſtipendium ſolvit, debet illud dare ſine ullo onere juſtitiæ annexo: ergo, quia & Fideles decimas ſolvunt tanquam ſtipendium, ex juſtitia Miniſtris Eccleſiæ ac Clericis debitum, ideo eas ſine annexo onere præſtare debent.

Confirm. 2. Pauperes neque ante diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum a Simplicio factam, habebant ſtrictum jus ad ſuperfluum: ergo neque poſt diviſionem. C. claret; nam per diviſionem non fuit novum jus pauperibus attributum, ſaltem tale, quod eſſet independens a voluntate Eccleſiæ, & quod ab ipſa pro libitu mutari, & tolli non poſſet. A. prob. ſi tunc ante diviſionem Epiſcopi ſuperfluum reſervaſſent in depoſito Eccleſiæ, & pauperibus non diſtribuiſſent, non fuiſſent obligati ad reſtitutionem, nec peccaſſent contra juſtitiam, ſed ad ſummum contra charitatem erga pauperes, vel contra obedientiam erga Eccleſiam, quæ præcepit ſuperflua, præſertim quartam partem, expendi in pauperes: ergo. *Ratio rationis;* Eccleſia omnium donatorum a Fidelibus fiebat domina, & quidem abſolute ſine onere juſtitiæ nam ſi pauperes abſolute, & ſine onere juſtitiæ ſuperflua expendendi in alios pauperes, fiunt Domini ſibi donatarum eleemoſynarum, cur non & Eccleſia? Certe Eccleſia non eſt deterioris conditionis quoad hoc, quam mendici, & pauperes: ergo neque ante, neque poſt diviſionem habuit ullam ſtrictam obligationem ex juſtitia ſubveniendi pauperibus: imo neque quartam partem bonorum beneficialium ex lege juſtitiæ illis debebat, ſed illam ex mera miſericordia voluit

in

in pauperes dispensari. Unde ante divisionem Episcopi, quartam partem in deposito Ecclesiæ relinquentes, & non dispensantes pauperibus; tantum contra præceptum Ecclesiæ, & aliquoties contra misericordiam, & charitatem peccassent.

Plura, quæ pro confirmando, & declarando hoc argumento faciunt, ex solutione objectionum colligentur. Hinc

Objic. 1. Fideles offerebant sua bona Ecclesiis eo cum onere, ut superflua ex justitia in pauperes erogarentur: ergo superflua ex justitia debent in pauperes erogari. R. 1. indirecte: Si Fideles hoc sub onere obtulerunt sua bona, tunc ea neque a Beneficiatis in alias pias causas, vg. in fabriam Ecclesiæ &c. expendi possunt; nam res pauperibus ex justitia debita, non potest in alios, quam pauperes dispensari: atqui juxta AArios Clericus satisfacit suæ obligationi, dummodo bona superflua in aliquam causam piam qualemcunque expendat: ergo signum est, quod fideles sua non obtulerint hoc sub onere, ut pauperibus erogentur. 257

R. 2. N. a. Laici equidem donabant sua bona Ecclesiis ea *spe*, eo *fine*, ac *desiderio*, non autem eo cum onere justitiæ, ut aliquid inde obveniat pauperibus, præsertim quia aliunde videbant, quod ab Ecclesia, & Ecclesiasticis personis specialis cura habeatur pauperum. Ita explicandi sunt Canones aliqui ab AAriis allegandi. Porro Fideles sua reliquerunt Ecclesiæ ita, ut hæc posset ea pie expendere secundum suum beneplacitum: non autem expressam, vel implicitam conditionem adjunxerunt, ut aliqua pars necessario & indispensabiliter determinate huic causæ piæ, scilicet pauperibus obveniat, licet speraverint, pauperes aliquod inde emolumentum habituros: prout & defacto habent, cum superflua ex præcepto Ecclesiæ in pauperes, vel alias causas pias erogari debeant.

Objic. 2. Antiquitus ante divisionem habuerunt pauperes jus ad unam partem bonorum Ecclesiasticorum: ergo & defacto: consequenter debet illis saltem pars superflua assignari. R. N. a. Ratio negandi colligitur, *tum* ex dictis in probatione ultima, *tum* ex responsione indirecta ad objectionem primam, *tum* 258

etiam

etiam ex hoc; quia aſſignatio illa quartæ partis, quæ diſtribui debuit pauperibus, non ex titulo juſtitiæ, aut jure, quod pauperes ad illam partem habebant, ſed ex præcepto, & voluntate Eccleſiæ proveniebat, ut colligitur ex Can. *Mos eſt*. 30. c. 12. q. 2. Et hinc iſta diſtributio non ſemper eſt facta in quatuor partes, ut habetur Can. *Conſtitutum*. 40. c. 16. q. 1., ubi Epiſcopo tertia pars tribuitur: & cap. *Requiſiſti*. de Teſtamentis, ubi tertia, vel quarta pars Epiſcopo aſſignatur: ergo ex voluntate Eccleſiæ pendet, cui cauſæ piæ, vel in quem uſum pium velit erogare Redditus Eccleſiæ, & non determinate obligatur ex juſtitia, ut in easdem quatuor portiones diſpenſet: conſequenter neque quarta portio pauperibus fuit olim ex juſtitia, & jure debita.

Dices: Saltem quarta pars pauperum modo penitus evanuit: ergo ſignum eſt, quod ea fuerit commixta cum portione Epiſcopi, & Clericorum, qui propterea in ſuis beneficialibus Redditibus ſuperflua habent, quæ reſtituere debent pauperibus ex juſtitia. R. Hoc argumentum multum peccare; nam 1. eſt mera divinatio, quod portio pauperum accreverit Clericis. Quid, ſi ex illa parte pauperum fuiſſent erecta beneficia nova, Hoſpitalia, Seminaria, Monaſteria? hoc enim fieri potuiſſet etiam juſte; quia Prælati Eccleſiæ videbant, aliunde, & ſine iſta quarta parte ſatis ſuperque a Fidelibus ſubveniri pauperum neceſſitati. Vel cur non accrevit illa pars fabricæ Eccleſiæ? Vel cur non aliqua ex iis bonis devenerunt ad Principes ſæculares in recognitionem obſequiorum Eccleſiæ præſtitorum? Certe negari non poteſt, multas decimas, & bona Eccleſiaſtica iterum ad Sæculares perveniſſe. 2. Neque ex eo, quia Clerici ſuperflua habent, ea ex portione pauperum ipſis accreſcente proveniunt; nam hæc ſuperfluitas poteſt oriri ex fundationibus novis, quas poſt Simplicium Papam fideles fecerunt ſine onere illo, ac in merum favorem Clericorum: item ex bona adminiſtratione beneficiorum, per quam bona immobilia eorum aucta ſunt, conſequenter & fructus inde provenientes. 3. Dato, quod accreverit illa pars Clericis, tamen non exinde reſultat obligatio eam reſtituendi pauperibus; potuit enim Pontifex ſummus ex gravibus cauſis illam partem pauperum attribuere Beneficiatis: nempe ut ſic nobiles quoque, & docti magis alliciantur ad Clerica-

ricatum ſuſcipiendum, præcipue quia vidit, aliunde non deeſſe pauperibus ſubſidium; nam Pontifex ex rationabili cauſa per plenitudinem poteſtatis ſuæ poteſt Redditus ab una cauſa pia ad alteram transferre, ut nemo negat, & traditur in Clement, *Quia contingit.* de Religioſis domibus: ergo etiam potuit Pontifex partem pauperum ad Clericorum portionem tanquam ad cauſam piam transferre, præcipue quia per hoſpitalia, leproſodochia, Seminaria, ſtipendia, & alias pias fundationes, poſteris temporibus in bonum pauperum factas, videtur eſſe facta aliqua compenſatio, & credibiliter in iſtas fundationes pro pauperibus multi redditus Eccleſiaſtici ſunt impenſi, ut exiſtimat P. Antonius Mayr. Ex quo patet, quid in forma reſponderi poſſit ad argumentum adductum; poteſt enim negari conſequentia quoad omnia ſua membra.

Objic. 3. Bona Eccleſiæ vocantur *Bona Dei*, *vota fideli-* 259
um, *pretia peccatorum*, *patrimonia Chriſti*, *patrimonia pauperum*: ergo ſine injuſtitia non poſſunt in cauſas profanas expendi. R. 1. Retorq. Argum. Hæc omnia dicuntur de bonis Eccleſiaſticis in communi, & indiſtinctim, conſequenter etiam de congrua ſuſtentatione, & parſimonialibus: ergo etiam pars congrua, & parſimonialia non poſſunt ſine injuſtitia in cauſas profanas expendi. Pleraque hæc prædicta bonorum Eccleſiaſticorum ſuperius jam ſunt explicata: duo tantum hic declaro: dicuntur *pretia peccatorum*, quatenus à Fidelibus in ſatisfactionem pro peccatis offeruntur, vel quatenus dantur Sacerdotibus, quia per ſacrificia & orationes ſatisfaciunt Deo pro peccatis Fundatorum, & populi Chriſtiani. Vocantur *patrimonia pauperum*, quatenus pauperes habent ſpem recipiendi ex illis ſuſtentationem, ad quam dandam obligantur quidem Clerici, ſed non ex juſtitia.

R. 2. D. c. ergo non poſſunt ſine injuſtitia in cauſas profanas expendi, dum prima vice expenduntur ab Adminiſtratoribus Eccleſiæ C. c. dum ſecunda vice expenduntur ab ipſis Clericis N. c. Explico me: Prima vice expenduntur bona Eccleſiaſtica, dum ea Adminiſtratores Eccleſiæ ex communibus redditibus Eccleſiaſticis ſeparant, & expendunt in ornandas Eccleſias, in Clericos, Cantores, ÆditUos, & alios, qui Eccleſiæ deſerviunt, vel dum in eleemoſynam dantur pauperibus. Et hæc prima ex-

pensio omnino debet esse pia, seu in piam causam, uti fit in adductis exemplis, ubi semper Dei causa dispensantur: nempe propter cultum divinum dantur Clericis, & aliis Laicis, qui Ecclesiæ deserviunt, uti & ipsis Ecclesiis, ac pauperibus, quos Christus fratres suos vocare dignatus est. Certe si Administratores Ecclesiæ hæc bona in alias, quam istas, vel similes causas impenderent, peccarent contra justitiam, & tenerentur ad restitutionem. Ratio est: quia bona hæc a fidelibus offeruntur Ecclesiis hac obligatione, ut ab ipsa Ecclesia, ejusque administratoribus primaria dispensatione pie, & non profane expendantur, seu ut dispensentur vel in Clericos divina officia persolventes, vel in aliam causam piam juxta ordinationem Ecclesiæ, & sic primaria dispensatio nomine ipsius Ecclesiæ facta in honorem Dei cedat.

Jam vero 2. expenduntur hæc bona a Clericis, ab Æditnis, & pauperibus, in quos scilicet per primam expensionem sunt dispensata. Verum hæc secunda expensio non debet esse in usum pium ex justitia: secus & Æditui, & Cantores laici etiam suæ sustentationi superflua tenerentur ex justitia in causas pias erogare; nam & hæc bona Æædituorum ex eadem massa bonorum Ecclesiasticorum sunt desumpta, ex qua proveniunt bona beneficialia Clericorum: si ergo bona Clericorum superflua sunt bona Dei, & ideo pie expendenda ex justitia, quidni & bona superflua Æedituorum &c.

Hoc non obstante Clerici superflua obligantur in usus pios convertere, non quidem ex lege justitiæ, sed ex præcepto Ecclesiæ, specialibus ex rationibus adstringente Clericos, non autem Æedituos, & Cantores laicos: de quo §. sequenti. Ex his.

260 Resolves, quid dicendum sit ad Bullam Innocentii XII. editam anno 1692. 22. Junii, quæ abrogat Nepotismum, ubi ait: nec ipsis Romanis Pontificibus licere, consanguineos ex redditibus Ecclesiæ ditare, additque, curaturos suos Successores, ut ita donata vindicentur rursus Cameræ Apostolicæ, & Donatariis auferantur: quibus indicat, ejusmodi donationes esse invalide factas, & restitutioni obnoxias. Ad hæc enim respondebis, Pontificem loqui de bonis illis, quæ Pontifici dantur non ut

ut fructus beneficii, & pro Persona Pontificis, sed quæ hac obligatione, & intentione ex magnis Statibus & Provinciis, ac ex toto orbe Papæ, & Ecclesiæ dantur, ut inde alantur idonei Ministri in bonum commune, & alia necessaria ad utilitatem publicam procurentur. Et hæc bona non ad beneficialia, sed ad mere Ecclesiastica spectant, quæ utique sine injustitia Pontifex non potest in suos Consanguineos profundere: sicut nec Administratores Ecclesiæ, vel Clerici possunt sine læsione justitiæ sibi appropriare, aut suis Consanguineis donare bona mere Ecclesiastica, seu quarti generis, ut dictum est.

Notabis etiam, ex nostro Reverendissimo Francisco Gonzaga *de origine Religionis Franciscanæ* 3. part. Tit. *Provincia S. Michaelis*, de Conventu S. Francisci Civitatis, contra nostram assertionem referri sequentem historiam de Petro Diaz Episcopo Civitatis, qui mortuus, tertio ab obitu die meritis S. P. N. Francisci fuit revocatus ad vitam, dixitque, se fuisse damnandum ob flagitia, nisi intercessione S. Francisci sibi quinque dies vitæ indulti fuissent: addiditque, hos ideo sibi concessos, ut bona Ecclesiæ, quæ consanguineis injuste erogaverat, repetat ab illis, & pauperibus dispenset: quæ ubi intra quinque dies recuperavit, rursus obiit.

Hæc historia, nobis objici solita, longe aliter refertur a Gonzaga: 1. enim laudatus nostræ Religionis Generalis dicit, Petrum Episcopum quarto die post mortem ad vitam esse revocatum, & 20. dies vixisse, 2. Non dixit resuscitatus, sibi hos dies concessos esse, ut bona, injuste consanguineis donata recuperaret, sed ut ob peccata, quæ erant maxime carnalia, pœnitentiam ageret. 3. Gonzaga non ait, quod ipse Petrus bona Consanguineis dispensarit, sed refert, istos mortem ejus triduo occultasse, ut bona relicta interim inter se dividere possent: quæ tamen redivivus iterum recuperaverit (prout jure potuit) & pauperibus erogarit, pœnitentiamque magnam egerit. Quæ nihil contra nostram assertionem continent.

§. IV.

Adstruitur nostra sententia de radice hujus obligationis.

261 Assero: Probabilius obligatio erogandi superflua in causas pias oritur ex sola lege Ecclesiastica. Lessius, Herincx, Holzman, & multi alii ex modernis contra Lugo, Molinam, & alios, qui putant, hanc obligationem oriri ex lege naturali Religionis, vel charitatis.

Prob. 1. Ex una parte adest gravis obligatio expendendi superflua beneficialia in causas pias, ex altera parte nulla alia radix hujus obligationis potest ostendi, quam lex Ecclesiastica: ergo. A. quoad 1. membrum patet ex communi omnium Theologorum, & Canonistarum sententia: quoad 2. prob. Hæc obligatio non oritur ex lege naturali charitatis, & misericordiæ; lex enim naturalis, obligans ad opera misericordiæ & charitatis erga pauperes, tunc tantum sub culpa gravi adstringit Clericos, quando pauperes sunt in gravi, vel extrema necessitate constituti, ut patet ex communi Theologorum doctrina: atqui Clerici semper obligantur ad pie expendenda superflua, etiam tunc, quando nulli pauperes sunt in extrema, vel gravi necessitate; ergo obligatio hæc, expendendi superflua in pauperes, vel causas pias, non ex lege naturali charitatis oritur. 2. Vi legis naturalis, qua tenemur ad opera misericordiæ, adstringuntur Clerici, ut non solum ex superfluis beneficialibus, sed etiam patrimonialibus, & aliis suis bonis subveniant pauperibus: hæc autem obligatio, de qua loquimur, tantum se extendit ad superflua beneficialia, non ad alia. 3. Clericus satisfacit suæ obligationi, si superflua expendat in alias causas pias, quam opera charitatis & misericordiæ, ut si inde curet ornari Ecclesiam, erigi Altare &c., quæ opera ad Religionem, non ad charitatem spectant: ergo signum est, quod hæc obligatio non oriatur ex naturali lege charitatis.

Continuatur ulterius probatio ejusdem 2. membri primi An-

Antecedentis. Neque hæc obligatio oritur ex naturali obligatione Religionis, quæ dictat, res sacras, & Deo dicatas esse venerandas, & non profane tractandas; nam bona Ecclesiæ, postquam ad manus Beneficiatorum transierunt, non amplius sunt sacra, nec res Dei, sed sunt bona propria Clericorum: ergo Clericus, illa male expendens, non inhonorat rem sacram, aut adhuc Deo dicatam: sicut & Cantores, ac Æditui, dum bona ab Ecclesia accepta male impendunt, inde non committunt Sacrilegium, nec peccant contra Religionem. A. constat ex Constit. Julii III. supra allegata, in qua bona beneficialia, postquam semel ad Beneficiatos pervenerunt, dicuntur *quodammodo pro Sæcularibus, & profanis haberi.* Hæc tantum dicta sunto de obligatione Religionis, quæ ex lege naturali ad hanc virtutem pertinente, ac ex natura horum bonorum oriretur: quid vi legis positivæ humanæ, & Ecclesiasticæ dicendum sit, statuetur inferius.

Ex his igitur concludo primam probationem taliter: ista obligatio non oritur ex lege naturali ad virtutem charitatis & misericordiæ, vel Religionis, aut ad aliam quamcunque virtutem pertinente: ergo debet solum oriri ex lege positiva humana.

Prob. 2. Ex antiquis Canonibus, quibus præcipitur, ut portio fructuum & oblationum, quæ Episcopo, Clericis, & fabricæ non esset necessaria, distribueretur pauperibus: quæ ordinatio Ecclesiæ a temporibus Apostolorum multis sæculis servata est, & a variis Pontificibus, & Conciliis confirmata. Cui constitutioni Ecclesia per erectionem Beneficiorum, & per hoc, quod singulis Clericis suæ partis administrationem & dominium permiserit, derogare noluit, sed potius voluit, ei per singulos, pro cujusvis facultate satisfieri. Hac de causa, sicut Episcopi, cum ipsi soli illa bona administrarent, tenebantur portionem reliquis superfluam pauperibus seponere: ita quoque Beneficiati, qui Episcopis in administratione bonorum illorum ex parte successerunt, tenentur ea, quæ sibi redundant, in usus pauperum, vel saltem in pias causas impendere. Paucis: antiqui Canones volebant omnia ista bona ante divisionem in pias causas impendi: ergo sic etiam volunt fieri post divisionem; nam per divisionem hæc obligatio non fuit sublata, sed fuit tantum

in alios translata, scilicet in particulares Clericos, qui modo talium bonorum & dominium, & administrationem habent.

Prob. 3. Efficacissime ex Tridentino sess. 25. c. 1. *de Reform.*, ubi Concilium ita loquitur: *Omnino eis* (scilicet Episcopis) *interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant.* Et infra: *Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque Ecclesiastica Beneficia tam sæcularia, quam regularia obtinentibus, pro gradu suæ conditionis observari, sed etiam ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.* Ex quo textu

262 Habes 1. strictum præceptum pie expendendi bona Ecclesiastica, quod indicatur per verba: *omnino interdicit.*

Habes 2. quod per hunc textum prohibeatur erogatio bonorum *superfluorum* in causas profanas, vg. in Consanguineos aliunde jam satis divites, & necessariis provisos; nam, quod non intelligatur hoc præceptum de bonis beneficialibus necessariis, apud omnes est in confesso; necessaria enim congruæ sustentationi possunt in quoscunque usus, etiam profanos impendi.

Neque dicas: Tridentinum loqui de bonis simpliciter Ecclesiasticis, seu quarti generis, non autem de beneficialibus.

Contra est 1. Illi etiam Doctores, qui Tridentino interfuerunt, intelligunt allegatum Concilii textum in nostro sensu, ut testatur Lugo D. 4. sect. 2. n. 12. *Contra est* 2. Concilium loquitur de illis bonis, quæ Episcopi alias in pauperes consanguineos dispensare possunt: sed in consanguineos, etsi pauperes, non possunt dispensare pure, & simpliciter Ecclesiastica, bene superflua beneficialia, quorum sunt Domini: ergo. M. patet ex illis verbis: *sed si pauperes sint; eis ut pauperibus distribuant. Contra est* 3. Concilium verbis ultimis hoc suum decretum extendit ad omnes etiam Episcopo inferiores, Clericos, quorum tamen plurimi non habent administrationem bonorum ad

ipsas

ipſas Eccleſias pertinentium: ergo intelligi debet de bonis illorum beneficialibus, ne hæc in divites conſanguineos profundant.

Prob. 4. Vel ipſa continua conſuetudo, ac antiquiſſima fidelium perſuaſio ſufficeret ad gravem hanc obligationem inducendam, etſi nulla lex ſcripta adeſſet: ergo.

Objic. 1. Tridentinum, & alii Canones ſupponunt obliga- 263
tionem, ex jure naturali deſcendentem, expendendi pie ſuperflua beneficialia: ergo hæc obligatio non oritur ex ſolo jure Eccleſiaſtico. A. prob. Tridentinum ideo interdicit talia bona profane expendi, quia ſunt *res Dei*, conſequenter jure naturali pie tractari, & religioſe expendi debent: ergo.

R. N. a. Quod enim bona beneficialia ſint *res Dei*, antecedenter ad præceptum Eccleſiæ non affert gravem obligationem, ſed tantum inſinuat aliquam decentiam, & congruentiam. Ratio hujus eſt: quia antecedenter ad præceptum Eccleſiæ iſtæ res in tantum dicuntur bona Dei: 1. quia ſunt oblata in honorem Dei hac obligatione, & onerosa conditione, ut prima expenſione pie, ſcilicet in ipſos Miniſtros Eccleſiæ expendantur. 2. quia etiam ſunt donata cum tali ſpe Fundatorum, quod ipſi Clerici hæc bona, præcipue ſuperflua, ſint iterum ſecunda expenſione pie impenſuri in honorem Dei, & non in cauſas profanas. Hæc ſpes Fundatorum, imo & ipſius Eccleſiæ, antecedenter ad præceptum humanum, nondum quidem gravem obligationem impoſuit, anſam tamen dedit Eccleſiæ, ut ſtricto & gravi præcepto adſtringeret Clericos, ne bonis ſuperfluis aliter uterentur, quam in cauſas pias. Imo Tridentinum ideo hæc bona ſuperflua vocat *res Dei*, quia ea ex præcepto Eccleſiæ (non ex præcepto naturali, vel divino) ſunt ſingulariter deſtinata, ut bene, & pie expendantur tanquam res ſacræ, & vota fidelium, de quo num. ſequenti.

Dices: cur ergo Eccleſia non ordinavit, ut Laici quoque, vg. Æditui, & Cantores, ſuperflua intuitu Eccleſiæ accepta, in cauſas pias expendant? R. In hoc præcepto Eccleſiam etiam reſpexiſſe ad ſtatum Clericalem, quem maxime decet, ut fruga-

frugali sustentatione contentus, superflua, præcipue illa, quæ intuitu Ecclesiæ & beneficii accepit, in pias causas expendat, & sic satisfaciat pio Fundatorum desiderio, in tali autem statu eminente, & sacro non existunt Ministri laici, vg. Æditui.

Objic. 2. Pontifex non potest dispensare, ut Clerici superflua in causas profanas expendant: sed posset, si hæ expensio jure solum Ecclesiastico esset prohibita; nam Pontifex potest in omni lege Ecclesiastica dispensare: ergo. R. N. M. Imo jam dispensarunt Pontifices: sic dispensavit Paulus V. in Constitut. *In eminenti.* edita 8. Aprilis 1606. in qua concessit Clericis Incolis urbis Romanæ, & in ejus districtu intra 10. milliaria, ut possent testari de omnibus beneficialibus, quanticunque valoris existant, & quidem in causas profanas, & favorem Consanguineorum, & quarumvis Personarum affinium. Idem prius concessit Julius III.

Objic. 3. Contra leges Ecclesiasticas potest introduci consuetudo, quæ abrogat illas leges. C. fin. *de consuetudine*: sed contra hanc obligationem pie expendendi superflua, non potest introduci consuetudo: ergo hæc obligatio non oritur ex lege Ecclesiastica. R. N. m. Certe si debito tempore continuaretur, & a majori parte Clericorum frequentaretur transgressio talis obligationis, ea abrogaretur. Deinde, si ea obligatio per privilegium potest tolli, cur non per consuetudinem?

Dices: Si hoc est, tunc talis consuetudo jam est introducta, & obligatio ista est abrogata, quia passim ejusmodi bona in causas profanas expenduntur: ergo. R. N. a. hoc enim difficulter persuadebis, majorem partem Clericorum esse adeo salutis suæ incuriam, ut passim hanc legem transgrediatur. Et esto, quod multi contra eam peccent, ut tu supponis, tamen non major pars Clericorum continuat istas transgressiones.

264 Petes: contra quam virtutem ergo peccet Clericus superflua non expendens in usus pios?

Nota 1. Antequam fiat decisio hujus quæsiti, videndum esse, ad quam virtutem ex præcepto Ecclesiæ pertineat expensio

ſio ſuperfluorum in cauſas pias a Clericis facta; nam contra eamdem virtutem pugnat omiſſio actus alicujus, ad quam actus ſpectat: ſic omiſſio largitionis eleemoſynæ in illo caſu, in quo eſt præcepta, pugnat contra virtutem miſericordiæ, ad quam ſpectat datio eleemoſynæ.

Nota 2. Quod lex humana etiam poſſit actum aliquem præceptum in certa virtute ponere, ad quam alias non ſpectaſſet vi juris naturalis aut divini, ſi videlicet Legislator condendo legem intendat imponere obligationem talis ſpecificæ virtutis. Dixi: *Si intendat imponere obligationem;* ſiquidem, ut recte diſcurrit La-Croix l. 1. n. 627. non ſufficit, quod Superior ducatur motivo talis virtutis, idque etiam manifeſtet, ſed debet etiam velle imponere obligationem illius virtutis, ſeu debet velle, & volendo facere, ut actus per ſuam legem præceptus ſit materia neceſſaria talis virtutis. Sic e. g. in Vigilia S. Andreæ Eccleſia præcipit jejunium ex motivo extrinſeco Religionis, ut Sanctus hic per illud colatur: quia tamen non conſtat, quod Eccleſia etiam intendat imponere nobis obligationem Religionis: hinc ille, qui tali die non jejunat, non peccat contra Religionem, ſed ſolum contra temperantiam, quæ eſt motivum intrinſecum jejunii.

Nota 3. Ex Oviedo apud La-Croix l. 5. n. 138. nullum præceptum Eccleſiaſticum defacto eſſe impoſitum intuitu, & ſub obligatione obedientiæ, ita ut aliquis transgrediens illud peccet contra virtutem obedientiæ; proinde omnia præcepta Eccleſiaſtica obligant ex alia virtute; hæc autem obligatio debet deſumi vel ex motivo intrinſeco, vel extrinſeco. Eſt autem motivum *intrinſecum* honeſtas illa virtutis, ad quam ex ſe, & natura ſua pertinet actus ille, qui præcipitur: ſic motivum intrinſecum legis præcipientis jejunium, eſt honeſtas temperantiæ; ad hanc enim ex natura ſua ordinatur jejunium. Motivum *extrinſecum* eſt, quod advenit a voluntate Legislatoris: ut ſi Legislator præciperet jejunium, ut inde colatur Sanctus aliquis; nam ad hoc motivum ex natnra ſua non ordinatur poſitive jejunium. Debet nihilominus illa res, quæ ex motivo extrinſeco intenditur, habere aliquam aptitudinem, & proportionem, ut poſſit a Legislatore ad finem illum extrinſecum referri. Ut

patet in jejunio, quod saltem ex intentione Legislatoris, & jejunantis ad cultum Sancti referri potest.

Nota 4. Quando nihil aliud constat ex verbis, vel circumstantiis Legis, vel quando dubium est, an aliquid fuerit obligatorie præceptum non solum ex fine intrinseco, sed etiam extrinseco, & consequenter duplex obligatio eidem materiæ, & actui imposita, tunc censendum est, quod lex solum obliget ex fine intrinseco. Ratio hujus est: quia hoc frequentius, & connaturalius fieri solet, ut lex solum obliget sub motivo intrinseco. Si vero lex non habeat aliud motivum intrinsecum, tunc recte colligimus, intendi a Legislatore, ut illa obsérvetur ex motivo extrinseco. Si ergo aliquis talem legem transgrediatur, tunc peccabit contra illam virtutem, ad quam pertinet motivum extrinsecum. Hujus rei sequens exemplum adjungit La-Croix cit.: sic Ecclesia prohibet laborem servilem die festo: non est autem aliquod motivum intrinsecum, propter quod labor de se honestus ex natura sua, vel ex se prohiberi mereretur: ex quo proinde colligimus, quod is sit prohibitus ex motivo extrinseco diem festum colendi: quia autem iste cultus diei festi pertinet ad virtutem Religionis, hinc ille, qui laborat die festo, peccat contra virtutem Religionis. Hæc longius deduxi, quia eorum notitia est summe necessaria. His igitur not.

265 R. Probabilius ille Clericus, qui non pie expendit bona sua beneficialia superflua, peccat contra virtutem Religionis. Mezger, & Holzman. Prob. Præceptum obligans Clericos ad eroganda superflua in causas pias, procedit ex motivo Religionis: ergo, qui hoc præceptum violat, peccat contra virtutem Religionis. C. claret ex notandis. A. prob. nam Ecclesia ideo obligat ad ea pie expendenda, quia ea sunt vota fidelium, res Dei, patrimonium Christi: indeque Clericis non aliter distribuit ista superflua, quam ut *res Dei*, seu tanquam res sacras, & pie expendendas a Clericis, ut colligitur ex Tridentino supra citato. Hinc, quamvis *esse sacrum*, quod bonis superfluis beneficialibus ex intentione obligatoria fidelium, & proinde ex jure naturali competebat, fuerit sublatum per expensionem primam in Clericos: tamen aliud *esse sacrum* iisdem annexuit Ecclesia per præceptum suum, dum ex motivo Religionis præcipit, ut conformi

formiter piæ spei Fundatorum, & fidelium, ista bona tanquam res Dei a Clericis in pias causas etiam secunda expensione applicentur. Ex hoc

Inferes 1. Quod lex Ecclesiastica, prohibens expensionem 266 superfluorum beneficialium in causas profanas, non supponat obligationem Religionis jam antecedenter existentem ex lege naturali, vel divina, sed eam primum imponat, & causet.

Inferes 2. Legem Ecclesiasticam non obligare ex titulo, & motivo justitiæ ad pie expendenda superflua. Ratio est: quia obligationem justitiæ nullibi satis indicat Ecclesia in suis Canonibus: item, quia alias Clerici, si superflua in causas profanas expendissent, tenerentur ad restitutionem causis piis faciendam: atqui ad hanc non tenentur, ut ex superius dictis constat.

Inferes 3, Clericos non ex sola virtute obedientiæ obligari ad pie expendenda superflua. Ratio est: quia Ecclesia nunquam ex sola virtute obedientiæ solet fideles obligare ad aliquid præstandum, vel omittendum: ergo neque hic obligat ex sola virtute obedientiæ. A. prob. si Ecclesia obligaret ex solo motivo, & virtute obedientiæ, tunc obligaret solum ideo ad exhibitionem operis alicujus, quia illud præceptum est, & quia petit præcise subjectionem in hoc opere exequendo: sed nunquam ita obligat: ergo. M, est certa; quia obedientia non habet aliud motivum, vel honestatem, quam allatam. m. prob. Ecclesia nunquam præcipit aliquid, nisi illud cedat in bonum subditorum: bonum autem illud subditorum est honestas aliqua specialis alicujus virtutis specificæ, vg. Religionis, temperantiæ &c. non autem est honestas aliqua generalis obedientiæ. Patet etiam in omnibus præceptis Ecclesiæ, quæ specialem, & specificam honestatem, ab honestate obedientiæ distinctam, continent. Specialiter autem hoc præceptum erogandi superflua in causas pias non videtur præcise ideo factum, ut per hanc expensionem Clerici ostendant suam subjectionem erga Ecclesiam, sed ut satisfaciant pio Fundatorum desiderio, & juxta hoc bona illa tanquam *res Dei* pie applicent, ut patet ex dictis.

§. V.

Resolutiones practicæ cum recapitulatione illorum, quæ hoc articulo hucusque sunt tractata.

267 Resolvo 1. Clerici quicunque, male expendentes, alienantes &c. bona Ecclesiastica quarti modi, seu simpliciter talia, peccant, & tenentur ad restitutionem; nam Clerici non sunt Domini, sed solum administratores horum bonorum: ergo si male ea expendunt cum detrimento Ecclesiæ, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem. Quod exinde confirmatur, quia fideles ista bona hac intentione & obligatione justitiæ censentur contulisse Ecclesiæ, ut in bonum Ecclesiæ impendantur. Quare non substant liberæ dispositioni Clericorum, nequidem ipsius Pontificis, qui sine justa causa ea non aliter, quam in bonum illius Ecclesiæ, ad quam pertinent, dispensare potest.

268 Resolvo 2. Clerici tenentur in causas pias expendare beneficialia superflua. Ratio est: quia grave est præceptum Ecclesiæ (non autem juris naturalis, vel divini) obligans ad hanc piam expensionem. Itaque, si gravem quantitatem de his bonis in usus profanos, vg. in Consanguineos, qui pauperes non sunt, vel in nimiam pompam, commessationes immoderatas, lusus immodicos &c. impenderint, absque dubio graviter peccant: id, quod certum est apud omnes. Ex his tamen

269 Dubitabis 1. Quænam quantitas bonorum superfluorum sit gravis, & constituat peccatum mortale, si expendatur in usus profanos? R. 1. Ut circa hoc punctum peccetur graviter, requiritur major quantitas, quam ad furtum grave. Herincx, Reiffenstuel, Haunold, & alii communiter. Ratio est: quia Clerici sunt Domini superfluorum, non sic fur rei furtivæ.

R. 2. Satis laxa videtur regula, quam ex Coninck refert P. Herincx, juxta quam quarta, vel quinta, aut tertia pars Redditūum superfluorum esset mortalis, si in usus profanos expendere-

deretur. Hæc regula sic universaliter intellecta juste displicet P. Haunoldo: nam sequitur ex ea, quod aliquando quidam Beneficiati unico anno aliquot millia aureorum ex superfluis possint in usus profanos convertere sine peccato mortali, uti e. g. Archidiaconus Toletanus, qui annuos redditus habet triginta millia aureorum, prout refert Haunoldus. Illsung putat, interdum vigesimam partem bonorum superfluorum non esse materiam levem, sed omnino gravem. Quare recte addit, certam hic, & universalem Regulam dari non posse, sed potius arbitrio prudentum relinqui debere, quæ materia gravis, vel levis sit: hoc autem judicium ut rite formetur, esse respiciendum ad intentionem Fundatorum, qui videntur, majorem quantitatem ex Redditibus, etiam certo superfluis (de his enim est sermo) indulgere illis Clericis, qui magis sunt de Ecclesia meriti ob nobilitatem, laborem, aliaque commoda Reipublicæ Christianæ, & Ecclesiæ præstita, ita quidem, ut interdum talibus insigniter meritis personis Fundatores præsumendi sint, velle concedere integros redditus ad liberam dispositionem. Ita Illsung, cui & & ego subscribo: quamvis forte respectu talium, tam præclara merita habentium, bona ista superflua dici nequeant, sed inter congruam, & debitam sustentationem computari debeant secundum dicta superius.

Dubitabis 2, Quænam sint causæ piæ, in quas dispensa- 270
ri debeant superflua? R. sunt ipsi pauperes, qui non habent necessaria ad sustentationem vitæ, inter quos etiam sunt Nobiles illi, & Illustres, qui non habent sufficientia media pro conservando suo statu: item Hospitalia, Monasteria, Templa, & quæcunque demum ad cultum Dei, vel opera misericordiæ tam spiritualia, quam corporalia ordinantur: quidquid autem ad aliquid aliud ordinatur, sortitur nomen causæ profanæ. Potest autem Beneficiatus, excepto casu necessitatis extremæ vel gravis suæ Ecclesiæ, bona superflua expendere in pauperes etiam extraneos, & in causas pias extra suam Parochiam existentes. Ratio est: quia excepto casu necessitatis prædictæ nec Canones, nec jus naturale, aut divinum exprimunt, ut potius causis piis intra suam Parochiam, & Ecclesiam existentibus, quam extraneis succurratur. Accedit, quod Beneficiatus pauperibus in-

tra suam Parochiam existentibus obligetur tantum directe succurrere in spiritualibus, non autem in temporalibus: ergo non est ratio, cur magis debeat suis Parochianis erogare de bonis temporalibus, quam aliis extraneis, quamvis, cæteris paribus, omnino deceat, eum in suas concreditas oves etiam liberaliorem eleemosynam dispensare, quam in extraneos. Dixi: *excepto casu necessitatis extremæ, vel gravis*; quia natura dictat, ut suis ovibus in tali necessitate constitutis præ aliis succurrat.

271 Resolvo 3. Beneficiatus superflua beneficialia expendens in causas profanas non tenetur ad restitutionem causis piis faciendam. Ratio hujus est: quia est Dominus horum bonorum: & licet peccet sic expendendo, non tamen peccat contra justitiam, adeoque nec ad restitutionem obligatur. Hinc neque ille, qui tales res superfluas etiam scienter a Clerico accepit, ad restitutionem tenetur. Ratio est: quia ejusmodi donatio, vel alienatio quæcumque similium bonorum fuit valida, eoquod Clericus habuerit dominium istarum rerum, & sic illud in alios transferre potuerit. Hæc tamen resolutio est intelligenda de superfluis ita expensis in causas profanas, ut ea neque formaliter, neque æquivalenter maneant in dominio Beneficiati. Quare

272 Resolvo 4. Si Beneficiatus ex superfluis beneficialibus emisset prædium, vel aliquid aliud, tunc illud, quod emit, deberet in pias causas expendi. Lugo, Mayr, Busenbaum. Ratio est: quia res, quæ ex superfluis Beneficii bonis emitur, in illorum locum, & in eamdem obligationem succedit: & hinc superflua illa saltem æquivalenter adhuc exstant apud Beneficiatum: eapropter etiam pecunias illas, quas Clericus ex venditis fructibus superfluis colligit, tenetur in usus pios applicare.

273 Resolvo 5. Nisi adsint causæ piæ, vel pauperes in gravi, aut extrema necessitate constituti, Beneficiatus non tenetur statim superflua, quando ea accepit, in causas pias expendere. Herincx, Holzman, Antonius Mayr, & Communis. Ratio est: quia Tridentinum superius allegatum non jubet, ut superflua statim erogentur, sed tantum, ut ea non dispensentur in Consanguineos &c. Hinc non est condemnanda praxis eorum, qui ea inten-

tentione asservant bona superflua, ut majori summa collecta possint pias fundationes facere. Cavere tamen debent, ne morte præventi dispositionem nullam faciant, & sic ea bona ad Propinquos, & alios profanos ab intestato deveniant.

Resolvo 6. Qui in usum profanum a Clerico accipit aliqua superflua, non tantum, ut dixi, excusatur a restitutione, 274
sed & potest excusari a peccato, si Clericum non induxit ad talem expensionem, neque per eam Clericus redditur impotens ad superflua expendenda in usus pios. Ratio est: *tum*. quia præceptum Ecclesiasticum tantum stringit personam Clerici, ne expendat, non tamen stringit alios, ne profana expensa acceptent. Hinc ait Lessius, & Herincx, quod obligatio ista non expendendi profane sit tantum *personalis*, seu soli personæ Clerici affixa. *tum*, quia nullum præjudicium infert acceptans, eo quod Clericus supponatur, posse his male expensis alia bona ex patrimonialibus substituere, & in causas pias expendere. Imo Lugo, Mezger, Holzmann, Tamburinus, & Lessius existimant, quod acceptans talia profane expensa non peccet, etsi Clericus per talem expensionem reddatur impotens ad satisfaciendum suæ obligationi, & expendenda superflua in causas pias. Verum hæc opinio alio in loco magis discutietur. Dixi autem: *si Clericum non induxit*; nam ejusmodi inductio in expensionem malam, & peccaminosam semper foret peccatum.

Resolvo 7. Clericus potest libere, etiam in usus profanos, 275
impendere 1. sua patrimonialia, 2. quasi patrimonialia, proinde & redditus Stolæ, ac 3. distributiones quotidianas, etsi eæ multum excedant laborem, & dato etiam, quod præter distributiones nulli alii fructus beneficiales adessent: 4. bona beneficialia honestæ sustentationi necessaria: 5. parsimonialia, ac 6. fructus Capellaniæ, vel Vicariæ non collativæ, ac ad nutum amovibilis. Ratio horum omnium est: quia aut non sunt bona beneficialia, aut si sunt, non sunt tamen superflua: ergo ea non subsunt legi Ecclesiasticæ, præcipienti, ut superflua beneficialia in causas pias expendantur. Inde

Deduces: Si Clericus ex immediate enumeratis bonis aliquid

quid expenderit in causas pias, eum posse compensationem facere ex superfluis beneficialibus, atque hæc, scilicet superflua, in causam profanam applicare: Reiffenstuel, Lessius, Pichler. Et huic compensationi etiam tunc adhuc locus est, quando Beneficiatus habuit expresse animum non compensandi, ut docet Pichler ex Lugone contra alios. Ratio hujus est: quia præcepto expendendi superflua in causas pias jam est satisfactum per anticipatam expensionem aliorum bonorum. Neque obest, quod habuerit voluntatem per illam expensionem quasi patrimonialium non satisfaciendi præcepto illi, quo adstringitur superflua in causas pias erogare; ponamus enim aliquem, qui audit Sacrum die festo cum expressa voluntate non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sed audiendi adhuc aliud Sacrum: talis homo, non obstante sua voluntate non satisfaciendi, satisfacit tamen per primum Sacrum, nec tenetur amplius ad aliud audiendum; quia per auditionem primi jam fecit rem præceptam, quod sufficit ad implendum Ecclesiæ præceptum: ergo idem est a pari in nostro casu dicendum.

276 Resolvo 8. Illi, qui habent beneficium in Commendam, tenentur superflua in usus pios impendere sicut Beneficiarii: Lugo, Busenbaum &c. Ratio est: quia talis, qui habet beneficium in commendam, substituitur Beneficiario in ejus munere, & sentit Commoda omnia Beneficiati: ergo debet & onera ejus præstare, inter quæ est, ut erogentur superflua in causas pias. Idem dicendum est de Vicariis perpetuis, qui etiam veri sunt Beneficiati. Commenda autem nihil est aliud, quam administratio, & cura beneficii vel Ecclesiæ alicui commissa. Hæc solet moderno tempore esse perpetua, confertur in titulum, ac æquiparatur beneficiis, uti etiam Commendatarius fructus Beneficii omnes percipit. Similis resolutio est de Pensionariis perpetuis, seu de Clericis perpetuam pensionem habentibus: Illsung contra Lugo. Ratio est: quia hi sunt veri Beneficiati, & pensio perpetua est proprie dictum beneficium, ut ait Pichler Tit. *de Præbendis*. n. 8. ac Reiffenstuel *eod. Tit.* n. 86.; datur autem tunc talis pensio, quando authoritate Superioris detrahitur certa portio fructuum ex Beneficio pingui, & alicui Clerico propterea sacras functiones exercenti assignatur in titulum Beneficii perpetui,

tui, v. g. perpetuæ Vicariæ. Aliud dicendum de penſionibus temporalibus; nam hæ conveniunt cum Capellaniis temporalibus. Item ſub hac lege expendendi ſuperflua in cauſas pias non veniunt penſiones laicales, quandoque Laicis ex certo beneficio ſolvendæ, ob ſervitia Eccleſiæ præſtita, vel ob ſpecialia merita in Eccleſiam collata.

§. VI.

An Clerici Sæculares Beneficiati valeant teſtari, vel mortis cauſa diſponere de ſuis bonis?

Dubium hoc pertineret quidem ad materiam de Teſtamentis, & ultimis voluntatibus: nihilominus quia concluſiones priores interdum impugnari ſolent argumentis ex hac quæſtione depromptis, ideo eam pro pleniori notitia de dominio Clericorum aſſequenda hic pertracto. Ut autem hoc rite fiat, antequam illa, quæ adhuc inter DD. ſunt controverſa, examinem, certas aliquas, ac ab omnibus admiſſas deciſiones præmitto.

Certum igitur eſt 1. Clericos, ſeu beneficium habeant, ſeu non habeant, poſſe liberrime teſtari, & diſponere mortis cauſa, etiam ad cauſas profanas, de bonis ſuis patrimonialibus, induſtrialibus, ſeu quaſi patrimonialibus, item de parſimonialibus. Ita Leſſius, Reiffenſtuel. patet ex dictis §. I. hoc art. 277

Certum eſt 2. Quod Clerici, ſpectato jure communi ſcripto, nec valide, nec licite, etiam ad cauſas pias, poſſint teſtari, vel mortis cauſa diſponere de bonis beneficialibus ſuperfluis; hæc enim vi juris communis debent relinquere Eccleſiæ, in qua habuerunt Beneficium, quæ in talibus bonis ſuccedit. Reiffenſtuel, Holzman, ac Communis aliorum. Et clare habetur capp. 1. 8. & 9. *de Teſtamentis.* Idque ſtatuit Eccleſia, ut Clerici non ſtuderent accumulandis nimiis opibus, ne hoc ſtudio multum a cultu divino avocentur: item ut eſſent promptiores, ad ſuperflua in vivis majori cum merito expendenda in cauſas pias, ſcientes, quod mortis cauſa de his bonis diſponere nequeant.

Certum est 3. Illos Clericos Beneficiatos etiam de superfluis posse valide, ac licite testari ad causas tam pias, quam profanas, qui ita testandi privilegium & facultatem a summo Pontifice obtinuerunt. Ratio hujus est: quia lex prohibens, & irritans talia testamenta Clericorum, est tantum lex humana, & Ecclesiastica, in qua summus Pontifex ex rationabili causa potest dispensare, & illam per privilegium respectu aliquorum Clericorum relaxare: nam Pontifex est supra legem Ecclesiasticam. Ex quo similiter sequitur, quod summus Pontifex possit alicui Clerico concedere privilegium, ut de bonis superfluis beneficialibus etiam inter vivos possit licite disponere.

Certum est 4. Consuetudine quoque posse obtineri facultatem, licite & valide testandi de bonis superfluis ad causas pias. Ratio est: quia lex Ecclesiastica potest abrogari per consuetudinem rationabilem: atqui consuetudo testandi ad causas pias esset rationabilis: ergo per eam posset lex Ecclesiastica, irritans & prohibens ejusmodi Testamenta abrogari. Dubium igitur solum remanet, an consuetudo etiam possit introduci, vi cujus Clericis concedatur facultas valide, & licite testandi de superfluis beneficialibus ad causas profanas? pro cujus resolutione

278 Assero 1. Potest introduci consuetudo, vi cujus Clerici beneficiati ad causas profanas *valide* possunt testari, & mortis causa disponere de bonis beneficialibus superfluis. Covarruvias, Lessius, Zoësius, Mezger, Holzman, Reiffenstuel in Theol. morali, ac alii quam plurimi.

Prob. 1. Quod Clerici testari nequeant de prædictis bonis ad causas profanas, ex solo jure humano Ecclesiastico provenit: atqui jus humanum, etiam Ecclesiasticum, potest abrogari consuetudine legitime præscripta, ut habetur cap. fin. *de consuetudine*, & in Tractatu de legibus dictum est: ergo.

Prob. 2. Facultas ista testandi de præfatis bonis ad causas profanas a summo Pontifice potest dari per privilegium, & jam fuit data: ergo etiam potest acquiri per consuetudinem, saltem immemorialem; nam consuetudo immemorialis in Jure æquiparatur

tur privilegio, ut colligitur ex cap. *Super.* 26. de V. S. ergo facultas ista saltem per consuetudinem immemorialem introduci potest. M. prob. ex variis Bullis, ut illa Julii III. quæ incipit: *Cupientes, ut alma.* in qua Clericis Romanis, & urbi Romanæ vicinis conceditur facultas testandi *de omnibus & singulis fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, licite tamen acquisitis, cujuscunque qualitatis, quantitatis, summæ, valoris, & pretii, seu conditionis existant, etsi talia sint, quæ sub generali verborum expressione non comprehendantur, sed speciali nota digna sint.* Sub quibus verbis certe comprehenduntur etiam bona beneficialia superflua: *tum*, quia Bulla loquitur de omnibus omnino fructibus beneficialibus: *deinde* de bonis cujuscunque qualitatis, & conditionis, & de illis quoque, quæ speciali nota digna sunt, qualia sunt utique secundum AArios bona superflua. Et de his bonis concedit Pontifex, ut Clerici possint disponere tam inter vivos, quam mortis causa, ac testari etiam ad causas quasvis profanas, & in favorem locorum *piorum*, & *non piorum*, hominum etiam *de jure incapacium, divitum*, & *potentium*, additque, quod sic disponere valeant *libere*, & *licite.*

Prob. 3. Clerici inter vivos valide possunt disponere de bonis superfluis in causas profanas, quamvis non licite: ergo non est ratio, cur consuetudo ejusmodi valide disponendi mortis causa de iisdem bonis non possit introduci contra legem Ecclesiasticam.

Prob. 4. Consuetudo ejusmodi esset rationabilis positive: ergo non est ratio, cur ea non possit introduci A. prob. nam consuetudo inde fit rationabilis, 1. quia potest servire ad publicam Reipublicæ pacem, & amputandas lites, quæ inter Ecclesiam, & hæredes defunctorum facile alias oriri possent, eoquod bona patrimonialia, & quasi patrimonialia, de quibus valide & licite testantur Clerici, non possint discerni a superfluis beneficialibus, de quibus testandi facultatem non haberent, nisi ejusmodi consuetudo esset valida. 2. Facultas hæc testandi refrænat luxum & pompam, ac nimiam prodigalitatem Clericorum; nam si sciunt, quod aliquid suis possint relinquere, non solent adeo

esse prodigi in vita. 3. Hæc facultas posset etiam viros doctos, ac aliis dotibus insignes allicere ad Clericatum assumendum cum magna utilitate Ecclesiæ.

279 Objic. 1. Cap. *Relatum*. 12. *de Testamentis*. approbatur solum consuetudo testandi de superfluis beneficialibus in causas pias: ergo a contrario reprobatur consuetudo testandi ad causas profanas. R. N. c. Quamvis Pontifex unam consuetudinem approbet, non tamen aliam, de qua nihil dicit, statim reprobat positive ut corruptelam, & irrationabilem, sed tantum ab ea abstrahit.

Objic. 2. Hæc consuetudo foveret peccatum; faceret enim, ut Clerici nimis intenti corradendis bonis, minus forent liberales in pauperes: ergo foret irrationabilis, & non posset valide introduci. R. 1. indirecte: Etiam tali modo lex, prohibens testari ad causas profanas, foveret peccatum; nam esset ansa, ut Clerici forent nimis prodigi, excederent in sumptibus, & pompa &c. ergo etiam talis lex prohibens foret irrationabilis. R. 2. N. a. Hæc consuetudo non foveret, nec causaret peccatum, quamvis ex ea per accidens malitia quorumdam Clericorum posset sumere ansam peccandi, ac corradendi avare bona neglectis pauperibus: sicut homines pravi sæpe ex re optima ansas peccandi arripiunt, prout ex ipsa lege prohibente ejusmodi testamenta Clericorum ad causas profanas, possunt aliqui Clerici peccaminose prodigere, aut negligere bona beneficialia: ubi tamen propterea lex hæc, etiam ex mente AAriorum non foret irrationabilis.

Dices: Saltem hæc consuetudo esset contraria fini rationabili, quem habet lex Ecclesiastica, prohibens hæc testamenta: ergo hæc consuetudo non esset rationabilis. R. D. a. esset contraria *negative*, quatenus positive non procuraret finem hunc rationabilem C. a. esset contraria *positive*, quatenus malitiam contrariam huic fini positive intenderet, aut causaret N. a. Videantur dicta de consuetudine in Tractatu de Actibus humanis, ex quibus omnia, quæ hic objici possunt, solvi debent.

280 Assero 2. Potest etiam introduci consuetudo, vi cujus Clerici non solum valide, verum & licite testentur de bonis beneficia-

ficialibus ad cauſas profanas. Mezger, Holzman, Haunold, ac plures alii contra noſtrum Reiffenſtuel ſuperius cit. Probatur hæc concluſio iisdem rationibus, quibus fuit probata prior. Ex quo

Deduces 1. Poſſe quoque conſuetudinem introduci, vi cujus Conſanguinei & hæredes defuncti Clerici ſuccedant in ejus bonis ſuperfluis ab inteſtato: quia de hac conſuetudine par eſt ratio, ac de priore.

Deduces 2. Quod etiam per conſuetudinem poſſit obtineri licentia expendendi bona ſuperflua in cauſas profanas per donationes, & alios contractus inter vivos. Ubi igitur ſimilis conſuetudo eſſet legitime introducta, Clerici, ſic expendentes bona ſuperflua in cauſas profanas, non amplius peccarent, quia lex prohibens tales expenſiones eſſet ſublata per conſuetudinem legitime introductam.

Porro in utraque aſſertione dixi: *Poteſt introduci conſuetudo* 281
&c., nolim enim aſſerere, eam jam actu introductam eſſe; nam de tali conſuetudine actu jam vigente non videtur ſufficienter conſtare: ſiquidem & in iis locis, ubi viget teſtandi conſuetudo, Clerici, curam ſalutis ſuæ habentes, teſtantur ad cauſas pias, imo aliqui eorum, uti Epiſcopi, ſpecialem petunt teſtandi licentiam ad cauſas profanas, quod non facerent, ſi jam per conſuetudinem obtinuiſſent hanc facultatem teſtandi: alii autem, dum teſtantur ad cauſas profanas, diſponunt de ſuis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus, ac illa quæ ſuperflua ſunt, curant erogari in Miſſas, funeralia, & alia pia legata. In nonnullis diæceſibus, ubi eſt conſuetudo teſtandi, etiam Epiſcopi expreſſus conſenſus requiritur, utique non ob alium finem, quam ut ſecurius Clerici teſtantes ſatisfaciant ſuæ conſcientiæ quoad diſpoſitionem circa ſuperflua. Quod ſi unus, vel alter (quod tamen non facile præſumi debet) aliter egerit, non ſtatim conſuetudo hæc valide, vel licite ad profana teſtandi cenſebitur eſſe introducta; cum hæc ſolum a majori parte Communitatis introduci valeat, prout præclare diſcurrit Reiffenſtuel cit. n. 57.

Adverto nihilominus, an confuetudo hæc introducta fit, nec ne, non petendum ex libris, fed ex particulari fingularum Diœcefium ufu, quem optime noverint illi, qui talibus Diœcefibus præfunt. Addo etiam, in aliquibus diœcefibus poffe effe confuetudinem *valide*, non autem *licite* fic teftandi. Hinc peffime argumentaretur aliquis Clericus: In mea diœcefi eft confuetudo teftandi de bonis beneficialibus fuperfluis ad caufas profanas: ergo fine peccato poffum de iis teftari; poteft enim confuetudo ifta fe folum ad valorem extendere, non autem ad licentiam, & evitationem peccati; nam valor, & licentia actionis funt duo feparabilia: hinc circa illum poteft introduci confuetudo, quin circa alteram.

Atque hoc patet ex conftitutionibus Synodalibus Conftantienfibus; quæ, quamquam fupponant, & afferant, receptam effe alicubi confuetudinem teftandi valide ad caufas profanas de bonis beneficialibus, fic tamen teftantes non abfolvunt a peccato. Verba Synodi, in quibus aliqui ex AAriis plus jufto confidunt, fubnecto, & funt hæc: *Licet antiquiffimæ confuetudini libere teftandi nihil derogatum velimus: quia tamen pium, rationique valde confentaneum eft, ut Clerici ex hujusmodi bonis honefte tantum vivant, &, quod fupereft, in pios ufus convertant, ferio monemus omnes Clericos, ut circa hujusmodi bona, five hæredes ex Teftamento, five ab inteftato relinquant, etiam Ecclefiarum, quibus adfcripti funt, pauperum, aliarumque piarum caufarum rationem habeant, ne, dum forte fuos Confanguineos ex bonis Ecclefiafticis temporaliter locupletare contendunt, ipfi falutis æternæ difpendium, atque jacturam patiantur.* Ubi pofita etiam confuetudine libere teftandi de fuperfluis, fupponitur adhuc adeffe periculum peccandi graviter. Qua de re non immerito Leffius l. 2. c. 19. dub. 4. n. 44. invehitur in illos Clericos ita falutis immemores, ut in articulo mortis velint fibi accerfere periculum damnationis, aitque, viros bonos ab hoc valde abhorrere.

Sunt etiam notatu digna verba Clariffimi P. Antonii Mayr hujus tenoris: *Neque unquam audivi, effe communem perfuafionem apud Clericos probos, poffe eos licite de fuperfluis beneficialibus difponere non aliter, quam Sæculares, eaque confumere e. g. convivando,*

do, ludendo, vel divitibus Consanguineis donando. Merentur & legi, ac notari illa, quæ habet Pichlerus l. 3. Decret. T. 25. *de peculio Clericorum.* n. 12., ubi inter alia habet: Valde decet, ut Clerici non sibi, & suis usibus applicent illa etiam bona beneficialia, quæ ad congruam sustentationem absolute computari possunt: imo tam ampla sustentatio ipsis non debetur, quando occurrunt valde graves necessitates proximorum, & Ecclesiæ; est enim res scandalo plena, pauperes perire fame, & Clericos de patrimonio Christi laute vivere &c. Ita ille, licet in suis sententiis alias satis faveat Clericis Sæcularibus. Sed contra hæc, quæ ultimæ assertioni subjunxi.

Objic. 1. Si Clerici sic testando peccant, hoc ipso con- 282
suetudo præfata est invalida: ergo. A. prob. illa consuetudo est invalida, quæ fovet peccatum: atqui si Clerici, sic vi consuetudinis testando, peccant, tunc consuetudo necessario fovet peccatum; quia præbet ansam sic peccaminose, & illicite testandi: ergo. R. N. a. ad prob. N. m. consuetudo enim illa ex rationabili causa, ne alias multiplicentur lites, *permittit* Testamentum tale valere, postquam illud est factum, non autem approbat positive ut licitum, imo supponit, illud esse prohibitum. Neque novum est, quod lex, vel consuetudo aliquem actum illicitum, & peccaminosum permittat esse validum: sic, si quis contra juramentum faceret testamentum, peccaret quidem, & tamen dispositio in testamento facta valeret: Et qui contra sponsalia priora, quæ fecit cum Berta, duceret Cajam, peccaret, sed matrimonium valeret. Hinc etiam Clericus, qui de beneficialibus superfluis ad causas profanas disponeret vel inter vivos, vel vi præfatæ consuetudinis etiam mortis causa, peccaret quidem, dispositio tamen semel facta valeret. Unde hic locum habet vulgare illud: *Multa prohibentur, quæ tamen facta tenent.*

Objic. 2. Saltem hæredes, qui aliquid ex simili Testamento, de quo loquimur, accipiunt, debent illud in causas pias expendere; nam hæredes quoad bona, quæ ex Testamento obtinent, repræsentant personam defuncti Testatoris, in cujus proin onera succedunt. Cum ergo defunctus ipse ex præcepto fuisset obligatus expendere superflua illa in Testamento relicta, sic

&

& hæres eamdem subit obligationem : ergo. R. N. a. nam. 1. ut ait Lessius, & consentit Reiffenstuel in Theolog. morali Tr. 7. d. 4. n. 35., qui legi meretur, obligatio expendendi superflua in causas pias est solum personalis, & personis Clericorum adhæret, nec ad hæredes, vel alios, qui aliqua de illis bonis accipiunt, transmittitur. Hinc 2. ait Lugo, hæredes hac in re nullum sibi scrupulum facere. 3. Quia sæpe non constat, an Beneficiatus reliquerit superflua, & an non testatus fuerit ex solis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, hinc justa potest esse consuetudo, vi cujus hæredes bona quævis a Clerico relicta non solum possint retinere, sed & in causas profanas expendere. Quæ omnia etiam procedunt in illis locis, ubi solent Clericis etiam hæredes ab intestato succedere. Quare sic succedentes de bonis a Clerico relictis pro libitu in omnem usum etiam profanum possunt disponere absque scrupulo.

ARTICULUS IV.

De Dominio Religiosorum.

§. I.

An Religiosi in communi sint capaces Dominii?

283 NOta 1. Religiosos varie posse considerari: 1, Possunt spectari in communi, quatenus constituunt aliquam certam Communitatem, integrum Conventum, ac familiam alicujus Monasterii, vel integrum Ordinem. 2. potest quilibet inspici in particulari, & seorsim: possunt etiam considerari ut Professi, & nondum Professi.

Nota 2. Certum esse, quod Novitii necdum professi, etiam in particulari, gaudeant dominio; hi enim necdum renunciarunt dominio suarum rerum per Professionem. Quæstio est solum de Professis, qui sunt duplicis generis; alii enim tantum emiserunt vota simplicia, ut Scholastici S. J. post biennium

Novitiatus, qui proinde non ſunt ſolemniter profeſſi: alii ſunt ſolemniter profeſſi. Hinc

Nota 3. Ex Leſſio, Herincx, & Holzman: Votum *ſolemne* eſſe illud, quod ſuſceptioni ſtatus immutabilis conjunctum eſt: quale eſt illud, quod ex Eccleſiæ ordinatione annexum eſt ſuſceptioni Ordinis ſacri, per quem immutabiliter aliquis dedicatur ſtatui Eccleſiaſtico. Talia vota etiam ſunt illa, quæ emittuntur in Profeſſione Religionis ab Eccleſia approbatæ, & per quæ ſe quis immutabiliter, & irrevocabiliter conſecrat ſtatui Religioſo. Dicuntur autem vota iſta *ſolemnia* 1. denominatione aliqua deſumpta ab ipſo Ordine ſacro, & Profeſſione Religioſa, qui ſunt actus quidam ſolemnes. 2. quia ex decreto Eccleſiæ aliquam ſpecialem qualitatem obtinent; poſſunt enim ægerrime relaxari, ac per ea fit contractus inter Religioſum, & Religionem ita firmus, ut ei neque Religioſus, neque Religio amplius poſſint renunciare. Accedit, quod ex conſtitutione Eccleſiæ voto paupertatis, ſolemniter edito, ſit annexa incapacitas dominii, & voto ſolemni caſtitatis impedimentum dirimens matrimonii. Contra, vota *ſimplicia* non annectuntur ſtatui irrevocabili; nam, qui in aliqua Religione emittit vota ſimplicia ſola, ſe quidem, quantum eſt ex ſua parte, obligat irrevocabiliter Religioni, ita, ut talis vovens non poſſit amplius reſilire, aut mutare voluntatem ſuam: non autem ſe mutuo tali voventi obligat Religio ad non relaxanda ejus vota. Quare penes Religionem manet poteſtas tollendi, & relaxandi vota ſimplicia: aliud eſt in votis ſolemnibus, quæ tam ex parte voventis, quam ex parte Religionis ſunt irrevocabilia. H. N.

Aſſero. Religioſi in communi, ſeu Communitates Religioſæ poſſunt habere dominium rerum temporalium, mobilium & 284
immobilium, exceptis Fratribus Minoribus de Obſervantia, & Capucinus. Ita defacto omnes contra Navarrum, qui dominium rerum omnium, quarum uſum habent Clerici, & Religioſi, voluit eſſe penes Chriſtum, & ſolam adminiſtrationem earum eſſe apud Communitates Religioſorum, cujus fundamentum jam ſuperius ſolutum eſt.

Prob. 1. Tridentinum sess. 25. de Regularibus c. 3. concedit omnibus Monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum & mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat, utique tanquam vere sua.

Prob. 2. Nicolaus III. cap. *Exiit.* de V. S. tradit, Franciscanos neque in communi habere dominium rerum tam mobilium, quam immobilium, sed dominium rerum ipsis concessarum pertinere ad summum Pontificem: & hoc docet, tanquam aliquid Francisano Ordini peculiare, & speciale: ergo eoipso supponit, quod aliæ Religiones in communi sint capaces dominii; alias enim hæc incapacitas dominii non esset Franciscanæ familiæ specialis, sed foret omnibus Religionibus communis.

Prob. 3. Juxta Can. *Abbates.* c. 18. q. 2. & receptam apud omnes sententiam: *Monachus, quidquid acquirit, monasterio acquirit*: ergo Monasterium, seu Religiosi habent dominium illarum rerum, quas acquirunt. C. videtur patere; ideo enim Monachus sibi in particulari non acquirit aliquid, quia in particulari non est capax dominii: ergo e contrario, si aliquid acquirit Monasterio, hoc debet esse capax dominii.

Prob. 4. Neque ex ordinatione Ecclesiæ, neque ex intentione Religiosorum voventium paupertatem, neque ex intentione Fundatorum, donantium bona aliqua Monasteriis, prædictæ Religiones in communi sunt incapaces dominii: ergo non sunt incapaces. A. pars 1. patet; quia talis ordinatio, quæ Religiosis in communi denegaret dominium, non potest ostendi. 2. pars exinde clara est, quia tales Religiosi vi voti se tantum in particulari intendunt privare dominio. 3. pars iterum liquet; quia donantes ordinarie censentur, velle transferre dominium in donatarios, qui illius sunt capaces, sicut & dominium eleemosynæ in pauperes dominii capaces transferre solent: ergo, si aliunde Religiosi dominii non sunt incapaces, tunc neque ex intentione Fundatorum fiunt incapaces: imo vi intentionis hujus ad Religiosam Communitatem potius transfertur dominium.

Ne-

Neque obest huic dominio, quod Ecclesia per suas ordinationes certis limitibus restringat dispositionem de bonis Monasterii, ita ut in detrimentum Monasterii etiam tota Communitas Religiosorum de talibus bonis disponere nequeat; nam hæc ordinatio non tollit dominium, sed reddit minus expeditum: prout & alias Dominus potest lege quandoque impediri in aliqua dispositione circa bona sua.

Ex quo colliges, vi Tridentini in probatione prima allegati, omnibus Religiosis (exceptis Franciscanis observantibus, & Capucinis) esse permissum possidere bona etiam immobilia in communi, etsi forte Constitutiones, & Regulæ ejusmodi Ordinum obstarent. Quare etiam Clarissæ, primam Regulam S. Claræ observantes, vi cujus sunt incapaces dominii etiam in communi, possent post Tridentinum bona mobilia, & immobilia in communi possidere, ut recte docet Herincx.

Adverte tamen, hoc dominium Religiosorum in communi non esse ita absolutum, & expeditum, ut Sæcularium; etenim nec totæ Communitates Religiosæ possunt pro libitu de talibus bonis, quorum habent dominium, disponere in usus quosvis etiam profanos; sed debent ea in commodum Monasterii applicare, hac enim sub obligatione a Fundatoribus donantur Conventui.

§. II.

An Religiosi in particulari habeant Dominium?

Assero 1. Religiosi in particulari, Religionem ab Ecclesia approbatam solemniter professi, sunt incapaces dominii, & juris cujuscunque realis in res temporales, & externas. Communis & recta. 285

Prob. Ecclesia suis ordinationibus reddit Religiosos incapaces dominii: ergo sunt incapaces. A. prob. 1. ex communi consensu omnium DD., qui hanc incapacitatem ex ordinatione Ecclesiæ descendentem agnoscunt. 2. ex Cap. *cum ad monasterium* 6. *de statu Monachorum*. ubi Innocentius III. sic ait: *Prohibemus districte in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium proprium aliquo modo possideat.* Et infra:

infra: *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa Regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Dixi in conclusione 1. Religionem ab Ecclesia approbatam *solemniter* professi. Dixi 2. sunt incapaces dominii, & juris realis cujuscunque in res *temporales*. Pro harum particularum declaratione sequentes ponuntur conclusiones. Quare

286 Affero 2. Aliqui Religiosi non solemniter professi, sed emittentes vota simplicia in Religione per Sedem Apostolicam approbata, sunt capaces dominii. Communis, ac certa; nam Scholastici S. J., qui post biennium Novitiatus vota simplicia emiserunt, sunt veri Religiosi, prout decernit Gregorius XIII. in Bullis: *Quanto fructuosius.* Et: *ascendente Domino:* Sed iidem per vota simplicia non sunt incapaces dominii; siquidem retinent dominium proprietatis respectu suorum bonorum, ac paupertatem in solo usu servant, quatenus nulla re tanquam propria, & sine Superioris facultate uti possunt, ut habetur in laudatis Bullis: ergo aliqui Religiosi, non solemniter professi in aliqua Religione approbata ab Ecclesia, sunt capaces dominii.

Ratio hujus est 1. quia tale dominium est parvi momenti, cujus usus est impeditus, & in omnibus dependens ab alieno arbitrio, & nutu Superioris; siquidem dominium rerum tantum æstimari solet propter usum, & liberam dispositionem. 2. Curæ sæculares, quæ confundunt animum, magis ex usu libero rerum temporalium, quam ex earum proprietate proveniunt: ergo non obstante tali dominio, cujus usus est in omnibus ab arbitrio Superioris dependens, potest dari paupertas vere religiosa saltem quoad essentiam. Ex quo

Sequitur, talem Religiosum, si alicujus rei, etiamsi sua sit, usum usurpet absque Superioris consensu tacito, vel expresso, peccare mortaliter, si videlicet materia sit gravis. Ratio est: quia iste æque privatus est dispositione libera, ac si res sua non esset. An autem talis dispositio, vg. donatio de rebus suis facta a Religioso, qui dominium, non autem usum habet, sit

etiam

etiam invalida, disputant inter se DD. Societatis, qui videri possunt: ad nos, qui solemniter sumus professi, hæc res non spectat.

Certum pariter est inter Th. Th. quod Religiosi, professi Religionem nondum a Sede Apostolica approbatam, sint capaces dominii: quia tales non habent votum solemne, cum solemnitas tantum ex ordinatione Ecclesiæ sit annexa votis, quæ emittuntur in Religione ab eadem approbatis.

Assero 3. Religiosus, etiam solemniter professus, in particulari potest habere dominium, vel quasi dominium rerum, 287
& jurium spiritualium. Ratio est: quia Religiosi per votum paupertatis non renunciant bonis, aut juribus spiritualibus, nec honoribus, qui propter talia jura debentur, sed tantum bonis temporalibus, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 7. ad 4. Lessius, Holzman, & alii communiter: ergo.

Ex quo deduces, Religiosos Beneficiatos habere dominium suorum Beneficiorum, & posse agere nomine proprio ad eorum dominium acquirendum, vel recuperandum, si injuste sit ablatum: Item simplicem Religiosum posse agere super jure eligendi, manendi in tali monasterio, si ad illud Professionem emisit &c. Pariter Religiosus habet dominium, vel quasi dominium juris alimentorum.

Quæres: Unde proveniat incapacitas Dominii in Religio- 288
sis solemniter professis? R. 1. Non provenit hæc incapacitas ex natura status Religiosi secundum se, & in genere. Communis. Ratio est: quia status Religiosus in Scholasticis S. J. subsistit cum dominio proprietatis, ut dictum est: quod non posset fieri, si status Religiosus ex essentia, & natura sua importaret incapacitatem dominii.

R. 2. Neque hæc incapacitas oritur ex natura voti paupertatis. Iterum Communis. Ratio est: quia votum paupertatis emissum in Religione non approbata, vel votum simplex non inducit hanc incapacitatem: ergo hæc incapacitas dominii non oritur ex natura voti paupertatis.

Neque dicas: ſaltem votum ſolemne reddere incapacem dominii; nam contra eſt: Votum ſimplex in ratione voti non minus eſt efficax quam ſolemne, & tamen non poteſt inducere hanc incapacitatem: ergo neque votum ſolemne, quatenus eſt votum, poteſt hanc incapacitatem inducere. A. eſt certum; nam votum ſolemne in ratione, & eſſentia intrinſeca, ac efficacia voti nil differt a voto ſimplici. Hinc votum ſolemne, & ſimplex in ratione voti coram Deo pariunt eamdem omnino obligationem: differentia autem eſt extrinſeca ex certis ordinationibus ab Eccleſia annexis voto ſolemni, non autem voto ſimplici, ob quas ordinationes, voto qua tali penitus extrinſecas & accidentales poteſt quidem vovens fieri incapax dominii, ſed tunc hæc incapacitas non oritur ex natura, & eſſentia voti, bene ex ordinatione Eccleſiæ hanc incapacitatem extrinſece annectente ſimili voto.

Ratio ulterior hujus 2. Reſponſionis eſt, quia nullus privata voluntate poteſt ſe reddere incapacem dominii, niſi accedat authoritas juris, vel Superioris, inhabilitantis legitime ejusmodi Perſonam ad dominium, vel niſi aliquis actu transferat in alium dominium: ergo, quantumcunque aliquis voveat, vel proponat, quod nullam rem ut propriam velit habere, poteſt mutata voluntate ſtatim habere proprium, nempe ſaltem valide.

Confirm. Votum paupertatis eſt mera promiſſio: atqui promiſſio non reddit aliquem incapacem dominii: ergo votum paupertatis non reddit incapacem dominii. m. conſtat; ſic ex eo, quod Paulus promiſerit librum Joanni, non perdit ſtatim dominium hujus libri, imo poteſt valide eumdem alteri donare: & ex eo, quod Antonius promiſerit matrimonium Catharinæ, non fit incapax ducendi aliam, vg. Joannam: ergo a pari, quod quis per votum promiſerit Deo abdicationem omnis proprii, & dominii, non ſtatim ſequitur, quod fiat incapax dominii. Ex quo habes, quod hæc incapacitas etiam nequeat provenire ex intentione voventis, ut oſtendunt probationes hujus reſponſionis ſecundæ.

R. igitur 3. Hæc incapacitas dominii oritur ex Conſtitutione Eccleſiæ. Communis. Prob. Non poteſt alia radix hujus incapa-

capacitatis oſtendi, quam lex Eccleſiaſtica, ut patet ex dictis: ergo. 289

Dices 1. Hæc incapacitas habet ortum ex ſolemnitate voti: ergo non ex ſola lege Eccleſiaſtica. R. N. C. nam, ut ait Bonifacius VIII. Cap. un. *de Voto, & Voti Redempt.* in 6. ipſa *voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa.*

Dices 2. ſummus Pontifex juxta ſuperius cit. cap. *cum ad monaſterium.* non poteſt cum Religioſo diſpenſare. ut habeat dominium: ſed, ſi incapacitas dominii ex ſola lege Eccleſiaſtica haberet ortum, tunc ſummus Pontifex poſſet diſpenſare; quia in omni conſtitutione Eccleſiaſtica diſpenſare poteſt: ergo. R. In allegato capitulo ſummum Pontificem loqui in ſenſu compoſito ſtatus Religioſi: & ita ſummus Pontifex diſpenſare non poteſt, ut quis manens Religioſus *ſolemniter* profeſſus ſimul habeat dominium proprietatis: poteſt autem diſpenſare, diſſolvendo vinculum, & tollendo naturam ſolemnis Profeſſionis, vel eamdem mutando in aliam formam vitæ Religioſæ. Id, quod habetur ex praxi, ex qua conſtat, quod ſummus Pontifex diſpenſarit in votis ſolemnibus Religionis in ordine ad in eundum matrimonium: ſic Alexander III. diſpenſavit cum Nicolao Juſtiniano Monacho, teſte Volaterrano l. 4. Hiſt. Clemens II. cum Caſimiro Monacho Cluniacenſi, ut refert Baronius in Annalibus ad ann. Chriſti 1141. Adde, quod ſolemnitas voti caſtitatis in SS. Ordinibus ſit diſpenſabilis, & ſæpius a Romanis Pontificibus fuerit diſpenſata.

Dices 3. Res Deo ſacra non poteſt amplius converti in uſus profanos: ſed Religioſus profeſſus eſt res Deo ſacra: ergo non poteſt amplius profanari per diſſolutionem Profeſſionis. R. D. M. non poteſt converti in uſus profanos manente conſecratione C. M. ſublata conſecratione N. M. Hanc conſecrationem per ſublationem voti ſolemnis Pontifex aufert, & facit hominem, qui fuit Religioſus, profanum, & Sæcularem.

Dices 4. Pontifex non poteſt a Sacerdote conſecrationem ſacerdotalem auferre, & facere, ut deſinat eſſe Sacerdos: ergo neque poteſt a Religioſo auferre conſecrationem factam per vota ſolemnia. R. N. c. & parit. Conſecratio Sacerdotis conſiſtit in indelebili charactere ex divina ordinatione impreſſo, qui minime ſub-

fubjacet poteftati humanæ, & ecclefiafticæ, confecratio autem hominis religiofi, facta per vota folemnia, provenit partim a voto ipfius Religiofi, partim ab ordinatione Ecclefiæ: fed tam in voto, quam ordinatione fua Ecclefia difpenfare poteft, ut conftat.

Pro coronide hujus §. nota, incapacitatem dominii poffe etiam extra Profeffionem folemnem oriri ex fola lege civili, vel ecclefiaftica: ita Coadjutores formati S. J., etfi non emittant votum folemne, tamen habent ejusmodi incapacitatem dominii ex ftatuto Sedis Apoftolicæ.

§. III.

Refolutiones practicæ.

290 Refolvo 1. Tametfi Religiofus ad Epifcopatum evehatur, non tamen fit capax dominii. Herincx, Mezger, Holzman, ac alii communiter. Ratio eft: quia ftatus religiofus, obfervantia paupertatis. ac abdicatio omnis dominii non repugnant dignitati epifcopali, imo hanc ornant, & juvant: ergo non eft cenfendum, quod per affumptionem dignitatis epifcopalis ftatus religiofus, & obligatio obfervandi paupertatem religiofam &c. tollatur; non enim tollitur ex natura rei: cum hi duo ftatus, religiofus fcilicet, & epifcopalis mutuo non opponantur, imo fefe mutuo juvent: neque tollitur per difpenfationem fummi Pontificis, quæ hic non Poteft præfumi; cum non adfit caufa, vel neceffitas difpenfandi, eo ipfo, quod duo ifti ftatus fimul confiftere poffint. Hac de caufa Religiofi, facti Epifcopi, tenentur portare habitum fuæ Religionis in fignum, quod adhuc fint Religiofi, votis folemnibus adftricti.

Dices 1. Can. un. cauf. 18. q. 1. Monachus factus Epifcopus dicitur effe abfolutus *jugo regulæ, & monafticæ profeffionis*, ergo. R. Hic Canon tantum vult, quod Regularis factus Epifcopus non fit amplius obligatus accidentalibus Regulæ obfervantiis, quæ ftatui epifcopali non bene conveniunt, uti funt folitudo clauftralis, ac filentium &c., per hoc tamen manet adftrictus ad eas obfervantias regulares, quæ dignitatem epifcopalem non dedecent. Pro quo

Nota:

Nota: Equidem Religioſum factum Epiſcopum, quoad uſum & adminiſtrationem ſuorum bonorum, item quoad obedientiam non amplius dependere a Superiore ſuo Regulari; quia tanquam Epiſcopus eſt in excellentiori gradu, quam eſt Superior Regularis; dependere nihilominus quoad utrumque a ſummo Pontifice, qui diſpoſitionem Epiſcopi talis de bonis ipſi conceſſis poteſt limitare, & aliqua etiam ſub præcepto obedientiæ imponere. Hinc in iſtis duobus votis fit aliqua accidentalis mutatio, quatenus Religioſus iſte loco Superioris Regularis modo tenetur obedire ſummo Pontifici, & ab hujus nutu dependere in adminiſtratione bonorum ſibi ad ſuſtentationem conceſſorum.

Dices 2. In cit. Can. dicitur etiam, quod Monachus factus Epiſcopus poſſit ſibi jure vendicare paternam hæreditatem: ergo habet dominium hæreditatis. R. N. c. nam habet tantum poteſtatem vendicandi hæreditatem nomine ſuæ Eccleſiæ, cui ſponſatus eſt, non autem nomine ſuo: conſequenter non ſibi, ſed ſuæ Eccleſiæ acquirit dominium talis hæreditatis. Ex quo

Inferes 1. Ejusmodi Religioſos ad Epiſcopatum evectos, eſſe tantum adminiſtratores ſuorum reddituum beneficialium, quamvis in hos liberiore gaudeant poteſtate adminiſtrationis, quam alii adminiſtratores in bona ſuæ curæ, & adminiſtrationi concredita, ut ait Holzman.

Inferes 2. Tales Regulares, qui ſunt facti Epiſcopi, prodige diſponentes de redditibus ſuis, vel eos in cauſas profanas expendentes, peccare contra votum paupertatis, & juſtitiam, & illos, qui ex tali diſpoſitione prodiga aliquid accipiunt, teneri ad reſtitutionem, niſi hanc Eccleſia remittat. Herincx, ac plures alii apud eum allegati. Ratio hujus dabitur mox Num. ſequenti.

Reſolvo 2. Abbates, Præpoſiti, aliique Regulares Superio- 291
res, aut Religioſi beneficiati, poſſidentes beneficia regularia, vel ſæcularia, vi juris & conſuetudinis non habent quidem dominium, bene autem poteſtatem adminiſtrandi fructus ſuorum beneficiorum tam ad congruam ſuſtentationem, quam ad pias cauſas. Ita communiter ſentiunt DD. cum Herincx, Mezger, Holzman &c. Ex quo

Sequitur 1. Abbatem, vel alium Beneficiatum regularem posse facere donationes, non solum remuneratorias, sed etiam liberales, quas spectatis facultatibus Monasterii Ecclesiæ decens administratio, aut laudabilis consuetudo requirit.

Sequitur 2. Superiores regulares, vel alios Religiosos, qui administrationem habent fructuum Monasterii, vel Beneficiorum, expendendo inordinate aliquid de iisdem fructibus aut bonis cum detrimento Monasterii, non solum peccare contra votum paupertais, sed etiam contra justitiam, prout Num. præc. de Episcopis dictum est. Ratio hujus est: quia non sunt Domini, sed solum administratores ejusmodi bonorum, & sic non possunt pro libitu de eisdem disponere, sed debent illa solum expendere eo modo, quo ipsis consuetudo & jura permittunt, secus impingunt contra justitiam, sicut & alii administratores contra justitiam delinquunt, dum in administratione bonorum sibi commissorum infideles existunt.

292 Resolvo 3. Alienationes, donationes, tam inter vivos, quam in testamento, vel ultima voluntate factæ a Religioso solemniter professo proprio nomine & authoritate, non solum sunt illicitæ, sed & invalidæ. Hinc, qui aliquid ex tali alienatione accipiunt, tenentur ad restitutionem. Ratio est: quia Religiosi solemniter professi in particulari sunt incapaces dominii, adeoque nomine proprio de nulla re temporali valide disponere, sed tantum hoc possunt nomine Monasterii, si hoc sit dominii capax, aut nomine summi Pontificis, vel alterius Domini, posito, quod Monasterium, vel Religio neque in communi possit dominium rei temporalis habere, uti nostra Religio.

293 Resolvo 4. Paupertas religiosa non solum obligat ad carentiam dominii, sed etiam ad non habendum usum simplicem facti activum rerum temporalium sine licentia Prælati. Ratio hujus est: quia votum paupertatis obligat secundum intentionem voventium: atqui, qui in Religione emittunt votum paupertatis solemne, non solum intendunt se privare omni dominio, & jure rerum temporalium, sed & omni usu simplici, independente a nutu Superiorum: ergo. m. patet ex unanimi sensu omnium Theologorum, & praxi omnium Religionum. Ex quo

Sequi-

Sequitur, eum Religiosum peccare mortaliter, qui aliquid notabilis momenti recipit, retinet, donat sine Superioris licentia: 2. qui abscondit, ne Superior sciat. 3. qui aliquid non vult relinquere dispositioni Superioris, aut murmurat tanquam injuria affectus, dum ei adimitur. Plura de hac re Expositores Regulæ.

294 Resolvo 5. Superiores Regularium non possunt alicui Religioso in particulari concedere bona immobilia, & stabilia, vg. fundos, redditus &c. etiam ad usum, & administrationem tantum; id enim expresse statuit Tridentinum sess. 25. c. 2. *de Regularibus*. Accedunt & declarationes Cardinalium, qui præsunt dubiis circa decreta Concilii Tridentini oborientibus. Hinc talia bona debent administrari ab Officialibus Monasterii, eorumque fructus in bonum Monasterii impendi, non autem liberæ dispositioni alicujus Religiosi relinqui, ut vita communis magis conservetur inter Religiosos. Verum, ut ait Castro Palao apud Herincx, consuetudo quoad hoc punctum pluribus in locis rigorem Tridentini temperavit.

Est etiam praxis probata, qua Religiosis in particulari permittitur moderatus usus censuum vitalium: ita tamen, ut eorum administratio sit penes Superiorem, & totus hic usus, ac perceptio prædictorum censuum a voluntate, & nutu ejusdem Superioris dependeat. Ita Herincx, ac Lessius.



ARTICULUS V.

De Dominio Conjugum, Filiorum familias, & Servorum.

§. I.

Variæ resolutiones de Dominio Conjugum.

295 Varia sunt bona Conjugum: 1. sunt bona, quæ maritus aliunde, quam ab uxore habet, nec hujus intuitu, vel cooperatione acquirit. 2. est dos, vel bona dotalia, quæ Germani-

manice vocantur *Heurath-Gut*, *Ehesteur*, *Brautschaz*. Consistit autem dos in bonis illis sive mobilibus, sive immobilibus, quæ ab uxore, vel ab alio nomine uxoris marito dantur, aut promittuntur ad ferenda matrimonii onera, scilicet ad alendam ex eorum fructibus uxorem, communes liberos, familiam &c.

Dividitur dos 1. in *promissam*, seu illam, quæ tantum est promissa: & in *constitutam*, quæ traditione prædictorum bonorum est perfecta.

Dividitur 2. in *profectitiam*, quæ provenit a Patre, Avo, aut alio ex ascendentibus paternis, aut ab extraneo quidem, sed intuitu Patris: & in *adventitiam*, quæ nec a Patre, vel alio ex ascendentibus paternis, neque patris intuitu, sed ex bonis maternis, vel alicujus extranei, aut etiam ex bonis propriis uxoris datur, aut promittitur.

Dividitur 3. in *æstimatam*, & *inæstimatam*: *inæstimata* est, quando ejus valor certo pretio non taxatur: *æstimata* est, quando ita taxatur. Hæc autem taxatio, & æstimatio duplicem in finem fieri potest: 1. ut faciat venditionem veram, & consequenter, ut maritus fiat Dominus dotis, & soluto matrimonio non teneatur amplius restituere ipsam dotem, sed pretium ejus taxatum. 2. ut non faciat venditionem: & hoc tunc fit, quando solum æstimantur bona dotalia pro majore securitate, ut si forte ex culpa mariti soluto matrimonio dos in individuo reddi non posset, pretium saltem certum per æstimationem illam taxatum exigi valeret.

3. Est *contrados*, seu *donatio propter nuptias*, *Widerlag*. *Gegensteuer*, *Gegen-Vermachung*: consistit in iis bonis, quæ maritus, vel alius ejus nomine uxori promittit, vel dat in remunerationem, & securitatem dotis. Respondet igitur doti, & debet eam de jure communi æquare quantitate, lucro, & fructu juxta Novell. 97. c. 1. & 2., ac Novell. 119. c. 1. Alicubi tamen propter consuetudinem, vel pacta privata contrados omnino nulla constituitur, interdum dotem non æquat: sic sæpe videmus, opifices pro contradote nil aliud constituere, quam artem, & peritiam suam.

4. Sunt

4. Sunt bona *paraphernalia*, *ein zugebrachtes Gut*, & sunt ea omnia, quæ uxor præter dotem affert marito; nam non omnia, quæ uxor habet, semper in dotem dari solent marito. Hinc reliqua, quæ in dotem non computantur, paraphernalia vocantur, inter quæ etiam numerantur ea omnia, quæ uxor post contractum matrimonium, & constitutam dotem acquirit donatione, hæreditate &c. Si hæc bona ab uxore relinquuntur administrationi, & custodiæ viri, tunc ea simpliciter vocantur *parapherna*, vel *paraphernalia*: si autem eorum administrationem, & dispositionem mulier sibi plene reservat, tunc dici solent *receptitia*.

5. Est *arrha*, quam mutuo dant sponsi in contractu sponsalium, tanquam pignus futuri matrimonii.

6. Est *sponsalitia largitas*, vel donatio ante nuptias, suntque ea munera, quæ sponsi mutuo dant intuitu matrimonii contrahendi, & in contestationem stabilis affectus.

7. Est *donum matutinale* (prout vocat P. Pichler) vel verius est donum illud, quod latino caret nomine, & vulgo vocatur *Morgenatica*, vel *Morgengeba*, *die Morgengab*, estque id, quod maritus altero die nuptiarum dat uxori in remunerationem allatæ, & creditæ sibi virginitatis.

8. Veniunt *bona communia*, seu *acquæstus*, *die Errungenschaft*, *oder was sie errungen, und gewonnen haben*, & sunt illa, quæ uterque Conjux communi labore, vel alio titulo communi lucrantur. H. N.

Resolvo 1. Bona *primi generis* per se pleno jure, & do- 296
minio spectant ad maritum, & nullatenus ad uxorem, nisi forte titulo contradotis, vel alio speciali ei essent obligata: contra dominium *paraphernorum*, & *receptitiorum* spectat pleno jure ad uxorem, quæ de utrisque potest pro libitu disponere tam inter vivos, quam mortis causa. Est communis, & caret controversia, ac patet ex l. *Hac lege*. C. *de pactis conventis*. Neque tunc maritus acquirit horum bonorum dominium, quando ea ab uxore illi traduntur, & sic vere & proprie fiunt, ac dicuntur

parapherna juxta explicationem supra datam; nam in hoc casu maritus nudam habet custodiam, & administrationem, a voluntate & nutu uxoris dependentem, ac pro hujus libitu revocabilem, neque maritus fructus ex his bonis collectos facit suos, quamvis eos possit, concedente tamen uxore, in suam, uxoris, ac familiæ utilitatem impendere. Ita Reiffenstuel l. 4. Decret. T. 20. n. 61. Hæc tamen omnia intelligenda sunt, *quantum est de jure Cæsareo, & communi;* aliter enim loquendum esset, si aliter disponant statuta particularia certarum Provinciarum, quæ juxta dicta in tract. de LL. juri communi Cæsareo derogare possunt, vel si aliter conventum esset per pacta dotalia specialiter erecta; siquidem pacta dotalia, *die Heuraths Nothl*, ante omnia in præsenti materia spectari, observarique debent.

297 Resolvo 2. Dominium directum & utile dotis æstimatæ æstimatione tali, quæ facit venditionem, est apud maritum L. *quoties res.* 5. C. *de jure dotium.* censetur enim maritus illam emisse. Idem est de illa dote, quæ constituitur ex rebus numero, pondere, aut mensura consistentibus, vg. in numerata pecunia, frumento; talis enim dos imitatur naturam mutui: atqui in mutuo transfertur dominium in mutuatarium, qualis hic est maritus: ergo.

Dum autem dos non est æstimata æstimatione faciente venditionem, neque est constituta in rebus in mensura, pondere &c. consistentibus, tunc ejus dominium naturale, ac directum est penes uxorem, nisi forte illi, qui dederunt dotem, ejus dominium sibi reservarint. Reiffenstuel, & alii, ac colligitur ex L. *in rebus.* C. *de jure dotium.*

Dixi: *Dominium directum & naturale;* nam 1. dominium *utile*, & ususfructus dotis est apud maritum; ad quem proinde spectant fructus dotis, ut iis possit portare onera matrimonii. Hinc L. *dotis fructum.* 7. ff. *de jure dotium.* dicitur; *dotis fructum ad maritum pertinere, æquitas suggerit.* 2. pariter ad maritum spectat dominium quoddam *civile* dotis: per dominium autem *civile* intelligitur illud, quod alicui solum fictione juris tribuit facultatem & jus ad certos effectus alias dominio naturali proprios, quales sunt administratio, & vendicatio dotis. L. 1 *dotis.* ff. *de jure dotium.*

Nota

Nota etiam 1., quod dos in ratione dotis compleatur ſecuto matrimonio; eſt enim promiſſio conditionata, ſi ſcilicet ſequatur matrimonium. Quare ejus dominium ante ſecutum matrimonium manet ſemper apud illum, qui dat, vel conſtituit dotem.

Nota 2. Multum referre, quisnam habeat dominium dotis; nam ſi dos perit caſu fortuito ſine culpa alicujus, tunc perit Domino: quia res caſu periens ſemper ſuo Domino perit. De quo plura, agendo de Reſtitutione.

Petes: Quid ſit præſumendum, ſi dubium eſt, an æſtimatio dotis ſit facta animo vendendi, vel ſine hoc? Rdet P. Pichler: eſſe præſumendam venditionem. Ita etiam decidit Codex Maximilianeus, ſeu Jus Bavaricum novum part. 1. c. 6. §. 13. Ab hoc autem præſcindendo, cum P. Haunoldo judico, præſumendum eſſe id, quod in tali loco frequentius, & communius fit; talis enim animus præſumitur in Perſonis particularibus, qualem communiter ſolent habere, qui ejusmodi contractum celebrant.

Reſolvo 3. Dominium contradotis naturale, directum, & 298
utile regulariter habet maritus: dominium vero civile illius, at ſine uſufructu, ad uxorem ſpectat, ſicut dominium civile dotis ad maritum. Ratio primæ partis eſt: quia nulla eſt ratio, cur dominium naturale, & utile contradotis non maneat apud maritum, præſertim quia finis contradotis vere unicus eſt ſecuritas dotis, pro qua obligantur uxori quædam bona viri, quæ contradotem conſtituunt, qui finis utique plene obtinetur, etſi dominium naturale & utile ſit apud maritum. Altera pars colligitur ex Novell. 61.: *ut immobilia antenuptialis donationis.* in qua tribuitur uxori jus vendicandi contradotem: atqui jus vendicandi eſt vel effectus dominii civilis, vel eſt ipſum dominium civile.

De cætero contrados imitatur dotem: hinc 1. ſicut dos regulariter mortuo marito ad uxorem, ita & mortua uxore contrados ad maritum redit. 2. Si vi pacti præcedentis maritus lucratur dotem, mortua prius uxore, cenſetur etiam pactum initum fuiſſe, ut mortuo prius marito uxor ſuperſtes lucretur contradotem. 3. Sicut maritus propter adulterium uxoris poſt ſententiam

tentiam Judicis lucratur dotem, ita uxor eodem modo lucratur contradotem, adulterium committente marito. Ita P. Antonius Mayr, allegans pro se P. Illsung.

299 Resolvo 4. Morgengebæ administratio & fructus durante matrimonio ad virum pertinent, dominium tamen illius directum ad uxorem spectat, ita, ut post mortem mariti eidem uxori una cum dote restitui debeat, vel, si ante maritum moritur, de illa disponere, aut suis hæredibus ab intestato relinquere valeat. Reiffenstuel L. 4. Decret, T. 20. n. 68.

300 Resolvo 5. Quid sit dicendum de bonis communibus, ac quæstibus, & aliis lucris tempore matrimonii obtentis, præcipue desumendum est ex pactis nuptialibus. De reliquo vi juris communis ac quæstus obtenti communi industria mariti & uxoris, inter utrosque ex æquo sunt dividendi. Claret hoc ex cap. 2.: *de donationibus inter virum, & uxorem*, ubi vir soluto matrimonio cogitur restituere dotem, & dividere bona, quæ communiter eis obvenerunt. De hac re videri meretur Adm. R. P. Kresslinger in Add. ad n. 19. Theol. moral., P. Reiffenstuel Tr. 7. D. 4. q. 3., de Arrhis vero & sponsalitia largitate in Tract. de Sponsalibus agi solet.

Quæ hoc §. 1. recensui, solum de jure communi dicta sunto: plura peculiaria sunt in Jure Bavarico novo statuta. Qui igitur inter fines Bavariæ vivunt, illis se accommodare debent. Igitur illi, qui matrimonium contrahere meditantur, vel pacta dotalia erigere, maxime fœminæ, consulant, & adhibeant praxis Bavaricæ peritos, ne damnificentur. Cæterum plura practica, quæ ex dictis inferri possent, magis commode inferius explicabuntur. Quare sit.

§. II.

De Dominio, & Peculio Filiorumfamilias.

301 Nota 1. Filiumfamilias esse illum, qui adhuc sub patria potestate vivit, cujuscunque sit ætatis. Idem est de filiafamilias dicendum.

Nota

Nota 2. *Patriam potestatem*, vel *jus paternum* esse, quod habent parentes, vel Avi in suos liberos, & nepotes. Habet hæc potestas varios effectus civiles; nam 1. Pater necessitate adactus potest filium, sub jure paterno constitutum, vendere, vel oppignorare. 2. Habet & peculiare jus in bona sui Filiifamilias, ut mox videbimus.

Nota 3. Varie solvi potestatem paternam. 1. solvitur per mortem propriam civilem filii. 2. per mortem civilem, aut naturalem patris, sub cujus nomine non raro venit Avus, & omnes reliqui ascendentes per lineam rectam masculinam. 3. si pater incidat in hæresin, contrahat incestas nuptias, profiteatur religiosam vitam: idem est, si filius Professionem in Religione emittat. 4. Si filius eligatur in Episcopum: non item, si initietur Presbyteratu, vel reliquis inferioribus Ordinibus: item si eligatur in Cardinalem: item, si filius fiat Patritius, aut Præfectus Prætorii, vel Urbis metropolitanæ, aut ad consularem dignitatem promoveatur. 5. per emancipationem filii coram judice factam. Videtur etiam defacto ex tacita consuetudine filius emancipari, si ineat matrimonium. Verum de hoc particularia locorum statuta, specialesque consuetudines sunt attendendæ.

Nota 4. Bona filiifamilias in jure vocari *peculium*, quasi parvam pecuniam, vel substantiam. Est autem ejusmodi peculium quadruplex, scilicet *castrense*, *quasi castrense*, *adventitium*, & *profectitium*.

Peculium *castrense* dicitur, quidquid filius acquirit in justo bello intuitu officii militaris. Huc spectant mobilia, etiam a parentibus donata proficiscentibus ad militiam, non vero ab ea revertentibus, nisi ob egregie in ea gesta, vel amicitiam ibidem contractam donata fuerint: item huc referuntur dona Belliducum, prædæ hostiles, & lucra inde comparata, ac generaliter omnia, quæ filius familiasnon fuisset acquisiturus sine militia. Pariter ad peculium castrense spectant bona, quæ filius obtinuit in palatio Regis ob aulicum obsequium sua industria, aut parsimonia, aut Principis largitate. Ita Herincx.

Peculium *quasi castrense* est, quidquid filius acquirit ex officio publico, vg. Judicis, Advocati, Professoris, non autem opifi-

opificis mechanici, aut Procuratoris; nam etiam infamis potest Procuratorem agere: item quidquid acquirit ex dono Regis, aut Reginæ absque intuitu obsequii aulici: ac quidquid acquirit ex officio Clericali, vel post Clericatum, etsi alias foret bonum adventitium; etenim bona, quæ respectu laicorum sunt adventitia, respectu Clericorum ob dignitatem status excellentioris sunt quasi castrensia. Excipe tamen bona profectitia; hæc enim a Clerico etiam post Clericatum obtenta, manent profectitia, & non fiunt quasi castrensia.

Peculium *profectitium* est, quod filiusfamilias acquirit ex rebus & substantia Patris; vel eidem proxime, ac principaliter intuitu patris donatur. Porro in dubio (ut tenet P. Herincx) non præsumitur, donationem esse factam intuitu Patris, aut peculium esse profectitium.

Peculium demum *adventitium* est, quod non est castrense, aut quasi castrense, neque profectitium, seu a Patre, aut intuitu Patris non acquiritur, sed aliunde, veluti ex hæreditate materna, prospera fortuna, inventione thesauri, proprio labore. H. N.

302 Resolvo 1. Filiusfamilias habet plenum dominium in peculio castrensi, & quasi castrensi, ita, ut tota proprietas, ususfructus, & administratio sit penes eundem. Communis DD. Quoad castrense peculium habetur L. *Miles præcipua.* §. *actionem.* L. *ex nota.* & L. *Pater*, *qui dat.* ff. *de castrensi peculio.* De quasi castrensi desumitur ex L. *cum oportet.* C. *de bonis*, *quæ liberis.*

Ex hoc deduces 1. Filiumfamilias de prædictis bonis disponere posse non secus, ac Paterfamilias: consequenter posse donare, ac alios contractus de illis facere, imo etiam testari, si tamen sit pubes, id est, si expleverit 14. ætatis annum; nam ante hoc tempus testari nequit: de quo inferius. Videatur quoque Codex Maximilianeus p. 1. Cap. 5. §. 4.

Deduces 2. Si ex præfatis bonis filiifamilias Pater aliquid usurparit, eum peccare, & ad restitutionem teneri; quia accepit alienum. Excipe tamen casum, quo Pater alit filium; tunc enim,

enim, quantum eſt neceſſarium ad alimentationem filii, poteſt ex ejus bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus accipere. Leſſius, Herincx; non enim pater tenetur alere filium, habentem bona propria caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, vel adventitia: ſicut colligitur ex L. *Si quis a liberis*. ff. *de agnoſcendis, & alendis liberis*.

Reſolvo 2. Secundum jus commune filiifamilias habent dominium directum bonorum adventitiorum. L. *Res, quæ*. 1. & L. *Quidquid*. 2. C. *de bonis maternis*. uſusfructus tamen Patrifamilias in hæc bona ad dies vitæ ſuæ competit, etiamſi patria poteſtas ſit quomodocunque diſſoluta. L. *Quod ſcitis*. 3. & L. *Quæcunque*. 4. C. *de bonis, quæ liberis in poteſtate Patris &c.* Excipe nihilominus hunc caſum ſolum, quo pater filium emancipavit, ubi ad filium uſusfructus quoad mediam partem peculii adventitii devolvitur, & alterum dimidium ejusdem uſusfructus apud patrem remanet in compenſationem emancipationis ex liberalitate factæ. Ita Interpretes juris in L. *cum oportet* 6. §. *cum autem*. 3. C. *de bonis, quæ liberis*. & alias paſſim.

Hæc de jure communi: de jure autem Bavarico, quid in his, & aliis ſimilibus ſtatutum ſit, in eo videatur. Jmo etiam vi juris communis ſunt aliqua bona adventitia filiorumfamilias, quorum uſumfructum nunquam habet pater. Hæc vocantur *irregularia*, & ſunt ſequentia: 1. quæ donantur filiofamilias ab Auguſta, vel Principe, quæ propterea ab aliquibus omnino inter bona quaſi caſtrenſia numerantur. L. *cum multa*. C. *de bonis, quæ liberis*. 2. Bona, quæ filiofamilias hac expreſſa conditone donantur, ut eorum uſusfructus ad patrem non perveniat. Hanc tamen conditionem mater, vel avia non poteſt adjicere legitimæ, quæ debetur filio, vel nepoti. 3. Illa, quæ filius acquirit contradicente Patre. L. ult. C. *eodem*. non enim æquum eſt, ut pater ex eo commodum reportet, quod ipſo contradicente a filio acquiritur. 4. Quæ acquirit ſuccedendo una cum patre in bona defuncti fratris, vel ſororis; tunc enim pater non habet uſumfructum in portione filii cohæredis. Auth. *Item hæreditas*. C. *de bonis, quæ liberis*. 5. Si pater filio condonet uſumfructum: quod pater facere poteſt L. *cum oportet*, §. *ſin autem*. C. *de bonis, quæ liberis*; dum enim Pater filio remittit uſum-

fructum adventitiorum, non donat eis de suis bonis, quod pater non potest facere, sed tantum non usurpat aliquid de bonis filii. Quare filius quoque non. tenetur usumfructum sic donatum conferre in suam legitimam, quando cum fratribus dividit, & computat hæreditatem paternam. 6, Si filio per modum boni adventitii relinquatur solus usufructus rei, tunc parens nihil habebit. Ratio est, quia non habet usumfructum relictum; hic enim tanquam aliquid adventitium ad filium spectat: neque habet utilitatem usufructus; quia usufructus est ipsa utilitas, ac commoditas rei: hinc super usumfructum non potest alius usufructus, vel utilitas statui, *neque servitutis est alia servitus*, ut Juristæ loquuntur. 7. Si Pater fiat hæreticus, tunc filius fit sui juris, c. 2. §. fin. de hæreticis. in 6., ac proinde redit ad eum usufructus, quem pater habebat in bonis adventitiis filii. Lessius.

Deduces 1. Filiumfamilias, extra casus modo exceptos, non posse de bonis adventitiis disponere, neque fructus ex eis percipere; cum eorum usufructus, & administratio pertineat ad patrem.

Deduces 2. Patrem etiam peccare, & teneri ad restitutionem, si *notabiliter* dilapidat bona adventitia filii. Ratio est: quia tantum est usufructuarius horum bonorum, & consequenter iis solum uti, & frui potest salva illorum substantia. Dixi: *notabiliter*; nam modica dilapidatio, seu damnum modicum in hoc puncto non attenditur inter patrem & filium, ut advertit Holzman ex Sanchez, Babenstuber, & aliis passim.

304 Resolvo 3. Peculium profectitium filiifamilias pleno jure spectat ad patrem, qui, non autem filius, ejus dominium utile & directum, ac administrationem habet. §. 1. ℣. *Sancitum.* Instit. *Per quas Personas cuique acquiritur.* Dicuntur autem hæc bona adhuc peculium filii, licet pleno jure ad patrem spectent, quia in confiscatione cæterorum bonorum paternorum sunt exempta, adeoque plus obligata filio, quam cætera bona patris.

305 Petes 1. Quid dicendum de lucro industriæ filiorumfamilias, negotiantium pecunia a patre accepta, etiam furtive? R. sub distinctione, vel negotiatur filiusfamilias proprio nomine,

& periculo, vel nomine & periculo patris? *si primum*, tunc est peculium adventitium, adeoque quoad proprietatem spectat ad filium, quoad usumfructum & administrationem est patris; nam taliter negotiando se habet filius sicut extraneus, qui pecunia furtive accepta lucrum aliquod facit, ubi tale lucrum censetur fructus industriæ, consequenter ad negotiantem, non ad dominum pecuniæ pertinere. *Si secundum*: tunc peculium est profectitium, & spectat ad patrem; quia nomine & periculo patris expendens, vel tractans pecuniam patris, & inde lucrum faciens, censetur agere Procuratorem patris, adeoque etiam huic, non sibi lucratur, Ita ex Molina resolvit Herincx p. 3. D. 4. q. 5. n. 95.

Petes 2. An filiofamilias in domo paterna laboranti, debeatur salarium, & possit illud occulte compensare, si negetur? R. negative. La-Croix l. 3. p. 1. n. 1034. Holzman, ac plures alii apud hos citati contra alios. Ratio est 1. Quia juxta jura quæcunque filius ex re, & substantia paterna acquirit, sunt profectitia, & ad patrem spectant. §. 1. Instit. *Per quas personas cuique acquiritur*. 2. Quia non est consuetudo, ut filius etiam extraordinarie, & plus aliis filiis laborans, salarium exigat. 3, Dato, quod filius possit pacisci cum patre de mercede ob operam extraordinariam, quæ notabiliter excedit alimenta, & vestes, ac alia, quæ in educationem & sustentationem filii a patre impenduntur: si tamen filius non paciscatur, neque mercedem exigat, censetur illam velle condonare, ut Herincx ex Lessio dicit. Insuper, si filius petiisset salarium, potuisset pater eum repellere, & accipere ejus loco alium, qui gratis, aut viliori pretio, aut melius serviisset: ergo, si expresse cum patre non contraxit de salario, illud non potest exigere, neque illud compensare, si negetur. 4. Opposita sententia non est moraliter certa, sed ad summum probabilis: ergo in praxi non potest tuto applicari in ordine ad compensationem occultam faciendam. Conf. aliunde constat; quia ad hoc, ut ex bonis alienis licite, & tuto fiat compensatio alicujus debiti, debet hoc non solum esse probabile, sed omnino certum, ut communiter docent Th. Th.: ergo ad hoc, ut filiusfamilias licite posset compensare salarium, deberet hoc ei a patre non solum probabiliter, sed certo deberi. Adeoque si filiusfamilias non contraxit cum Patre de

306

mercede, & salario ex pudore & reverentia, vel alia ex causa, non potest exigere mercedem, nec, si ea denegatur, occulta compensatione uti. Videatur La-Croix cit. loc.

Hic quoque agi solet de bonis servorum: verum hæc quæstio in nostris regionibus, in quibus proprie dicti servi non dantur, non habet locum, vel utilitatem: quare eam omitto, & ad utiliora me confero. Verum iterum moneo, ut in Bavaria, ubi peculiaria sunt statuta, dubitantes circa hæc bona mittantur ad Advocatos, & juris patrii peritos, nec facile a Confessariis fiat resolutio. Id forte etiam in aliis terris consultum erit; quia & ibi possunt vigere consuetudines, & ordinationes peculiares.



DISSERTATIO III.

De prima rerum divisione, & modis acquirendi dominium jure Gentium.

307 MODUS acquirendi dominium nihil aliud est, quam titulus quilibet, seu causa idonea ad dominium alicui conferendum. Tales autem modi, seu tituli, quibus dominium rerum corporalium acquiritur, tres numerantur, 1. enim obtinetur dominium *jure Gentium*: & hoc fit multipliciter, nimirum occupatione, Nativitate, alluvione &c. 2. Potest acquiri *jure civili*, *atque canonico* per præscriptionem, atque usucapionem, quæ ex justis causis tam per leges civiles, quam canonicas fuit introducta. 3. acquiritur talium rerum dominium *privata hominum voluntate*, dum per varias conventiones, pacta, & contractus dominium rerum suarum in alios transferunt. Tertius hic modus speciali Tractatu de contractibus discutietur: secundus vero dissertatione sequenti expendetur: inpræsentiarum primus modus, acquirendi rerum corporalium dominium jure Gentium, ad examen vocabitur. Quod ut ordinate fiat, prius ali-

aliqua ſunt præmittenda de prima rerum, ac dominiorum diviſione. Quare ſit

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

ARTICULUS I.

De prima rerum diviſione, & dominiorum particularium origine.

NOTA I. Initio conditi orbis fuerunt omnia bona temporalia communia; Deus enim generi humano ſic tribuit rerum externarum ſublunarium dominium, ut non diviſerit ſingulis hominibus ſuam partem. Proinde jure naturali *permittente* res iſtæ ita erant communes: ut quisque eas poſſet licite accipere, & occupare, deſtruere, aut in alium uſum pro libitu applicare. Atque hæc bonorum Communitas ex communi DD. ſententia apud Herincx manſura fuiſſet in Poſteris Adæ, ſi in illis ſtatus innocentiæ perſeveraſſet; nam in illo ter felici ſtatu, in quo floruiſſet perfecta hominum concordia, & exulaſſent inordinationes naturæ lapſæ, ex communitate iſta bonorum nullum fuiſſet ſecutum inconveniens: imo per ſe loquendo, & niſi natura noſtra, per peccatum depravata, aliud expoſceret, communis rerum omnium uſus magis rationi congruit, quam bonorum, & dominiorum diviſio. Unde Clemens Papa relatus Can. *Dilectiſſimis.* c. 12. q. 1. ita ſcribit: *Communis uſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus eſſe hominibus debuit: ſed per iniquitatem* (id eſt, occaſione iniquitatis) *alius hoc ſuum eſſe dixit, & alius illud, & ſic inter mortales facta diviſio eſt.* Hanc bonorum Communitatem adhuc videmus in religioſis Ordinibus, vitam perfectiorem ſectantibus, quamvis ibi plerumque dominium reſtringatur ad Collegium, & Communitatem, quæ eſt inſtar perſonæ privatæ, & fictæ. Ex hoc 308

Nota 2. Non eſſe dubium, quin perfectior ſit vita communis hominum, quorum nullus in particulari habeat rei alicuius particulare dominium. Verum, quia non omnes volunt ea,

quæ

quæ sunt perfectiora, sectari; ideo debuit successu temporis fieri bonorum divisio, & uni hæc res externa, alteri alia assignari ut Domino cum exclusione aliorum.

Nota 3. Incertum esse, an divisio dominiorum fuerit facta sortitione, aut determinatione Adami, vel Noëmi, aut prima occupatione, vel alia ratione. Hinc de modo, quo facta est, ceu re prorsus incerta, nulla nobis erit quæstio: nihilominus duo alia puncta examinabimus, scilicet, an ista divisio juste & licite, ac quo jure sit facta. Quare

309 Assero 1. Post peccatum hæc dominiorum divisio licite, & rationabiliter est facta. Communis omnium contra hæreticos, dictos *Apostolicos*, qui asseruerunt, Christianos non posse salvari, nisi ad exemplum Apostolorum sese exspolient omni dominio particulari.

Prob. 1. Ex ipsa S. Scriptura constat, quod aliquid liceat in particulari ut proprium possidere: sic fuere SS. Patriarchæ, & Reges a sacro textu commendati, qui habuere dominia plurimorum bonorum: ergo. Hinc & contraria sententia est hæresis illorum Apostolicorum, quam refert D. Augustinus hæresi 40. & Epiphanius hæresi 61.

Prob. 2. Post peccatum, ubi homines ad discordias sunt proni, omnino congruit, ut cuilibet certa bona assignentur; alias enim, si bona forent communia, sæpissime plures convenirent ad eamdem rem occupandam, qui se mutuo conarentur impedire, & sic continuæ foverentur lites. Dein, si possessiones mansissent communes, tunc earum cultura fuisset plerumque neglecta; nam homines ordinarie negligunt communia: curant autem sedulo illa, quæ ipsis sunt propria.

Objic. 1. Hæc bonorum divisio est contra jus naturæ; ergo ea est illicita. A. prob. *jure naturæ sunt omnia communia*, ut habetur Can. *Jus naturale*. d. 1. R. D. a. est contra jus naturæ præcipiens, aut prohibens N. a. contra jus naturæ permittens Tr. a. Jus naturæ permisit tantum, non autem præcepit sub obligatione bonorum Communitatem; atqui illa, quæ sunt con-

contra legem, aut regulam permittentem, non ſunt illicita, aut peccata, ut ex Tractatu de actibus humanis patet. D. etiam prob. A. jure naturæ ſunt omnia communia, quatenus jus naturæ non fecit, nec præcepit diviſionem bonorum, & dominiorum C. quatenus prohibuit fieri ejusmodi diviſionem N. Plura, quæ lege naturæ ſunt permiſſa, jure Gentium, vel civili, aut Eccleſiaſtico prohibentur, aut præcipiuntur.

Objic. 2. Can. *Dilectiſſimis.* ſupra allegato, hæc diviſio dicitur eſſe introducta *per iniquitatem*: ergo eſt iniqua. R. D. a. per iniquitatem, id eſt occaſione iniquitatis, ſcilicet occaſione litigiorum &c. C. a. ſecus N. a. Occaſione iniquitatis, ut ea videlicet impoſterum tollatur, & impediatur, plures fiunt leges, quæ propterea non ſunt malæ, aut iniquæ, ſed bonæ, & ſalutares. Unde illud: *Mali mores faciunt bonas leges.*

Objic. 3. Juxta S. Ambroſium, & alios SS. PP., nemo debet dicere *Hoc eſt meum, hoc eſt proprium; eoquod* omnia ſint communia: ergo defacto adhuc ſunt omnia communia. R. SS. PP. tantum velle, quod nemo ita ſibi debeat tenaciter appropriare res temporales, ut non ſit paratus, easdem cum proximo communicare in caſu neceſſitatis; eoquod in neceſſitate extrema omnia, ſaltem quoad uſum, ſint communia.

Aſſero 2. Hæc diviſio jure Gentium eſt introducta. Leſ- 310
ſius, & alii. Prob. Hæc diviſio non eſt facta jure divino, vel naturæ; nam S. Scriptura non facit mentionem alicujus præcepti divini, quo debuiſſet terra cum poſſeſſionibus ſuis diſtribui: Imo Deus dedit omnibus hominibus terram, ſubjecit illis ſine diſtinctione, & diviſione volatilia cæli, piſces maris, ac animalia terræ.

Neque ex jure naturæ provenit hæc diviſio; etenim jure naturæ juxta cit. Canonem in Object. 1. omnia ſunt communia. Inſuper de jure naturæ tantum ſunt ea, quæ neceſſario conveniunt naturæ rationali: ſed naturæ rationali non convenit neceſſario hæc diviſio: ergo. M. conſtat ex dictis in Tract. de LL. m. prob. inde, quia potius Communitas bonorum eſt perfectior, & conſequenter convenientior naturæ rationali: & quia in-

incommoda illa, quæ fuppofito lapfu hominis ex communitate bonorum oriuntur, potui fent ftante illa Communitate impediri per alias leges, & cautelas: ergo.

Neque poteft oftendi aliquod jus pofitivum, unde primario ortum haberet ejusmodi divifio : quare ea attribuenda eft juri Gentium, quod confiftit in communi omnium, vel fere omnium Gentium confenfu : prout & teftatur Can. *Jus Gentium.* d. 1. dicens : *Jus Gentium eft fedium occupatio.* & L. *Ex hoc jure.* ff. *de juftitia & jure* dicitur : *Ex hoc jure* (fcilicet Gentium) *dominia diftincta.*

Ad objectiones aliquas folvendas nota, quod leges interdum per jus naturale intelligant jus Gentium : uti contingit §. *Feræ.* 12. Inftit. *de rerum divifione.* ubi dicitur: *Quod enim ante nullius eft, id naturali ratione occupanti conceditur.*



ARTICULUS II.

De modis acquirendi dominium jure Gentium.

§. I.

Recenfentur aliqui fimiles modi.

311 PRimus modus acquirendi dominium jure Gentium eft *occupatio*, quæ eft *apprehenfio rei cum animo habendi eam ut fuam.* Dividitur in *venationem*, *inventionem*, & *occupationem in fpecie*, feu illam, qua occupantur, & in noftram poteftatem rediguntur res hoftiles. Verum de hac triplici fpecie plures occurrunt difficultates, quæ peculiaribus integris articulis inferius dilucidari merentur.

Secundus modus eft *nativitas*, vi cujus acquirimus dominium fœtuum, qui ex noftris animalibus nafcuntur. §. *Item ea.* Inftit. *de rerum divifione.* Qui ergo habet dominium, vel faltem ufumfructum equæ, ad illum etiam fpectat hinnulus inde natus.

Nec

Nec refert, quod equus maſculus, ex quo concepit equa noſtra, ſit alienus; *partus enim*, tanquam portio viſcerum maternorum, *ſequitur ventrem*, id eſt matrem, ex cujus ventre gignitur.

Modus tertius eſt *alluvio*, quæ vocatur *incrementum latens*, & datur tunc, quando a flumine alicui fundo nova gleba ita *paulatim adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur*, ut habetur §. *Præterea.* 20. inſtit. *de rerum diviſione.* quod incrementum, a fluvio ſic latenter adjectum, ſtatim acquiritur domino fundi, prout eodem tit. & §. Inſtit. habetur. Ratio hujus eſſe poteſt 1., quia acceſſorium ſequitur ſuum principale: atqui gleba nova, ſic latenter adjecta, videtur eſſe acceſſoria fundo: ergo etiam ad eumdem Dominum, ad quem ſpectat fundus, pertinere debet. 2. Prædia propinqua flumini ab hoc multa incommoda ſentire debent: ergo & convenit, ut ſentiant quoque commodum, quod iis accidit per glebam a flumine latenter adjectam. L. 10. ff. de R. J. Ex his

Inferes 1. Quia illud, quod per alluvionem accreſcit, eſt acceſſorium meo fundo, hinc non eſſe opus nova apprehenſione, neque propterea poſſe augeri Canonem, aut alia onera ab Emphyteuta præſtanda; manet enim eadem emphytheuſis, idem uſusfructus, ac idem dominium. Ita P. Antonius Mayr.

Inferes 2. Quod ſi loco alicui, qui publici juris eſt, vg. plateæ, vel viæ publicæ aliquid per alluvionem adjiciatur, id non fieri juris publici, ſed ejus, qui prope viam publicam prædium poſſidet. Ratio eſt: quia via publica, per flumen abſumpta, per vicini agrum debet renovari: cum ergo talis onera fluvii, portare debeat, etiam commoda, inde per alluvionem evenientia, eum ſentire oportet. Ita Chriſt. Chlingenſperger L. 2. Inſtit. t. 1. q. 46.

Quæres 1. Ad quem ſpectet notabilis pars terræ, quæ a 312
fundo alieno abrepta, agro tuo adjicitur? R. 1. Talis adjectio notabilis non eſt alluvio, cum alluvio ſit incrementum latens, & paulatim, non ſimul magna, & notabili quantitate accedens: hinc neque jure alluvionis gaudet. R. 2. Iſta pars notabilis manet prioris Domini, donec ea ſtabiliter jungatur, & quaſi con-

ſolidetur cum agro meo: ſi autem ſic coaleſcat cum noſtro prædio, tunc fit noſtra. §. 21. Inſtit. *de rerum diviſione.* Idem eſt de arboribus, ac plantis terræ noſtræ adjectis; quarum dominium acquirimus, poſtquam radices in terra noſtra egerunt, ut patet eodem §. 21. & 23. Inſtit. tit. cit. Hic iterum in Bavaria conſulatur Codex Maximilianeus p. 2. c. 3.

313 Quæres 2. Quid dicendum de Inſulis recenter natis in mari, vel flumine? Ad hoc quæſitum repono textum ſat clarum juris §. 22. Inſtit. *de rerum diviſione. Inſula, quæ in mari nata eſt (quod raro accidit) occupantis fit; nullius enim eſſe creditur. At inſula in flumine nata (quod frequenter accidit) ſiquidem mediam partem fluminis tenet, communis eſt eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia poſſident, pro modo ſcilicet latitudinis cujuscunque fundi, quæ prope ripam ſit. Quod ſi alteri parti proximior ſit, eorum eſt tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia poſſident. Quodſi aliqua parte diviſum ſit flumen, deinde infra unitum, agrum alterius in formam inſulæ redegerit, ejusdem permanet is ager, cujus & fuerat.*

De naturali Alvei mutatione fluminis ſic diſponit jus allegatum §. 23. *Quodſi naturali alveo in univerſum derelicto ad aliam partem fluere cœperit, prior quidem alveus eorum eſt, qui prope ripam ejus prædia poſſident, pro modo ſcilicet latitudinis cujusque agri; quæ prope ripam ſit: novus autem alveus ejus juris eſſe incipit, cujus & ipſum flumen eſt, id eſt, publicus. Quodſi poſt aliquod tempus ad priorem alveum reverſum fuerit flumen, rurſus novus alveus eorum eſſe incipit, qui prope ripam ejus prædia poſſident.* Et §. 24. ſubjungitur: *Alia ſane cauſa eſt, ſi cujus totus ager inundatus fuerit; neque enim inundatio fundi ſpeciem commutat: & ob id, ſi receſſerit aqua, palam eſt, eum fundum ejus manere, cujus & fuit.*

Hactenus jus commune Cæſareum, cui forte alicubi per particulares locorum conſuetudines, vel ſtatuta particularia defacto eſt derogatum: de quo vide codicem Maximilianeum pro Bavaria, pro aliis terris alia ſtatuta, & conſuetudines ibi uſitatas conſule.

Modus quartus acquirendi dominium est *specificatio*, per quam intelligitur introductio novæ formæ, vel quasi formæ in alienam materiam, vel partim alienam, partim propriam. Ita Reiffenstuel. Debet autem ita immutari forma antiqua, ut in commercio humano habeatur pro diversa, & nova specie entis, alioque nomine substantivo appelletur, sive dein hæc mutatio fiat in genere physico, sive morali. Ita Clarissimus P. Antonius Mayr. 314

Ad hoc autem, ut specificans acquirat dominium materiæ alienæ, in quam introducit novam formam, requiruntur sequentia: 1. ut nova species producta non possit in antiquam materiam reduci. §. 25. Instit *de rerum divisione.* 2. ut specificans introducat speciem nomine suo; si enim hoc fecerit nomine alterius, ad illum alterum spectabit. L. *Quidquid.* 27. §. 1. ff. *de acquirendo rerum dominio.* 3. ut bona fide faciat, vg. credendo invincibiliter, quod hæc materia sit sua. L. 12. §. 3. ff. *ad exhibendum.* Chlingensperger L. 2. Instit. t. 1. q. 39.

Dices: Mala fides non impedit acquisitionem dominii in accessione, ut si quis alienam purpuram suo vestimento intexuerit §. 26. Instit. *de rerum divisione.* ergo neque impedit in specificatione. R. N. c. Hic enim 1. aliter disponunt jura. 2. In accessione jure accessorii acquiritur dominium; accessorium autem sequitur suum principale: hic autem in specificatione non habet locum jus accessorii. Ex his

Resolves sequentes casus. 1. Si lana aliena tingitur colore, 315
non fit specificatio, nec acquiritur illius dominium: tinctura enim non magis mutat lanam, quam si in lutum ceciderit, ut dicitur L. 26. §. 3. ff. *de acquirendo rerum dominio.* Aliter dicendum est, si ex lana fiat pannus; quia pannus in æstimatione est alia nova res, diversa a lana.

Neque fit specificatio, si ex spicis alienis excutias frumentum: proinde nec dominium hujus frumenti acquiris.

Nec obstat, quod §. 25. Instit. *de rerum divisione* pro exemplo specificationis ponatur, *si ex spicis fiat frumentum;* Nam

R. 1. cum P. Ininger apud R. P. Antonium Mayr, per *frumentum* intelligi debere *farinam*. R. 2. ad eumdem textum juris cum P. La-Croix: Hunc locum esse male impressum, & intelligi debere juxta L. 7. §. 7. ff. *de acquirendo rerum dominio*. ubi clare dicitur oppositum, additurque ratio, quia per excussionem non nova species introducitur in grana frumenti, sed tantum ea forma, quam antecedenter jam habuerunt ut contenta in spicis, per excussionem detegitur, & foras profertur. Aliud est dicendum, si ex spicis, vel granis frumenti fiat farina; hæc enim habet novam speciem, a forma frumenti distinctam.

3. Si ex uvis alienis facias vinum, ex farina panem &c. dummodo ista fiant bona fide: acquiris dominium vini, & panis. Ratio est: quia introducens speciem, quæ semel facta non potest reduci in priorem materiam, acquirit dominium ejusmodi speciei novæ, & materiæ: tenetur tamen valorem materiæ, vg. uvarum, ac farinæ domino compensare pecunia, vel alio modo. Aliud statuendum est, si ex auro alieno fiat statua, ex asseribus alienis conficiatur navis. Ratio est: quia statua in aurum, & navis in asseres denuo redigi potest. Quare in hoc casu tota nova species statuæ, ac navis pertinet ad priorem Dominum, ad quem spectat aurum, & asseres. §. 25. Instit. *de R. divis.* Addit tamen P. Antonius Mayr, quod Dominus materiæ debeat illi, qui bona fide induxit novam speciem, solvere pretium operæ, & formæ novæ.

4. Qui ex uvis, quas scit esse alienas, facit vinum, non acquirit dominium hujus vini, etsi sit causa novæ speciei. Ratio est, quia mala fide processit. Quare hoc vinum pertinet ad dominum uvarum, qui & illud vindicare potest. Ita est decisum L. 12. §. 3. ff. *ad exhibendum*. & L. 23. §. 4. ff. *de rei vindicatione*.

5. Si pistor ex tuo frumento, quod bona fide a fure emit, faciat panem, non habes actionem realem contra ipsum, nec potes vindicare panes ex tuo frumento factos. Ratio est: quia per specificationem pistor dominium acquisivit panum, & tibi ademit dominium tui frumenti: habes tamen actionem personalem in factum. Idem est in casu, quo lanio oves alienas, quas bona

na fide a fure emit, mactat, & ex iis carnes facit. Reiffenstuel in Addit. ad n. 24. t. 7. d. 5. q. 3.

§. II.

Continuatur præcedens materia.

Quintus modus acquirendi dominium jure Gentium est 316
confusio, quæ tunc accidit, quando plures materiæ liquidæ, vel liquefactæ, quæ ad distinctos Dominos spectant, ita miscentur, ut ab invicem industria humana, vel via ordinaria separari nequeant. Fit autem confusio, sive istæ materiæ ita commixtæ sint ejusdem rationis, sive diversæ, ut si vinum cum vino misceas, vel ex vino & melle mulsum facias, & sic novam speciem introducas.

Si similis confusio duarum materiarum facta est cum consensu utriusque Domini, vel casu fortuito, tunc totum, quod ex confusione resultat, est utrique Domino commune, ita tamen, ut qui plus de suo addidit, plus etiam juris habeat, ut de se clarum est. Ita statuitur §. 27. Instit. *de R. divisione.* Si confusio facta est voluntate tantum unius Domini, bona fide procedentis, & quidem ita, ut nova species per ejusmodi confusionem producta fuerit, vg. si ex tuo melle, & vino alieno efficias bona fide mulsum, tunc idem juris est, quod in aliis specificationibus, de quibus N. præc. Si vero in simili casu specificatio non fiat, ut si vinum tuum bona fide cum vino alieno confundas, tunc jus nihil decidit: putant tamen Holzman, ac R. P. Antonius Mayr, tunc totam massam manere communem utrique Domino, dummodo utriusque portio sit æqualis; nam si unius portio sit notabiliter major, ipse solus Dominus efficitur: ratio est: quia portio minor, tanquam quid accessorium, sequitur portionem notabiliter majorem ceu suum principale. Pro praxi tamen debet a confundente tantum refundi alteri, quantum de illius materia insumpsit.

Si mala fide fiat confusio, tunc Ininger, ac Holzman judicant, massam totam confusam cedere læso, ita quidem, ut nec materiam, nec pretium operæ teneatur refundere confusori. Verum

rum hoc alibi examinabitur. Interea autem certum eſt, quod ſic confundens mala fide non acquirat dominium materiæ alienæ.

Notandum inſuper eſt, hæc omnia procedere, ſi confuſio ita fiat, ut materiæ confuſæ ab invicem per induſtriam humanam ſeparari nequeant; ſi enim res diverſi generis confuſæ poſſunt arte humana ſeparari, tunc quælibet, etiam confuſione facta, ſub priore dominio, & Domino permanet. Ita communiter Th. Th. & J. J.

317 Sextus modus eſt *commixtio*, vel *permixtio*, quæ fit, quando miſcentur corpora ſolida duorum Dominorum, quæ etiam poſt mixtionem retinent propriam ſpeciem, ut ſi frumentum cum frumento miſceas, ubi ſingula grana ſuam propriam ſpeciem, etiam facta mixtione retinent. Differt permixtio a confuſione, quia facta confuſione moraliter nulla pars aſſignari poteſt, quæ non habeat aliquid de utroque corpore confuſo: ſic omnis pars mulſi eſt partim vinum, partim mel. Dum vero ſolida miſcentur, vg. meum frumentum cum tuo frumento, grana manent ſeparata, & de ſingulis verum eſt dicere: hoc granum non fuit utriusque, licet ob ſimilitudinem diſcernere nequeamus, cujus fuerit.

Permixtio duorum frumentorum, aut aliarum rerum ſolidarum (excepta tamen pecunia) non eſt modus acquirendi dominium. Chlingenſperger L. 2. Inſtit. t. 1. q. 51. Si ergo duo frumenta, ad diverſos Dominos pertinentia, caſu, vel etiam unius bona fide permiſceantur, non fit aliquid commune, ſed quilibet ſui frumenti dominium retinet. Ratio eſt: ſingula corpora ſic permixta in ſua ſubſtantia & ſpecie durant: ergo ſingula ad ſuos priores Dominos ſpectant. *Ratio rationis*: Grex non fit communis Petro, & Paulo, ſi oves Petri fuerint caſu, vel bona fide permixtæ ovibus Pauli, quia ſcilicet ſingulæ oves, etiam facta commixtione, in ſuo ſpecifico, & individuali eſſe perſeverant; ergo idem in propoſito. Quare quilibet ex duobus Dominis poſt factam commixtionem poteſt frumentum ſuum vindicare. Quia tamen eorum granorum, quæ cujusque fuerant, accurata ſeparatio fieri nequit, Judicis officio incumbit, ut jubeat tantam partem reſtitui alteri, quanta illius fuerat. Debet etiam

etiam officio judicis compenſatio qualitatis fieri, ſi vg. frumentum alterius fuiſſet melius L. 5. *in principio.* ff. *de rei vindicatione.*

Dixi: *Si caſu, vel etiam NB. unius*; ſi enim voluntate utriusque permiſceantur, tunc fit maſſa communis ob conſenſum utriusque, qui contractus, vel pacti rationem habet. Dixi 2. *excepta pecunia*; peculiare enim quid ſtatutum eſt de pecunia: nam qui alienam pecuniam ita cum ſua permiſcet, ut diſcerni nequeat, ſive bona, ſive mala fide id faciat, fit Dominus totius ſummæ, cum obligatione tamen perſonali refundendi alteri pretium æquivalens. L. *Si alieni.* ff. *de ſolutionibus.* Id autem ſingulariter circa pecuniam eſt ordinatum ob quotidianum ejus uſum in commerciis humanis, & ne ejusdem dominium incertum maneat, ſimulque, quia nummi, ſtatim dum expenduntur, ac præfato modo commiſcentur, cenſentur eſſe moraliter conſumpti: non ſic grana frumenti aliis permixta.

Septimus modus eſt *acceſſio*, quæ tunc datur, quando ali- 318
quid ornatus cauſa alteri adjicitur, vel accedit, ubi acceſſorium ſequitur ſuum principale, & illud, quod accedit, ad illum ipſum Dominum ſpectat, ad quem pertinet res illa, cui accedit. Quare ſi alienam purpuram intexas tuæ veſti, gemmam alienam inſeras tuo annulo, purpura & gemma tua fiunt, quamvis tibi incumbat obligatio præſtandi æſtimationem purpuræ & gemmæ, §. *Si tamen.* Inſt. *de rerum diviſione.*

Nec obſtat 1. quod purpura, vel res accedens ſit pretioſior, quam illa, cui accedit: ut habetur eod. §. & Tit. Inſtit. Neque 2. obſtat mala fides in illo, cujus induſtria fit acceſſio, ut tenent La-Croix, ac Chlingenſperger, & probant ex §. 26. Inſtit. *de rerum diviſione.* Horum omnium rationem dant Juriſtæ, quia acceſſorium ſequitur ſuum principale.

A regula generali acceſſionis excipitur pictura, quæ non cedit tabulæ, ſed potius tabula cedit picturæ. §. *Si quis.* 34. Inſt. *de rerum diviſione* Et ratio ibi additur: quia ridiculum eſt, picturam Apellis cedere telæ viliſſimæ. Hinc, ſi Petrus in tua tela, vel tabula pinxerit, pictura non ad te, ſed ad Petrum

pertinet. Idem de consuetudine extendunt P. Mayr, Layman, Holzman, ac alii ad Scripturam, quamvis jus commune sit contrarium. Proinde, etsi in aliena charta scribas, tamen Scriptura una cum charta tua erit. Ratio hujus est: quia modo charta est vilissimi pretii, nec litteræ scribuntur ad ornandas chartas. Huc etiam cum proportione facere videtur ratio §. 34. Instit. cit. pro pictura adducta, ac mox supra relata.

Porro (ut optime notat La-Croix) quandocunque res aliena, quæ alicui tuæ rei etiam bona fide est adjecta, potest sine detrimento separari ab illo, cui accessit, tunc debet separari, & priori domino restitui: si autem separari non potest, debet restitui æstimatio, & fieri compensatio, ut jam dictum est.

319 Inter modos acquirendi dominii refertur etiam *ædificatio*, quæ datur, quando aliquod ædificium novum erigitur. De ista statutum est, quod *ædificium cedat solo*. §. 29. & 30. Instit. *de rerum divisione*, id est, ædificium ad illum spectat, ad quem pertinet dominium terræ, & soli, cui inædificatum est. Et hoc verum est, sive deinde Dominus fundi, sive alius, sive per propriam, sive alienam materiam ædificaverit: neque obest, quod ædificando bona, vel mala fide processerit. Hæc tamen intelligenda veniunt de ædificio immobili, & solo adhærente, non autem de illo, quod loco moveri potest. Addendum etiam, quod illi, qui ex materia propria in alieno fundo bona fide ædificat, debeat a Domino fundi solvi pretium materiæ, & laboris: an autem hoc etiam solvi debeat ei, qui mala fide, & scienter ex materia sua in fundo alterius erexit ædificium, Doctores non conveniunt: ego vero quid sentiam, indicabo in Tract. de Restitutione, in quæstione de deductione expensarum a malæ, & bonæ fidei possessore factarum.

Ædificationi valde affinis est *plantatio*, quæ datur tunc, quando arbores inseruntur pratis, vel hortis, vel semina committuntur agris. De his prædicta regula iterum procedit, quod *planta, arbor, semen solo cedant*. §. 31. & 32. Instit. *de rerum divisione*. Si igitur tuam, vel alienam plantam, tuum vel alienum semen inseras agro Petri, tunc planta & semen est Petri, ac fructificet

cat Petro, non tibi: neque obest, quod hoc bona vel mala fide facias, ut superius est dictum.

Debet tamen planta radices fixisse in solo: si autem radices nondum fixit, tunc est adhuc sub dominio primi Domini. Neque etiam sufficit, si arbor tantum aliquas radices, vel ramos protendat in meum solum, sed debet truncus ejus in meo fundo crescere, ut desumitur ex L. 6. §. 2. ff. *Arborum furtim cæsarum.* ubi etiam dicitur, non licere vicino ramos in suum fundum projectos cædere, posse tamen eum agere, ut tollantur, vel damnum compensetur.

Ex his etiam colliges, frumentum tuum in solo Joannis seminatum, cedere solo, & esse Joannis §. 32. Instit. *de rerum divisione.* potest tamen bonæ fidei sator repetere expensas bona fide factas.

Tandem inter modos acquirendi dominium etiam veniunt *fructuum perceptio*, & *traditio*: de priore in Tract. de Restitutione, de altera in Tract. de Contractibus sermo erit.

ARTICULUS III.

De Venatione.

VEnatio est occupatio, qua feræ, in naturali sua libertate 320
constitutæ, occupantur, vel apprehenduntur, cum animo eas habendi ut suas. Potest autem venatio ratione sui objecti in tres classes dividi: una est *venatio in specie*, qua occupantur animalia terrestria, altera est *aucupium*, qua volucres, & tertia *piscatio*, qua pisces apprehenduntur, aut capiuntur. Quæritur ergo, an animalia &c. per venationem capta fiant capientis, vel occupantis? Pro quo

Nota 1. Aliqua animalia esse in sua libertate, & sub nullius existere dominio: talia sunt, quæ in infinitum vagari pos-

funt, ut cervi in fylvis, pifces in mari, aut fluminibus: imo & illa animalia adhuc naturali libertate gaudent, & nullius funt, quæ quidem inclufa funt, fed tantum in locis vaftiffimis, ita, ut ad libitum capi, vel apprehendi nequeant. Tales funt feræ exiftentes in fylvis vaftis incinctis, ac pifces injecti lacubus grandibus, *großen Seen.* L. *poffideri.* 3. & L. *item feras.* 14. ff. *de acquir. vel amitt. poffeffione.* Alia autem animalia funt in dominio alicujus hominis, ac exiftunt privata fua libertate: qualia funt pifces in pifcinis inclufi, uti & feræ in vivariis, aves in caveis detentæ &c.

Nota 2. Triplex genus animalium hic fpectari poffe: alia funt natura fua *manfueta*, ut oves, boves, canes &c. alia natura fua *fera*, ut lepores, leones, perdices, pifces: alia funt *manfuefacta*, & funt illa, quæ natura fua funt fera, ita tamen induftria hominum funt cicurata, ut confuetudinem habeant eundi, & redeundi domum, ut cervi, & accipitres, poftquam funt cicurati &c. His prænotatis fequuntur breviter variæ refolutiones: igitur

321 Refolvo 1. Animalia, quæ natura fua funt manfueta, quocunque deveniant, vel aberrent, manent Domini prioris. §. 16. Inftit. *de rerum divifione.* Quare fi quis tuam ovem e lupi faucibus eripuerit, non fibi, fed tibi eam fervat. L. 44. *de acquir. rerum dominio.* quamquam talis poffit pretium laboris, in commodum tuum impenfi, exigere.

322 Refolvo 2. Animalia fera, quamdiu retinent naturalem libertatem, funt nullius, & de jure naturali permiffivo funt primo occupantis: fi autem funt captæ, tamdiu funt capientis, donec iterum libertatem naturalem recuperent, quam fi recuperarunt, definunt effe capientis, nec funt amplius fub ejus dominio. §. 12. Inftit. *de rerum divifione.* Et hoc peculiare eft in feris; harum enim, non autem aliarum rerum, dominium ftatim perditur, perdita poffeffione. Ratio vero eft: quia feræ vi capiuntur, fic & earum dominium debet per poffeffionem, ac vim continuatam retineri. Jam vero tunc fera libertatem fuam eft affecuta, quando vel oculos noftros effugit, vel etiamfi intra noftrum confpectum exiftat, difficilis tamen eft ejus perfecutio,

ut

ut ſi avis in ſaltum avolarit: ex oppoſito tamdiu fera non cenſetur libertatem ſuam recuperaſſe, quamdiu cum probabili ſpe recuperandi eamdem Dominus inſequitur. §. 14. Inſtit. *de rerum diviſione.* & L. §. ff. *de acquirendo rerum dominio.*

Reſolvo 3. Animalia manſuefacta, vel cicurata eousque 323
ſunt noſtra, quamdiu habent conſuetudinem domum redeundi: hanc ſi amiſerint, noſtra eſſe deſinunt, & per conſequens libertatem naturalem recuperant, ac cujusvis primo occupantis fiunt. §. 15. Inſtit. *de rerum diviſione.* & L. 5. ff. *de acquir. rer. dominio.* Quanto autem tempore opus ſit, ut per abſentiam cenſeantur amiſiſſe conſuetudinem revertendi, regula nulla generalis ſtatui poteſt, cum in quibusdam ſufficiat minus, in aliis requiratur plus, ſic avis elapſa e cavea cenſetur ſtatim libertatem recuperaſſe: non ita cervus cicur, etſi una, alterave vice emaneat, neque accipiter, (*Falck*) etſi libere avolet.

Nota nihilominus, ad hoc, ut ejusmodi animalia libertatem ſuam cenſeantur conſequi, requiri 1., ut ea emaneant ſponte ſua, non autem per aliorum hominum inſidias, aut illecebras abſtrahantur a reditu. 2. Ut effugiant conſpectum Domini, vel ſi adhuc in conſpectu ejus exiſtant, difficilis ſit eorum perſecutio. §. 14. Inſtit. *de rerum diviſione.* Hæc, quæ hac in reſolutione dicta ſunt, obſervanda ſunt præprimis circa apes, quæ natura ſua feræ cenſentur, ſed uſu, & conſuetudine ſunt manſuefactæ: de quibus §. 14. Inſtit. cit. ita loquitur: *Examen apum, quod ex alveo tuo evolaverit, eousque intelligitur eſſe tuum, donec in conſpectu tuo eſt, nec difficilis ejus perſecutio eſt; alioquin occupantis fit.* Occupantur autem, dum alveo includuntur, non autem per hoc, quod arbori alicui inſederint, ut habetur in Inſtit. tit. jam ſæpius allegato. Addit autem Herincx, circa occupationem apum eſſe attendendam conſuetudinem, quæ pro diverſitate locorum ſolet eſſe alia, & alia; nam alicubi Dominus arboris, cui inſident apes: alibi ille, qui ſignat arborem, acquirit dominium examinis apum &c.

Reſolvo 4. Circa columbas fere idem notandum eſt, quod 324
circa animalia fera, quæ ſunt cicurata: ſi nimirum non amplius

us habeant confuetudinem revertendi, tunc funt liberæ, & fiunt primo occupantis. Quare, fi alienæ columbæ ftabiliter columbarium Pauli incolant, fiunt Pauli: dummodo tamen abfint fraus, & illecebræ ex induftria pofitæ, ut iisdem alienæ columbæ ad tuum columbarium alliciantur &c.

325 Refolvo 5. Etfi jure naturæ permiffa fit cuilibet venatio, ea tamen juftis ex caufis poteft prohiberi fubditis, & foli Principi refervari. Communis omnium DD. Ratio eft: quia plura defacto funt prohibita, quæ tamen jure naturæ funt permiffa: ergo idem eft de venatione. Caufæ vero, cur venatio fubditis prohiberi poffit, a DD. afferuntur variæ: ut 1. publica tranquillitas, ne ex continua armorum tractatione & ufu, atque prætextu venationis latrocinia, & rebellionis exordia introducantur. 2. Publica utilitas, ne fubditi amore venationis ab agricultura, aliisque bono communi neceffariis laboribus abftrahantur. 3. Suftentatio, ac recreatio Principi debita, 4. Accedit præfcriptio, ac antiqua confuetudo: de quibus paffim Cafiftæ.

326 Petes 1. An fubditi contra prohibitionem Principis venantes peccent? R. affirmative, fi lex prohibens eft directiva, & non mere pœnalis: an autem mere pœnalis fit, ex confuetudine, ufu & praxi cujuslibet provinciæ eft defumendum. Imo tales feripetæ non folum obedientiam, fed etiam juftitiam lædunt; quia agunt contra jus venandi, Principi jufte acquifitum. Verum hoc peccatum plerumque tantum eft veniale; quia per feripetas jus hoc venandi, & recreatio Principis plerumque non læditur notabiliter, cum nunquam tot feræ capiantur, ut non fuperfint fufficientes pro recreatione, & venatione Principis.

327 Petes 2. An ille, qui venatur contra prohibitionem Principis, adhuc acquirat dominium ferarum illarum, quas capit, aut trajicit? R. affirmative, fi fint feræ adhuc fua libertate naturali gaudentes, de quibus fupra. Ratio eft: quia tales feræ fiunt primo capientis. Nec refert, quod fylva, in qua capitur fera, fit fub alterius dominio; cum enim feræ non fint pars fundi, neque fructus ejusdem, ideo Dominus fundi non cenfetur hoc ipfo poffidere feras, in fuo fundo vagantes, nec habet

bet propterea earum dominium. Hinc talis non obligatur ad aliquam restitutionem præcise pro fera capta, vel occisa, saltem ante judicis sententiam.

Quæ dicta sunt de venatione, etiam intelligi debent de piscatione. Duo tantum nota de libertate piscium. 1. Pisces habent naturalem libertatem in mari, & fluminibus, ubi possunt in infinitum vagari: ut jam supra dictum est. 2. Habent eam etiam in lacubus majoribus, vg. lacu Podamico, e quibus aqua emitti non potest; nam in his saltem possunt satis vagari ad hoc, ut non facile capiantur. Contra libertatem non habent in piscinis, quia ibi se habent ut animalia terrestria in vivariis. Plura de hac re videre potes in Theol. Moral. P. Reiffenstuel Tr. 7. d. 5. q. 2.

Quæres: Quid dicendum de iis, qui in sylva aliena ligna 328
cædunt? R. 1. Si sylva spectat ad aliquem privatum, furtum committunt, & ad restitutionem pro rata damni illati tenentur. Idem dicendum, si sylva spectat quidem ad Communitatem, sed sub onere certæ pensionis locata est alicui privato. Ratio est, quia tunc Communitas censetur, suum jus quasi vendidisse tali homini privato, cui proinde per cæsionem lignorum infertur damnum, restitutione reparandum.

R. 2. Si quis cædit ligna in sylva communi, spectante ad suam Communitatem; cujus scilicet ipse est membrum, non tenetur ad restitutionem, etsi forte plus cædat, quam ipsi competit, dummodo non inferat enorme damnum sylvæ, neque impediat, ne alii cives debitam sibi portionem accipere possint. Molina, Lugo, Sporer, Holzman, Babenstuber, Mayr. Ratio est: quia Communitas non censetur cives suos ad restitutionem obligare ob ligna talia, cæsa in sylva communi.

R. 3. Si quis cædat ligna ex sylva alterius Communitatis, cujus ipse non est membrum, per se loquendo peccat, & tenetur ad restitutionem. La-Croix, Holzman; lædit enim jus alterius Communitatis, quam lignando in ipsius sylva damnificat. Dixi: *per se loquendo* &c. nisi consuetudo contraria, quæ hic attendi debet, aliquid aliud doceat

Idem, quod hic diximus de lignantibus in alienis sylvis, statuendum quoque est de pascentibus in alienis pascuis.

ARTICULUS IV.

De Inventione Thesaurorum, ac Mineralium.

329 L. 31. ff. *de acquir. rer. dominio.* describitur thesaurus, quod sit *vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat.* Dic. 1. *Vetus*, id est, tanta vetustate, ut nulla exstet ejus memoria. Dic 2. *Depositio pecuniæ*, ubi sub nomine pecuniæ intelligitur quævis res mobilis, vg. gemmæ, vasa, crateres, torques &c., uti habetur L. un. C. *de Thesauris.* Dic. 3. *ut jam dominum non habeat*; debet enim res deposita esse nullius, ut rationem, ac nomen thesauri obtineat. Ex his

Deduces 1. Thesaurum annumerari bonis derelictis, seu talibus, quæ expresso, aut præsumpto Domini actu talia facta sunt, ut jam sub nullius hominis dominio existant; siquidem eo ipso, quod Dominus voluntarie ita abscondat pecunias suas, ut eæ moraliter nec ad ipsum, nec ad suos hæredes pervenire possint, eo ipso, inquam, præsumitur easdem derelinquere. Quare pecuniæ ita defossæ fiunt nullius. Ex quo

Deduces 2. Non esse thesaurum, si ex inscriptione, vel figura monetæ colligitur, eam esse cusam primum nostris temporibus, vg. ante 20. annos. Ratio est: quia tali pecuniæ defossæ, vel depositæ deficit vetustas ad thesaurum requisita.

Deduces 3. Neque esse thesaurum, si ex addita syngrapha, quæ perpetuo loquitur, resciatur, cujus pecunia sit, non obstante, quod ejusmodi pecunia jam ante 100. annos fuisset deposita. Ratio est, quia talis pecunia jam haberet Dominum.

Deduces 4. Etiam thesaurum non esse, etsi Dominus nesciat, pecuniam depositam esse suam, dummodo alii sciant, eam

ad

ad ipſum pertinere. Ratio eſt: quia dominium per ignorantiam, aut diuturnitatem temporis non perit, ſi perſeverat poteſtas bona ſua recuperandi, quæ in tali domino ignorante manet, quia ab aliis ſcientiam habentibus poteſt moneri. Obſervandum tamen, ſi ſolum ſciatur, quæ familia in illis ædibus, in quibus pecunia defoſſa invenitur, habitaverit, non propterea ſtatim ſciri, a qua perſona ea fuerit depoſita, vel quis ejus hæres ſit; poteſt enim etiam ab alio in fuga, vel bello ibi eſſe depoſita. Si autem vere conſtaret, quisnam eſſet Dominus, tunc non poſſet dici theſaurus; quia jura ad theſaurum exigunt, ut ejus Dominus ignoretur. Ex hoc

Deduces 5. Non ſtatim pecuniam repertam, etſi ea defoſſa fuerit, poſſe haberi pro theſauro; tunc enim ſolum theſaurus erit, ſi ei definitio theſauri quoad omnia conveniat: ſecus vero deberet Dominus ejus inquiri, aut ſi hic reperiri non poſſet, deberet de ejusmodi pecunia agi, ſicut & de aliis bonis incertis ab alio inventis, de quibus Art. ſeq. Ita recte advertit P. Kreſslinger in Addit. ad Theol. Moral. P. Reiffenſtuel Tr. 7. d. 5. n. 9. H. N.

Aſſero 1. Spectato jure naturæ & Gentium, theſaurus in- 330
ventus tranſit in dominium inventoris, occupantis eum. Herincx, Mezger, & alii. Prob. Id, quod in nullius eſt dominio, jure naturæ & Gentium fit primo occupantis: ſed theſaurus in nullius eſt dominio: ergo de jure naturæ & Gentium fit inventoris, primo eum occupantis. M. colligitur ex hactenus dictis. m. patet 1. ex definitione theſauri. 2. ex eo, quia hæc pecunia non ſpectat ad Dominum, qui eam abſcondit, & depoſuit, cum hic illam præſumatur dereliquiſſe. Neque pertinet ad dominum loci, in quo theſaurus eſt defoſſus; etenim theſaurus non eſt pars, neque fructus loci illius, vg. agri: ergo non eſt ratio, ut pertineat ad dominum illius agri.

Neque dicas: Talem theſaurum poſſe præſcribi a Domino agri, in quo ille eſt defoſſus; nam hoc falſum eſt: etenim illud non poteſt præſcribi, quod non poſſidetur: ſed theſaurus iſte a nemine poſſidetur: ergo etiam a nemine poteſt præſcribi. m. claret; quia illud non poſſidetur, de quo nulla habetur cognitio, cum ad omnem poſſeſſionem requiratur animus, & in-

tentio possidendi : atqui intentio non fertur in rem penitus incognitam : ergo. Hæc de jure Gentium & naturali : verum de jure civili Cæsareo paulo aliter est dispositum. Quare.

331 Assero 2. De jure positivo communi Cæsareo 1. Thesaurus in proprio fundo repertus, integer est inventoris. 2. Si *fortuito est* inventus in alieno fundo, etiam Principis, tunc quoad unum dimidium pertinet ad inventorem, quoad alterum spectat ad Dominum fundi. Ita communis, & certa ex §. *thesauros.* 39. Instit. *de rer. divis.* & L. un. C. *de thesauris.*

Atque hæ leges ante sententiam judicis in conscientia obligant : cujus ratio est 1., quia ex nullo capite possunt esse pœnales. 2. §. 39. Instit. mox cit. dicitur : *Divus Hadrianus, naturalem æquitatem secutus, dimidium Domino soli* concessit : ergo non pœnam statuit, sed obligationem in conscientia inducere voluit, ita suadente æquitate. 3. Si istæ leges dicerentur pœnales, posset etiam dici ; quod leges præscriptionum sint mere pœnales, & ante sententiam judicis non obligent. 4. Istæ leges sunt definitivæ proprietatis rerum, & transferunt jus dominii in Dominos fundi quoad mediam partem : ergo obligant in conscientia, ut hisce Dominis fundi media pars thesauri tradatur. C. patet; nam & leges illæ, quæ emptori jus tribuunt in rem emptam, obligant in conscientia : ergo & istæ, quæ jus in thesaurum tribuunt, obligantin conscientia : Pro quibus

Nota ulterius, Dominum fundi statim fieri Dominum mediæ partis thesauri, dum hic in suo fundo ab alio fortuito invenitur, & occupatur, ut colligitur ex LL. cit. Proinde Dominus fundi ex legis dispositione per ipsum inventorem sufficienter apprehendit, & occupat.

Dixi in conclusione : *Si fortuito est inventus* ; si enim data opera aliquis in alieno fundo quærat thesaurum, totum jubetur cedere Domino per modum pœnæ L. un. C. *de thesauris.* Hæc tamen non obligat ante sententiam judicis more pœnarum. Nihilominus talis inventor ante omnem sententiam judicis debet dimidium Domino fundi cedere propter illa, quæ in conclusione sunt dicta.

Sup-

Suppono etiam, quod theſaurus ſit licito modo quæſitus; ſi enim arte magica, vel alio modo a legibus reprobato eſſet inventus in proprio fundo, tunc totus fiſco darij deberet, ut habetur L. un. C. *de theſauris.* Hæc tamen lex, utpote pœnalis, juxta DD. communiter non obligat ante ſententiam judicis condemnatoriam. Si autem magicis artibus &c. in alieno fundo quis inveniat theſaurum inſcio Domino fundi, tunc Lugo, & Leſſius exiſtimant, dimidiam partem tantum eſſe applicandam fiſco, alteram autem remanere Domino fundi. Ratio eſt: quia Dominus innocens non debet ob alterius delictum privari bono ſibi alias debito: atqui dimidia pars eſt Domino fundi alias debita vi legum citt.: ergo ea privari non debet ob delictum inventoris. Imo non deſunt, qui in hoc caſu putant, totum theſaurum pertinere ad Dominum fundi, cum leges adjudicent eum Domino fundi, quando data opera ſine ejus conſenſu eſt quæſitus. Ratio eſt: quia leges volunt, totum theſaurum, ſaltem poſt ſententiam, tradi Domino fundi, quando ſine ipſius præſcitu & conſenſu eſt data opera in ſuo fundo quæſitus: quo favore legum ob delictum alterius talis homo non eſt privandus.

Petes 1. Si fundus habeat duos Dominos, unum proprietarium, vel emphyteuticum, aut uſufructuarium, quid tunc faciendum de illa media parte, quæ Domino fundi debetur? 332

R. 1. Illa medietas non debetur uſufructuario, ſed Domino directo. Ita communiter DD. cum Mezger, Herincx, & aliis. Ratio eſt: quia theſaurus non eſt fructus fundi, ſed eſt tantum abſconditus in fundo. Colligitur etiam ex L. *fructus.* 8. §. *ſi fundum.* ff. *de ſoluto matrimonio.* ubi marito denegatur pars theſauri in fundo dotali, non obſtante, quod maritus fundi dotalis uſumfructum habeat. A fortiori nihil de theſauro ab aliis invento participant illi, quibus fundus ille tantum erat elocatus, commodatus, aut in pignus conceſſus.

R. 2. Dimidium theſauri inventi in fundo feudali, vel emphyteutico non debetur Domino directo, ſed Vaſallo, vel Feudatario, ac Emphyteutæ. Herincx, Kreſslinger, Chriſtophorus Chlingenſperger, Haunold, Antonius Mayr, Stapf, ac plures

res

res alii, inter quos Schuzius ait, ita in praxi servari. Ratio est: quia Feudatarii, & Emphyteutæ sunt in hoc potiores usufructuario; sunt enim ita Domini utiles rei in feudum, vel emphyteusin concessæ, ut ex ea recipiant omnia commoda, & emolumenta, Domino directo solum obtinente jura feudalia, & emphyteutica, inter quæ non est participatio, vel inventio thesauri.

333 Petes 2. Quid dicendum, si thesaurus casu fortuito ab alio inveniatur in loco sacro, vg. in Ecclesia? R. tunc etiam media ex parte pertinere ad Ecclesiam, & ex altera parte dimidia ad inventorem. Christoph. Chlingensperger, Kreslinger, ac P. Antonius Mayr. Ratio est: quia Ecclesia non debet esse deterioris conditionis, quam aliquis homo privatus: atqui thesaurus in fundo privati repertus, dimidia ex parte spectat ad hominem illum privatum: ergo etiam in loco ad Ecclesiam spectante repertus thesaurus ex dimidia parte ad illam Ecclesiam, vel Dominum Ecclesiæ spectabit. Leges, quæ contra hanc resolutionem citantur, apud P. Antonium Mayr, & Massæum Kreslinger in Theol. morali P. Reiffenstuel solutas vide.

334 Petes 3. Quid dicendum sit de thesauro, invento in loco publico? R. Talem thesaurum esse dividendum cum fisco, vel civitate, vel Republica, in qua existit iste locus publicus. Ita habetur §. 39. Instit. *de rer. divis.* Verum dubium est, quisnam sit locus publicus ille, de quo loquitur cit. textus juris, ac nostra assertio? Lugo, Lessius, Covarruvias, Palao, Haunoldus, Vasquez apud Clarissimum Antonium Mayr per locum publicum hic intelligunt eum, qui jure dominii spectat ad fiscum, vel Communitatem, tanquam bonum ac patrimonium populi & Communitatis, ut domus publica, sylva, pascua communia &c. in quibus, ajunt, thesaurum inventum debere dimidiari, & unum illius dimidium Communitati tradi: Contra vero dicunt, alia esse bona publica, quæ publicis omnium usibus sunt destinata, ut plateæ, flumina, forum &c., quæ dicunt non comprehendi per mox allegatam dispositionem juris civilis: quare volunt thesaurum in tali loco publico, vg. in platea publica inventum, totum esse inventoris. Ratio est: Jus civile de tali thesauro nihil disponit, sed eum relinquit ordinationi juris Gentium & natu-

naturæ, juxta quod totus cedit inventori, primo illum occupanti. Verum Clarissimus D. Stapf apud laudatum P. Antonium Mayr T. 8. cursus sui Theologici n. 311. affirmat, etiam flumina, littora maris, ipsa maria, vias, ac plateas esse sub vero dominio proprietatis Regum, Principum, & Communitatum, adeoque de thesauro ita invento idem asserit esse observandum, quod observari debet circa thesaurum repertum in fundo alieno, de quo supra

Hæc, quæ hactenus de thesauris dixi, de jure communi Cæsareo intelligenda sunt: quid autem de consuetudine sit dicendum, non adeo constat. Chlingensperger equidem L. 2. Instit. t. 1. q. 34. ait: hodie Principes supremos jure Regalium thesauros, ubique in locis suorum subditorum inventos, vel ex toto, vel ex parte sibi attribuere. Huic opinioni subscribunt alii plures. Vide de hoc additionem 1. Theol. moral. P. Reiffenstuel T. 7. d. 5. n. 13. Ast vero Clarissimus P. Antonius Mayr T. 8. n. 314. asserit, non constare de consuetudine, aut lege tali, quæ jus antiquum cæsareum de thesauris correxerit, aut abrogarit.

Verum hoc non habet amplius locum in Bavaria, in qua clare sequentia ordinat Codex Maximilianeus p. 2. c. 3. §. 4. *Gefundener Schäzen halber, welche so lange Zeit vergraben, eingemaurt, oder sonst verborgen geweßt, daß man den Eigenthümer nicht mehr davon weis, wird das General-Mandat von Anno* 1752. *hiermit folgendermaßen erneuert.* 1. *Soll man den Schaz in drey Theile theilen, wovon dem Fisco zwey Drittel zugehen, der Ueberrest aber dem Erfinder, wenn er den Fund auf seinem Eigenthum thut, verbleibt. Falls aber* 2. *derselbe in fremden geschihet, so theilt der Erfinder sothanes Drittel mit dem Eigenthümer des Orts, ausser da der Schatz nicht von ungefehr gefunden, sondern ohne des Eigenthümers Wissen und Willen mit Fleiß darauf nachgesucht, oder gegraben worden, welchenfalls das ganze Drittel dem Proprietario loci allein zugehört. Gebraucht man sich aber* 3. *etwan gar aberglaubischer Dingen hierunter, so verfallt man dadurch nicht nur in malefizische Straf, sondern der Antheil, welchen man sonst dabey gehabt hätte, gehet verlohren, und kommt dem Fischo zu, jedoch ohne Præjuditz des Eigenthümers, wenn er bey der Sach unschuldig ist. Unter dem Eigenthum wird* 4. *disfalls vorzüglich das dominium utile ver-*

verſtanden, mithin dem Dominio directo præferirt, wo hingegen Uſufructuarius, Commodatarius, Depoſitarius, Pignoratarius und dergleichen von der Participation ausgeſchloſſen ſind. Ergiebt ſich nun 5. der Fall in Kirchen, geweythen Orten, oder auf Gemeinds-Gründen, Oeden und Herrnloſen Güteren, ſo kommt erſtenfalls des Eigenthümers Antheil der Kirch oder cauſæ piæ, andernfalls der Gemeinde, und drittenfalls dem Fiſcho zu. Sollte ſich endlich 6. jemand unterſtehen, den gefundenen Schatz zu verhelen, und nicht alſogleich anzuzeigen, ſo wird er nicht nur mit maleſiziſch-willkührlicher Straf belegt, ſondern er verwürckt anbey ſeinen ihm ſonſt gebührenden Antheil, und fallt ſolcher vielmehr demjenigen zu, der dieſes am erſten angiebt. Hæc igitur in Bavaria, & ubi jus Boicum in uſu eſt, obſervari debent, ſicut & alia in illo capite §§vis reliquis ſtatuta circa alios modos acquirendi rerum dominium.

335 Quæres ulterius: Ad quem ſpectent Mineralia, ac venæ metalli recenter inventæ? R. De jure naturæ & Gentium ſpectant ad dominum fundi, in quo ſunt inventæ. Herincx, Mezger, Holzman. Ratio eſt: quia mineralia & metalla adhærent terræ, atque ex illa virtute Solis, vel alterius agentis producuntur haud aliter ac herbæ, creta, lapides &c.: ergo eodem modo ad Dominum fundi pertinent, ſicut ad eum ſpectant herbæ, lapicidinæ &c. Imo mineralia ſunt pars fundi: ergo ad eum Dominum de jure naturæ ſpectant, ad quem pertinet totus fundus.


Dixi: *de jure naturæ*; niſi videlicet leges ſpeciales, aut conſuetudines particulares aliquid aliud decernant, quæ proinde quoad hoc punctum ſunt attendendæ.

336 Quæres ultimo: Quando aliquis ſciat in agro latere theſaurum, an poſſit illum emere, quin de theſauro latente Dominum moneat, aut pretium propterea augeat? R. Affirmative. Ita communis. Ratio eſt: quia talis ager adhuc juſto pretio emitur, etſi illud propter latentem theſaurum non augeatur; nam pretium deſumitur ex communi æſtimatione hominum: atqui in communi æſtimatione hominum ager ille, in quo latet theſaurus adhuc communiter incognitus, non plus valet, quam ſi theſaurus non lateret; nam ignoti nulla cupido, & nulla æſtimatio·

matio·

matio : proinde propter theſaurum ejusmodi incognitum nulla major æſtimatio communis tali agro accedere poteſt. Inſuper theſaurus non eſt pars, aut fructus fundi, adeoque propterea fundus non debet pluris æſtimari, aut ſolvi. Adde, quod theſaurus iſte, quamdiu latet, non ſpectet ad ullum hominem, neque ad Dominum fundi illius, in quo latet: ergo Dominus fundi propter theſaurum, tanquam rem non ſuam, non poteſt majus pretium prætendere. Præterea non poteſt oſtendi ulla ratio, ob quam talis, qui ſcit latere theſaurum in alieno fundo, teneatur de hoc monere Dominum fundi.

Idem dic de illo, qui ſcit mineralia latere in alterius fundo; nam & hic ſilere poteſt, ac communi pretio emere agrum illum : ut patet ex ratione prima, quam adduxi pro reſolutione immediate data de theſauro.



ARTICULUS V.

Ad quem ſpectent bona inventa: item bona vacantia, derelicta.

§. I.

Præmittuntur aliqua quæſita.

QUÆRES 1. Quæ ſint bona derelicta? R. Bona derelicta 337
ſunt illa, quæ Dominus non vult habere in ſua poteſtate, adeoque eorum dominium abjicit, quin illud transferat in alium. Quare illa, quæ ſunt derelicta, ſub nullius dominio exiſtunt; non enim exiſtunt ſub dominio illius, qui prius fuit eorum Dominus; hic ſiquidem dominium talium rerum a ſe abjecit: neque pertinent ad alium Dominum; quia abjiciens dominium, illud in alium non tranſtulit : unde fiunt primo occupantis. L. 1. & 2. ff. *pro derelicto*.

Poteſt

Poteſt autem Dominus expreſſe vel tacite rem ſuam derelinquere. *Expreſſe* id facit, quando rem ſuam abjicit cum deliberato animo eam non amplius habendi ut ſuam: prout fit, ſi Princeps, vel Rex pecunias in populum ſpargat. *Tacite* autem id præſtat, ſi rem ſuam, vg. deperditam, facile poſſet recuperare, id tamen negligit, vel diſſimulat, vel alia ratione oſtendit, quod bonum ſuum velit pro derelicto habere. In dubio autem, an res aliqua fuerit a Domino derelicta, conjecturis & prudentum arbitrio eſt utendum: ſi tamen ex conjecturis, ac circumſtantiis *certo* non poteſt colligi, quod bonum aliquod fuerit vere derelictum, tunc pro tali non eſt habendum, neque fit primo occupantis, ſed priori Domino reſtituendum eſt: ratio eſt; quia nemo facile res ſuas jactare, & derelinquere præſumitur: hinc præſumptio ſtat pro Domino priore, quod ipſe voluerit rem ſuam retinere. Ex his.

Deduces 1. Bona, quæ ingruente tempeſtate projiciuntur in mare, vel quæ tempore incendii jactantur in plateas, non eſſe habenda pro derelictis. Ratio eſt: quia Dominus illa tantum coacte projicit, & vult ad ſe reverti: hinc etiam priori Domino ſunt reſtituenda, §. ult. Inſtit. *de rerum diviſ.* & L. *falſus. ff. de furtis.* Imo excommunicatio Papæ reſervata fertur in Bulla Cœnæ in eos, qui bona Chriſtianorum naufragantium ſurripiunt. Nihilominus Mezger ex Lugone exiſtimat, iſtam excommunicationis ſententiam non afficere eos, qui ideo ſibi vendicant bona naufragantium, quia veriſimiliter credunt, Dominum navis, aut alium ipſius nomine, nunquam eſſe rediturum ad illa bona quærenda; tunc enim ſimilia bona merito haberentur pro derelictis.

Deduces 2. Inter bona derelicta recte computari theſauros, ut ex dictis liquet.

338 Quæres 2. Quæ ſint bona vacantia, & incerta? R. 1. Bona *vacantia* ſunt illa, quæ remanent poſt Domini mortem, nullo hærede relicto. Et hæc, ſi defunctus ſit laicus, jure communi fiſco Principis, vel Reipublicæ deferuntur. L. *Vacantia.* C. *de bonis vacantibus.* Si defunctus ſit Peregrinus, bona mobilia ab eo relicta per Epiſcopum loci in cauſas pias expendi debent. Auth. *Omnes Peregrini.* C. *Communia de Succeſſionibus.*

R. 2.

Resp. 2. Bona *incerta* ſunt , quæ Dominum quidem habent, aut habere præſumuntur, ſed is ignoratur. Hæc autem bona ſunt duplicis generis : aliqua ſunt *incerta ex delicto*, vg. fraude, uſura, vel negligentia in inquirendo Domino: aliqua ſunt *incerta ſine delicto*: talia ſunt, quæ quis bona fide; vg. in platea invenit, nec in notitiam Domini, ad quem illa ſpectant, omni morali diligentia adhibita, venire poteſt.

R. 3. Non ſunt bona incerta, quorum Dominus tantum non ſcitur determinate, ſcitur tamen inter paucos, vg. inter duos vel tres unum neceſſario eſſe Dominum talis rei. Quare in tali caſu res eſſet illis tribus reſtituenda, ut eam vel inter ſe dividant, vel rem ſorte, aut conventione inter ſe tranſigant: aliud eſt dicendum, ſi ſciretur tantum, aliquem ex multis, vg. ex integra populoſa civitate, eſſe Dominum boni alicujus, non autem poſſet determinari, quis iſte eſſet: in quo caſu bonum illud maneret adhuc incertum. Ratio utriusque deſumitur ex æſtimatione morali, & communi hominum judicio.

R. 4. Qui habet aliqua bona incerta, debet moralem diligentiam adhibere in inquirendo vero Domino. Ratio hujus eſt: quia hoc ipſo, quod aliquis bonum incertum accipiat, vel penes ſe retineat, ſe implicite obligat ad moralem diligentiam in inveſtigando Domino adhibendam: ſicut & ille, qui rem alienam in depoſitum accipit, ſe ſimul implicite obligat ad eam cuſtodiendam.

Hæc autem moralis diligentia (ut advertunt communiter Theologi cum La-Croix L. 3. p. 2. n. 87.) debet eſſe major, vel minor ſecundum majus vel minus pretium rei incertæ. Et hinc, ſi res ſit magni pretii, tenetur inventor curare, ut aliquoties promulgetur in cathedra, affigatur ſcheda, id publice notificans &c.; imo ſubinde etiam, ut imprimatur in novellis publicis. Sporer putat, etiam in aliis locis vicinis promulgari, & inquiri debere, ſi probabilis ſpes ſit, Dominum, vel hæredes ibi commorari : ſi autem res parvi pretii eſt, ſufficit, ſi ſcheda affigatur Eccleſiæ, aut aliqua promulgatio fiat in foro, ubi hominum frequentia convenire ſolet. Si deinde Dominus compareat, & probet, rem eſſe ſuam, debet ei reddi, nec in-

ventori ex justitia debetur aliquod honorarium: si tamen lex aliqua particularis, vel promissio aliquid dandi adesset, vel si labor in indagando esset positus, deberet satisfactio præstari pro æquitate.

§. II.

An is, qui habet bona incerta ex delicto, possit illa sibi retinere?

339 ASSERO, & R. negative. E. g. furatus es alicui 100. florenos, nescis tamen, quisnam ille sit, cui abstulisti. Vel: invenisti 100. florenos bona quidem fide, culpabiliter tamen neglexisti inquirere in Dominum pecuniæ deperditæ, ex qua negligentia res in eum statum est devoluta, ut moraliter sit impossibile devenire in notitiam Domini. In utroque, & aliis similibus casibus non potes retinere pecuniam, sed teneris eam regulariter in causas pias erogare. Quod

P. 1. ex cap. *Cum tu.* 5. *de Usuris.* ubi Alexander III. expresse ait, usuras Dominis vel hæredibus, vel si hi deficiant, pauperibus restituendas esse. Atque hoc capitulum loquitur quidem unice de usuris, ob paritatem tamen rationis, & ob jus naturale, in quo se fundat, etiam ad alia bona incerta ex delicto extenditur; de iis enim est par omnino ratio, ut colligetur ex probatione ultima.

Prob. 2. Can. *Nemo, qui rapit.* c. 14. q. 5 ait S. Hieronymus: *Nemo: qui rapit, si habeat, unde reddat, moriens salvatur: si eos, quorum fuit, invenire non possit, Ecclesiæ, vel pauperibus tribuat.*

Neque dicas: Canonem hunc per vocem *Palea* notari, & hinc non habere vim legis. Contra est enim; quamvis non habeat vim legis, habet tamen authoritatem S. Hieronymi, declarantis legem naturalem.

Prob. 3. Naturali rationi repugnat, ut aliquis ex delicto, vg. furto, usura &c. reportet commodum: sed reportaret, si bona incerta ex delicto posset sibi reservare, & non teneretur in causam piam erogare: ergo. m. claret; quia ex delicto, vg. ex fur-

furto, talis homo lucraretur bonum alienum, cujus Dominus ignoratur. M. etiam videtur patere ex naturali rationis lumine.

Confirm. Si aliquis bona iſta incerta ex delicto lucraretur, tunc multi hac ſpe, quod ſimili modo aliquid lucrari poſſint, allicerentur ad alios injuſte lædendos, ad non inquirendum in Dominum &c., ut ergo hæ injuſtitiæ evitentur, natura noluit a malæ fidei poſſeſſoribus acquiri dominium bonorum incertorum, ſed voluit hæc, Domino non comparente, piis cauſis reſtitui. Quare & iſta obligatio eſt multum optabilis cuivis prudenti homini, ut ſic ſe magis ſervet indemnem ab injuſta læſione.

Objic. 1. Si bona incerta ex delicto vi juris naturæ deberentur cauſis piis, tunc ſummus Pontifex talia debita non poſſet magna ex parte remittere: ſed poteſt remittere: ergo. M. conſtat; quia ſummus Pontifex non poteſt aliquid conra jus naturale diſponere. m. prob. nam ſummus Pontifex (ut teſtatur Haunoldus, ac alii) vi Bullæ Cruciatæ, vel alterius privilegii admittit compoſitionem, ut quis retenta majore parte debiti reddat valde exiguum, vg. pro 14. vel 15. ſcutis det duos Julios. R. N. M. Hoc jus naturæ non obligat, niſi cum ſubordinatione ad legitimum Magiſtratum, cui a Deo conceſſa eſt adminiſtratio cauſarum piarum. Quare ſi ſummus Pontifex judicat, bono publico magis expedire, ut aliqua remiſſio fiat, tunc ea valide & licite fit. Rationes autem talis remiſſionis, & compoſitionis poſſunt eſſe 1. fragilitas hominum, qui ſi totum debitum deberent reſtituere, omnino nihil redderent cum ſalutis ſuæ periculo, & detrimento boni publici. 2. Subſidium facilius obtinendum ad bellum contra infideles &c.

Objic. 2. Contra obligationem dandi cauſis piis debita incerta ex delicto poteſt currere præſcriptio: atqui contra legem, & obligationem naturalem non poteſt currere præſcriptio: ergo. R. N. M. Si enim poſſibilis ſit aliqua præſcriptio in caſu, ubi bona detinentur incerta, tunc ea non poteſt dari contra iſtam obligationem, ex jure naturali deſcendentem, ſed tantum contra bona incerta, quæ vi hujus obligationis debentur: quæ ſi ſemel ſint præſcripta, ceſſant eſſe bona aliena, adeoque ceſſant

esse materia & objectum illius legis naturalis, obligantis ad bona NB. *aliena*, quæ sunt incerta, restituenda.

Objic. 3. quærendo, cur in causas pias debeant erogari talia bona, & non in causas profanas? R. Ideo: quia expresse Alexander III. & Canones allegati sic statuunt. 2. Nolo mordicus defendere, quod semper hæc bona debeant determinate in causas pias erogari; conclusio enim solum vult, quod ista bona non possint retineri a malæ fidei possessore, & ratio naturalis non videtur plus exigere: hinc, si alicubi ex consuetudine sint danda fisco Reipublicæ, eam nullatenus condemno. Atque hac de causa in resolutione casus positi immediate post conclusionem dixi, *regulariter* debent in causas pias expendi.

Objic. 4. Molina cum communi sententia DD. tenet, quod malæ fidei possessor, si sit vere pauper, possit bona incerta retinere, & sibi applicare: ergo ista bona possunt retineri a malæ fidei possessore. R. D. a. potest retinere, quando inopia est adeo evidens, & urgens, ut ipsum alias a restitutione excusaret, ut vult Sporer, præsertim quando accedit authoritas, & permissio Confessarii, vel Superioris, prout ultra urgentem necessitatem & inopiam requirit Paulus Zetl C a. secus N. a. Conclusio nostra loquitur in casu, ubi commode a possessore iniquo potest fieri restitutio, & ubi aliquis aliunde non excusatur a restitutione. 2. Quia per accidens est, quod possessor iniquus sit in gravi necessitate, ex eo non panditur via iniquis fraudibus, præsertim cum accedere debeat facultas Confessarii, ne iniquitas mentiatur sibi, & amor proprius decipiat detentorem.

§. III.

An Bona incerta sine delicto inventor possit sibi reservare?

341 QUia hic quæstio est de bonis inventis, Nota 1. invenire, & inveniendo rem acquirere, non esse idem, ac rem tantum videre. Datur ergo tunc inventio, quando res moraliter apprehenditur, & occupatur: hinc non ille, qui prior, rem videt, sed qui prior eam occupat, illam inveniendo acqui-

quirit. Neque obſtat textus L. 1. §. 21. ff. *de acquir. vel amitt. poſſeſſione*, quæ dicit, nos etiam *oculis*, *& affectu* poſſeſſionem apprehendere; nam lex iſta intelligitur de caſu, quo vel naturalis poſſeſſio jam antecedenter eſt habita, vel certe alius titulus emptionis, aut traditionis accedit: non autem ibi agitur de occupatione ſine titulo.

Nota 2. Quæri potiſſimum, an inventor, etſi ſit ipſe dives, poſſit rem inventam, poſtquam diligenter in Dominum inquiſivit, ſibi retinere tunc, quando Dominus non amplius comparet, vel an teneatur, eandem rem in pauperes erogare?

Aſſero: In praxi tuta, & probabilior eſt ſententia, quæ 342
dicit, quod res inventæ retineantur ab inventore, quando poſt diligentem inquiſitionem non comparet Dominus. Concluſio hæc, ſub his terminis propoſita, eſt communis Modernorum, inter quos etiam eſt Maſtrius, Herincx, Mezger, Holzman contra multos antiquos, qui putant, hæc bona eſſe eroganda in pauperes, vel cauſas pias.

Prob. 1. Non poteſt aſſignari obligatio, ex jure naturali, vel poſitivo, aut conſuetudinario deſcendens, vi cujus inventor teneretur in cauſas pias erogare res inventas: ergo hæc obligatio non datur. A. prob. nam lumen & ratio naturalis, ac conſuetudo potius ſuadent contrarium, leges vero poſitive loquuntur de bonis incertis ex delicto: ergo.

Prob. 2. Si inventor ejusmodi bona aliena, quæ ſunt incerta absque delicto, non poſſet retinere, ſed deberet ea pie erogare, tunc hoc proveniret ex præſumpta voluntate Domini, ad quem ejusmodi bona ſpectant: atqui id ex præſumpta Domini voluntate nullatenus provenit: ergo. M. eſt præcipuum adverſæ ſententiæ fundamentum. m. prob. Id eſt de præſumpta voluntate Domini, quod Domino eſt optabilius, & utilius; id certo enim præſumitur Dominus prudenter velle, quod ipſi magis optabile eſt, ac plus utilitatis confert: atqui optabilius eſt, ut res inventa maneat apud inventorem, quam ut in pauperes, vel pias cauſas erogetur; nam 1. apud unum inventorem, qui in

Dominum inquirere tenetur, est major spes rem deperditam iterum recuperandi, quam apud multos pauperes, qui res sibi donatas statim absumere solent. 2. Quando inventor habet spem aliquando lucrandi rem, si Dominus inquisitus non comparet, tunc diligentius ac lubentius illam in custodiam suam accipit, & in se, vel in æquivalenti asservat, faciliusque in Dominum ejusdem indagat: contra, si nullam omnino spem haberet rem inventam retinendi, aut lucrandi, etsi Dominus non compareat, tunc sæpissime rem inventam in loco minus securo relinqueret, nec eam tolleret, quia tollendo tantum onus inquirendi Dominum, & rem illam custodiendi in se susciperet, absque spe rem inventam lucrandi etiam tunc, ubi Dominus non comparet; nam Domino non comparente inventor juxta AArios deberet rem inventam restituere pauperibus.

Adde, quod nostra sententia fit etiam optabilis toti Communitati humanæ, quæ proinde videtur in retentionem rerum inventarum, quarum Dominus non comparet, consentire; siquidem hac ratione (ut loquitur Reiffenstuel) mutuo compensari solent fortuita rerum amissarum damna; nam qui hodie rem suam perdidit, cras casualiter inveniendo rem alienam, cujus Dominus post debitam inquisitionem non comparet, rursus resarcire potest jacturam rei suæ antea amissæ.

Confirm. 1. Dato etiam, quod Dominus sæpe habeat desiderium, ut res a se deperdita per inventorem in causas pias erogetur, tamen non constat, quod ejusmodi Dominus etiam habeat voluntatem obligandi inventorem ad talem piam expensionem; sæpe enim aliquis habet desiderium, quin per illud vel se, vel alium obligare velit: ergo ex desiderio illo Domini præsumpto non potest ista obligatio probari.

Confirm. 2. ex dicendis ad objectionem primam, ubi adducta ratio magis dilucidabitur. Quare

343 Objic. 1. Bona inventa debent impendi juxta voluntatem Domini, ad quem spectant; atqui voluntas, præsumpta saltem Domini est, ut ea impendantur in causas pias: ergo. M. videtur

tur certa; quia quilibet Dominus potest disponere de re sua, quæ proinde juxta ipsius voluntatem debet impendi. m. prob. quilibet Dominus præsumitur velle, ut res sua omni modo meliore in suam utilitatem cedat: adeoque, si talis res non potest amplius in utilitatem temporalem Domini cedere, eoquod ei nequeat amplius restitui, uti fit in bonis inventis, ubi Dominus ignoratur, tunc saltem præsumitur Dominus velle, ut sibi prosit spiritualiter per erogationem in pauperes, & causas pias: ergo.

R, N. m. Nam 1. Domini, etiam Catholici, non volunt, ut a se perdita dentur pauperibus, sed potius optant, ut ea serventur ab inventoribus, & sibi iterum restituantur. 2. Ista expensio, ab inventore facta in pauperes, plerumque est parum, vel omnino non meritoria Domino: ergo illam non videtur sub obligatione intendere, & velle. A. prob. nam ille ipse inventor, qui expendit in pauperes, non tenetur habere bonam intentionem, dum facit istam expensionem; satisfacit enim suæ obligationi etiam juxta AArios ex quacunque intentióne, etiam mala, eroget pauperibus: dato etiam, quod faciat bonam intentionem, non tamen tenetur eleemosynam hanc pro Domino rei inventæ applicare: neque tenetur pauperes monere, ut aliquid orent pro Domino: atqui tali modo hæc expensio parum, aut omnino non esset meritoria Domino rei illius, quæ in pauperes erogatur. 3. Neque propter desiderium, & voluntatem Domini, ad quem spectat res deperdita, ejusmodi datio eleemosynæ videtur esse utilis eidem. Ratio est: quia ejusmodi Dominus rarissime habet actuale bonum desiderium, rem deperditam in pauperes dispensandi, cum potius habeat voluntatem recuperandi rem suam, quam pauperibus distribuendi: voluntas autem mere præsumpta non sufficit ad meritum. 4. Communiter Dominus rei deperditæ non multum curat utilitatem spiritualem talis rei, neque multum desiderat, rem deperditam in causas pias applicare, sed potius omne ejus desiderium eo collimat, ut rem illam recuperet: si autem non possit recuperare, parum est sollicitus, quomodocunque ab inventore impendatur,

Objic. 2. Saltem tunc, quando nulla omnino amplius spes est, rem suam deperditam recuperandi, præsumitur Dominus

vel-

velle, ut ea ab inventore in pios usus convertatur in solatium animæ suæ: ita judicant Sporer, ac ex eo Paulus Zetl: ergo. R. N. a. Nam 1. quid Dominus fieri velit circa rem a se deperditam, desumi debet ex illis, quæ plerumque contingunt; præsumptiones enim se accommodant rebus plerumque contingentibus, non autem casibus particularibus: atqui plerumque est spes, rem deperditam recuperandi: quando autem spes est, rem deperditam recuperandi, tunc censetur Dominus velle, ut ea ab inventore asservetur: ergo præsumitur Dominus hanc voluntatem universaliter habere, etiam non obstante casu particulari raro contingente, in quo ejusmodi Dominus omnem spem, rem amissam recuperandi, deposuit. 2. Huc faciunt pleraque adducta in probatione Assertionis, & responsione ad objectionem primam.

Objic. 3. In nostra sententia Dominus rem amissam non facilius recuperat, quam in sententia contraria: ergo nostra probatio non subsistit. A. prob. Posset inventor rem illam gratis alteri donare, ita, ut exinde non fiat ditior: in quo casu Domino postmodum comparenti non teneretur aliquid restituere: quare tunc Dominus rem suam omnino non amplius recuperaret: ergo. R. 1. Hanc non esse unicam nostram rationem. R. 2. N. a. I. enim non potest in nostra sententia inventor rem inventam donare alteri, vel destruere, nisi prius sufficienter in Dominum inquisierit: imo neque hoc statim potest facta sufficienti inquisitione, etsi Dominus non compareat, nisi sit ita animo constitutus, quodsi Dominus compareat intra debitum tempus, quod ei velit loco rei suæ destructæ, vel absumptæ præstare æquivalentem compensationem. Debet ergo juxta nos tamdiu ab inventore reservari res reperta, quamdiu est spes probabilis, quod Dominus sit compariturus, & repetiturus rem suam. 2. Ordinarie nemo solet donare alteri absque omni causa, & ita, ut nihil alias donasset: atqui si inventor rem inventam donat in illis circumstantiis, in quibus alias de rebus suis donasset, tunc fit ditior; quia donando rem inventam parcit rebus suis, & eas conservat, quibus alias, si eas donasset, carere debuisset: & sic æquivalenter talis res donata apud inventorem remanet, quæ proinde Domino comparenti in æquivalenti restitui debet.

Objic. 4. Consuetudinem, & praxin timoratorum, qui res inventas in causas pias erogant, non comparente Domino. R. 1. opponendo non paucos alios optimæ notæ Christianos, qui contrarium practicant. 2. Si autem aliqui res inventas dent pauperibus, ad summum faciunt opus consilii, non putant tamen se ad hoc obligari: si autem aliqui se obligatos existiment, id oritur aut ex nimia anxietate, aut ex conscientia erronea.

Objic. 5. Bona vacantia Peregrinorum ob solam præsumptam voluntatem illorum debent applicari in causas pias: ergo a pari idem est de bonis inventis. R. N. a. Hæc enim obligatio applicandi bona causis piis non oritur ex præsumpta Peregrinorum voluntate, sed ex speciali ordinatione juris. Auth. *Omnes peregrini.* C. *Communia de successionibus.* qualis ordinatio non habetur circa bona inventa.

Objic. 6. Debita incerta sine delicto debent applicari causis piis: ergo & bona incerta. R. N. a. Nam, si e. g. emisti, & solvisti mercatori unam ulnam panni, & per inculpabilem errorem accepisti duas, vel tres, in hoc casu dico, si sufficienti diligentia adhibita in notitiam mercatoris illius nequis venire, pretium reliquarum duarum ulnarum, quod adhuc debes, non teneris in pauperes expendere, sed potes tibi reservare.

Objic. 7. contra nos Authoritates aliquas Juris, ac Scoti 4. d. 15. q. 2 §. *de quarto.* n. 32. ubi ait Doctor: *Cui non potest reddi temporaliter, reddatur spiritualiter: redditio spiritualis fit maxime reddendo pauperibus pro eo.* R. ad has Authoritates generaliter, eas loqui de bonis incertis ex delicto, vel de illis rebus inventis, quarum Dominus est cognitus, aut non sufficienter inquisitus, quas sibi retinere nequit inventor. Ad Scotum autem specialiter dico, eum agere de illo, qui injuste alterum damnificavit, ut patet ex toto fere contextu illius quæstionis, & articuli, ac ex verbis, quibus inchoat illum §vum, & 4. articulum, quæ ita habent: *de quarto scilicet dico, quod damnificato* &c. debeat fieri restitutio, vel ejus propinquis, aut certe pauperibus, si nec ipsi damnificato, aut ejus propinquis fieri potest. Ex quibus patet, quod loquatur de bonis incertis ex deli-

delicto, quæ & nos in pias causas expendi debere dicimus a malæ fidei possessore. Accedit, quod Scotus tantum suam sententiam, quam cit. loco tenet, sustineat ut probabilem, & tutiorem: per hoc autem non negat, nostram quoque esse probabilem, vel omnino probabiliorem, & in praxi tutam. Imo & nobiliores Scotistæ, ut Cavelus in Scholio ad præfatum Scoti textum, Mastrius, Herincx, Reiffenstuel, Holzman, non obstante authoritate Scoti eam dicunt esse probabilem, & in praxi tutam. Neque ita me Scoti sententiæ esse alligatum scio, aut volo, ut magis probabilem ipsi oppositam sententiam non audeam amplecti.

Objic. 8. In Hispania Patres de Mercede, & Trinitarii habent a Rege, & Pontifice privilegium exigendi pro redemptione captivorum bona inventa, etiam sub excommunicatione: ergo est obligatio ea restituendi. R. D. c. ergo est obligatio ea restituendi, ubi dantur tales speciales leges positivæ C. c. ubi non dantur, sicut eæ apud nos non vigent N. c. Nos loquimur de nostris terris, ubi similes leges non sunt latæ.

Objic. 9. Bona incerta ex delicto debent erogari in causas pias: ergo & bona incerta sine delicto. R. N. c. & parit. obligatio restituendi causis piis bona incerta ex delicto, servit ad absterrendum ab injuriis, & possessor injustus est etiam indignus, ut ipsi per favorem bona incerta relinquantur: aliud est de bonæ fidei possessore, & inventore, qui penes se habet bona incerta sine delicto, utpote qui nullam injuriam commisit.

An autem talia bona inventa possint præscribi, nec ne, inferius, postquam sufficiens notitia de conditionibus ad præscriptionem necessariis est data, dilucidabitur. Interea ex Jure Bavarico certum videtur, quod talia bona inventa, sufficiente inquisitione facta, non solum in inventoris manibus remaneant, sed & intra debitum tempus præscribi valeant, ita, ut eorum dominium acquiratur. Codex Maximilianeus P. 2. c. 3. §. 5. ibi: *Wo immitels* (id est, durante inquisitione) *das gefundene Gut in des Erfinders Handen verbleibt, und nach ersessener Verjährung gar nicht mehr von ihme geforderet werden mag.*

DISSER-



DISSERTATIO IV.

De modo acquirendi per Præscriptionem, vel Usucapionem.

POstquam enumerati sunt plures modi acquirendi dominium *jure Gentium*, jam explicanda venit præscriptio, tanquam celeberrimus modus obtinendi, & transferendi dominium *jure civili*. Sit ergo.

ARTICULUS I.

Quid sit, & quid juris tribuat Præscriptio?

ASSERO 1. Præscriptio (Germanice *ein Verjährung*, vel se- 344
cundum Jus Bavaricum Cod. Maximil. p. 2. c. 4. §. 1. *Ersizung, Nuz, und Gewehr*) præscriptio, inquam, recte describitur, quod sit *acquisitio dominii, vel juris alieni extinctio, orta ex possessione continuata debito tempore & modo.* Ita quoad rem fere omnes ex L. 3. ff. *de Usurpationibus, & Usucapionibus.* Explicatur hæc descriptio in exemplo: Petrus agrum alienum 10. annis continuis bona fide possedit, existimans, eum esse suum: vi hujus continuæ possessionis, ac concurrentibus reliquis ad præscriptionem requisitis, idem Petrus elapso decennio acquirit dominium illius agri, extincto jure, quod prius alteri competebat.

Præscriptio primo dividitur ratione effectus in *positivam*, & *privativam*. *Positiva* est, qua uni acquiritur aliquod jus, & alteri aufertur: ut, si Joannes per præscriptionem acquirat agrum, domum, jurisdictionem &c. prius spectantem ad Paulum. *Privativa* est, qua quidem uni aufertur jus, alteri tamen nullum positivum, & proprie dictum jus acquiritur, ut si aliquis beneficio præscriptionis obtineat immunitatem, & liberationem ab aliqua obligatione, ad quam antecedenter erat adstrictus.

Circa hanc divisionem notandi sunt termini in Scholis usitati; nam quando per præscriptionem *privativam* acquiritur immunitas aliqua ab obligatione præexistente, tunc solemus dicere: *Præscripsi huic obligationi, huic servituti &c.* Quando vero est præscriptio *positiva*, & per eam obtinetur aliquod jus vel dominium, tunc dicimus: *Præscripsi hunc agrum, hoc jus.* Ita Reiffenstuel L. 2. Decret. t. 26. ex P. Engel.

Ratione temporis præscriptio præcipue dividitur in *ordinariam*, & *extraordinariam*. *Ordinaria* (quæ & *brevis*, ac *longi temporis* dicitur) est, quæ ordinario tempore completur, videlicet triennio in rebus mobilibus, & decennio in immobilibus. *Extraordinaria*, seu *longissimi temporis* est, quæ completur tempore extraordinario, seu longissimo, id est, 30. vel 40. annis. Huc etiam pertinet præscriptio 60., 80., ac 100. annorum, quorum ultima etiam *centenaria* vocatur. Singulariter quoque extraordinaria est illa præscriptio, quam *immemorialem* dicimus, quæ requirit possessionem tam diuturnam, ut ejus initium excedat memoriam hominum defacto existentium, *daß es schon über Manns-Gedenken seye.*

345 Assero 2. Legitima præscriptio etiam pro foro conscientiæ valet, & coram Deo liberat ab onere restituendi. Communis omnium Th. Th. & C. C. Prob. 1. Ex ipso communissimo omnium Th. Th. & C. C. consensu, nec non ex certa praxi omnium Confessariorum, & Tribunalium etiam Ecclesiasticorum.

Prob. 2. Legislator humanus potuit velle, & actu voluit, ut præscriptio etiam in foro interno vim habeat: ergo hæc etiam in foro conscientiæ vim obtinet. A. quoad 1. membr. constat; quia Respublica, & legislator humanus ob dominium altum potest ex justa causa transferre dominia subditorum. A. quoad 2. membr., quod etiam actu ita voluerit, probatur ex ipsis verbis Legum, quæ clare indicant, per præscriptionem dominium rerum præscriptarum acquiri: ut L. 3. ff. *de Usurpat. & Usucap. Usucapio*, seu præscriptio dicitur *adjectio*, seu acquisitio dominii. & §. 1. Instit. *de Usucapionibus.* dicitur, quod per præscriptionem dominia rerum acquirantur: atqui si dominium

nium alicujus rei acquiro, tunc in conscientia sum securus, nec amplius coram Deo obligor ad eam alteri restituendam: ergo.

Prob. 3. L. 4. C. *de Præscript.* 30. *vel* 40. *annorum.* dicitur Præscribens *saluberrimæ legis plenissima munitione securus*; atqui Præscribens non esset plenissima munitione securus, si non esset simul in foro conscientiæ securus: ergo etiam est simul in foro conscientiæ securus. m. Constat; quia plenissima securitas non est, quæ non reddit securum in omni foro, præsertim consciéntiæ.

Prob. 4. Si leges præscriptionis valerent solum pro foro externo, non obtineretur finis præscriptionis; atqui hic debet obtineri. ergo. M. prob. finis præscriptionis est certitudo dominiorum, ne scilicet dominia maneant incerta: item sedatio litium, securitas Dominorum &c. atqui hi fines non obtinentur; nam dominia in foro conscientiæ non transferrentur per præscriptionem in Dominum aliquem certum, & sic in foro conscientiæ eadem incertitudo facta præscriptione remaneret, quæ ante illam fuit: & ex hac ipsa ratione non sedarentur conscientiæ, sed potius illaquearentur per præscriptionem, nec securitas obtineretur.

Prob. 5. Jus Canonicum, quod præcipue attendit ad forum conscientiæ, cap. fin. *de Præscript.* tantum rejicit præscriptionem mala fide factam, & relinquit efficaciam præscriptioni bona fide factæ: ergo supponit, hanc etiam in foro conscientiæ valere.

Objic. 1. Regula 48. Juris in 6. dicit: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*: atqui ita locupletaretur aliquis per præscriptionem: ergo. R. N. m. Quando dominium transfertur a legitima potestate ex justa causa, nemini fit injuria: & si aliquis patitur inde jacturam, eam tamen non injuste patitur. 346

Objic. 2. Novella 9. ipse Imperator præscriptionem vocat *impium præsidium, & improbam temporis allegationem, ac tutum peccandi locum*: ergo ea in foro conscientiæ non procedit. R. Imperatorem loqui de illa præscriptione, quæ cum mala fide

aut inchoata, aut continuata eſt, & olim in foro civili tolerabatur, nunc autem a jure Canonico eſt reprobata, ut patebit ex Art. ſeq. hæc autem verba præſcriptioni moderno tempore uſitatæ non conveniunt. Rdent alii etiam aliter ad allegatam Novellam.

Objic. 3. L. 13. §. 1. ff. *de Jurejurando.* præſcribenti fundum tantum conceditur actio utilis: atqui habens ſolam actionem utilem, tantum acquirit dominium utile, & non directum: ergo per præſcriptionem in foro conſcientiæ non transfertur dominium directum. R. N. m. nam actio utilis phraſi juridica ſignificat eam, quæ eſt efficax, & quæ adverſarium vincit, ſive agatur de dominio utili, ſive directo. L. 10. in Princ. ff. *Si ſervitus vindicetur.*

Objic. 4. Reſpublica non habet dominium proprietatis in bona ſubditorum: ergo non poteſt illud in alios transferre. R. D. a. non habet dominium proprietatis formaliter tale Tr. a. non habet ſaltem eminenter tale N. a. Licet forte Reſpublica non habeat formale dominium in bona ſubditorum, habet tamen jurisdictionem, ac jus altum, quod eminenter tribuit poteſtatem diſponendi de bonis ſubditorum, prout ad bonum horum ſubditorum expedit.

Objic. 5. Leges præſcriptionis fundantur in præſumptione negligentiæ admiſſæ a Domino in retinenda, vel recuperanda poſſeſſione ſuæ rei: ergo, ubi hæc negligentia non adeſt, non transfertur dominium per præſcriptionem. R. 1. D. a. fundantur in hac præſumptione primario N. a. ſecundario C. a. ſunt alia motiva magis primaria, quibus innititur præſcriptio, de quibus ſtatim Num. ſeq. R. 2. Leges non fundantur in præſumptione facti particularis, ſcilicet negligentiæ in particulari admiſſæ a tali Domino: ſed fundantur in periculo univerſali, ne ſcilicet Domini univerſaliter fiant negligentes, niſi eorum diligentia per præſcriptionem acueretur: atqui leges, quæ fundantur in periculo, aut præſumptione univerſali, non ceſſant, etſi tale periculum, vel res præſumpta in particulari caſu non ſubſit, ut conſtat ex dictis Tom. III. de Legibus in præſumptione fundatis.

Ad alias objectiones ſolvendas nota 1. Leges poſitive & abſolute aſſiſtere præſcribenti, & ei adjudicare ſine limitatione dominium, & pleniſſimam ſecuritatem: hoc autem non facinnt ſtatim in aliis caſibus, qui objici ſolent. Hinc 2. non ita poſitive aſſiſtit jus illi, qui alterum in contractu tantum lædit infra dimidium, ſed ſolum ei aſſiſtit negative, in quantum læſo denegat actionem in judicio ad amputandas lites, relicta interea obligatione in foro conſcientiæ. 3. Sententia Judicis ſemper ſub hac *tacita conditione* fertur, ſi ſubſiſtunt allegata & probata: in præſcriptione *abſolute* transfertur dominium. 4. Lex Tridentini ſeſſ. 25. *de Regularibus*, ſolum dicit, Regularem non eſſe audiendum amplius, qui poſt quinquennium primum prætendit, profeſſionem ſuam fuiſſe invalidam: non autem dicit, contra eum præſcribi, aut eum vere Religioſum fieri. Aſt leges de præſcriptione non tantum dicunt, priorem Dominum non eſſe audiendum, ſed etiam transferri dominium.

Quæres: Quinam ſint fines præſcriptionis? R. Sunt ſequen- 347
tes: 1. eſt introducta præſcriptio, ne diu incerta ſint dominia. L. 1. ff. *de Uſucapionibus*. ibi: *Bono publico introducta eſt uſucapio ne ſcilicet quarumdam rerum diu, & fere ſemper dominia incerta eſſent.* 2. Ne lites protraherentur. L. ult. ff. *Pro ſuo.* 3. Ne poſſeſſores in continuo metu viverent rem poſſeſſam amittendi. L. *cum notiſſimi.* C. *de Præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum.* 4. Ne homines in ſuis juribus, & rebus conſervandis negligentes eſſent. L. *Ut perfectius.* C. *de annali exceptione.*

Obſervandum quoque, quod Præſcriptio & Uſucapio in re fere Sinonyma ſint, licet aliqui velint, in rigore inter utramque oſtendere aliquas differentias, de quibus videri poteſt Reiffenſtuel in Theol. mor. T. 8. d. 6.

De cætero ad præſcriptionem quinque conditiones requiruntur: 1. bona fides: 2. Juſtus titulus: 3. res talis, quæ poteſt præſcribi, ſeu præſcribi non prohibita: 4. poſſeſſio legitima: ac tandem 5. tempus debitum, quo poſſeſſio continuatur. Has conditiones indicant antiqui iſti verſiculi:

Non uſucapies, niſi ſint tibi talia quinque;
Bona fides, juſtus titulus, res non vitioſa,
Ut res tradatur, tempus quoque continuetur.

ubi

ubi per to *tradatur*, intelligitur *possessio*; siquidem solum ad possessionem recte inchoandam requiritur traditio, vel apprehensio rei, quæ præscribitur. Itaque hæc quinque requisita per sequentes Articulos examinabimus. Sit igitur

ARTICULUS II.

De bona Fide.

§. I.

An ad Præscriptionem requiratur Fides theologica bona?

348 FIdes *theologice bona* in genere nihil aliud est, quam dictamen conscientiæ, quo quis absolute, & sine dubitatione judicat, se posse licite ita agere, vel non agere. Hinc fides bona in specie, seu illa, quæ ad præscriptionem *positivam* requiritur, est dictamen conscientiæ. quo quis invincibiliter judicat, se posse licite rem habere tanquam suam; quamvis interea a parte rei illa res non sit sua, sed alterius. Similiter bona fides requisita ad præscriptionem *privativam* est dictamen absolutum, & indubium conscientiæ, quo quis judicat, se licite aliquid non agere, aut omittere, vel licite a se certum onus abjicere.

Hanc autem explicationem fidei theologice bonæ veram esse, inde colligitur, quia communi loquendi modo per bonam fidem nihil aliud intelligere solemus, quam bonum & verum conscientiæ dictamen; nam dum dicimus: *bona fide id feci*, *bona fide id omisi*, idem est, ac si dicamus: *bona conscientia* id feci, aut omisi. Accedit, quod capitulum finale *de Præscriptionibus*. necessitatem bonæ fidei ad præscriptionem deducat ex illis verbis Apostoli ad Rom. 14. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* quæ verba D. Pauli Th. Th. omnes intelligunt de dictamine conscientiæ necessario ad licite agendum. Unde in sensu theologico laudatus textus hunc sensum facit: *Omne, quod non fit secundum verum, & bonum dictamen conscientiæ, peccatum, & illicitum est.* de quo plura dicta sunt Tom. III. Ex his

Col-

Colliges 1. Fide mala tunc aliquem agere, quando non agit ex prædicto dictamine conſcientiæ, ſed ex alio, quod eſt vel practice dubium, vel actionem omnino proponit ut illicitam.

Colliges 2. In præſcriptione poſitiva ſemper debere adeſſe aliquam ignorantiam invincibilem, qua inculpabiliter ignoratur, quod res, quæ præſcribitur, ſit aliena; hanc enim ignorantiam invincibilem præſupponit bona fides, & dictamen ultimum conſcientiæ: ſiquidem, ſi ſcirem rem eſſe alienam, non poſſem abſolute, & indubitate judicare, quod eam liceat poſſidere ut meam.

Cum autem ad præſcriptionem non ſolum requiratur fides theologice, ſed & civiliter, ſeu juridice bona: hinc merito quæritur, quid ſit *fides civiliter bona*? Et R. quod illa ſit, quæ etiam habet conditiones a legibus civilibus requiſitas. Et ſæpe poteſt aliquis eſſe in fide theologice bona, quin ſit in fide juridice bona: ſic, etſi quis bona fide theologica credat, & judicet, ſe rem hanc licite poſſidere ut ſuam, poteſt tamen juridice eſſe in mala fide, ſi ſcilicet lis ipſi ab alio moveatur, & conteſtetur ſuper re illa poſſeſſa; etenim per litis conteſtationem inducitur mala fides juridica, propter præſumptionem juris in contrarium, ut habetur L. 25. *ſed etſi. §. 7.* ff. *de hæreditatis petitione.* ibi: *poſt litem conteſtatam omnes incipiunt malæ fidei poſſeſſores eſſe, quin imo poſt controverſiam motam.* Breviſſime poſſet definiri fides theologice, & juridice bona tali modo: fides *theologica* eſt, quæ a vitio conſcientiæ, ſeu peccato gravi contra juſtitiam immunis eſt: *juridica* vero eſt, quæ caret vitio juris, ſeu quæ non habet impedimentum, aut vitium, vi juris civilis obſtans præſcriptioni. H. P. 349

Aſſero: Bona fides theologice talis ad omnem præſcriptionem inchoandam, & continuandam eſt neceſſaria. Ita omnes de facto. Prob. Cap. fin. *de Præſcript.* ita habet: *Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præſcriptio tam Canonica, quam civilis: cum generaliter ſit omni conſtitutioni, atque conſuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non poteſt obſervari. Unde oportet, ut, qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ.* 350

Notentur ultima verba, quæ in omni parte temporis, quo currit præscriptio, seu tam ab initio, quam in continuatione ejusdem exigunt bonam fidem, & exclusionem malæ fidei. Accedit Reg. 2. J. in 6. ita habens: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Idem dicit cap. *Vigilanti.* 5. *de Præscript.* ubi asseritur: *Nulla antiqua dierum possessio aliquem malæ fidei possessorem juvare.*

Quare patet, per Canones correctum esse jus civile, utpote quod admisit præscriptionem longissimi temporis etiam cum mala fide inchoatam, atque approbavit præscriptionem ordinariam, bona quidem fide inceptam, cui tamen in continuatione supervenit mala fides.

351 Objic. 1. Jus Canonicum irritavit præscriptionem mala fide factam solum pro territorio temporali Papæ proprio, non pro universo Imperio: ergo præscriptio mala fide facta valet adhuc in foro civili extra Territorium temporale Papæ. A. constat ex dictis Tom. III. in Tract. de LL.; nam Papa non potest leges civiles condere extra Territorium suum temporale: ergo. R. N. a. Papa, ut patet ex textu cap. finalis *de Præscript.*, irritat præscriptionem malæ fidei absolute, & pro foro etiam civili, hæcque Pontificia constitutio totum orbem Christianum obligat. Ad prob. n. iterum A. nam quando agitur de peccato, & de periculo animarum, ut contingit in præsenti materia, tunc jurisdictio Papæ etiam in rebus civilibus se ad totum mundum Christianum extendit, ut constat ex cap. 13. *de judiciis*, & dictum est in Tract. de LL.

Objic. 2. Etiam jus Canonicum approbat præscriptionem, cui in continuatione mala fides supervenit: ergo. A. prob. Can. *placuit.* 15. *§. potest.* c. 16. q. 3. ita dicitur: *Bona vero fides* (quæ scilicet ad præscriptionem requiritur) *non ad tractum medii temporis, sed ad initium possessionis refertur; sufficit enim in initio cujuscunque bona fide possidere cœpisse, etiamsi medio tempore scientiam rei alienæ habuerit*: ergo. R. N. a. Ille Canon est textus solius Gratiani Monachi, qui juxta leges civiles locutus est, & ideo non est curandus.

Objic.

Objic. 3. Etiam ſecundum jus Canonicum ſubditi per actus formaliter peccaminoſos, conſequenter mala fide factos, poſſunt præſcribere contra legem Superioris, & eam abrogare: ergo etiam juxta jus Canonicum ad præſcriptionem non requiritur bona fides. R. N. ſuppoſit. Antecedentis, quod hæc ſit vera præſcriptio, dum ſubditi continuando actus peccaminoſos abrogant legem Superioris; eſt enim mera conſuetudo, quæ, licet aliqualiter imitetur præſcriptionem, eoquod ſicut ad præſcriptionem, ita & ad conſuetudinem requiratur aliquis tractus temporis; in pluribus tamen ab illa differt, & quidem etiam in hoc, quod ad præſcriptionem requiratur bona fides, non autem ad conſuetudinem, ut dictum eſt in Tract. de LL.

Adde, quod in præſcriptione uni, ſcilicet præſcribenti, acquiratur lucrum, & alteri, contra quem præſcribitur, inferatur damnum: unde ſi quis præſcribere cum mala fide, & peccato poſſet, commodum directe ex ſuo peccato referret, & injuſtitia formalis, quam adverſus alterum committeret, lucro illo inde reportato foveretur. Verum hoc eſſet, authoritatem peccatis, & injuſtitiis præſtare, & eas propoſitis præmiis, & lucris nutrire, ac augere, quod nulla ratione, neque ob boni publici cauſam cohoneſtari poteſt. Aliud eſt in conſuetudine, quæ contra legem introducitur; per eam enim nulli damnum infertur: non legislatori, cujus lex abrogatur per conſuetudinem; nam lex illa, quæ aboletur, non ceſſit in utilitatem legislatoris, ſed Communitatis, cum ſit de natura legum, ut reſpiciant utilitatem communem Reipublicæ, non privatam legislatoris. Minus inde damnificatur Communitas, imo ea potius commodum, & utilitatem ſentit, dum ea lex abrogatur, quæ incipit eſſe inutilis, ac omnino noxia ſubditorum ſaluti: qualis certe eſt, quam major pars Communitatis per longum tempus violat; ad quid enim ejusmodi lex, ſic continuo non obſervata deſerviat, niſi ad hoc, ut ſit lapis offenſionis & ruinæ? Quare merito legislator conſentit in ejus abrogationem, & conſuetudinem contrariam, ceu magis utilem bono communi approbat. De his plura in Tract. de LL.

Objic. 4. Cap. *Placuit.* 1. *de Præſcript.* Epiſcopus jurisdictionem in locum, a ſe ad unitatem fidei converſum præſcri-

bit triennio, quamvis sciat, illum alterius Episcopi jurisdictioni subjectum esse: ergo præscriptio procedit cum mala fide; nam certe in mala fide est, qui scit, rem, quam possidet, non esse suam, sed alterius. R. N. c. & suppositum, quod talis Episcopus mala fide laboret; nam ea possessio, & præscriptio, quam jus ipsum cit cap. approbat, & concedit, utique ex rationabili causa, injusta, & malæ fidei esse nequit.

Objic. 5. Cap. *Quoniam frequenter.* seu finali §. *in aliis. Ut lite non contestata.* deciditur, quod Actor, existente reo contumace, missus in possessionem rei petitæ, tandem eam præscribat, etsi sciat, eam esse alienam: ergo sciens, rem, quam possidet, esse alienam, potest eam præscribere. Sed talis est in mala fide, ut constat: ergo. R. 1. legi, & relegi illum §vum allegati capituli, nec verbulum potui reperire de præscriptione complenda ab actore, qui per judicis decretum est in possessionem missus. R. 2. In illo §vo agitur de aliquo reo contumace, qui dum ab actore in jus vocatur, non vult comparere coram judice, etsi citetur. Decidit ergo Cap. allegatum cit. §vo, si actor talis actione reali petat a reo aliquam rem tanquam suam, tunc talem actorem, existente reo contumace, debere mitti in possessionem rei petitæ, ut sic *tædio affectus reus veniat responsurus.* Hæc habet capitulum. Jam facile concedo, quod talis actor in possessionem missus, si reus perseveret in contumacia, possit præscriptionem incipere, quia bona fide, utpote authoritate judicis & legum, possessionem adit, & continuat, & quia credit, rem esse suam, & hanc ut suam bona fide apud judicem vult vindicare. Quare potest negari Anteced.; quia talis non præsumitur scire, rem esse alienam, alias non litigaret bona fide, nec tuta conscientia posset eam judicialiter petere tanquam suam.

Alia plura possent hic objici, quæ tamen inferius explanabuntur, dum agetur de præscriptionibus servitutum, debitorum, actionum: item de ignorantia juris, an ea obsit bonæ fidei, saltem juridice tali.

§. II.

§. II.

An, & quale dubium obſit bonæ fidei, & Præſcriptioni?

NOTA 1. Dubium aliud eſſe *ſpeculativum*, aliud *practicum*: 352
Speculativum ad propoſitum eſt, quando animus fluctuat de ipſo rei dominio, ſeu quando Cajus vg. dubitat, num res, quam poſſidet, ſit ſua, an aliena: vel quando ſuſpenſus manet, an ſit ſolutus, & liber ab aliqua obligatione. Dubium *practicum* eſt, quando quis fluctuat non ſolum de rei dominio, vel immunitate ab obligatione, ſed inſuper etiam de licentia actionis: ut ſi Petrus ſuſpenſus hæret, an hic & nunc licite occupet, retineat, & poſſideat rem tanquam ſuam: item an licite, & citra læſionem juris alieni ponat, vel omittat actionem hanc, aut illam.

Nota 2. Sæpe poſſe dari dubium ſpeculativum, quin detur ſimul practicum, ſtante enim dubio ſpeculativo poteſt per principia reflexa elidi omne dubium practicum, & formari dictamen ultimum omnino certum. Sic in exemplo: Petrus bona fide emit a Paulo agrum, huncque ut ſuum jam tribus integris annis poſſedit fide optima: modo exoritur dubium, an ager hic antecedenter fuerit Pauli, conſequenter an ejus dominium a Paulo fuerit valide translatum in Petrum. Dubium hoc ſpeculativum deponere nititur Petrus, ſed non poteſt; quia veritatem certam, omni etiam morali diligentia adhibita, aſſequi nequit: proinde manet dubium ſpeculativum invincibile. Nihilominus poteſt formari dictamen, ac judicium practicum moraliter certum, & ſic elidi dubium practicum, vg. *In dubio eſt melior conditio poſſidentis: atqui ego ſum in poſſeſſione agri, & non ille alter, qui mecum de dominio agri certat: ergo mea conditio eſt melior, quam illius alterius, qui mecum de dominio agri certat: ergo ego poſſum ſalva conſcientia pergere, & poſſidere agrum tanquam meum, etſi forte ille a parte rei non ſit meus.*

Nota 3. Dubium ſpeculativum dividi in *negativum*, & *poſitivum*. Verum hoc utrumque dubium ſatis eſt expoſitum in Tomo III. in Tract. de conſcientia. ubi videatur.

Nota 4. Rationes illas, ex quibus dubium negativum exurgit, non debere esse omnino frivolas, & inanes. Hinc, quamvis illæ non sufficiant ad judicium probabile, debent tamen sufficere ad prudens, ac rationabile dubium; hæsitatio enim illa animi, quæ originem trahit ex vana apprehensione, & inani prorsus ratione, non potest fidem bonam labefactare, sed debet haud aliter, ac alius scrupulus contemni. H. N.

353 Assero 1. Dubium practicum supra explicatum obest bonæ fidei tam in inchoatione, quam continuatione præscriptionis, nisi illud deponatur. Est communis DD. P. Ille non habet fidem bonam in inchoanda, & continuanda præscriptione, qui se exponit periculo peccandi contra justitiam: atqui, qui in inchoatione, vel continuatione præscriptionis laborat dubio practico, ille se exponit periculo peccandi contra justitiam: ergo talis non habet fidem bonam, adeoque dubium practicum destruit ac impedit fidem bonam. M. Constat ex §vo præc. m. patet ex confessione omnium Theologorum, qui eum dicunt fide mala agere, qui se exponit periculo peccandi.

Confirm. Universaliter dictamen ultimum conscientiæ, regulans actionem honestam, debet esse immune a dubio practico: atqui bona fides, requisita ad præscriptionem tam inchoandam, quam continuandam, est dictamen ultimum, regulans possessionem rei alienæ tanquam actionem honestam, & justam: ergo & bona fides, requisita tam ad inchoandam, quam continuandam præscriptionem, debet esse immunis a dubio practico. Ulterior dilucidatio hujus primæ Assertionis ex sequentibus desumi poterit. Quare

354 Assero 2. Probabilius dubium speculativum, exortum in initio, vel continuatione possessionis & præscriptionis, non obest, saltem universaliter & regulariter, bonæ fidei. Et hæc conclusio intelligenda est de dubio tam positivo, quam negativo. Quoad dubium superveniens primum præscriptioni jam bona fide cœptæ, facile conveniunt DD. nobiscum: quoad illud autem, quod statim initio præscriptionis exoritur, dissentiunt fere omnes: nostras tamen partes strenue tuentur etiam quoad hoc punctum Vasquez, Engl, Schmier, Pichler, Holzman.

Prob.

Prob. Cum dubio ſpeculativo tam in continuatione, quam principio poſſeſſionis poteſt ſæpe ſtare judicium practicum certum de honeſtate ſuæ actionis. ergo etiam cum tali dubio poteſt ſtare bona fides theologice intellecta, utpote quæ in illo judicio practice certo conſiſtit: conſequenter ejusmodi dubium ſpeculativum, ſaltem univerſaliter & regulariter, non obeſt bonæ fidei.

Ant. prob. 1. oſtendendo, quomodo dictamen moraliter certum de honeſtate actionis poſſit, & debeat fieri in continuatione præſcriptionis, non obſtante dubio ſpeculativo. Itaque ſi quis bona fide cœpit poſſidere aliquam rem ut ſuam, & tantum poſtmodum ſuperveniat aliquod dubium, an res ſit aliena, & an licite continuari poſſit poſſeſſio illius, tunc ante omnia debet adhiberi moralis diligentia ad dubium hoc vincendum, indagando in veritatem rei hujus; ſi enim hæc diligentia omitteretur, tunc maneret dubium vincibile: atqui dubium vincibile in re morali cauſat conſcientiam practice malam, ſeu dubium practicum de inhoneſtate actionis, cum quo nunquam licet operari; ſiquidem operans cum tali dubio ſe exponeret periculo proximo formaliter peccandi, & conſequenter actu peccaret; quia implicite ita eſſet diſpoſitus, ut etiamſi res hæc ſit peccaminoſa, tamen eam facere velit; ſic enim quaſi ſecum ſtatuit talis dubitans: *Sive hæc res aliena ſit, ſive non, & ſive peccem eam poſſidendo, ſive non peccem, tamen eam poſſidere pergam.* Adeoque præprimis debet adhiberi iſta diligentia moralis ad dubium vincendum, & veritatem inquirendam. Si autem debita diligentia impenſa dubium nihilominus manet invincibile, & dubitetur etiamnum, an res ad alium, vel ad poſſidentem ſpectet, tunc poſſeſſor poteſt judicium moraliter certum formare ex principio reflexo, ſeu ex regula poſſeſſoria: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis: ſed ego ſum poſſidens: ergo mea conditio eſt melior*: conſequenter poſſum præ altero rem hanc poſſidere ut meam, ut jam in Notandis eſt dictum.

Prob. 2. idem Antecedens, oſtendendo, quod ſpeculative dubitans ſtatim initio præſcriptionis poſſit etiam formare dictamen moraliter certum de licentia actionis, & poſſeſſionis inchoandæ; nam poſito, quod tale dubium ſit invincibile, habet etiam

am incipiens aliqua principia reflexa, ex quibus dictamen certum formare potest de honestate suæ actionis: ergo. A. p. exemplo: Petrus emit equum ab Andrea, & jam statim, dum emit, exoritur dubium seu negativum, seu positivum, an hic equus sit Andreæ, & non forte ad alium spectet: consequenter dubitatur, an Petrus possit hunc equum ab Andrea accipere, & incipere ejus possessionem. Jam in hoc, & aliis similibus exemplis habet Petrus pro se principia reflexa, ex quibus potest formare dictamen moraliter certum: ergo. A. prob. Petrus habet principia reflexa, ex quibus potest certo se resolvere, quod Andreas juste possideat hunc equum, & consequenter quod ipse possit eumdem ab Andrea accipere, & sic ejus possessionem juste incipere: ergo. A. p. 1. enim habet Petrus regulam possessoriam, & sic ratiocinari potest: *In dubio melior est conditio possidentis: ergo non obstante meo dubio credere debeo, possessorem priorem equi fuisse Dominum: atqui ab eo, quem credere debeo esse Dominum equi, licite equum emo, acceptumque juste possideo*: ergo.

2. Potest adhibere hoc principium reflexum: *Nemo præsumendus est malus, & malæ fidei possessor, aut vendens rem non suam, nisi clare probetur.* argum. c. fin. *de Præsumpt.* L. 51. ff. *pro Socio.* L. 30. C. *de Evictionibus.* atqui eoipso, quod invincibiliter dubitem, clare mihi non constat, neque probatur, quod vendens mihi equum sit malus, aut malæ fidei possessor, aut mihi vendat rem non suam: ergo licite ab eo emo equum, & eum possidere incipio.

Pariter, si dubium de inchoanda licite possessione oritur ex eo, quia fluctuas, an contractus fuerit validus, & per consequens, an res vi contractus ejusmodi tradita sit tua, nec ne, tunc te etiam juvare potes ex hoc principio reflexo moraliter certo: *In dubio præsumendum est potius contractum valere, quam non valere*: ergo ex tali contractu licite accipio rem, & illam juste possidere incipio. Hæc dictamina reflexa, quæ ex Pichlero adduxi, plane ostendunt, quomodo etiam in exordio præscriptionis, non obstante dubio speculativo, possit saltem plerumque, & ordinarie formari dictamen moraliter certum de honestate actionis, & possessionis inchoandæ.

Confirm.

Confirm. Juxta AArios dubium ſuperveniens poſſeſſioni, bona fide jam cœptæ, non impedit bonam fidem, aut præſcriptionem: ergo neque dubium initio præſcriptionis exortum. C. p. ideo dubium ſuperveniens non impedit bonam fidem, quia non obſtante illo per principia reflexa poteſt fieri judicium moraliter certum de honeſtate actionis: ergo etiam hac ipſa de cauſa dubium, initio præſcriptionis & poſſeſſionis exortum, non impedit bonam fidem, quia etiam non obſtante illo per principia reflexa poteſt fieri judicium moraliter certum. Ex quo patet, argumentum continuo in AArios retorqueri poſſe.

Dixi in concluſione notanter, quod dubium ſpeculativum, initio præſcriptionis exortum, non obſit bonæ fidei ſaltem *regulariter*, & *univerſaliter*; poteſt enim caſus dari, quo hoc dubium cum bona fide minime poſſet ſubſiſtere, ſi nempe dubitaretur non ſolum de proprietate, ſed etiam poſſeſſione, vg. ſi in caſu adducto dubitaretur a Petro, num venditor Andreas habuerit proprietatem, & poſſeſſionem equi; ſi enim poſſeſſio equi non eſſet certa, tunc ex ea non poſſet certum dictamen deduci, ut de ſe patet.

Objic. 1. Qui ſpeculative dubitat de rebus fidei, eſt hæreticus formalis: ergo etiam ſpeculative dubius, an res, quam 355
poſſidet, ſit aliena, etiam formaliter laborat mala fide. R. N. c. & parit. Fides divina debet eſſe firmiſſima, adeoque omne, etiam ſpeculativum dubium excludere: ad præſcriptionem vero ſufficit fides humana minoris firmitatis, quæ proinde non debet omne dubium excludere. Item, qui dubitat de articulo fidei, eo ipſo cenſetur negare vel infallibilitatem Dei revelantis, vel authoritatem Eccleſiæ proponentis eumdem articulum, & ſic neceſſario peccat formaliter peccato hæreſeos, utpote quod opponitur infallibilitati Dei, & authoritati Eccleſiæ.

Objic. 2. Qui vult præſcribere, debet indubitate judicare, rem, quam occupat, eſſe ſuam, vel eam a ſe non injuſte detineri; atqui dubitans ſpeculative non poteſt ita indubitate judicare, eoipſo, quod ſit dubius, an non poſſideat alienum: ergo. R. D. M. debet indubitate judicare ex principiis reflexis, & di-

ctamine practico c. M. ex principiis directis, & dictamine speculativo n. M. Præscribens, etsi speculative dubitet, potest tamen se practice resolvere ex principio reflexo regulæ possessoriæ, vel alio supra indicato, quod hic & nunc liceat, hanc rem ut propriam, & suam possidere.

Objic. 3. Speculative dubitans, si continuat, vel incipit possessionem, exponit se periculo peccandi, & occupandi rem alienam: atqui periculo peccandi non licet se exponere: ergo. R. D. M. exponit se periculo peccandi materialiter c. M. formaliter subd. si ex principiis reflexis non formet dictamen ultimum practice certum c. M. si formet, uti debet formare juxta nostram sententiam n. M. Periculo peccandi materialiter se sæpius exponere licet: imo in præscriptione quacumque, quamvis omne dubium etiam speculativum absit, materiale peccatum intervenire debet, quia debet possideri res aliena tanquam sua, quod materiale peccatum est propter ignorantiam invincibilem, quæ si non adesset, omnino peccaretur formaliter.

Objic. 4. Judex in dubio non potest uni determinate adjudicare causam sine injuria alterius: ergo neque homo privatus potest adjudicare sibi rem, de cujus dominio dubitat. R. D. a. non potest adjudicare uni, nisi huic faveat possessio, vel principium reflexum præ altero C. a. secus N. a.

Objic. 5. Conjux, dubitans de valore matrimonii a se contracti, non potest petere debitum: sed hujus ratio alia non est, nisi quia dubitans est in mala fide: ergo dubitans est in mala fide. R. 1. N. M. nam, ut alibi dicitur, ille, qui bona fide contraxit matrimonium, nihil suspicatus de impedimento latente, non privatur jure petendi debitum, etsi post matrimonium jam initum superveniat dubium de ejus valore, dummodo illud dubium sit invincibile, & adhibita diligentia morali deponi nequeat. Nam talis homo se dupliciter resolvere potest: 1. quia est in possessione sui juris, quod habet ex celebrato matrimonio, qua possessione certa ob dubium superveniens non debet spoliari. 2. quia in dubio de valore actus semper præsumi debet, quod talis actus fuerit validus: consequenter & in hoc casu

caſu præſumi debet, actum contractus matrimonialis fuiſſe valide celebratum, non obſtante dubio ſuperveniente. Neque obſtant huic reſponſioni cap. *Dominus*. 2. *de ſecundis nuptiis*. & cap. *Inquiſitionis tuæ*. 44. *de ſent. excommunic.* nam cap. *Dominus*, loquitur de eo, qui mala fide cum dubio de morte prioris conjugis contraxit matrimonium, ſicque non habet poſſeſſionem bonæ fidei. in cap. autem *Inquiſitionis*. declarat Papa, talem conjugem dubium non poſſe petere debitum, quia necdum inſtituerat ſufficiens examen de valore matrimonii, adeoque laborabat dubio vincibili.

R. 2. D. M. Conjux dubitans non poteſt petere debitum, ſi hoc ei ſit prohibitum ſpeciali conſtitutione c. M. ſecus n. M. Aſt talis conſtitutio ſpecialis non habetur de præſcriptione, ne illa cum dubio ſpeculativo incipiatur, aut continuetur, ubi ſuppetunt principia reflexa, ex quibus poteſt formari dictamen conſcientiæ moraliter certum, excludens peccatum formale. Ex his

Deduces 1. Concluſionem noſtram etiam procedere in caſu, quo dubitans ſpeculative magis & probabilius judicat, rem, quam poſſidet, eſſe alienam; nam & in hoc caſu poteſt licite talem rem retinere, & præſcriptionem inchoare, vel continuare. Ratio eſt: talis homo habet pro ſe certam poſſeſſionem; atqui poſſeſſio certa prævalet omnibus aliis rationibus certo non convincentibus, ſeu tantum probabilibus, ut recte ait Illſung cum pluribus aliis. 356

Deduces 2. Speculative dubitantem, an res ſit ſua, debere prius indagare in veritatem: ſi autem morali diligentia adhibita non poſſit vincere dubium, debere formare dictamen practice certum ex regula poſſeſſoria, vel alio principio reflexo; hoc enim ſi fecerit, habebit fidem theologice bonam. Verum occaſione hujus ponitur caſus non impoſſibilis.

Cajus poſſedit aliquo tempore agrum optima fide: occurrit autem poſtea dubium ſpeculativum, an non ager hic fors ſit alienus, & non ſuus, pro quo dubio deponendo licet omnem moralem diligentiam adhibeat, veritatem tamen invenire

non potest. Insuper ignarus regulæ, & privilegii possessorii, putat erronee, sibi non esse licitum, vel certe practice dubitat, an sibi sit licitum, agrum ulterius possidere: Nihilominus possessionem agri continuat, & sic continuando ob dubium practicum, vel conscientiam erroneam peccat graviter contra justitiam. Quæritur jam, an istud dubium practicum, vel hæc conscientia erronea non impediat bonam fidem? vel an Cajus, non obstante hoc dubio practico, & conscientia erronea *valide* præscribat? Dixi: *valide;* nam quod illicite agat, & peccet, per se clarum est. Hanc controversiam ut dirimam.

357 Assero 3. Talis conscientia erronea, vel dubium hoc practicum probabilius bonæ fidei obest, & præscriptionem impedit. Lugo, Herincx, Illsung, Antonius Mayr, Mezger, Holzman.

Prob. 1. ex L. *Si fur.* 32. §. 1. ff. *de Usurpat. & Usucap.* ibi: *Si quis id, quod possidet, non putat sibi per leges licere usurpare, dicendum est, etsi erret, non procedere tamen ejus Usucapionem, vel quia non bona fide videatur possidere, vel quia in jure erranti non procedat Usucapio.*

Prob. 2. Juxta dicta hoc, & præc. §vo requiritur ad præscriptionem talis bona fides, quæ excludit periculum peccandi mortaliter contra justitiam: atqui fides conjuncta cum dubio illo practico, vel cum conscientia erronea, de qua est sermo, non excludit, sed involvit periculum peccandi mortaliter contra justitiam: ergo fides conjuncta cum tali dubio practico non est illa, quæ requiritur ad præscriptionem.

Confirm. ex Cap. fin. *de Præscript.* supra allegato, quod a bona fide periculum peccandi mortaliter contra justitiam penitus abesse vult. Neque jura volunt favere, & præscriptionis privilegium concedere ei, qui possidet illud, quod putat, sibi non licere per Leges possidere.

358 Objic. 1. Cap. fin. *de Præscript.* ille non prohibetur præscribere, qui rei alienæ non habet conscientiam; atqui practice dubius non habet rei alienæ conscientiam, vel scientiam, eo ipso,

ipſo, quod tantum dubitet, an res ſit aliena: ergo practice dubius non prohibetur præſcribere. R. 1. Retorq. argum. Etiam vincibiliter dubius, qui moralem diligentiam non adhibet in inquirenda veritate, non habet conſcientiam, & ſcientiam certam rei alienæ: ergo & talis non prohibetur præſcribere. Conſ. negabunt omnes AArii.

R. 2. D. M. qui non habet rei alienæ conſcientiam certam, vel practice dubiam c. M. ſolum ille, qui non habet conſcientiam certam n. M. Quod autem in cit. Cap. nomine conſcientiæ rei alienæ etiam veniat conſcientia practice dubia, inde conſtat, quia ibi ſummus Pontifex proſcribit omnem conſcientiam, quæ eſt conjuncta cum peccato mortali contra juſtitiam: ſed talis conſcientia practice dubia eſt conjuncta cum periculo peccandi mortaliter contra juſtitiam; ergo. 2. Dubia notitia in jure etiam interdum pro ſcientia, vel conſcientia ſumitur: ſic juxta L. *Sed etſi.* 25. ff. *de petit. hæredit.* §. 7. dicitur, poſſeſſorem poſt motam controverſiam cœpiſſe ſcire, quod res non ſit ſua; atqui, quando alicui movetur controverſia de re aliqua poſſeſſa, non ſtatim ſcit, eam non eſſe ſuam, ſed ad ſummum dubitare incipit: ergo hic dubium ſumitur pro ſcientia, vel conſcientia. Idem dic de noſtro caſu, & de Cap. fin. cit. Quamvis itaque, ut recte advertit Holzman, conſcientia dubia ſecundum ſe, & directe ſpectata, non ſit proprie dicta conſcientia, ea tamen in prædicto Cap. nomine conſcientiæ intelligitur ex intentione legislatoris, juxta quam etiam in materia odioſa, & correctione juris termini ſunt accipiendi, cum *non debeat intentio verbis, ſed verba intentioni deſervire.* c. 41. *de Appellat.*

Dices: Juxta S. Auguſtinum Can. 5. c. 34. q. 2. tamdiu manet aliquis bonæ fidei poſſeſſor, quamdiu ignorat, rem poſſeſſam eſſe alienam: atqui practice dubitans ignorat, rem poſſeſſam eſſe alienam: ergo. R. D. M. ignorantia tali, quæ non eſt conjuncta cum peccato mortali c. M. quæ eſt conjuncta cum peccato mortali n. M.

Objic. 2. Ex noſtra ſententia ſequeretur, quod etiam aliquis in poſſeſſione rei alicujus peccans contra aliam virtutem,

quam justitiam, laboraret mala fide, & non præscriberet, sequela videtur nimis dura: ergo. M. p. nam si capitulum fin- *de Præscript.*, quod est nostra probatio, in rigore attendimus, tunc ex illo colligitur, quod omne peccatum mortale contra quamcunque virtutem obsit bonæ fidei, ad præscriptionem requisitæ. R. N. M. Capitulum laudatum, & alia jura, quæ huc faciunt, per se voluerunt obviare peccatis contra justitiam; Constitutiones enim & Leges, quæ bonam fidem in præscribente exigunt, intenderunt tantum impedire, ne homines contra jus, & justitiam mala fide desiderent usurpare, & possidere bona aliena, ob spem ea sic usucapiendi, & sibi appropriandi. Hæc erat intentio primaria illarum ordinationum, de quibus est sermo: ad quam intentionem se per accidens habent peccata contra reliquas virtutes, a justitia distinctas, quæ proinde neque cit. capitulum, neque aliæ Leges voluerunt excludere a præscribente, & ejus fide; non enim Leges intendunt, nec debent omnia excludere, quæ per accidens tantum se habent ad earum intentionem.

Objic. 3. Talis, qui cum dubio practico possidet rem alienam, non peccat contra justitiam: ergo habet adhuc bonam fidem. R. N. a. nam dubitans practice peccat contra eam virtutem, contra quam putat, vel saltem dubitat se peccare. Ratio est: quia aliquis contra eam virtutem delinquit, contra quam peccandi periculo se quis exponit: atqui talis dubitans se exponit periculo peccandi contra justitiam; quia se exponit periculo possidendi, & retinendi rem alienam contra jus, & voluntatem veri Domini: ergo.

Objic. 4. Talis practice dubius lædit tantum justitiam in affectu, non autem effective: ergo adhuc habet bonam fidem requisitam a jure Canonico, utpote quod irritat tantum præscriptionem cum peccato effective tali contra justitiam. R. N. c. nam jus Canonicum irritat præscriptionem omnem, quæ fit cum peccato mortali, sive illud in affectu, sive in effectu consistat. R. 2. N. a. nam talis agit formaliter effective contra justitiam; quia actu, & in effectu cum mala conscientia detinet rem alienam contra jus alterius, qui est Dominus talis rei; non enim

enim ad injuriam effective talem plus requiritur, quam ut mala conscientia, qualis est practice dubia, agam contra jus alterius. Et bene observandum est, quod conscientia practice dubia, quamdiu non deponitur, in hoc puncto idem operetur, ac conscientia certa rei alienæ. Unde sic dubitans, ex hypothesi, quod non possit, aut nolit deponere suum dubium, aut suum errorem in conscientia, tenetur ad restituendam rem alienam sicut alius, qui ex certa scientia rem alienam detinet: quod signum est, quod talis effective lædat justitiam; nam nemo tenetur ad restitutionem ex injusta acceptione, vel damnificatione, nisi effective læserit justitiam.

Ex his deduces 1. ad præscriptionem seu incipiendam, seu 359
continuandam requiri semper fidem *positive* bonam, & non sufficere *negative* bonam; requiritur enim semper judicium positivum, quo indubitate judicatur, rem posse hic & nunc licite possideri &c., & hoc judicium practicum dicitur fides *positive* bona. Non autem sufficit dubium practicum, vel mera ignorantia, qua ignoratur, rem esse alienam, quæ ignorantia, sicut & dubium speculativum, vocari potest fides *negative* bona; nam si dubito, vel ignoro præcise, rem esse alienam, tunc neque habeo fidem positive bonam; quia positive non judico, quod res sit mea; neque habeo fidem positive malam; quia positive non affirmo, rem esse alienam: sed habeo fidem quasi mediam, & negative talem, quæ tamen ad possessionem bonam non sufficit, uti claret ex dictis.

Deduces 2. requiri, ut aliquis sine peccato mortali contra justitiam incipiat, vel continuet possessionem; secus enim esset in mala fide: non autem requiritur, ut nullum peccatum veniale interveniat, ut sentiunt Lugo, Molina, & Antonius Mayr. Ratio est: quia Cap. fin. *de Præscript.* loquitur solum de peccato mortali. 2. quia esset valde durum, si is præscribere non posset, qui tantum venialem negligentiam admisit in inquirenda veritate &c. 3. quia alias conscientiæ multis scrupulis implicarentur.

Deduces 3. Si aliquis rem alienam in partes divisibilem possidet secundum unam partem bona fide, secundum alteram mala

mala fide, tunc potest illam præscribere quoad partem bona fide possessam, non autem quoad alteram. Ratio utriusque hujus membri colligitur ex dictis: quia nempe quoad unam partem habet bonam fidem, quæ requiritur ad præscriptionem, non autem quoad alteram. Ita Illsung, & alii apud eumdem citt.

Deduces 4. Bonam fidem etiam tunc dari non posse, quando Petrus quidem invincibiliter ignorat, rem esse Antonii, cujus revera est: putat tamen, eam esse Francisci, & non obstante hac sua credulitate, pergit eam malitiose possidere, & detinere tanquam suam. Proinde hæc ignorantia non sufficit, ut possit rem illam præscribere contra Antonium. Ratio est: quia talis homo rem istam mala fide possidet, & possidendo contra justitiam ex conscientia sua erronea peccat: atqui jura tali possessori, qui peccat contra justitiam, nolunt beneficium præscriptionis indulgere.

Quæ de bona fide theologice tali adhuc notanda sunt, præsertim in præscriptione privativa, tractabuntur Art. VII.

§. III.

De fide juridice bona, prout ea ad præscriptionem requiritur.

360 NOTA 1. Præscriptionem, ut valeat etiam pro foro conscientiæ, debere habere conditiones a jure civili requisitas; nam præscriptio ortum suum debet juri civili, a quo proinde & forma, & conditiones honestæ ei poni possunt. Ex quo patet, ad præscriptionem requiri non solum bonam fidem theologice talem, quæ excludit omne peccatum mortale contra justitiam, verum & *civiliter*, seu *juridice* talem, seu quæ immunis est ab omni vitio contra leges civiles. Quare

Nota 2. Hic quæri: an aliqua ignorantia obsit fidei *juridice* bonæ? Dixi: *aliqua ignorantia*; certe enim communis, ac quæcunque ignorantia non repugnat bonæ fidei, & præscriptioni, cum juxta dicta præscriptio positiva necessario supponat aliquam ignorantiam, in qua fundet fidem theologice bonam. An autem saltem aliqua, & quænam illa, obsit Usucapioni, modo controvertitur. Pro quo

Nota

Nota 3. Aliam eſſe ignorantiam *juris*, aliam *facti*: Ignorantia *juris* eſt, quando ignoratur, quid lege vel jure ſtatutum ſit, ut, ſi ignoras legem, vi cujus pupillus ſine conſenſu Tutoris res ſuas non poteſt alienare. Ignorantia *facti* eſt, quando quidem ſcis legem, ignoras tamen aliquid, quod in facto conſiſtit: ut, ſi bene cognoſcis, de jure contractum cum pupillo ſine conſenſu Tutoris initum non valere, neſcis tamen, quod hic, quocum nunc contrahis, ſit pupillus.

Certum modo 1. eſt, quod ignorantia invincibilis *facti*, ſaltem *alieni*, non obſit fidei ſeu theologice, ſeu juridice bonæ: & habetur L. 4. ff. *de juris, & facti ignorantia*. ibi: *Juris ignorantia in Uſucapione negatur prodeſſe: facti vero ignorantiam prodeſſe conſtat.* Accedit, quod in qualibet præſcriptione debeat intervenire aliquis error, & ignorantia facti, dum aliquis occupat, vel detinet rem ut ſuam, quæ tamen ſua non eſt: hinc utique putat ex ignorantia & errore, quod valide ad ſe pervenenerit dominium talis rei. Dixi, quod ignorantia *facti alieni* non obſit bonæ fidei: ignorantia autem facti proprii, an, & quomodo obſit, vel proſit præſcriptioni, aperietur inferius.

Certum eſt 2. Ignorantiam juris dubii, de quo Authores inter ſe adhuc diſputant in utramque partem, non obſtare præſcriptioni. Ita habet Communiſſima. Nam jus dubium proprie non eſt jus: cum de ratione juris ſit, ut ſit *manifeſtum*. Can. 2. d. 4. Remanet ergo quæſtio de ignorantia juris clari. H. N.

Aſſero 1. Ignorantia, vel error invincibilis juris clari & 361
certi tollit, ſaltem regulariter, bonam fidem juridicam, requiſitam ad præſcriptionem ordinariam, ita, ut hæc nec in foro externo, nec interno valeat. Reiffenſtuel, Holzman, cum communi aliorum.

Prob. Fides juridice mala, & præſcriptionis ordinariæ impeditiva eſt, quam leges habent pro mala, & cum qua negant poſſe præſcribi: atqui talis eſt, quæ conjungitur cum errore, vel ignorantia juris clari, & certi: ergo fides, quæ conjungitur cum errore, vel ignorantia juris clari, eſt juridice mala, & præſcriptionis ordinariæ impeditiva, ſaltem regulariter. M.

est certa. m. p. variis legibus. L. 31. principio. ff. *de Usucapionibus. Nunquam in Usucapionibus juris error possessori prodest.* & L. 4. ff. *de J. & f. ignorantia. Juris ignorantia in Usucapionibus negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat.* atque L. 2. §. 15. ff. *Pro emptore.* exemplum hujus rei affertur his verbis: *Quod si scias, pupillum esse, putes tamen, pupillis licere, res suas sine authoritate Tutoris administrare, non capies usu, quia juris error nulli prodest.* Et tandem L. 7. C. *de Agricolis, & Censitis, & Colonis. Malæ fidei possessorem nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.* Adeoque ille, qui laborat ignorantia, vel errore circa jus clarum, non præscribit præscriptione ordinaria ob defectum bonæ fidei civilis.

362 Objic. 1. Ignorantia invincibilis juris non est culpabilis: ergo non inducit malam fidem. R. D. a. non est culpabilis theologice C. a. non est culpabilis juridice N. a. Est culpabilis juridice ignorantia juris clari, quia ea laborans ex constitutione, & fictione juris in mala fide constituitur, sicque inhabilis ad præscribendum redditur.

Objic. 2. Leges, quæ annullant præscriptionem cum ignorantia juris manifesti, fundantur in præsumptione malæ fidei, juxta Cap. 82. *de Reg. J.* in 6. *Qui contra jura mercatur, præsumitur bonam fidem non habere*; atqui quando ignorantia est invincibilis, cessat præsumptio malæ fidei, saltem pro foro conscientiæ: ergo hæc ignorantia invincibilis saltem pro foro conscientiæ non oberit præscriptioni. R. N. M. Jura enim *fingunt*, in tali ignorante adesse malam fidem, non *præsumunt.* Quare to *præsumitur* in allegato Cap. debet sumi pro *fingitur*, ut concordet cum aliis legibus.

Ad hanc itaque objectionem rite solvendam. & alia plura, quæ in materia leges concernente occurrunt, intelligenda, sequentia sunt observanda: scilicet 1. quid sit *præsumptio.* 2. quid *fictio.* 3. quomodo differant.

Præsumptio igitur juxta Reiffenstuel L. 2. Decret. tit. 23. n. 3. est rationabilis conjectura rei dubiæ, collecta ex argumentis

tis & indiciis, quæ per rerum circumſtantias frequenter eveniunt. *Fictio* autem juris eſt certæ falſitatis pro veritate aſſumptio ex certa cauſa, & ad inducendum aliquem juris effectum: ſic Canonici legitime abſentes, fictione juris ſunt præſentes in choro in ordine ad certum effectum, ſeu fructus percipiendos: quare fructus æque participant, ac ſi re ipſa perſonaliter divino officio adſtiterint.

Differunt autem in pluribus *præſumptio*, & *fictio* juris. 1. Præſumptio juris aſſumitur ad inveſtigandam veritatem: fictio juris autem, etiam cognita falſitate, fingit aliquid adeſſe, quod a parte rei non eſt: ſicut fingit præſentiam Canonicorum legitime abſentium, quæ tamen non eſt. 2. Præſumptio, licet ſit juris & de jure, tamen non aliter habet locum in conſcientia, quam ſi veritas ſubſit: hinc præſumptio debet cedere veritati: non autem fictio juris; quamvis enim illud, quod fingitur, non ſubſit, tamen habet in conſcientia locum. Ratio hujus eſt: quia in illis cauſis, in quibus non conſtat de veritate, lex quidem ſubinde aliquid præſumit, & pro veritate habet; interim tamen non intendit aliquid ſtatuere contra naturalem veritatem. Quare ſi veritas aliunde clarius, quam per præſumptionem apparet, tunc præſumptio cedit veritati. Accedit, quod præſumptiones aſſumantur in indagandam veritatem: quando ergo clare de hac conſtat alia via, ad quid iſtæ præſumptiones proſunt? Aſt vero in fictione lex præcognoſcit falſitatem: & nihilominus aliquid juſta de cauſa ſtatuit, & determinat. Quare fictio juris eſt quædam Legis diſpoſitio, fundata ſuper naturali æquitate, quæ proinde in conſcientia obligat, non obſtante falſitate. Sic in invincibiliter ignorante fingitur mala fides, ſeu fingitur, ſtudioſe non obſervare Legem claram, ac ſibi cognitam, etſi a parte rei optima fide, & conſcientia procedat. Et hæc fictio contingit ex ſumme rationabili cauſa, & ad certum effectum juris, ſcilicet ad impediendam præſcriptionem.

Objic. 3. Mulier, quæ emit domum emptione invalida, conſequenter cum ignorantia juris, ſe defendit per præſcriptionem contra repetentem domum. Cap. *Pervenit ad nos.* 4. *de empt. & venditione*: ergo cum ignorantia juris poteſt ſtare præſcriptio,

saltem de jure Canonico, & in foro conscientiæ. R. D. a. defendit se per præscriptionem extraordinariam, tricenariam, vel quadragenariam C. a. ordinariam, de quali hic est sermo N. a. Illa mulier, quæ se defendit per præscriptionem, domum jam 30. annis bona fide, & justo titulo possederat, ut textus laudati capituli habet.

Objic. 4. Si usufructuarius, putans erronee, partum ancillæ suum esse, eumdem vendat, agit contra clarum jus: & tamen emptor, qui ab illo usufructuario emit partum ancillæ, potest hunc præscribere. §. 5. Instit. *de Usucap.* ergo error juris non impedit præscriptionem. R. D. c. error juris existens in alio, quam præscribente C. c. existens in ipso præscribente N. c. Error juris tantum obest præscribenti, quando eodem laborat ipse præscribens. Hinc in præfato casu usufructuarius nequit præscribere, utpote errans contra jus clarum: bene autem potest præscribere emptor, in quo talis error non est. Similis responsio datur a Glossa ad cap. *Cura pastoralis. De jure Patronatus.* juxta quod Religiosi possunt præscribere Ecclesias, ipsis a Laicis invalide contra jus concessas: ubi Glossa ita ait: *Potest dici, quod illi, qui Ecclesias receperunt de manu Laicorum, non possunt præscribere; quia contra jura recipiunt: sed eorum successores præscribere possunt,* qui nempe Ecclesias istas non receperunt a Laicis, sed illas jam ante receptas bona fide possident, nihil scientes de invalida ista concessione, & receptione.

363 Dixi in conclusione 1. *saltem regulariter*; volunt enim aliqui excipere Personas illas, in quibus toleratur ignorantia juris manifesti, quales sunt Minorennes, milites, fœminæ, ac rustici in iis materiis, in quibus eos judex commiseratione dignos æstimaverit. Putant ergo, his personis, præscribere volentibus, non obesse ignorantiam juris. Verum probabilius est, quod neque his personis prosit ignorantia juris, quando per præscriptionem acquirunt; nam ut ait L. *Error.* ff. *de juris & facti ignorant. Juris ignorantia nec fœminis in compendiis* (hoc est, in acquirendo, & lucro captando) *prodest.* & L. *Juris.* ff. *eodem, Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum vero petentibus non nocet.* Hujus sententiæ sunt Reiffenstuel, & Pichler.

Dixi

Dixi 2. *Præscriptione ordinaria*; nam talis invincibilis ignorantia juris clari non obest præscriptioni extraordinariæ. Haunold, König, Schmalzgrueber, Pichler, Holzman, & alii satis communiter. Ratio hujus est: quia ex una parte jus civile non requirit bonam fidem ad præscriptionem extraordinariam: ex altera parte jus Canonicum tantum correxit leges civiles quoad fidem theologice malam, quæ conjungitur cum peccato mortali coram Deo: non autem correxit eas quoad fidem juridice malam. Hinc talis præscriptio erit adhuc subsistens, etsi præscribens laboret fide juridice mala, & fingatur habere culpam juridicam, quæ est negligentia aliqua in addiscendis legibus civilibus, & potest esse sine peccato theologico. Lex 7. C. *de Agricolis, & Censitis &c.* superius citata, loquitur de præscriptione ordinaria: proinde vult, quod nunquam liceat præscribere præscriptione ordinaria, si præscribens laboret ignorantia juris clari.

§. IV.

Aliqua quæsita de bona fide.

QUÆRES 1. An, & quomodo mala fides Authoris noceat, vel bona prosit successori? ante Rnem. 364

Nota 1. Per *Authorem* intelligi eum, qui prior possedit rem alienam: nomine autem *successoris* illum, qui rem ab alio accepit, & possessionem ejus continuat.

Nota 2. *Successorem* esse duplicem: unus est *universalis*, qui rem aliquam titulo universali possidet, & in universum jus prioris successoris succedit. Talis est, qui succedit titulo hæreditatis, etsi præter ipsum sint alii cohæredes. Alius est successor *singularis*, qui ex titulo particulari vg. emptionis, donationis, legati &c. rem ab alio consequitur. Igitur tales successores particulares sunt Legatarius, Donatarius, Emptor, item, qui alteri succedit in officio, aut dignitate· H. N.

R. 1. Bona fides Authoris prodest successori tam singulari, quam universali, ita, ut accessione temporis uti, ac consequenter

ter tempus, quo Author rem bona fide possedit, computare possit cum tempore, quo ipse possidet, & sic complere tempus præscriptionis: ut si Petrus 5. annis bona fide possedit agrum alienum, potest hunc Paulus hæres, aliis 5. annis possidendo, & sic complendo decennium, præscribere. Ratio est, quia Author tradit rem successori cum omni jure, quod ipse habuit: atqui est pars juris, quod Author cœperit præscriptionem: ergo.

R. 2. Mala fides Authoris non obest successori singulari: quare successor singularis ab illo tempore, quo rem alienam bona fide possidere cœpit, potest præscriptionem incipere, eamque complere tempore ordinario in rebus mobilibus. Pichler, Holzman, König, & alii communiter. L. *an vitium Authoris.* ff. *de diversis temporalibus præscriptionibus, & de accessionibus possessionum.* Ratio est: quia successor particularis non repræsentat Personam antecessoris, nec fictione juris eadem cum ipso est Persona. Quare licet antecessor, & Author successori singulari communicet omne jus, quod habuit circa rem, non tamen ei communicat vitia personalia, inter quæ est mala fides. Hoc tamen notet talis bonæ fidei successor, quod non possit computare illud tempus, quo Author rem talem mala fide possedit; debet enim præscriptionem a se, & propria possessione incipere.

Ab hac assertione *de jure communi* excipitur successor in re immobili, cui mala fides Authoris in tantum nocet, ut contra Dominum ignorantem non possit præscribere tempore ordinario, bene tamen extraordinario. scilicet tricennio, seu 30. annis. Novell. 119. cap. 7. & Authent. *Malæ fidei possessore alienante.* C. *de præscript. longi temporis.* quæ Authentica desumpta est ex cit. Novella, & sic habet: *malæ fidei possessore alienante cessat longi temporis præscriptio, si verus Dominus ignoret suum jus, & alienationem factam. Spectatur ergo triginta annorum defensio &c.*

Verum hæc dispositio Novellæ, & Authenticæ modo allegatæ in Bavaria locum non habet; nam juxta statuta Bavarica Cod. Maximil. p. 2. c. 4. §. 10. successori mala fides antecessoris, *und zwar ohne Unterschied* inter successorem universalem, & particularem *nicht mehr schadet, dafern er Successor nur seines Orts jeder-*

jederZeit in bona fide *sich befunden hat.* An autem in Bavaria hoc etiam procedat, quando agitur de hypotheca extinguenda, nolo decidere. Videantur Pichler L. 2. Decret. tit. 37. ad finem. Clariss. D. Rath de Usucapionibus, & præscriptionibus. c. 2. thesi 53. Videantur & alii rerum Bavaricarum periti.

R. 3. Mala fides Authoris de jure communi nocet successori universali immediato, ita, ut talis successor, licet sit ipse in optima fide, a se tamen præscriptionem ordinariam inchoare non valeat: minus talis potest computare tempus, quo Author mala fide rem illam possedit. Communis, loquendo de jure communi, cui contrarium est jus Bavaricum. P. ex §. 12. Instit. *de Usucap. & longi temporis præscript.* & L. 11. ff. *de diversis temporalibus præscriptionibus,* Ratio est: hæres & successor universalis repræsentat personam antecessoris, & cum hoc fictione juris est persona unica: ergo si antecessor habuit malam fidem, tunc & successor universalis censetur talem malam fidem habere fictione juris; fingunt enim jura, possessionem hæredis initium capere ab illo puncto, & cum illa fide, qua defunctus cœpit possidere; namque possessio defuncti censetur eadem cum possessione hæredis. L. 11. C. *de acquirend. vel amittend. possess.*

Dixi in hac Rne. 1. quod talis successor non possit præscribere præscriptione *ordinaria*, seu longi temporis; non enim desunt, qui satis probabiliter cum König, Pichler, Holzman, & aliis apud Clarissimum D. Antonium Hermanum Chlingensperger in differentiis inter jus commune, & Bavaricum citatis docent, quod ejusmodi successor universalis, non obstante mala fide Authoris, possit præscribere præscriptione extraordinaria, seu longissimi temporis, id est, 30., vel 40. annorum. Rationem dant: quia præscriptio longissimi temporis juxta jus civile potest inchoari cum vera mala fide: ergo ea etiam a fortiori poterit inchoari cum ficta mala fide: atqui talis hæres habet tantum fictam malam fidem: ergo.

Neque dicas: in hoc puncto correctum esse jus civile per Canonicum. Nam contra est: Jus civile solum correctum est per Canones quoad malam fidem vere, & theologice talem, quæ

cum

cum peccato gravi conjuncta est; tota enim ratio, cur Ecclesia Leges civiles in hoc puncto emendarit, erat, quia illæ sine animæ dispendio, & gravi peccato observari non poterant. Ubi vero est ficta mala fides, nullum est peccatum theologicum in possidendo, vel retinendo: ergo quoad hanc malam fidem non est correctum jus civile. Hæc tamen limitatio responsionis hujus meæ tertiæ est pariter contra insignes Juristas apud laudatum D. Chlingensperger t. 9. art. 7. videndos, uti & contra nostrum Reiffenstuel L. 2. Decret. t. 26. de præscript. n. 137. ubi assignat pro se hanc fortem rationem: Hæres succedit in jus defuncti, imo omne jus suum causatur a defuncto: ergo sicut defunctus talem rem potuit nullo tempore, etiam longissimo, præscribere ' ita nec hæres ejus. Accedit, quod hæres etiam de jure Canonico repræsentet personam defuncti, quæ repræsentatio, simulque mala fides non extinguitur spatio triginta annorum.

Dixi 2. Mala fides Authoris nocet successori universali *immediato;* hæredi enim mediato, seu hæredi hæredis (saltem si non sit hæres *suus*) non videtur mala fides primi Authoris obesse. Ita probabiliter Haunold, Molina, Lessius, Schmalzgrueber, Pichler, Holzman contra non paucos alios. Ratio est: quia hæres hæredis non est defuncti primi hæres: ergo non nocet tali hæredi remoto, & mediato primi defuncti, & Authoris mala fides. 2. Duplex fictio in eadem causa in jure non datur, & ficta fides mala successoris immediati non causat fictam fidem malam in mediato successore, sicut umbra non causat umbram. Ita Pichler: putat tamen Reiffenstuel, Holzman, cum Lessio, ac aliis, quod hæredi *suo* etiam mediato obsit fides mala primi Authoris. Verum, quantum ego judico, tota hæc limitatio de hærede, & successore mediato est plena dubiis, neque aliquid certi asseri potest: hinc & eam ut dubiam tantum volo propositam. Qui plura de hoc puncto desiderat, consulat Authores citt., & inter alios Haunold tom. 1. de Just. t. 5. c. 2. n. 244., ac P. Illsung. t. 4. d. 2. q. 5. n. 307. Quid sit de jure Bavarico, jam est dictum.

Posset etiam nostra assertio limitari 3., si successor universalis rem ab antecessore mala fide possessam, adhuc possideat alio

alio titulo, quam hæreditatis, vg. titulo empti, vel donati &c. puta, si defunctus ante mortem suo futuro hæredi vendidit, aut donavit rem alienam, quam hæres bona fide accepit, atque possedit; tunc enim eam præscribere potest, præscriptionem a se inchoando. L. 5. §. 1. ff. *de diversis temporal. præscript.* Covarruvias, Pirrhing, Reiffenstuel, Holzman, & alii.

Quæres 2. An mala fides Tutoris obsit Pupillo, supposito, quod pupillus sit in bona fide? R. negative. Engl, Pichler, & alii. Ratio est 1., quia juxta Engl negativa hæc sententia est communius recepta inter DD. 2. Videtur hæc sententia colligi ex L. 198. ff. de R. J. 3. Tutor est administrator, & defensor pupilli: ergo non videtur posse facere causam pupilli deteriorem. Idem judicat Engl, esse dicendum de Procuratore, quod scilicet fides ejus non noceat Domino. Verum de hoc quæsito videantur Juristæ. 365


Quæres 3. An mala fides Prælati obsit Ecclesiæ? R. cum Schmalzgrueber sub distinctione: Vel res, de cujus præscriptione agitur, communiter possidetur a Prælato, & Capitulo, vel non? si primum: tunc non præscribitur, si Prælatus sit in mala fide. Ratio est: quia lex præscriptionis est odiosa, & ideo restringi debet, ita, ut propter malam fidem unius partis destruatur etiam bona fides partis alterius. Si secundum: tunc illa pars rei, quæ bona fide a Capitulo possidetur, præscribetur, non autem altera, quam Prælatus mala fide detinet. Sequitur ex dictis. 366

Quæres 4. An mala fides antecessoris in dignitate, officio, vel beneficio noceat suo successori? R. cum Reiffenstuel, Engl, Holzman, & aliis negative, dummodo præscriptionem a se incipiat, & non computet tempus, quo mala fide suus antecessor rem illam possedit. Ratio est: quia talis non repræsentat personam sui antecessoris, nec dignitatem jure sui antecessoris, sicut hæres aliquis possidet, sed habet specialem titulum collationis sibi proprium: ergo non est ratio, cur tali debeat nocere mala fides antecessoris. 367

Quæres 5. An mala fides antecessorum Provinciæ, Civitatis, aut alterius Communitatis noxia sit successoribus, ita, ut 368

hi neque a se possint præscriptionem inchoare ? R. probabilius affirmative. Et hæc assertio procedit, etsi successores optima fide possideant talem rem. Ita Haunoldus, Schmalzgrueber, Clarissimus D. Rath, qui & testatur, ita sæpius responsum a facultate juridica Ingolstadiensi, & approbatum esse a tribus aliis, Marburgensi, Coloniensi, & Moguntina. Ratio est: etsi defunctis civibus novi successerint, civitas tamen semper est, nec mutat possessionem, vel titulum: ergo cum antecedenter vitiosa fuerit possessio, semper manebit talis etiam post ducentos, & plures annos, ita, ut ejusmodi res, quæ a Communitate cum mala fide possideri cœpta est, nunquam possit præscribi. Huic tamen assertioni contradicit P. Pichler,

Denique bona fides a præscribente regulariter nec allegari, nec probari debet; nam bona fides in dubio semper præsumitur adesse, cum a jure quilibet præsumatur bonus, nisi probetur malus. Dixi: *regulariter* probari non debet; sunt enim aliqui casus apud Pichler, & alios videndi, in quibus bona fides etiam probari debet ab illo, qui prætendit præscriptionem.



ARTICULUS III.

De possessione requisita ad Præscriptionem.

§. I.

Explicantur natura, & proprietates possessionis.

369 NOTA 1. Nomen possessionis a variis varie derivari. Alii illud desumunt a *positione pedum*, aliqui a *positione sedium*, vel a *posse sedere* id deducunt. Et quidem ultimæ acceptioni favet germanicum vocabulum *Besizung*. Verum quidquid sit de derivatione hac, certum est, notitiam possessionis summe esse necessariam Theologo, quia sine ea multæ quæstiones, materiam restitutionis & justitiæ tangentes resolvi nequeunt: est autem

& summe difficilis notitia hæc ob leges, & jurisconsultos de ista materia diversimode loquentes.

Nota 2. Aliquam possessionem esse *impropriam*, quæ datur tunc, quando aliquis rem detinet affectu, & nomine qualicumque: seu quando quis rem possidet non nomine proprio, nec cum animo aut affectu eam habendi ut suam: sic Depositarius possidet rem apud se depositam, Commodatarius rem commodatam, usufructuarius rem concessam in usumfructum, Procurator, & Administrator rem suæ administrationi creditam &c. Ratio est: quia hi omnes (posito, quod velint esse fideles) debent rem sibi commissam possidere nomine alieno, & sine affectu eam sibi appropriandi, vel habendi tanquam suam. Idem dic de aliis similibus, rem alienam alieno nomine detinentibus, ut de Inquilino &c. &c. De hac possessione impropria non quæritur, sed de proprie dicta, quæ est *detentio rei cum animo, seu affectu eam habendi ut suam.* per L. 1. §. 3. & 20. L. 3. §. 3. & L. 44. §. ult, ff. *de acquirenda, vel amittenda possessione.* Consentit jus Bavaricum Cod. Maximil. p. 2. c. 5. Verum, ut natura proprie dictæ possessionis magis discernatur.

Nota 3. Possessionem adhuc tripliciter posse accipi: 1. pro effectu, seu jure, quod oritur ex possessione proprie tali, & vocari potest *possessio juris*, constituitque aliquam speciem juris realis. Definitur autem, quod sit jus reale rem sibi detinendi, commodisque inde provenientibus fruendi. 2. accipitur pro objecto possessionis, seu pro rebus possessis, præsertim immobilibus. In hoc sensu dicitur: *Iste homo habet multas possessiones*, id est, habet multa bona immobilia: imo solet possessio etiam interdum sumi pro ipsa proprietate, vel dominio. L. 78. ff. de. V. S. 3. sumitur formaliter, ac presse ad propositum pro ipsa detentione, & insistentia rei. Et hæc dici potest *possessio facti*; quia idem importat ac factum, actus, & exercitium possessionis, & detentionis rei alicujus. Atque in hac ultima acceptione pertractando possessionem.

Assero 1. Possessio facti in genere recte definitur, quod sit *detentio rei, corporis, animi & juris adminiculo concurrente.* Ita 370

Communis: quæ definitio hunc ſenſum facit: poſſeſſio eſt detentio rei tanquam ſuæ, & non prohibitæ poſſideri.

Dicitur in hac definitione 1. *detentio*, vel inſiſtentia, quæ actum aliquem, & factum, non autem jus dicit. Hinc communiter rejicitur definitio Bartoli, qua deſcribit poſſeſſionem eſſe *jus inſiſtendi, vel detinendi.*

Dicitur 2. *Rei*, ſeu corporalis, ſeu incorporalis; nam utriusque ſicut dominium, ſic & poſſeſſio datur. Eſt quidem verum, quod detentio rerum corporalium vocetur *vera poſſeſſio*, & inſiſtentia rerum incorporearum, vg. jurium, de rigore juris dicatur *quaſi poſſeſſio, ein Nebenbeſizung*: nihilominus hoc diſcrimen in praxi non adeo obſervatur, & etiam incorporea, uti jus decimandi, venandi, ſervitutes, ac alia jura dicuntur poſſideri absque addito *quaſi.* Adde, quod utraque poſſeſſio ſcilicet rerum corporearum, & incorporearum eosdem habeat effectus. Hoc ſolum adverte, quod poſſeſſio rerum incorporearum non tam in detentione, quam ipſo uſu & exercitio talium jurium, & rerum conſiſtat.

Dicitur 3. *Corporis, animi & juris adminiculo.* Quare ad veram poſſeſſionem requiritur 1., ut quis rem poſſidendam modo quodam corporali apprehendat, id eſt, manibus, oculis, pedibus, aut alio modo a jure conſtituto. 2. Non ſufficit ſola apprehenſio corporalis, ſed inſuper debet adeſſe intentio, ac voluntas ejusmodi rem detinendi, ac apprehendendi ut ſuam, ſuo nomine, ac cum affectu eam ſibi habendi, ac de ea haud aliter diſponendi, ac ſi eſſet ſua, quod indicatur per *animi adminiculum*; ſi enim ſola apprehenſio, vel inſiſtentia corporalis (quam Juriſtæ *poſſeſſionem aſininam* vocant) ſufficeret ad juridicam poſſeſſionem, tunc quicunque rem aliquam alterius apprehenderet, aut per eam pedibus incederet, ſtatim ejus poſſeſſionem vere talem acquireret. 3. Præter duas dictas conditiones requiritur quoque *juris adminiculum*: per quod intelligitur, quod jus poſitive non debeat reſiſtere poſſidenti; non raro enim jus inhibet detentionem alicujus rei, reddens illam inefficacem ad conſequendos effectus juridicos poſſeſſionis. Sic inhabilitantur

Lai-

Laici ad possessionem rei sacræ, homo privatus ad possidendas vias publicas, & alia bona communia.

Non tamen per has particulas: *Corporis*, *animi*, & *juris adminiculo* requiritur 1. ad continuandam possessionem corporalis apprehensio, vel præsentia, sed hæc solum est necessaria ad inceptionem possessionis; alioquin, si aliquis ab agro legitime apprehenso, & possesso ad tempus discederet, & ei præsens non esset, possessionem ejus perderet, quod est inconveniens. Quare possessio corporaliter cœpta potest postmodum continuari sola animi detentione.

Nec requiritur 2. ad inchoandam etiam possessionem, ut omnes partes rei possessæ corporaliter apprehendantur: sed sufficit, si pars ejus apprehendatur: vg. sufficit, si ille, qui vult possessionem domus capere, eamdem intret.

Nec requiritur semper 3., ut possessor in propria persona possessionem accipiat, aut continuet; poterit enim hanc acquirere, aut conservare per Procuratorem, Colonum, servum, filium &c. per legem *generaliter*. ff. *de acquirenda possessione.* ibi: *Quisquis nostro nomine nobis volentibus sit in possessione, veluti procurator, amicus, hospes, nos possidere videmur.*

Nec requiritur 4., ut possessor præter intentionem rem detinendi ut suam habeat credulitatem, qua judicet, rem, quam detinet, esse suam. Ratio est, quia etiam fur rem furtivam, quam scit, non esse suam, potest possidere *juridice*, seu tali possessione, quæ parit aliquos effectus juridicos.

Igitur per *animi adminiculum* intelligitur talis intentio, qua possessor vult ita disponere de re, ac si ea esset sua, & quoad externam apparentiam saltem ita intendit se gerere, ac si esset Dominus talis rei: prout & fures, ac alii in mala fide constituti possessores solent facere, quamvis probe sciant, se non esse Dominos rerum furtivarum, & inique possessarum.

Nec vi illius particulæ: *juris adminiculo*, requiritur 5., ut semper adsit justus possidendi titulus, aut quod possessio debe-

at a jure approbari positive: sed sufficit, quod ei jus non resistat modo superius explicato.

371 Assero 2. Possessio dividitur varie: 1. quidem in *naturalem*, *civilem*, & *mixtam*. Sicut autem omnes Juristæ & Theologi in hanc divisionem consentiunt, ita sunt summe diversi in explicando, quid sit possessio civilis, & naturalis. Tres afferam diversas similes explicationes, meo judicio vel necessarias, vel utiles, ut Authores de hac re loquentes possint intelligi. Igitur juxta alios possessio *mere naturalis* est, quando quis rem possideri non prohibitam, detinet quidem corporis & animi adminiculo, alius tamen ejusdem rei possessionem civilem retinet. Ita quoad rem Mezger, Schmalzgrueber, & alii plures. Possessio *mere civilis* est, quando quis rem antecedenter naturaliter, & corpore possessam, nunc solo animo possidere pergit. *Civilis, & naturalis simul* est in re, quæ corpore & animo simul detinetur, nullo alio civilem ejus possessionem habente. Exemplo rem declaro: Sempronius negotiorum causa egreditur terminos fundi sui, quem naturaliter, & civiliter possidebat, & neminem interea custodem relinquit, adeoque naturaliter seu corporaliter fundum nec per se: nec per alium detinet: bene autem eum adhuc possidet civiliter, quia censetur animum habere illum retinendi. Interea Paulus fundum illum Sempronii malitiose occupat, & censetur eum possidere tantum naturaliter, quamdiu Sempronius intentionem recuperandi agrum prædictum non deponit, & quamdiu media opportuna, & efficacia adhibet ad expellendum Paulum a possessione naturali cœpta. Quodsi autem Sempronius despondeat animum fundum suum recuperandi, nec adhibeat media ad expellendum Paulum, aut iis adhibitis nihil possit proficere contra eumdem, tunc Paulus mox incipit esse possessor non solum naturalis, sed & civilis, & per consequens Sempronius perdit etiam possessionem civilem. Ex quo

372 Colliges 1., quod eadem res a duobus possit simul possideri, ab uno naturaliter, ab alio civiliter: non autem potest eadem res a duobus possideri sub eadem ratione, vg. ab utroque civiliter. Ratio hujus colligitur ex dictis.

Col-

Colliges 2. Possessionem mixtam esse perfectissimam, civilem esse perfectiorem naturali: proinde naturalem esse omnium imperfectissimam.

Pichler, ac Holzman aliter explicant prædictam divisionem, & ajunt, possessionem *civilem* esse, quando aliquis possidet rem cum opinione dominii, seu quando possessor credit, ac judicat, se esse Dominum rei possessæ. Possessionem *mere naturalem* esse dicunt, quando aliquis rem quidem possidet, & detinet ut suam, sed sine opinione dominii: prout fur detinet rem furtivam, ac de ea disponit eo modo, quasi esset sua, non autem judicat interne, eam esse suam, eoquod sciat, illam ad alium spectare.

P. Antonius Mayr dicit, possessionem *mere naturalem* tunc dari, quando quis naturali, seu reali detentione per se ipsum corporis, animi ac juris adminiculo possidet, sive deinde juste, sive injuste, sive bona, sive mala fide. *Mere civilis* possessio datur, quando quis rem non realiter, sed moraliter, seu in æstimatione civili, & juridica possidet: ut, si rem possidet per alium, vel si etiam per neminem possidet, tamen prius cœptam possessionem animo, & juris adminiculo retinet, Sic juxta cit. Authorem quilibet civis possidet hortos, vel agros suos extra civitatem existentes. *Mixta* possessio est, quando quis naturali detentione, & simul in morali æstimatione hominum rem detinet: & sic civis possidet domum, quam inhabitat. Ita laudatus Doctor.

Ultra civilem, naturalem & mixtam possessionem alicubi etiam datur *civilissima*, quæ nimirum acquiritur sine ulla vel vera, vel ficta apprehensione, imo etiam absque animo possidendi; quia ex mera civilitate, & benignitate alicujus statuti, vel legis sine aliis adminiculis corporis & animi, alias de jure communi requisitis, confertur. Sic in aliquibus regionibus fideicommissa, & Majoratus, vel bona hæreditatis post mortem defuncti statim transeunt ad hæredem, etiam ignarum, & ab hoc censentur possideri, quamvis ea jam alteri essent tradita.

Dividitur possessio 2. in *justam*. & *injustam*. *Justa* est, quæ ex legitimo, & justo titulo acquiritur: *injusta* est, quæ tali titulo destituitur.

3. Di-

3. Dividitur in possessionem *bonæ* & *malæ fidei*: Possessio *bonæ fidei* est, quando possidens judicat, se possidere rem legitime, ac suam possessionem non esse difformem legibus. Possessio *malæ fidei* est, quando detinens rem scit, eam esse alienam, vel saltem putat, se eam illicite, ac contra leges possidere.

Neque hæc divisio est confundenda cum priore; potest enim aliquis rem aliquam bona fide theologice tali possidere, quin eam juste possideat: ut si quis erronee putet, rem esse suam, vel eam esse acquisitam justo titulo, cum tamen talis titulus non intervenerit. Item malæ fidei possessio potest esse justa: ut si quis erronee existimet, rem a se possessam esse alienam, & sic eam a se illicite detineri, cum tamen ea justo titulo sit acquisita.

Denique nota, possessionem *vacuam* juxta Pichlerum tunc dari, quando res a nemine detinetur vel corpore, vel animo tantum, vel utroque modo, nec aliquis in ejus possessione est. Hinc possessio *non vacua* est, quando aliquis talis rei possessionem habet, sive corpore, sive animo, sive utroque modo, aut etiam tantum civilissime possideat. Ex dictis.

Colliges, multum inter se differre dominium, & possessionem rei, & hanc sine illo, uti & illud sine hac posse existere. Sic fur potest juridice in ordine ad certos effectus juris possidere rem furtivam, & tamen non est ejus Dominus: imo aliquis potest bona fide rem aliquam, cujus non est Dominus, tam naturaliter, quam civiliter detinere, & possidere. Quare etiam acquisitio possessionis distinguitur ab acquisitione dominii; sunt enim jura diversa & separabilia, quæ diversos effectus & actiones juris pariunt; atque quando agitur de dominio & proprietate rei, tunc dicitur aliquis agere *in petitorio*: si aliquis litigat de possessione, tunc dicitur agere *in possessorio*. Ex quibus.

Colliges ulterius, acquisita possessione rei, idcirco non statim acquiri dominium ejus, neque amissa possessione, necessario simul perdi dominium: sicut & acquisito dominio, non eo ipso possessio acquiritur, quod amplius ex dicendis patebit.

Asse-

Assero 3. Possessionis sunt varia commoda, ac privilegia: 373
1. Bonæ fidei possessor rei alienæ potest eam præscribere. 2. In dubio, quisnam sit Dominus, melior est conditio possessoris. 3, Possessor in judicio petitorio pro Domino habetur, & probationis onere sublevatur, quod onus incumbit ei, qui possessori litem movet, qui etiam causa cadit, nisi aut dominium suum, aut possessoris injustam possessionem manifeste probet. §. *Commodum.* Instit. *de Interdictis.* cap. *sæpe de Restit. spoliatorum.* L. fin. cap. *de rei Vindicat.* 4. Possessio parit præsumptionem bonæ fidei, quamdiu non probatur mala fides. 5. Tribuit jus administrandi rem possessam, dum pendet lis. 6. Obligat judicem ad manutenendum possessorem in possessione, dum durat lis mota. 7. Facit potestatem, ut possessor invasus possit vim vi repellere, & possessione dejectus in continenti repetere possessionem, etiam armis. 8. Privilegium, quod in præjudicium possessoris est impetratum, est nullum, & subreptitium, nisi in eo expresse derogetur possessioni. 9. Dat actionem realem, quæ *Publiciana* vocatur, vi cujus potest quis vindicare rem possessam sibi ablatam adversus quemcunque possessorem, excepto vero Domino, & eo, qui cum titulo possidet. 10. Possessio immemorialis supplet omnes præsumptos defectus vitiositatis, & nullitatis, nec patitur inquisitionem de titulo. Mezger, Haunoldus, ac alii, præsertim JCti, & Canonistæ.

Quæres 1. Quomodo possessio rerum corporearum acquiratur? R. 1. Acquiritur vel apprehensione vera, vel ficta, vel constitutione legis. 374

R. 2. Apprehensio vera fit, rem vel manibus apprehendendo, vel pedibus eidem insistendo: si sit mobilis, tunc eam apprehendimus manibus: si sit immobilis, tunc eidem solemus pedibus insistere, ut possessionem *veram* capiamus.

R. 3. Quatuor casibus potissimum necessaria est apprehensio vera: 1. requiritur ad capiendam possessionem illorum bonorum, quæ Domino carent, & fiunt primo occupantis, veluti feræ, thesauri, res derelictæ &c. 2. Si depositarius vi, vel clam (quamvis illicite) vult capere possessionem rei apud se deposi-

tæ, debet illam contrectare, ac loco movere cum animo eam habendi ut ſuam. 3. Requiritur vera corporalis apprehenſio bonorum hæreditariorum, & a defuncto relictorum; hæc enim Domino carent, a quo tradantur. Ut ergo aliquis incipiat ea poſſidere, debet illa vere apprehendere. 4. Si alius poſſidens nolit tibi poſſeſſionem rei reddere, tunc etiam debes illam apprehendere. Intellige hæc ſub conditione, niſi apprehenſionem veram Magiſtratus ſuppleat; hujus enim authoritate aliquis poſſeſſionem adipiſci poteſt ſine vera apprehenſione, etiam in iis caſibus, in quibus alias vera realis apprehenſio neceſſaria foret.

R. 4. Apprehenſio *ficta* eſt, quando nec manibus, nec pedibus res aliqua apprehenditur, intervenit tamen alius actus, qui ex diſpoſitione juris veræ, & reali apprehenſioni æquivalet, & illius vim obtinet. Varie fieri poteſt: ut 1. traditione clavium ad eum locum, quo res in contractum deductæ ſervantur, vg. oleum, vinum, frumentum. 2. per viſum L. *quod meo.* 18. §. *Si venditorem* 2. ff. *de acquir. vel amitt. poſſeſſione.* ibi: *Si vicinum mihi fundum mercato venditor in mea turre demonſtret, vacuamque ſe poſſeſſionem tradere dicat, non minus poſſidere cœpi, quam ſi pedes finibus intuliſſem.* 3. Per traditionem *Scripturæ*, ſeu *Inſtrumenti*, quo priſtini poſſeſſoris jus continetur; cenſetur enim talis Scriptura rem ipſam, ſeu mobilis, ſeu immobilis illa ſit, continere, ita, ut cum Scriptura talis res tradita videatur L. *Emptionem.* C. *de donat.* 4. Per appoſitionem cuſtodiæ ab illo, ad quem res transfertur 5. Si ab illo, ad quem res transfertur, obſignetur per ſe, vel alium. 6. per *clauſulam conſtituti*, hoc eſt, cum antiquus poſſeſſor facto contractu conſtituit ſe poſſeſſorem nomine illius, cui rem alienat. 7. *per appoſitionem brevis manus*, ſi ſcilicet aliquis rem ſuam, tibi prius commodatam, locatam, aut apud te depoſitam, poſtea tibi vendit, tunc enim rem talem, quam improprie, & nomine alterius poſſediſti, incipis proprie, & nomine proprio poſſidere. 8. Si is, qui rem tibi alienat, ſervat ſibi uſumfructum, tunc cenſeris illam ſtatim poſſidere. L. *Quisquis.* C. *de Donat.*

R. 5. Legis diſpoſitione acquirit aliquis poſſeſſionem, quando vi alicujus ſtatuti ſine vera, aut ficta apprehenſione, imo ſine animi adminiculo, aliquis poſſeſſor conſtituitur, ſeu quando datur poſſeſſio civiliſſima, de qua ſupra.

Quæ-

Quæres 2. Quomodo acquiratur possessio rerum incorporalium, vg. jurium, & servitutum? 375

R. Possessio jurium, quæ non inhærent rebus corporalibus, uti vg. jus eligendi, acquiritur per unum, vel plures actus non meræ facultatis; exercitos cum animo acquirendi possessionem, & cum opinione, qua credis, te uti jure tuo, sciente, & patiente illo, cujus est permittere, vel prohibere istos actus. Ita Pichler L. 2. Decret. t. 12. n. 7. Quare tres conditiones ad comparandam talem possessionem sunt necessariæ. 1. ut ille, qui exercet aliquem actum alicujus juris, vg. eligendi, venandi &c. intendat, & credat, se uti jure suo. 2. ut exerceat tales actus sciente, & permittente possessore antiquo, sive illo, cujus interest talibus actibus resistere. 3. Ut non possit præsumi, quod ejusmodi actus, & usus juris fuerit concessus ex gratia & liberalitate primi possessoris, consequenter quod hic usus non sit actus meræ facultatis. Hinc juxta Molinam aliquando ad comparandam possessionem alicujus juris unus actus sufficit, aliquando plures requiruntur: unus sufficit, si sit talis naturæ, ut prudentum judicio non soleat concedi ex gratia: qualis est actus electionis Canonicæ: plures autem actus requiruntur ad obtinendam possessionem servitutis itineris per alienum fundum, quia ejusmodi iter sæpe concedi solet ex gratia.

Observat etiam P. Pichler, quod possessio jurium, quæ inhærent rebus corporalibus, qualia sunt *servitutes*, acquiri valeat non solum per usum, & actus modo prædicto exercitos: verum etiam sine ullo usu per solam introductionem in fundum, in quem te alter inducit cum animo dandi tibi possessionem servitutis, & tu ingrederis cum intentione hanc possessionem capiendi. Hac de causa in Rne ad quæsitum dixi: *Possessio jurium, quæ rebus corporalibus non inhærent.* Rursus servitutis negativæ possessio comparatur per prohibitionem solam, vg. prohibes, ne alter altius tollat suum ædificium: si hic acquiescit prohibitioni tuæ, obtinuisti possessionem servitutis negativæ *altius non tollendi.* Plura de hac re inferius.

Quæres 3. Quomodo possessio iterum amittatur? Est au- 376

tem hic quæstio de amissione totali omnis possessionis, etiam civilis.

R. 1. Possessio rerum corporearum immobilium amittitur sequentibus modis. 1. Si quis relinquit rem animo, & corpore simul. 2. Si solo animo exterius manifestato. 3. Si aliquis rem nescit esse suam, eamque inter bona sua non amplius reputat: quare & oblivione longa perit possessio, cum tunc desit animus possidendi. 4. Si possessor novit, rem esse ab alio occupatam, negligit tamen eam recuperare. 5. Si aliquis longo tempore (quale juxta Schmalzgruber est decennium) a re sua abest, neque ei per se, neque per alium suo nomine insistit, neque protestatur, quod ita absens nolit derelinquere possessionem. 6. Si redux statim quidem repetit rem suam ab occupante: verum ab hoc repulsus, non audet ei resistere: vel timens repulsam, nequidem audet petere possessionem. Ita P. Pichler citatus. Ratio est: quia in his omnibus casibus censetur non amplius adesse animus possidendi, sine quo nulla possessio datur.

R. 2. Possessio rerum incorporearum, vg. jurium, deperditur vel per expressam, vel tacitam voluntatem deserendi possessionem, vel per negligentiam in utendo jure, aut longam absentiam, aut tolerantiam repulsæ: ut iterum loquitur P. Pichler.

R. 3. Possessio rerum corporearum mobilium deperditur 1. per animum non amplius possidendi. 2. per amissionem rei, vg. gemmæ, annuli &c. ita, ut quis non amplius sciat, ubi sit, nec eam amplius in rebus suis habeat: non autem censentur res illæ amissæ, quæ adhuc sunt in ipsius Domini custodia, vg. in ædibus ejus, etsi ignoretur, ubi sint. 3. Per fraudem Depositarii; ut si iste rem depositam loco moveat, & contrectet furandi causa, & ex intentione eam habendi ut suam. 4. Per furtum & rapinam; ut si tibi aliquis, qui sub potestate tua non est, furetur aliquid, tunc rei furto subductæ deperdis possessionem. 5. Per traditionem, etsi rem tuam tradas illi, qui possessionis non est capax, dummodo habeas animum abdicandi a te possessionem. 6. Si fugiat animal non domesticum, quod revertendi consuetudinem non habet, tunc perdis illius possessionem. Ita iterum P. Pichler, & alii, quæ amplius deducta apud Cano-

nonistas videri possunt. Paucula hæc Theologo & necessaria sunt, & sufficiunt, ut præscriptionis materiam, & alia in hoc tractatu occurrentia possit intelligere.

§. II.

An, & quomodo possessio sit necessaria ad præscriptionem?

ASSERO 1. Ad omnem præscriptionem est necessaria aliqua possessio. Communis contra P. Schmier, qui necessitatem, imo & possibilitatem possessionis in præscriptione privativa negat. P. Clarissimi textus ex utroque jure simpliciter requirunt possessionem ad præscriptionem: ergo possessio simpliciter requiritur ad omnem præscriptionem. A. p. L. 25. ff. *de Usurpat. & Usucap.* dicitur: *Sine possessione Usucapio contingere non potest.* ac cap. 3. de R. J. in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit.* Hinc quasi commune axioma, & regula apud Doctores est: *tantum præscribitur, quantum possidetur.* 377

Objic. 1. Saltem in præscriptione negativa, qua acquiritur immunitas ab aliqua obligatione, non est necessaria possessio: ergo ad omnem præscriptionem non est necessaria possessio. A. p. non potest explicari, in quo consistat possessio requisita ad præscriptionem negativam: ergo. R. n. utrumque Antec. Hæc enim possessio negativa consistit in exercitio negativo, seu in non præstatione obligationis, per quam præscribens negative incipit possidere immunitatem ab obligatione: sicut & possessio juris positiva consistit in exercitio positivo juris.

Objic. 2. Impropria possessio non sufficit, nec requiritur ad præscriptionem: sed possessio negativa est impropria possessio: ergo ea non sufficit, nec requiritur ad præscriptionem. M. constat; ideo enim Depositarius, qui rem depositam possidet improprie, non potest eam præscribere. R. D. M. impropria possessio, id est, talis, quæ fit nomine alieno, non sufficit ad præscriptionem. c. M. quæ fit nomine proprio, & tantum est impropria, quia non est positiva *subd.* non sufficit ad præscriptionem positivam c. M. ad præscriptionem negativam, vel privativam n. M. Qua-

lis præscriptio, talis possessio, dummodo ea fiat nomine proprio præscribentis. Accedit, quod etiam *quasi possessio*, seu possessio rerum incorporearum, licet aliquo modo sit impropria possessio, tamen sufficiat ad præscriptionem: ergo a pari idem dicendum est de possessione negativa.

Objic. 3. Leges ad præscriptionem negativam, seu privativam non videntur aliquid aliud, quam certum fluxum temporis requirere, quo evoluto, absque possessione obligationes, quæ negative dicuntur præscribi, evanescunt: ergo in his præscriptionibus non est necessaria possessio. A. potest deduci ex L. 3. & 4. C. *de Præscript.* 30. *vel* 40. *annorum.* & ex aliis. R. N. a. Quamvis in his, vel similibus legibus nihil dicatur de possessione, tamen hoc satis insinuant alia jura, quæ absque restrictione ad omnem præscriptionem requirunt possessionem.

378 Assero 2. Civilis possessio sine naturali sufficit ad præscriptionem. 2. naturalis sine civili non sufficit. Ita Schmalzgrueber, Pichler, ac alii. *Prob.* 1. *pars.* Si civilis sine naturali possessione non sufficeret, nemo fere unquam præscriberet: sequela est falsa: ergo & id, unde sequitur. M. p. ad præscriptionem requiritur possessio continuata per totum tempus præscriptionis: atqui nemo facile continuat per totum tempus possessionem naturalem, nec tanto tempore corporaliter insistit rei alicui, & quasi incubat: ergo nemo facile præscriberet, si requireretur ad præscriptionem possessio naturalis.

Prob. 2. pars. Si per possessionem civilem intelligitur illa, qua detinetur res cum opinione dominii, tunc per se clarum est, quod requiratur talis possessio civilis: ratio hujus est; quia ad præscriptionem requiritur, ut res aliena possideatur bona fide: atqui non possideretur bona fide sine opinione dominii; ergo. Accedit communis sensus Doctorum docentium, quod possessio mere naturalis non sufficiat ad præscriptionem; quomodocunque ea accipiatur, quidquid in contrarium dicat unus Ferdinandus Vasquez. Deinde sæpe potest res aliqua ab uno possideri naturaliter, ab altero civiliter: ergo, si sufficeret etiam possessio naturalis ad præscriptionem, possent duo eamdem rem simul præscri-

scribere, scilicet ille, qui possidet civiliter, & etiam iste, qui possidet naturaliter : atqui duo simul non possunt eamdem rem præscribere, sicut non possunt simul ejusdem rei dominium habere : ergo. Ex his.

Habes: quod eadem res a duobus nequeat præscribi in solidum: quia ea non potest a duobus in solidum possideri.

Objic. 1. Si ad præscriptionem requiritur, & sufficit possessio civilis, tunc leges præscriptionis possent semper eludi; ille enim, contra quem prætenderetur præscriptio, posset semper dicere, se toto tempore, quo alter possedit rem naturaliter, retinuisse animo possessionem civilem : adeoque sibi non nocere præscriptionem alterius, utpote destitutam debita possessione : sequela est absurda : ergo. R. N. M. nam deperdita possessione naturali facillime perditur civilis, ut, si desperatur de recuperanda possessione naturali. 2. Si Dominus ignorat, rem ab altero possessam esse suam, adeoque ejus possessionem recuperare non cogitat. 3. Si vult recuperare, & ab altero repellitur. 4. Etiam per longam absentiam a re sua potest civilis possessio deperdi, ut superius dictum est. Quare non tam frequenter, ut objectio supponit, posset prætendi possessio civilis ab eo, qui semel amisit possessionem naturalem; adeoque nec semper, aut ordinarie eludi posset præscriptio.

Objic. 2. Possessio naturalis est evidens, & corporea: ergo est favorabilior quam civilis, utpote quæ est occulta, & proinde exposita variis dolis. R. N. c. Nam 1. possessio naturalis sæpe est violenta, aut iniqua, ut in furto, vel illo, qui per vim possessionem tenet. 2. Si possessio naturalis semper requireretur, nemo fere unquam posset præscribere, ut dictum est supra : ergo naturalis non est favorabilior, quam civilis.



ARTICULUS IV.

De Titulo.

§. I.

Varia de natura, & divisione tituli.

379 NOTA 1. Titulum justum, seu a jure approbatum, necessario requiri ad præscriptionem: ratio est, quia bona fides ad præscriptionem est requisita: sed bona fides fundatur in titulo: ergo. Est autem titulus ad propositum nil aliud, quam *illa causa, ex qua rem aliquam possidemus*: & alius quidem est *translativus dominii*, seu est causa ex se habilis ad transferendum dominium, ut venditio, donatio &c.; alius vero non est translativus dominii, ut depositio, commodatio, vel locatio alicujus rei. Atque hic secundus titulus non sufficit ad præscriptionem; ad hanc enim exigitur, ut aliquis bona fide possideat rem ut suam, & nomine proprio: atqui si depositarius &c. rem alienam apud se depositam &c. vellet possidere ut suam, non procederet bona fide: ergo. Quare, qui vult præscribere, debet habere titulum translativum dominii.

Nota 2. Titulum translativum dominii alium esse *verum*, seu talem, qui vere aptus est ad transferendum dominium, & qui actu etiam illud transfert. e. g. emis rem aliquam vere, & valide ab illo, qui vere habuit dominium talis rei: & sic vere, ac re ipsa ejusmodi dominium in te transfertur. Hæc emptio est titulus verus. Est autem certum, quod titulus verus nunquam requiratur ad præscriptionem; etenim præscriptio est introducta in hunc finem, ut per eam transferatur dominium, antea nondum acquisitum: atqui si adest titulus verus, tunc non potest per præscriptionem primum transferri dominium; cum hoc jam antecedenter sit translatum per ipsum titulum verum: & sic esset superflua præscriptio. Est igitur & alius, seu *non verus* titulus, qui re ipsa non transfert, nec est causa transferendi dominium. Pro quo

No-

Nota 3. Titulum *non verum* subdividi in *coloratum*, *existimatum*, & *præsumptum*. *Coloratus*, seu *apparens* titulus est, quando quidem præcessit causa translativa dominii, non tamen vere, sed solum apparenter. vg. fuit quidem factus contractus emptionis, sed hic fuit invalidus ex occulto vitio, puta, quia venditor vel non fuit Dominus rei venditæ, aut potestate eam vendendi, & alienandi caruit, aut aliunde ejusmodi emptio fuit invalide celebrata.

Titulus *existimatus*, vel *putatitius* est, quando nec vera, nec apparens causa, vel titulus ad transferendum dominium aptus præcessit, invincibili tamen errore putatur præcessisse. In exemplo: invincibiliter credis, te rem aliquam emisse, cum tamen eam non emeris. Vel: dicit Procurator tuus, se emisse talem rem tuo nomine, quamvis revera non emerit; & res sit aliena, ac minime empta.

Titulus *præsumptus* est, quando ex diuturnitate temporis, vel aliis circumstantiis jura præsumunt aliquem titulum, & causam dominii translativam præcessisse, licet nulla similis causa, nec vera, nec colorata præcesserit.

Alii quidem aliter loquuntur, & dividunt, ac explicant hos titulos; Sic nonnulli titulum, quem nos dicimus *coloratum*, vocant *verum* titulum; intelligunt enim per verum titulum non solum eum, qui est translativus dominii, sed etiam eum, qui est aptus ad præscriptionem: atqui ille titulus, quem nos coloratum dicimus, licet non sit translativus dominii, est tamen aptus ad præscribendum. Item aliqui titulum, quem nos dicimus *non verum*, vocant promiscue *coloratum*, vel *præsumptum*, vel *apparentem*, vel *existimatum*. Verum nostra explicatio est magis recepta inter Theologos, ac communior inter accuratiores Juristas teste Pichlero.

Nota 4. Certum esse, quod ad omnem præscriptionem sufficiat titulus coloratus particularis. Ratio est, quia non potest melior titulus esse, quam coloratus: ergo hic debet sufficere. Dixi: *Titulus coloratus particularis*: qualis autem distinctio sit inter titulum generalem, & particularem, ex dicendis patebit. H. N.

380 Resolvo 1. Titulus existimatus ad præscriptionem ordinariam sufficit, si fundetur in ignorantia facti alieni. Ratio est: ignorantia facti alieni toleratur in jure; juxta L. fin. ff. *Pro suo.* Accedit lex: *Quod vulgo.* 11. ff. *pro emptore.* Quare titulus sufficiens ad præscriptionem ordinariam est, si putes, te rem aliquam possidere tanquam emptam, eo quod servus, Procurator, vel Tutor tuus dixerit, & tibi persuaserit, se rem talem nomine tuo emisse.

Dixi in hac resolutione: *ad præscriptionem ordinariam*, seu illam, quæ tempore ordinario, videlicet triennio, decennio, aut etiam inter absentes viginti annis completur; de præscriptione enim extraordinaria, ad quam etiam sufficit titulus præsumptus, dicta non procedunt.

381 Resolvo 2. Si titulus putatitius fundatur in ignorantia facti proprii, tunc non sufficit, quando justa causa ignorandi, & putandi non habetur, seu quando error, vel erronea opinio non est justa. Antequam ista resolutio probetur, ea declaranda est exemplis. Quare dico, quod error circa proprium factum possit dupliciter contingere: sic 1. potest Petrus aliquam rem alienam possidere tanquam suam ex eo capite, quia est in firma persuasione, hanc rem sibi esse a Jacobo donatam, quamvis nec Jacobus eidem donaverit, neque tradiderit. 2. potest fieri, ut Sempronius erronee sibi & Cajo persuadeat, se eidem Cajo promisisse hunc librum, potestque ex hac ignorantia & errore bona fide liber a Sempronio tanquam debitus tradi, & a Cajo accipi. Jam

Petrus in primo casu non habet talem titulum putatitium, qui sufficiat ad præscriptionem ordinariam, bene Cajus in casu secundo. Ratio est: quia solus error & ignorantia circa factum proprium non toleratur in jure, nec est justa, ac sufficiens ad titulum præscriptionis ordinariæ, nisi accedat ad eam traditio ab altero facta: atqui in primo casu habetur solus error circa factum proprium absque traditione, in secundo autem præter errorem habetur traditio: ergo. In majore duo sunt probanda, quorum *primum* est, quod error & ignorantia circa factum proprium non toleretur universaliter a jure, neque possit fundare titulum

tulum putatitium ſufficientem ad præſcriptionem : *ſecundum* eſt, quod talis error ſit juſtus accedente traditione.

Primum igitur conſtat ex L. *Celſus*. 27. ff. *de Uſurpationibus, & Uſucapionibus*. ubi Celſus ſcribit : *Errare eos, qui exiſtimant, cujus rei quisque bona fide adeptus ſit poſſeſſionem, pro ſuo eum uſucapere poſſe, & nihil referre, an emerit, nec ne, an ei donatum ſit, nec ne, ſi modo emptum, vel donatum ſibi exiſtimaverit, quia neque pro legato, neque pro donato, neque pro dote Uſucapio valet, ſi nulla donatio, nulla dos, nullum legatum ſit.* Accedunt aliæ leges : ut lex 1. in principio. ff. *Pro donato*. & L. 6. ff. *pro derelicto.* quam inferius propriis verbis allegatam vide. Item L. 2. ff. *pro legato*.

Secundum, quod in majore illa probandum eſt, iterum patet ex L. 48. ff. *de Uſurpat. & Uſucap.* quæ lex etiam ſic citari ſolet : *L. penult. ff. pro ſoluto.* quæ ſtatim n. ſeq. formalibus verbis adducetur. Item ex L. 3. ff. *Pro ſuo*. ibi : *Hominem, quem ex ſtipulatione mihi debere falſo exiſtimabas, tradidiſti mihi : ſi ſciviſſem, mihi nihil debere, uſu eum non capiam, quia, ſi neſcio, verius eſt, ut uſucapiam; quia NB. ipſa traditio ex cauſa, quam veram eſſe exiſtimo, ſufficit ad efficiendum, ut id, quod mihi traditum eſt, pro meo poſſideam.* Idem confirmatur ex L. 4. §. 2. ff. *Pro ſuo. Quod legatum non ſit, ab hærede tamen perperam traditum ſit, placet a Legatario uſucapi, quia pro ſuo poſſidet.*

Quamvis hæc reſolutio cæteroquin univerſaliter procedat, patitur tamen aliquam limitationem circa unum titulum emptionis. Quare

Reſolvo 3. Ut tempore ordinario ex titulo emptionis præ- 382
ſcribas rem aliquam, non ſufficit, quod rem talem tibi aliquis tradat, putans, ſe eam tibi vendidiſſe, & tu illam ex ſimili erronea perſuaſione accipias. Ita certa eſt ſententia apud JCtos : & clare habetur in L. 48. ff. *de Uſurp. & Uſucap.* vel rectius L. 3. aut penult. ff. *pro ſoluto*. ibi : *Si exiſtimans debere tibi, tradam, ita demum uſucapio ſequitur, ſi & tu putes, debitum eſſe. Aliud, ſi putem, me ex cauſa venditi teneri, & ideo tradam; hoc enim, niſi actio* (id eſt, contractus venditionis) *præcedat, pro emptore uſucapio locum non habet. Diverſitatis cauſa eſt, quod in*

cœteris causis solutionis (id est, traditionis) *tempus inspicitur: in emptione autem & contractu tempus inspicitur, & quod solvitur, nec potest pro emptore usucapere, qui non emit, nec pro soluto, sicut in cœteris contractibus.*

Ex his habes 1., quod ad præscriptionem ordinariam ex titulo emptionis faciendam non sufficiat error cum traditione.

Habes 2. Quod talis error una cum traditione omnino sit sufficiens ad præscriptiones alias, ex aliis titulis faciendas.

383 Resolvo 4. Dantur aliquæ præscriptiones, in quibus nec titulus coloratus, nec existimatus requiritur, sed sufficit præsumptus. Hæc resolutio etiam sic proponitur: In aliquibus præscriptionibus omnino non requiritur titulus specialis. Communis. Sic regulariter ad præscriptionem extraordinariam 30. vel 40. annorum, quando datur possessio longissimi temporis, non requiritur titulus specialis, sed ex ipso decursu tanti temporis ordinarie præsumitur bonum initium, & titulus, in quo bona fides, & bonum initium fundantur. cap. *ad aures. de Præscript.* & cap. 1. *de Præscript.* in 6. quæ capitula, cum non possint intelligi de præscriptionibus ordinariis, debent accipi de extraordinariis, seu temporis longissimi. Accedunt alia jura, ab aliis passim allegata. Dixi: *regulariter ad præscriptionem extraordinariam &c.*; nam & hic sunt iterum limitationes faciendæ. Igitur.

Excipe 1. casum, quo jus commune *fortiter* resistit præscribenti; hoc enim in casu etiam præscriptio longissimi temporis non currit, nisi assignetur titulus. cap. 1. *de Præscript.* in 6 Verum occasione hujus.

Petes 1. Qualis resistentia juris communis obsit præscriptioni, titulo speciali non munitæ? R. 1. Non obest resistentia juris quæcumque; nam præscribere volenti servitutem in alieno fundo etiam videtur resistere jus, vi cujus omnia prædia libera esse præsumuntur: & tamen ad præscriptionem servitutum titulus, saltem semper, non est necessarius, ut postea dicetur. R. 2. Neque tamen requiritur tanta resistentia, ut jus præscribere vo-

volentem omnino inhabilitet ad possessionem, prout resistit Laico respectu juris decimandi. Sufficit ergo 3., si jus resistit præscriptionem prætendenti positive prohibendo, ne talem rem possideat, atque si simul assistit petitori, seu illi, contra quem præscribitur: sic fit, si Clericus, vel Parochus extraneus in aliena parochia vult præscribere decimas, ubi tali præscriptionem meditanti resistit jus commune, non quidem inhabilitando eum omnino ad possessionem istarum decimarum, sed positive prohibendo talem usurpationem, & possessionem: assistit pariter idem jus commune petitori, seu Parocho, in cujus parochia decimæ existunt, & ad quem de jure communi spectant. Ast iterum

Petes 2. An præscriptio extraordinaria sine titulo speciali saltem tunc currat, quando jus commune quidem resistit præscriptionem prætendenti, non autem assistit Petitori, contra quem præscribitur? Schmalzgrueber Rdet affirmative, pro se allegans Glossam in cap. 1. *de Præscript.* in 6. ℣. *titulum.* Layman, Pyrrhing &c. Rationem dat: Si jus commune non assistit Petitori, tunc neque resistit præscribenti, & Possessori in ordine ad hunc Petitorem, quamvis forte resistat in ordine ad alium Petitorem, quare in pari casu erit potior conditio bonæ fidei possessoris. Addit casum, qui rem declarat: Petrus & Paulus Clerici, ac Parochi litigant inter se de decimis, non in ipsorum, sed aliena parochia existentibus. Has igitur Petrus petit a Paulo: Paulus vero opponit, se eas præscripsisse, possidendo easdem 40. annis: In hoc casu Paulus non tenetur allegare titulum specialem, sed ipsa possessio tanti temporis erit illi pro titulo. Ita resolvit Schmalzgrueber.

A resolutione 4. excipitur 2. casus, quo aliunde præsumptio est malæ fidei contra Possessorem; nam in tali casu quoque non procederet præscriptio extraordinaria sine titulo speciali. Ita clare iterum habetur ex cap. *Episcopum.* 1. *de Præscriptionibus* in 6. Ratio est: quia præsumptio malæ fidei eliminaret præsumptionem justi tituli.

Ab ipsis hisce exceptionibus denuo excipias, nisi sit possessio immemorialis; siquidem in præscriptione immemoriali nul-

lus omnino titulus necessario allegatur, etiamsi jus commune resistat cum prohibitione possessionis, vel aliqua præsumptio in contrarium stet. cap. *Episcopum* cit.

384 Resolvo 5. Ad præscriptionem ordinariam requiritur titulus specialis coloratus, vel existimatus, & non sufficit titulus præsumptus. Communis ex L. *diutina.* 4. C. *de Præscriptione longi temporis.* Ratio est: quia in præscriptione ordinaria non præsumitur titulus; sed debet probari, & allegari. Debet tamen ab hac resolutione fieri aliqua exceptio circa præscriptionem servitutum; de qua agemus Art. 7.

385 Resolvo 6. Præscriptio extraordinaria, imo etiam immemorialis corruit, & nullarum est virium, si detegatur titulus vitiosus, ac de jure insufficiens ad præscriptionem: vg. si innotescat, quod possessio initium habuerit ex titulo locationis, vel depositi. Pichler L. 1. Decret. tit. 26. n. 47. cum pluribus aliis a se citatis. Ratio hujus est: Si constat de titulo vitioso, tunc præsumitur possessio cum illo, & non cum alio inita: atqui, quando constat, possessionem esse initam cum titulo vitioso, & non sufficiente ad præscriptionem, tunc non præscribitur, etiam tempore immemoriali, vel extraordinario: ergo. M. p. nam non præsumitur aliquis ex alio titulo possidere, quam de quo constat. m. per se clara est. 2. Sine bona fide theologica non procedit ulla præscriptio, ut certum est ex cap. fin. *de Præscriptionibus.* atqui bona fides non datur, quando adest titulus vitiosus, & de eo constat; siquidem bona fides innititur titulo justo, & ab hoc desumitur. 3. *Præsumptio cedit veritati:* ergo quando vere constat, titulum fuisse vitiosum, tunc non potest præsumi titulus justus, & sufficiens, consequenter tunc neque currit præscriptio.

Quæ contra hanc resolutionem objici possunt, soluta vide apud P. Pichler cit.

§. II.

§. II.

Enumerantur varii tituli præscriptionis.

Resolvo 1. Titulus præscriptionis unus est *generalis*, alter *specialis*. *Generalis* est, qui cum aliis titulis specialibus semper concurrit, & in iis includitur: *Specialis* est, qui non ita in aliis titulis includitur. Sunt autem duo tituli generales, nimirum titulus *pro suo*, & *pro soluto*: atque hi cum aliis concurrere solent; quicumque enim pro emptore, vel donato rem aliquam possidet, eam etiam pro suo, vel soluto possidet: vel quicumque rem possidet ut emptam, aut donatam, possidet eam etiam ut suam, & sibi solutam, ac traditam; imo tituli generales ortum suum habent ordinarie ex titulis *specialibus*, qui sunt præcipue sequentes, *pro emptore*, *pro hærede*, *pro derelicto*, *pro legato*, *pro donato*, *pro dote*. De his titulis, uti & duobus generalibus agitur in ff. Lib. 41. tit. 4. & seqq., & in C. L. 7. tit. 26. & seqq. 386

Resolvo 2. Ex titulo *pro emptore* usucapit, qui revera emit rem alienam emptione invalida, eo quod istam rem emat ab illo, qui non est Dominus talis rei, creditur tamen bona fide habere ejus dominium, quod etiam procedit, si quis emat aliquam rem a Domino, qui rem venditam alienare non potest, bona fide tamen, & per meram ignorantiam facti alieni creditur posse alienare. Vide dicta N. 360. & N. 380. Debet tamen emptio esse a parte rei facta; nam si tantum crederetur esse facta, non esset titulus sufficiens per dicta num. 380. vel certe debet servus, vel Procurator tuus dixisse, se nomine tuo emisse; quia error facti alieni toleratur iterum per dicta num. 387

Resolvo 3. de titulo *pro hærede* sunt ista notanda. 1. Titulus iste non procedit, quando hæres inter bona hæreditaria possidet quidem optima fide alienam rem, eamque detinet ut suam, quam tamen defunctus, cujus est hæres, detinuit mala fide. Si ergo hæc mala fides etiam post tempus præscriptionis completum detegitur, corruit tota hæc præscriptio. Ratio est: quia hæres succedit in vitia personæ defunctæ, consequenter & ipse hæres censetur esse possessor malæ fidei: atqui possessor malæ fidei 388

fidei non poteſt præſcribere: ergo. Et hoc de jure communi: quid autem ſit de jure Bavarico, ex dictis num. 364. conſtat.

2. Neque hic titulus *pro hærede* locum habet, quando antecesſor defunctus rem bona fide poſſedit ex alio titulo vg. *emptionis*; tunc enim ex eodem titulo, & non ex titulo hæreditatis ſucceſſor, ſeu hæres continuare poteſt, & complere præſcriptionem: adeoque in tali caſu titulus pro hærede foret ſuperfluus & inutilis.

3. Habet ergo locum tunc, quando dubium eſt, an defunctus ex alio titulo, & quidem bona fide poſſederit rem illam alienam; in hoc enim dubio, ſi de mala fide anteceſſoris & teſtatoris non conſtat, poteſt hæres ex titulo pro hærede illam rem præſcribere. Ita Arnoldus Rath tract. de Uſucapionibus c. 3. Aſſert. 23. & ſeqq., cui conſentit P. Engel L. 2. tit. 26. n. 24. Ratio eſt: jura ex una parte ſpecialem titulum aſſignant, ex altera parte non poteſt caſus alius convenientior oſtendi, in quo locum habeat, quam iſte a nobis adductus: ergo. Accedit L. 3. ff. *Pro hærede: Plerique putarunt; ſi hæres ſim, & putem, rem aliquam ex hæreditate eſſe, quæ non ſit, poſſe me uſucapere.*

Neque hic titulus ſemper debet eſſe verus, ſed ſufficit etiam exiſtimatus, ſi quis *juſto errore* pro hærede haberetur, qui tamen ob occultum defectum hæres non eſſet. Quare & talis rem alienam in maſſa hæreditaria titulo exiſtimato pro hærede uſucapere poſſet. Quæ autem requirantur ad juſtum errorem, colligitur ex dictis §. præcedenti: ubi nota, errorem non eſſe juſtum, nec ſufficere ad titulum exiſtimatum pro hærede, ſi quis hæredem ſe putat illius, quem falſo defunctum exiſtimat: ſed requiritur, ut revera defunctus ſit ille, cujus ſe hæredem credit. L. 3. C. *Pro hærede: Opinione falſa mortis pro hærede poſſeſſio rerum abſentis procedere non poteſt.* Ita reſolvit Haunoldus L. 1. de J. & J. t. 5. n. 249.

Atque hic titulus Haunoldo L. c. n. 251. etiam procedere videtur, quando defunctus non nomine ſuo, ſed ex titulo depoſiti rem alienam poſſedit, nunc autem hæres eam accipit, & tenet ſufficiente tempore tanquam bonum hæreditarium, & ſuum

suum. Verum huic assertioni sese merito opponit Clariss. D. Rath: & ego pariter judico, si postmodum certo constet, Antecessorem defunctum possedisse rem ut depositam, tunc eam ab hærede non posse usucapi; quia hic vitium antecessoris certo cognitum transiret in hæredem. Hoc iterum de jure communi.

Laudato loco n. 244. iterum tenet Haunoldus, quod etiam hæredes *sui* ex titulo pro hærede possint usucapere, eoquod ex nullo solido fundamento contrarium possit elici: ubi etiam solvit fundamenta AAriorum. Meretur legi Author citatus, qui in emergentia casus pleniorem notitiam dabit.

Resolvo 4. Titulus *pro donato* sufficiens ad præscriptionem 389
ordinariam tunc datur, quando alicui aliquid donatur ab eo, qui creditur Dominus talis rei, & non est. Et quidem debet res esse actu donata, nec sufficit opinari, illam esse donatam. L. 1. ff. *Pro donato.* ibi: *Pro donato is usucapit, cui donationis causa res tradita est: nec sufficit opinari, sed & donatum esse oportet.* Ubi nihilominus illa observanda sunt, quæ de titulo existimato superius sunt dicta.

Resolvo 5. Titulus *pro derelicto* non habet locum, si is, 390
qui vere est Dominus rei, eam derelinquit, aut derelinquere creditur; nam si talis Dominus revera rem suam derelinquit, tunc alter, qui eam capit, statim dominium illius acquirit, quia res derelictæ fiunt primo occupantis, & sic neque titulo præscriptionis, neque ipsa præscriptione opus est, ad dominium rei vere derelictæ consequendum. Si autem res a parte rei non est derelicta a vero Domino, & tantum putatur ab eo esse derelicta, tunc nunquam currit præscriptio, ut habetur L. *Nemo.* 6. ff. *Pro derelicto*, quæ ita sonat: *Nemo potest pro derelicto usucapere, qui falso existimaverit, rem pro derelicto habitam fuisse.* Adeoque ad usucapionis titulum *pro derelicto* requiritur, ut res non solum falso credatur esse derelicta, sed & actu sit derelicta.

Hujusmodi ergo titulus *pro derelicto* tunc datur, quando aliquis, qui non habuit dominium alicujus rei, sed illam prius tantum bona, vel etiam mala fide possedit ut suam, quando, inquam, talis non Dominus rem illam derelinquit, & alius, pu-

tans, eam revera esse derelictam a Domino vero, illam occupat, ac possidet: ubi habetur derelictio a parte rei, quamvis illa sit invalida. Exemplum habes in donatione; hæc enim si fiat a Domino rei, potente rem suam alienare, & alteri donare, per se transfert dominium: adeoque non opus tunc est præscriptione ad acquirendum dominium talis rei donatæ; si autem falso creditur donatio intervenisse, tunc donatio hæc mere existimata non sufficit ad titulum pro donato. Quare tunc tantum titulus *pro donato* datur, quando aliquid actu quidem donatur: sed a non Domino. Idem cum proportione de titulo *pro derelicto* est dicendum.

391 Resolvo 6. *Pro dote* præscribit, qui rem alienam pro dote accipit. L. *Titulus*. 1. ff. *Pro dote*.. *Pro legato* vero usucapit, qui accipit aliquid tanquam legatum, quod tamen legatum non subsistebat, e. g. quia factum est ab eo, qui legare non poterat, aut contigit circa rem alienam, quæ legantis dominio non suberat &c. debet tamen legatum revera a parte rei fuisse factum, ut de titulo pro donato, & pro derelicto &c. dictum est. Ita expresse habetur L. *Legatum* 1. & L. *Si possideam* 2. ff. *pro legato*.

Hoc etiam speciale est titulo *pro legato*, quod non invenitur in titulo *pro hærede* secundum assertionem supra positam, quod scilicet aliquis possit usucapere illam rem, quam legati nomine traditam bona fide possidet, existimans, legantem mortuum esse, etsi is adhuc vivat. L. 5. & 6. ff. *pro legato*. ibi: *Ea res, quæ legati nomine tradita est, quamvis Dominus ejus vivat, legatorum tamen nomine usucapietur, si is, cui tradita est, mortuum esse existimaverit.*

Enumeratis titulis adduntur alii *ex sententia in judicio lata, ex transactione, permutatione, societate*, qui etiam dicuntur *pro judicato, pro transacto, pro permutato, pro socio*: de quibus consulendi sunt Civilistæ.

392 Resolvo 7. Tituli generales *pro suo*, & *pro soluto* ordinarie non recte allegantur sine suis specialibus, ex quibus ortum habent. Engel, Reiffenstuel, & alii Juristæ communiter. Ratio est

1. quia

1., quia tituli generales ſine ſpecialibus ſunt incerti : 2. Tituli generales ſunt quaſi acceſſorii ſpecialibus : ergo ſublatis titulis ſpecialibus tanquam principalibus , neceſſario quoque tolluntur tituli generales, ceu acceſſorii.

Nihilominus ſunt caſus aliqui , in quibus tituli *pro ſuo*, & *pro ſoluto* ſufficiunt, etſi nullus ex ſupra ſpecificatis titulis adſit, dummodo poſſidens aliunde habeat juſtam cauſam credendi, rem, quam poſſidet, eſſe ſuam. Talis juſta cauſa poteſt deſumi vg. ex modis acquirendi dominium jure Gentium, qui ex ſe ſunt cauſæ aptæ ad transferendum dominium æque, ac emptio, legatum, donatio &c. Quare titulus ad præſcriptionem *pro ſuo* foret 1, ſi aliquis feram alterius cicurem pro ſylveſtri caperet, eoquod crederet , eam adhuc eſſe in naturali libertate. 2. Si quis pecuniam alterius, tantum cuſtodiæ cauſa in terra defoſſam, bona fide tanquam theſaurum apprehenderet. 3. Si quis rem ſuam ab altero præſcriptam , iterum ut ſuam apprehenderet, eoquod fuerit ignarus præſcriptionis alterius. Tali modo etiam ſucceſſor Prælatus jura, & bona ab anteceſſore relicta præſcribere poteſt, ut ait Engel L. 2. Decret. tit. 26. n. 23. Ex his tandem.

Reſolvitur dubium illud , an bonæ fidei inventor poſſit 393
res inventas præſcribere, dum Dominus legitime inquiſitus non comparet ? nam R. ad hoc dubium : quod tamdiu, quamdiu probabilis eſt ſpes, quod Dominus ſit compariturus, non poſſit inchoari præſcriptio, ſaltem ordinaria. Ratio hujus eſt : Si talis vellet præſcribere rem inventam, tunc deberet præſcribere ex titulo *pro derelicto* : atqui ex hoc non poteſt præſcribere : ergo. M. eſt AAriorum. m. p. vel a parte rei Dominus, qui rem illam inventam perdidit, eam vere dereliquit , vel non ita dereliquit, ſed tantum probabiliter putatur eſſe derelicta ? *ſi primum* : tunc talis præſcriptio omnino eſt inutilis, cum per ipſam inventionem , & occupationem rei revera derelictæ acquiratur dominium ejus, ut conſtat ex dictis : ergo non requiretur amplius præſcriptio ad acquirendum hoc dominium. *ſi ſecundum* : tunc non poteſt dari præſcriptio ſaltem ordinaria ; quia ad rem *pro derelicto* uſucapiendam neceſſario , & indiſpenſabiliter a jure

requiritur, ut talis res revera sit, & non tantum putetur, esse derelicta, ut patet ex L. 6. ff. *pro derelicto.*

Dices: Saltem talis res potest usucapi ex titulo inventionis: ergo. R. N. a. nam inventio, nisi sit occupatio rei derelictæ, consequenter nisi concurrat cum titulo *pro derelicto*, non potest esse sufficiens titulus ad transferendum dominium, neque ad usucapiendum.

394 Petes: Quid ergo faciendum inventori, si Dominus sufficienter inquisitus non apparet? R. sub distinctione: Vel enim res, quæ est inventa, est talis, ut possit servari, & quam Dominus etiam prudenter præsumitur velle sibi in individuo servari: vel est talis, quæ non potest conservari, & quam Dominus non præsumitur velle, sibi restitui in individuo, utpote contentus, si eam in æquivalenti recipiat? *si secundum*: tunc non tenetur inventor tamdiu in individuo conservare illam rem, quamdiu affulget spes veniendi in notitiam Domini, sed potest talem rem consumere, hac tamen cum intentione & obligatione, ut Domino postmodum comparenti eadem in æquivalenti compensetur. *Si primum*: tunc debet asservari in individuo, donec omnis probabilis spes, quod Dominus sit compariturus, evanuerit.

Quando autem ex diuturnitate temporis, & aliis circumstantiis moraliter certum videtur esse, quod Dominus non amplius sit rediturus, aut rem suam repetiturus, tunc talis res præsumitur esse omnino derelicta, adeoque censetur fieri inventoris, tanquam primo occupantis. Quid in hoc puncto statuat jus Bavaricum, jam notatum est, agendo de rebus inventis, ubi videatur.

ARTICULUS V.

De Objecto, & subjecto Præscriptionis.

OBjectum præscriptionis est res talis, quæ potest præscribi: per *subjectum activum* intelliguntur illi, qui possunt præscri-

ſcribere, & *ſubjectum paſſivum* ſunt ii, contra quos poteſt dari præſcriptio. Jam ſit

§. I.

De Objecto Præſcriptionis.

Aliquæ res in jure dicuntur non poſſe præſcribi, vel quia 395
circa eas omnino non currit præſcriptio, vel quia ſaltem tempore ordinario non poſſunt præſcribi. Antequam eas enumeremus, notandum eſt, univerſaliter omnes res poſſe uſucapi, niſi earum præſcriptio lege, vel ſpeciali ratione prohibeatur, & invalidetur.

Res autem *vitioſæ*, quæ non poſſunt præſcribi, ſunt ſequentes:

1. Quæ jure divino alicui competunt, ab alio præſcribi nequeunt. Sic jurisdictio, & poteſtas ſummi Pontificis, cum ſit juris divini, a nullo præſcribi poteſt. Item, quæ jure naturali ſunt prohibita, nulla temporis diuturnitate, vel præſcriptione poſſunt fieri licita; ſiquidem diuturnitas temporis non minuit, ſed auget malitiam. cap. *cum haberet. de eo, qui duxit in matrimonium.*

2. A Laicis præſcribi non poſſunt res ſacræ, quales ſunt, quæ per Epiſcopos rite ſunt Deo conſecratæ, & quæ communiter pro ſacris habentur, ut Eccleſiæ, Sacella, Oratoria, Monaſteria, Altaria, Calices, veſtes & ornamenta ſacra, Reliquiæ Sanctorum &c. L. 9. ff. *de Uſurpat. & uſucap.* ibi: *Uſucapionem recipiunt maxime res corporales, exceptis rebus ſacris, ſanctis, publicis populis Romanis, & civitatum, item liberis hominibus.* Item neque jura ſpiritualia a Laicis uſucapi poſſunt, veluti jus decimarum, primitiarum, oblationum, jus eligendi, aut conferendi beneficia Eccleſiaſtica, jus cognoſcendi & judicandi cauſas Clericorum; quia hæc jura a Laicis poſſideri nequeunt, conſequenter neque ab ipſis poſſunt præſcribi, cum præſcriptio ſine poſſeſſione non detur. c. *cauſam.* 7. *de Præſcriptionibus.*

Dixi 1. *A Laicis*; nam a Clericis, qui res & jura fpiritualia poffidere poffunt, eadem etiam valent præfcribi. Dixi 2. *Res facræ*, & *jura fpiritualia*; nam bona Ecclefiaftica, quæ facra non funt, poffunt etiam a Laicis præfcribi, non quidem tempore ordinario, fed extraordinario.

Hic etiam excipi debet *jus Patronatus*, quod, cum Laicis etiam competere poffit, ab iis etiam præfcribi valet: de quo videri poffunt Canoniftæ L. 3. Decret. tit. 39., qui & confulendi funt, fi aliquis fpecialis cafus exurgat de jure decimandi, ac præfcriptione decimarum, feu deinde Clericus, feu Sæcularis velit præfcribere aliquas decimas, quia plura funt notanda, & diftinguenda circa præfcriptionem decimarum.

Id quoque obferva: licet Laici non poffint præfcribere decimas, poffe tamen præfcribere exemptionem a decimis folvendis; nam ad præfcribendam hanc exemptionem in præfcribente non requiritur fpecialis capacitas: neque poteft affignari fpeciale privilegium irritans talem præfcriptionem, fed potius ei favet confuetudo, vi cujus receptum eft, ut de certis fructibus decimæ non folvantur. Videatur Antonius Mayr T. 8. n. 428. ac Layman apud eumdem citatus. Quare dicit Haunold L. 1. t. 5. c. 2. n. 358., quod Laici poffint præfcribere immunitatem a folvendis decimis non folum tempore immemoriali, fed cum titulo etiam 40. annorum fpatio. Et hoc non folum verum eft, juxta laudatum Haunold, refpectu perfonarum particularium, fed etiam integrarum Communitatum, quæ fe eximere poffunt a folvendis decimis, dummodo aliunde Sacerdotes habeant congruam fuftentationem.

3. Nequeunt præfcribi res religiofæ, quales funt fepulchra, & loca, in quæ corpus, offaque hominis illata funt, ut ibi perpetuo maneant. §. 9. Inftit. *de rerum divifione.* Hodie tamen cœmetaria non cujusvis voluntate fiunt, fed authoritate Epifcopi confecrantur. c. 4. *de Religiofis domibus.* Deinde quamvis dominium alicujus fepulchri, vel cœmeterii non poffit præfcribi, poteft tamen jus fepulturæ in aliquo loco acquiri per præfcriptionem. Ita Accurfius apud König.

4. Præ-

4. Præscribi nequeunt *Res sanctæ*, seu illæ, quæ speciali *sanctione*, seu constitutione ab injuria hominum sunt defensæ. §. 10. Instit. *de rer. divis.* Tales sunt muri, & portæ civitatum, quas violare capitale est per §. 10. cit., ac Imperium Romano-Germanicum, quod ideo lingua vernacula dicimus *das heilige Römische Reich*, seu sacrum Imperium Romanum.

5. Præscribi nequeunt res publicis usibus deputatæ, ut forum, via publica, pons, theatrum, scholæ, curiæ, porticus &c., idque verum est, quamvis populus hisce rebus uti desinat; sufficit enim, quod illis uti possit, & ad hunc finem sint destinatæ. L. 9. ff. *de Usurpat. & Usucap.*, quæ superius est allegata: juxta quam etiam liber homo non potest ullo tempore præscribi, ut fiat servus, quamvis possessor bona fide eum emerit, putans esse servum. §. 1. Instit. *de Usucapionibus*. Contra vero servus potest præscribere libertatem contra Dominum, si per 20. annos bona fide, etiam sine titulo libertatis, se gessit pro libero. Hoc specialiter a jure in favorem libertatis est concessum.

6. An Beneficia Ecclesiastica in titulum collata, a Clericis quoque præscribi possint, non ita certum est inter Doctores: Reiffenstuel, ac König cum pluribus aliis a se citatis id negant. Contra P. Antonius Mayr affirmat, dummodo hæc quatuor in præscribente concurrant: 1. fides bona: 2. pacifica possessio beneficii per triennium: 3. titulus coloratus. 4. ingressus non simoniacus, seu ut beneficium non fuerit obtentum per Simoniam, ac denique ut Beneficiatus se non intruserit in beneficium, Sedi Apostolicæ in corpore Juris reservatum. Fundat se laudatus Author in Regula 33. Cancellariæ.

7. Præscribi nequeunt *Res liberæ facultatis*, hoc est, quæ citra obligationem, aut conventionem cujusvis libero arbitrio relinquuntur. Quare communis est regula apud JCtos: *Per actus liberos non inducitur præscriptio.* Sic, qui alicui Hospitali per plurimos annos certam summam pecuniæ donavit, cogi non potest, ut imposterum similiter donet: sic etiam, si 40. vel pluribus annis accessisti ad certum molendinum Pauli, ut ibi frumentum moleres, non potest Paulus prætextu præscriptionis

te impedire, quo minus, si libet, ad aliud molendinum accedas. Recte tamen addit P. Engel, in actibus, & rebus meræ facultatis non procedere præscriptionem, nisi alteri, prohibitionem interponenti, ille, qui meram facultatem habet, cum patientia acquieverit, & tali modo prohibentem in quasi possessione, & se in putativa obligatione constituerit. Potest hæc res obviis exemplis declarari.

8. Non possunt præscribi limites Episcopatuum, & Parochiarum, modo sufficienter, ac certo constet, limites eo usque fuisse præfixos. C. *quia*. 9. *de Præscript.* Idem etiam sentiunt aliqui apud Engel de limitibus, ac finibus Provinciarum, & terrarum, qui publica authoritate constituuntur: idque etiam Hostiensis extendit ad limites Ducatuum, & Comitatuum.

Habet tamen præscriptio locum circa limites, quando hi sunt dubii, ut docet Engl; quia in dubio melior esset conditio possidentis. 2. Potest etiam aliquis illam terram præscribere, ubi limes positus est, dummodo limes maneat in ratione limitandi, ac nihilominus finem Episcopatus, ac Parochiæ designet. Barbosa apud Engl consentientem. 3. Neque impeditur præscriptio Jurium Episcopalium in aliena diœcesi circa particulares Ecclesias, vel præscriptio decimarum in aliena Parochia, si fiat salvis de cætero limitibus. Panormitanus, ac Barbosa apud laudatum Engl Tit. de Præscript. n. 7.

9. Nemo potest *extinctive* præscribere contra obedientiam, visitationem, & procurationem ratione visitationis debitam legitimis suis Superioribus, ita videlicet, ut obtineat absolutam exemptionem respectu omnium Superiorum Ecclesiasticorum. c. 12. & 16. *de Præscript.* absurdum enim est, dari homines Acephalos sine capite, & Superiore. Potest autem *translative* præscribi obedientia &c. scilicet, ut ea debeatur alteri, quam proprio Episcopo, aut Superiori, vg. ut debeatur immediate Summo Pontifici &c. Engl, Reiffenstuel, ac alii apud hunc citati. Advertit etiam recte Reiffenstuel Tit. de Præscript. n. 54. in tali casu non tam subditum præscribere contra obedientiam Prælato debitam, sed potius novum Superiorem, cui se subditus volun-

luntarie subjicit, ejus visitationem admittendo, præscribere contra Superiorem priorem: ubi etiam recte addit, ad hoc, ut aliquis ab Episcopi, vel alterius Superioris inferioris jurisdictione exemptus, & immediate Papæ subjectus censeatur, requiri, quod talis tanquam immediatus subditus tractatus, & habitus fuerit ab Ecclesia Romana: idem dicendum est de alio Prælato, qui translative censetur præscripsisse jurisdictionem in aliquem subditum contra Superiorem priorem; debet enim & iste talem subditum specialiter tractare, & recognoscere tanquam sibi, & non alteri subjectum.

10. Res indivisim communes pluribus ab aliquo sociorum non possunt præscribi, etiamsi longissimo tempore eas detinuerit. Reiffenstuel, Mezger, & alii. Ratio est: quia ejusmodi rem indivisim pluribus sociis communem censetur quis non suo tantum, sed etiam aliorum nomine possidere. L. *Si communem. ff. Quemadmodum servitutes amittantur.* Proinde eam nunquam poterit suo nomine præscribere; cum *sine possessione præscriptio non procedat.* R. 3. J. in 6.

11. Præscribi nequeunt Res pupillorum tempore ætatis pupillaris, etiamsi pupillus habeat Tutorem. Idem dicit Engl de rebus Minnorennium, quas ait, ordinario tempore non posse usucapi, quamvis tempore longissimo præscribantur. An autem, & quomodo Minorenni concedatur restitutio in integrum contra præscriptionem etiam longissimi temporis, bene expendit D. Arnoldus Rath Tit. de Usucap. c. 4. assert. 14. & seqq.

12. Neque præscribi possunt *Res dotales*, quia alienari prohibentur, nisi præscriptio jam fuerit inchoata, antequam talis res fuit facta dotalis, vel in dotem data. L. *si fundum.* 16. ff. *de fundo dotali.* & L. un. C. *de Usucapione pro dote.*

13. Regulariter, quando Res prohibentur alienari, etiam non possunt præscribi. Et hoc absolute verum est, quando ideo prohibentur alienari, quia non sunt in commercio humano, nec earum possessio haberi potest: tales sunt res spirituales, quæ a Laicis, & res publicæ, quæ a privatis possideri nequeunt. Rursus ista assertio procedit, quando in injusta aliena-

natione intervenit error juris, qui non prodest ad Usucapionem secundum dicta superius: in aliis autem casibus, quando non intervenit error juris, & res alienata est in commercio hominum, ejus tamen alienatio est prohibita ex alia causa, vg. ex favore ipsius rei, ut contingit in fundo dotali, feudo, fidei commissis, seu illis rebus, quæ testamento alienari prohibentur: in his inquam, & similibus rebus saltem non potest inchoari præscriptio ordinaria, quando res est actu prohibita alienari, vg. quando est actu data in dotem: possunt tamen præscribi tempore etiam ordinario, si præscriptio jam ante est inchoata, ut proxime est dictum, & habet P. Pichler. An autem res fidei commisso subjectæ non possint præscribi præscriptione extraordinaria, idem est de re dotali &c., videri potest apud Civilistas, & apud P. Pichler n. 89. Deinde, si lex prohibet alienationem non simpliciter, sed tantum, ne fiat sine certa solemnitate, tunc data bona fide, & excluso errore juris procedit præscriptio, dummodo cætera ad præscribendum requisita adsint: ut, si rem acquisivisti a Minore, quem putabas esse Majorem, vel a Prælato Ecclesiæ, putans, Capitulum legitime consensisse, quod tamen non consenserat &c.; tunc enim non intervenit error juris, sed solus error facti. Reiffenstuel cit. num. 48.

14. Non possunt præscribi *Res furtivæ*, vel *per vim*, scilicet ablativam, aut expulsivam *possessæ*, non tantum a fure, qui tanquam malæ fidei possessor de se incapax est præscriptionis, sed neque a quocumque bonæ fidei possessore, qui forte illas a fure, vel etiam a tertio emit, nisi hoc vitium furti aut violentiæ purgatum fuerit. §. 2. & 3. Instit. *de Usucap.* Purgatur autem 1., si tales res denuo reversæ fuerint ad Dominum suum. Sub nomine Domini etiam venit possessor bonæ fidei, seu ille, qui tales res antecedenter bona fide possedit. Revertuntur autem ejusmodi res ad Dominum vel formaliter, & in sua natura, vel æquivalenter per satisfactionem præstitam Domino, vel si fur postmodum hæres fuerit Domini. 2. Purgatur per lapsum 30. annorum: quare res furtivæ præscriptione extraordinaria, seu triginta annorum præscribi possunt. Idem per omnia statutum est de rebus acceptis contra legem Juliam Repetundarum: sunt autem istæ res, quas Magistratus, Assessor, Curator, vel

alius

alius Officialis publicus accipit ex eo fine, ut facerent id, ad quod faciendum alias jam vi muneris ſui erant obligati. L. penult. ff. *de Lege Julia Repetundarum.* An autem neque fructus ex re furtiva bona fide percepti præſcribi poſſint, dubitant Doctores.

Ex quibus apparet, quam raro currat præſcriptio in rebus mobilibus: vel enim alienantur a Domino? & tunc ordinarie valet alienatio, & ſic non opus eſt præſcriptione: vel alienantur a non Domino? & tunc plerumque laborant vitio furti, & ſic non poſſunt præſcribi, etſi per mille manus tranſierint, donec vitium furti uno ex prædictis modis fuerit purgatum.

15. Bona Fiſco jam incorporata non uſucapiuntur tempore ordinario, bene extraordinario. §. 9. Inſtit. *de Uſucap.* L. 4. C. *de Præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum.* Idem eſt de bonis Principis Patrimonialibus, quæ non ſunt bona fiſcalia, ſed res Dominicæ appellantur, & a Principe tanquam privato poſſidentur: hæc etiam longiſſimo tantum, non autem ordinario tempore uſucapiuntur. L. 2. 3. & Rubrica. C. *Ne rei dominicæ* &c., ac L. 3. & 4. C. *de Præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum.* König. Si autem bona fiſcalia nondum ſint Fiſco incorporata, nec ei denunciata, quamvis ei ſint debita, præſcribuntur quadriennio, quando non debentur ex delicto, ſed ob mortem decedentis ſine legitimo hærede. L. 1. C. *de Quadriennii Præſcriptione.* ſi autem debentur ex delicto, vg. ob vectigal non ſolutum, tunc præſcribuntur quinquennio. L. 2. C. *de Vectigalibus.* Ita Reiffenſtuel cit. n. 28.

16. Denique reſervata Principi in ſignum ſupremi dominii, puta, præſtatio tributi, ac hujusmodi, nullius temporis præſcriptione tolluntur. L. *Comperit.* C. *de Præſcriptione* 30. *vel* 40. *annorum.* Reiffenſtuel. Neque poſſunt præſcribi officia publica. *Novell.* 8. c. 7. König.

§. II.

De Subjecto Præscriptionis.

396 ASSERO 1. Præscribere non possunt sequentes: 1. ille, qui non est compos mentis, uti infans, amens; quia tales non possunt apprehendere animo, & intentione rem possidendi ut suam: possunt tamen & isti præscribere, si rem apprehendant per Tutorem, Curatorem &c. item potest ille, qui amens est factus, continuare præscriptionem, si eam ante amentiam jam apprehendit, & possedit ut suam. 2. Neque illi possunt præscribere, qui non sunt capaces dominii, aut juris activi; cum hi per præscriptionem nequeant acquirere dominium, aut jus activum, uti servus, & Religiosus in particulari in ordine ad jura realia, & res temporales. 3. Nequeunt præscribere, qui rem nomine alieno detinent, sicut Pignoratarius, seu Creditor pignus, Depositarius rem depositam detinet.

397 Assero 2. Non potest præscribi contra sequentes: 1. contra illos, qui nullum habent jus activum, ut patet 2.: Qui impedimento juris constricti in judicio agere, & jura sua tueri non possunt. Ita non potest præscribi contra filiumfamilias quoad bona adventitia toto tempore, quo est sub patria potestate. L. 1. §. 2. C. *de annali exceptione.* Sic & contra uxorem stante matrimonio non præscribitur ullo modo quoad bona dotalia, nisi maritus ad incitas redigatur; tunc enim ipsa agere permittetur. Sic etiam contra illum Creditorem, qui ante certum diem, vel ante certam conditionem evenientem prohibetur petere debitum, non potest currere ulla præscriptio, nisi dies ille jam advenerit, vel conditio fuerit impleta.

Dixi: *qui impedimento juris &c.*; contra eos enim currit præscriptio, qui tantum impedimentum facti habent, quo minus in judicio rem suam petant, ut: si tantum impediantur ob absentiam, distantiam loci, inopiam &c. nihilominus & hi restitui possunt contra præscriptionem adversus se completam: de quo alibi.

ARTI-

ARTICULUS VI.

De tempore ad Præscriptionem requisito, ac nonnullis aliis huc facientibus.

NOTA 1. Res alias esse *mobiles*, alias *immobiles* : *Priores* sunt, quæ possunt loco moveri, ut pecunia, vestis, animalia, navis &c. *Posteriores* sunt, quæ loco moveri nequeunt, ut domus, fundus &c. Inter res *mobiles* etiam computantur *jura*, & *actiones ad res mobiles*, vg. actio ad debitum certæ pecuniæ, prout recte advertunt Reiffenstuel in Theol. morali, & Pichler in jure Canonico : sic e contrario *actiones*, & *jura ad bona immobilia*, ad res quoque *immobiles* reducuntur : ad quas etiam referuntur beneficia Ecclesiastica, census, ac redditus, jus Patronatus, ususfructus, servitutes prædiorum, & alia ejusmodi jura; hæc enim omnia (ut loquitur Reiffenstuel) fixa manent, & instar immobilium afferunt fructum suum, & utilitatem &c. 398

Nota 2. Aliud tempus esse breve, aliud longum, aliud longissimum, ac immemoriale. *Tempus breve* sunt pauciores, quam 10. anni, vg. tempus trium, aut quinque annorum. *Longum* sunt 10. anni inter præsentes, & 20. inter absentes. *Longissimum* sunt 30. vel 40. anni, aut omnino plures. *Immemoriale* est, cujus initium hominum existentium excedit memoriam. Igitur.

Præscriptio *immemorialis* tunc datur, quando possessio tamdiu duravit, ut initium ejus hominum memoriam excesserit. cap. *Super quibusdam. de V. signif.* Requiritur autem tunc potissimum, quando præscribens non habet titulum, & jus ei resistit. c. 1. *de Præscript. in 6.* Obtinet hæc præscriptio in Jure maximam authoritatem, & vim privilegii, dummodo prætendens ejusmodi immemorialem Usucapionem sit capax possessionis rei illius, quam vult præscribere. Neque terminis generalibus, quibus alias præscriptio prohiberi solet, comprehenditur : quare tali præscriptioni immemoriali non obest illa clausula : *non obstante præ-*

ſcriptione. Probari ſolet per teſtes, qui affirmant, ſaltem per 40. annos ſe ita vidiſſe, & ſcire eſſe practicatum; & a ſuis Majoribus etiam audiviſſe, ſemper antecedenter ſic eſſe factum, vg. agrum hunc a tali familia eſſe poſſeſſum. Ita P. Engl.

Nota 3. Tempus in præſcriptione rerum computari tantum civiliter, id eſt, de die in diem, non naturaliter de momento in momentum. Quare ſufficit, ſi ultimus dies temporis ad præſcriptionem requiſiti ſit inchoatus, etſi non ſit completus. L. 15. ff. *de diverſis, & temporalibus Præſcript. principio. In Uſucapione ita ſervatur, ut etiamſi minimo momento noviſſimi diei poſſeſſa res ſit, nihilominus repleatur Uſucapio, nec totus dies exigitur ad explendum conſtitutum tempus.* Aliud eſt in præſcriptione actionum perſonalium, & obligationum his reſpondentium, ad quam requiritur, ut ultimus dies ſit completus. L. 6. ff. *de obligationibus, & actionibus.* Videatur Haunoldus p. 1. t. 5. c. 2. n. 267. H. N.

399 Aſſero 1. Res mobiles, etiam pretioſæ, Privatorum cum titulo & bona fide regulariter præſcribuntur triennio: 2. ſine titulo autem requiritur ſpatium triginta annorum. Reiffenſtuel cum Communi.

Prob. 1. pars ex L. un. C. *de Uſucapiane transformanda.* & §. 1. Inſtit. *de Uſucap.* ubi facta mentione de bona fide, & titulo ſubjungitur: *Cautum eſt, ut res quidem mobiles per triennium uſucapiantur.* Conſentit etiam jus Bavaricum. Cod. Maximil. p. 2. c. 4. §. 8. ibi: *Die bewegliche Ding in drey Jahren mit einem Titl* (werden) *verjaret.*

Pars 2. colligitur ex L. 2. & 3. C. *de Præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum;* quæ leges quidem loquuntur de rebus immobilibus: verum ex iis recte ducitur etiam argumentum ad res mobiles privatorum; cum enim de his nihil ſit ſpeciale ſtatutum pro caſu, quo titulus deficit: hinc cenſendæ ſunt pari paſſu procedere cum rebus immobilibus. Ita argumentatur Holzman ex Schmalzgrueber. Adde, quod alias ad præſcribendum ſine titulo ex æquitate naturali majus tempus videatur requiri, quam cum titulo: atqui aliunde conſtat, quod ad præſcriptionem 30. annorum titulus non requiratur.

Dixi

Dixi in conclusione 1. etiam pretiosæ; quia iura universaliter loquuntur, nec excipiunt res pretiosas. Dixi 2. *regulariter*; excipi enim debent res furtivæ, & aliæ, de quibus supra. Dixi 3. res *mobiles*, ita tamen, ut cum re mobili non præscribatur simul jus pignoris, posito, quod res fuerit oppignorata alicui creditori; nam ad præscribendum jus pignoris de jure communi ad minimum requiritur longum tempus, & de jure Bavarico quinque anni inter præsentes, & decennium inter absentes; nam *Landrecht* Tit. 9. art. 6. ita habet: *Wann aber solche fahrende Haab einem andern verpfändt ist, so ersizt der Innhaber Nuz, und Gewehr wider die Verpfändung balder nicht, dann in 5. Jahren gegen den, der im Land ist, und in 10. Jahren gegen den, welcher ist außer Lands.* Hoc quidem statuitur in Jure patrio antiquo, an autem etiam de Jure Maximilianeo moderno id tenendum sit, de quo in illo nihil continetur, dubitari potest. Adducunt tamen annotationes Excellentiss. Dni. de Kreittmayr sanctionem, & ordinationem antiqui juris: an autem hæc ordinatio in suo valore maneat, dijudicent Legistæ, ad quos in simili casu mitti possunt, & debent consilium petentes.

Hoc etiam nota: quando res mobiles non per se præscribuntur; sed per modum accessorii, tunc neque ad earum præscriptionem requiritur triennium, sed quamprimum præscribitur res principalis, censetur etiam res accessoria esse præscripta.

Assero 2. Ad præscribenda bona immobilia Privatorum cum 400
titulo de jure communi requiritur spatium 10. annorum inter præsentes, & 20. annorum inter absentes: sine titulo autem utrobique requiritur, & sufficit tempus 30. annorum. Communis DD. Probationes utriusque partis desumuntur ex §. 1. Instit. de Usucap. & ex LL. pro 2. parte assertionis primæ citatis.

Dixi 1. *De jure communi*; hic enim attendenda sunt statuta particularium Provinciarum, & Regionum, si alicubi sunt contraria juri communi.

Dixi 2. *Inter præsentes &c.* Præsentes autem in proposito dicuntur illi, qui in eadem Provincia commorantur: absentes, qui

qui in diversis Provinciis habitant, sive deinde res, quæ præscribitur, in eadem Provincia sita sit, sive in diversa. Vide Reiffenstuel in Theol. morali T. 7. d. 6. n. 23. & seq. König dicit, respectu Clericorum eamdem Provinciam reputari, & esse præsentes, qui sunt in eodem Archiepiscopatu. Jus Bavaricum novum Cod. Maximil. p. 2. c. 4. §. 8. pro absente habet illum, qui alibi, quam in loco supremæ ditionis Electoris Bavariæ commoratur. Ratio autem, cur plus temporis concedatur, si præscribens, & ille, contra quem præscribitur, non sint præsentes in eadem Provincia, est; quia stante hac absentia ille, contra quem præscribitur, facilius ignorantiam rei suæ ab altero possessæ prætendere, & non tam facile præscribentem ad judicium trahere potest. Pichler etiam vult, absentiam, non ex Persona hic vel ibi versante, sed ex domicilio, vel ex loco, ubi fixit domicilium, dignosci debere. Quando aliquis partim absens, partim præsens fuit, tunc pro uno anno absentiæ semper duo sunt computandi. vg. fuit aliquis præsens octo annis, & duobus absens, tunc ad præscriptionem rei immobilis requiruntur 12. anni; quia loco duorum annorum, quibus absens fuit, debent quatuor numerari.

Dixi 3. in utraque assertione: *bona Privatorum*; nam hic excipiendæ sunt res tam mobiles, quam immobiles Principum, ac fiscales, de quibus Art. præc. §. 1. nec non res Ecclesiasticæ, de quibus Assert. seq., item res immobiles Civitatum, quæ 30. annis usucapiuntur ex Novella 111. cap. un. Imo si hæ Civitates sint status Imperii, tunc juxta P. Pichler n. 65. earum bona immobilia gaudent privilegio præscriptionis 40. annorum.

401 Assero 3. Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam, Monasterium, vel Hospitale, aut alias pias causas, cum vel sine titulo regulariter requiruntur, & sufficiunt 40. anni, excepta Ecclesia Romana, ac nonnullis Monasteriis, & Religiosis Ordinibus, qui speciali privilegio sunt muniti. Communis, ac certa; ita enim deciditur Authent. *quas actiones*. C. *de SS. Ecclesiis*. ac cap. *de quarta*. c. *ad aures*. c. *ad audientiam*. *de Præscriptionibus*.

Dixi

Dixi 1. ad præscribenda bona *immobilia* &c., inter quæ etiam numerantur jura spiritualia vg. eligendi Prælatum Ecclesiasticum: item jus decimandi, ac jus Patronatus, si hæc ultima duo jura spectent ad Ecclesiam, vel Monasterium &c.; si vero conveniant alicui Laico, tunc ad ea præscribenda sufficit probabilius tempus longum, vg. 10. vel 20. annorum. ita P. Pichler. Pariter inter bona immobilia veniunt jura temporalia Ecclesiarum, & Monasteriorum, vg. jus pascendi, ligna cædendi &c.

Dixi 2. *contra Ecclesiam* &c. sub nomine Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum non veniunt Clerici singulares quoad bona profana, & patrimonialia; contra hos enim præscribitur, sicut contra alios Laicos.

Dixi 3. *Regulariter requiruntur*, *& sufficiunt* 40. *anni cum vel sine titulo*; nam limitari debet conclusio in casu, quo præscribenti jus commune resistit juxta dicta n. 383.; tunc enim etiam præscriptio 40. annorum non currit, nisi assignetur titulus: sine hoc autem sola præscriptio immemorialis procedit. Sic 1. jus eligendi Capitulo illud habenti non potest adimi præscriptione privativa, nisi hæc sit 40. annorum cum titulo, vel immemorialis sine titulo; nam jus resistit taliter præscribenti cap. 1. *de Electione*. Aliud est, si præscribens tantum quærat una cum Capitulo interesse electioni. 2 Jus decimandi, competens ex titulo & officio spirituali, ut convenit Parocho; & Monasterio, cui Parochia est incorporata, sine titulo non præscribitur, nisi tempore immemoriali. cap. 2. *de Restitut. spoliatorum* in 6. 3. Sic & jus Patronatus contra Ecclesiam, quæ hoc jure fuit libera, non præscribitur, nisi tempore immemoriali, saltem si non adsit titulus. Vide Tridentinum sess. 25. c. 9. de Reform.

Dixi 4. *Excepta Ecclesia Romana &c.*; nam 1. contra bona Ecclesiæ Romanæ currit solum præscriptio centenaria, vel 100. annorum. c. 13. & 14. *de Præscript.*, & c. 2. *eod. tit.* in 6., in quo ultimo excipitur unicus casus his verbis: *Si post mortem hæreticorum (qui, dum viverent, Catholici putabantur) bona ipsorum a Catholicis eorum filiis, vel nepotibus, aut extraneis quibuscunque spatio 40. annorum fuerint bona fide possessa: sancimus, eos super*

bonis hujusmodi (etiamsi ad Romanam pervenire deberent Ecclesiam (in hoc casu ulterius non esse molestandos. 2. Simili privilegio centenariæ præscriptionis gaudent Monasteria Ordinis Cisterciensis in superiore Germania ex concessione Urbani VIII. & domus Ordinum Mendicantium ex concessione Leonis X. & Pii IV., Arnoldus Rath, Pichler &c. Aliæ autem Ecclesiæ exemptæ hoc privilegium non habent, nisi agatur de jure exemptionis, nam si de hoc agitur, tunc simul agitur de præjudicio Ecclesiæ Romanæ, ut dicit Pichler. 3. Sexagenariæ præscriptionis privilegium accepit Ordo Benedictinus ab Eugenio IV. & Julio II., ut affirmant plures apud Pichler allegati, ut Arnoldus Rath, Haunold, Engel, Lessius.

402 Quæres 1. An res mobiles Ecclesiarum etiam præscribantur triennio, vel an ad earum præscriptionem requirantur 40. anni? R. Hoc esse dubium inter DD. Non pauci cum Pichler dicunt, sufficere possessionem triennalem ad usucapiendas res mobiles Ecclesiarum, saltem illarum, quæ sunt inferiores Ecclesia Romana. Probant 1. suam assertionem ex Auth. *quas actiones. C. de SS. Ecclesiis.* ubi expresse habetur, quod sufficiat præscriptio triennalis respectu rerum mobilium ad Ecclesias spectantium. 2. Jus civile universaliter ait, triennium sufficere ad præscribendas res mobiles, & jus canonicum non facit exceptionem circa res ad Ecclesias pertinentes. 3. Ex æquitate naturali; quia Ecclesia usucapit triennio res mobiles contra alios: ergo & alii contra Ecclesiam.

Verum Engel, Schmier, Reiffenstuel, Holzman putant, res mobiles Ecclesiarum eadem, qua bona eorum immobilia, gaudere præscriptione, scilicet regulariter tali, quæ 40. annis completur, saltem tunc, si tales res mobiles sunt pretiosæ. Ratio est 1., quia ex una parte jus civile, aliquid expresse statuens circa Ecclesias, non habet efficaciam aliquam: ex altera parte jus Canonicum requirit 40. annos ad præscribenda bona Ecclesiis propria, nullam distinctionem faciendo inter bona immobilia & mobilia. 2. Bona mobilia pretiosa Ecclesiarum in jure Canonico videntur æquiparari immobilibus, eo quod etiam res mobiles pretiosæ non possint alienari sine debitis solemnitatibus, sicut

cut & bona immobilia. Adeoque de bonis mobilibus pretioſis Eccleſiarum loquendo, videtur eſſe probabilius, quod ad eadem præſcribenda tantum tempus requiratur, quantum ad immobilia: alia vero, quæ non ſunt pretioſa, videntur triennio uſucapi, ut Reiffenſtuel in Jure Canonico tenet. Et ſic aliquo modo concordari poteſt utraque ſententia.

Quæres 2. Quando præſcriptio dormiat, vel interrumpa- 403
tur? Ante reſponſionem.

Nota 1. Juxta jura, & omnes Juriſtas, ac Th. Th. requiri continuam poſſeſſionem rei illius, quæ præſcribitur. Et quidem hæc poſſeſſio non debet interrumpi unquam toto tempore, quod ad præſcriptionem requiritur; ſi enim talis interruptio fieret, tunc poſſeſſio, per tempus præcedens habita, nihil valeret ad præſcriptionem, ſed deberet de novo inchoari.


Nota 2. Magnum eſſe diſcrimen inter *dormitionem*, & *interruptionem* præſcriptionis; dormit enim tunc, quando ad tempus ſuſpenditur ejus curſus, ita tamen, ut tempus præcedens, & ſubſequens dormitionem computetur, non autem intermedium, quo dormivit, aut ſuſpenſa fuit præſcriptio: interrumpitur tunc, quando ſupervenit tale impedimentum, quod facit, ut totum tempus præcedens nihil valeat ad præſcriptionem. His not.

R. 1. Præſcriptio prius cœpta, qua contra Pupillum deberet aliquid præſcribi, dormit durante ætate pupillari, ita ut contra eum nulla præſcriptio tunc currat: item reſpectu Minorennis durante minorennitate ſuſpenditur ſaltem præſcriptio ordinaria, non autem extraordinaria, L. 3. C. *Quibus non objicitur.* 2. Dormit præſcriptio contra bona adventitia filiifamilias durante patria poteſtate, & contra bona dotalia uxoris vivente Marito: de quibus jam ſupra. 3. Præſcriptio contra Eccleſiam dormit ſede vacante, quando non habet Prælatum, vel quando habet aliquem, qui eſt impeditus agere ob cenſuram, aut captivitatem &c.; quia tunc Eccleſia cenſetur carere legitimo defenſore. 4. Reſpectu omnium dormit præſcriptio tempore peſtis, & belli, quo tribunalia clauduntur;

quia generaliter contra non valentem agere non currit præscriptio.

R. 2. Præscriptio interrumpitur naturaliter, & civiliter. *Naturalis* interruptio datur, quando expost facto deficit unum ex requisitis ad præscriptionem: ut si præscriptioni, & possessioni bona fide, & legitime cœptæ superveniat mala fides. *Civiliter* interrumpitur, quando nullum requisitum a parte rei deficit, juris tamen fictione censetur deficere: sic interrumpitur per litis contestationem, ac per libelli oblationem, aut citationem judicialem. L. 2. & L. fin. C. *de annali exceptione*, extrajudicialis autem denunciatio non statim interrumpit præscriptionem: *tum*, quia a jure talem vim non habet: *tum*, quia non statim bonæ fidei possessor tenetur credere illi, qui dicit, rem hanc ad se pertinere.

Hoc etiam nota, si Actor succubuerit in lite, vel sponte, aut ob pactum aliquod vel transactionem a lite cessarit, aut fraudulenter tantum (prout ex circumstantiis dijudicandum erit) ex animo interrumpendi possessionem & præscriptionem, litem moverit, tunc non interrumpi præscriptionem, & perinde esse, ac si talis lis nunquam fuisset mota. Engel, Reiffenstuel & alii.



ARTICULUS VII.

De Præscriptione actionum, servitutum, debitorum indefinite contractorum, præstationum annuarum.

§. I.

De Præscriptione actionum, ac servitutum.

404 NOTA 1. Actiones reales regulariter extinguuntur præscriptione ejusdem temporis, quo præscribuntur res mobiles, & immobiles, ac jura, in quibus fundantur. Verum quid sentiendum sit de præscriptione actionum seu realium, seu personalium,

nalium, aut quocumque nomine nuncupandarum, ad Theologos, qui tantum fori interni, non autem externi, & contentiosi curam habent, parum pertinet. Qui tamen majorem notitiam desiderat, eam apud Juristas, & Canonistas inveniet.

Nota 2. Hic recolenda esse ea, quæ n. 201. sunt dicta de servitute. Quibus adde, servitutem, vulgo *Grund-Dienstbarkeit* computari inter bona immobilia, ac dividi in realem, & personalem. *Personalis* tantum tres species sub se complectitur, scilicet usumfructum, usum, & habitationem, de quibus omnibus jam supra cit. num. est actum.

Nota 3. Servitutem *realem* aliam esse affirmativam, aliam negativam. *Affirmativa* est jus positivam actionem exercendi in fundo, vel ædificio alterius: ut vg. jus eundi per alterius agrum, ac jus immittendi tignum, vel trabem in domum alterius. *Negativa* est jus inhibendi, ne alter aliquid faciat in suo fundo, vel ædificio, vg. ne alter suas ædes altius tollat, ne luminibus meis officiat, ne fenestram adversus meas ædes faciat &c.

Nota 4. Aliam etiam esse servitutem *urbanam*, *eine Hauß-dienstbarkeit*, & aliam *rusticam*, *Feld-Dienstbarkeit*. utraque jam fuit allegato loco definita secundum acceptionem juris communis Cæsarei, a quo tamen videtur discordare jus Bavaricum. Proinde operæ pretium erit definitiones a statutis Bavaricis traditas propriis terminis allegare. Jam servitutem realem, seu prædialem in genere T. 26. art. 1. ita describit: *Eine Gerechtigkeit, welche jemand hat auf des andern Grund, oder Hauß von wegen seines daran stossenden Grund, oder Hauß.* Art. 2. ita definit servitutem *urbanam*, quod sit illa, *die einer auf des andern Hauß, Stadl, Stallung, oder dergleichen Gebäu hat:* servitus autem *rustica* est, *die einer hat auf den Feld-Grundstücken, als Æckeren, Wisen, Gärten, Holzwachsen, Wasseren, Weyern, Auen, und dergleichen.*

Hinc patet, secundum jus Bavaricum prædium urbanum & rusticum non desumi ex usu urbano, vel rustico, sed ex ipsa natura, & qualitate horum prædiorum; si enim ea sint ædificia aliqua, tunc semper ad prædia urbana spectant: si vero sint

 fundi,

fundi, agri, aut horti &c. inter prædia rustica numerantur. Idem de servitutibus cum proportione intelligendum est.

Nota 5. Aliquas servitutes prædiales esse *continuas*, alias *discontinuas*. *Continuæ* sunt, quæ semel constitutæ actum continuum habent, semperque serviunt prædio dominanti, absque ulteriori facto hominis interveniente: Talis servitus est immissio tigni in alterius parietem; talis trabs semel immissa continuo manet immissa: item aquæductus semel factus per fundum alterius permanet, etsi nullum factum hominis amplius accedat. *Discontinuæ* sunt, quæ semel constitutæ non habent semper actum continuum, eoquod usus talium servitutum consistat in exercitio hominum, quod non semper continuatur, ut iter *ein Fussteig*: actus *Trib*: via *Landstrassen*.

405 Resolvo 1. Servitus personalis, quam alii mixtam vocant, præscribitur cum titulo & bona fide 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes: sine titulo autem annis 30. Reiffenstuel L. 2. Decret. T. 26. n. 157. cum Lessio, Gomez, & aliis. P. L. fin. §. pariter finali. C. *de Præscript. longi temporis*. deciditur, circa usumfructum, & cæteras servitutes quoad præscriptionem idem esse observandum, quod observandum est in præscriptione bonorum immobilium: atqui bona immobilia cum titulo præscribuntur tempore ordinario, seu 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes, ac 30. annis sine titulo: ergo.

406 Resolvo 2. Servitus realis tam affirmativa, quam negativa, tam rustica, quam urbana, continua, vel discontinua cum titulo & bona fide de jure communi præscribitur contra præsentem 10. annis, & 20. contra absentem. Reiffenstuel laudatus n. 158. cum pluribus aliis a se citatis. Probatur hæc assertio ex lege finali mox allegata. Et hoc de jure communi: quid autem de jure Bavarico ulterius requiratur, statim patebit numeris seqq.

407 Resolvo 3. Ad præscriptionem servitutis continuæ etiam sine titulo, interveniente tamen scientia, & potentia adversarii, sufficiunt 10. anni inter præsentes, & 20. inter absentes. Reiffenstuel cit. n. 159. P. ex L. 1. & 2. C. *de Servitutibus, & aqua*.

aqua. ubi expreſſe dicitur, ſervitutem, quæ habet cauſam continuam, ſciente adverſario, nec reclamante, acquiri per longi temporis ſpatium: atqui longi temporis ſpatium ſunt 10. anni inter præſentes, 20. inter abſentes: ergo. Hoc de jure communi. Statuta autem Bavarica, licet non requirant titulum ad præſcribendas longo tempore, ſeu decennio &c. ſervitutes continuas, exigunt tamen præter ſcientiam, ac potentiam adverſarii, ut hæc ſcientia & potentia adverſarii probetur. Tit. cit. Art. 5. quæ probatio de jure communi non requiritur, ut notat Chlingenſperger. Adjungit laudatum jus Bavaricum mox cit. Art. 5.: *Hätte aber jemand ein ſolche Dienſtbarkeit, deren Gebrauch ohne Unterbruch beſchicht, nicht nur* 10., *oder* 20. *ſondern* 40. *Jahr hergebracht, der iſt nicht verbunden zu beweiſen, daß ſein Gegentheil ſolches gewußt, geſtattet, und gedultet.* Quare ſecundum jus Bavaricum in quadragenaria præſcriptione talis probatio ſcientiæ, & potentiæ adverſarii non requiritur. Verum & in hoc ipſo iterum jus Bavaricum a jure communi differt; nam de jure communi videntur 30. anni ſine titulo, & ſcientia ac potentia adverſarii ſufficere ad præſcribendas ejusmodi ſervitutes continuas. L. 3. C. *de præſcriptione* 30. & 40. annorum. Chlingenſperger jam laudatus.

Reſolvo 4. Servitus diſcontinua, ut jus agendi currum,
vel jumentum per fundum alterius, absque titulo ſolum præſcri- 408
bitur tempore immemoriali. Reiffenſtuel cit. n. 160., Chlingenſperger de differentiis inter jus Bavaricum, & Commune Tit. 26. Art. 2., & alii contra alios. Deſumitur ex L. *ſervitutes.* ff. *de ſervitutibus.* & clare habet jus Bavaricum *Landrecht* Tit. 26. Art. 3. Neque ad talem præſcriptionem immemorialem requiritur ſcientia, & potentia adverſarii, ut clare iterum habet cit. jus Bavaricum Art. 5. ubi dicit: *ein ſolche lange Zeit erſezet alles*, ſcilicet titulum, & ſcientiam, ac potentiam adverſarii.

Si autem tempore ordinario aliquis in Bavaria vult præſcribere ſervitutem diſcontinuam, ſequentia obſervare debet: *Es wäre dann, daß einer zu Behauptung einer ſolchen unterbrochenen Dienſtbarkeit ſich auf eine Verjährung von* 10. *oder* 20. *Jahren wollte gründen: in ſolchen Fall muß man nicht allein einen zu der Verjährung tauglichen Titul, ſondern auch, daß der Gegentheil*

theil sein Innhaben, und Gebrauch der Dienstbarkeit gewußt, zugesehen, und geduldet hab, beweisen &c. Landrecht Tit. cit. art. 5.

409 Resolvo 5. Servitutes reales tam discontinuæ, quam continuæ, item servitutes personales extinguuntur per non usum longo tempore, seu 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes. Reiffenstuel, & alii. P. ex L. *Sicut usumfructum* 13. C. *de servitutibus, & aqua.* ubi nostra assertio expresse statuitur de usufructu, ac cæteris servitutibus.

Excipit ab hac assertione Pichler habitationem, quæ est servitus personalis, ob legem 10. in principio. ff. *de usu & habitatione.* dicentem, quod habitatio per *non usum* non amittatur. Verum Reiffenstuel de habitatione pariformiter loquitur, sicut de usufructu, & usu, ac cæteris servitutibus, utique ob legem 10. mox citatam.

Hoc tamen notandum est de servitutibus *realibus*, nimirum, quod eæ, si sint rusticæ, tollantur per merum non actum: si vero urbanæ sint, requiratur, ut dominus prædii servientis bona fide faciat actum possessorium positivum, & per eum possidere incipiat suam libertatem. Sic jus immittendi trabem in alterius parietem non perdis, nisi alter positivam actionem huic juri contrariam exercuerit, e. g. obstruendo foramen, vel ejiciendo trabem bona fide: huic actioni si acquiescis, incipit alter possessionem libertatis ab hac servitute, quam possessionem si 10. annis &c. bona fide continuat, præscribit contra te exemptionem a servitute. Quare tunc etiam tempus 10. vel 20. annorum est computandum a tali actu contrario. Ita desumunt Juristæ ex L. *Hæc autem jura.* 6. §. *item si tigni.* 1. ff. *de servitutibus urbanorum prædiorum.* Aliud est in servitute rustica, ubi sola cessatio, & non usus sufficit ad talem servitutem amittendam. Jus tamen Bavaricum quoad hoc punctum non videtur attendere discrimen inter servitutem urbanam, & rusticam, sed aliud, quod intercedit inter servitutem continuam & discontinuam: ad continuam requirit actionem positivam pro possessione inchoanda, non autem ad discontinuam. Ita Chlingensperger in Tit. 26. & Art. 7. Juris Bavarici, & videtur ipse textus consentire.

Sed

Sed petes, quid dicendum de iis ſervitutibus, quibus ille, qui jus activum ſervitutis habet, non poteſt continuo uti, etſi vellet. v. g. ex pacto, vel alia de cauſa Petrus tantum habet jus, ut certis diebus, aut temporibus eat, vel currum agat per fundum alterius, ita, ut poſt uſum ſervitutis ſemper debeat interponi non uſus, isque quandoque longior, quandoque brevior, per annum, menſem, ſeptimanam &c. durans? Quo tempore talis ſervitus per præſcriptionem exſpirat, an ordinario, vel extraordinario? 410

R. ad hoc quæſitum verbis formalibus juris Bavarici Tit. 26. art. 2. ibi: *Seind es Dienſtbarkeiten, die mit Unterbruch gebraucht werden, ſo iſt wieder ein Unterſchied zu halten: dan eintweders iſt einer befugt, ſolche Dienſtbarkeiten nicht jederzeit, wann es die Gelegenheit, und Nothdurft erforderet, ſondern allein umgewechslet zu gebrauchen, und da ſolche Umwechslung nur auf ein Stund, einen Tag, oder Wochen um die andern beſchicht, ſo wird ſie inner* 10. *zwiſchen denen, die im Land, und* 20. *Jahr zwiſchen denen, ſo auſſer Land, durch Unbrauch verlohren. Hat aber jemand ein Dienſtbarkeit allein ein Monath, oder Jahr um das ander zu gebrauchen, ſo wird zu Verliehrung derſelben doppelte Zeit, nemlich* 20., *und* 40. *Jahr erfordert.* Ita Jus Bavaricum, cui per omnia videtur concordare jus civile. L. *Si ſic conſtituta.* 7. ♥. *Si vero alternis diebus.* ff. *Quemadmodum ſervitus amittatur.*

Non deſunt tamen, qui aliquam diſconvenientiam inter jus Bavaricum, & commune volunt ſtatuere: 1. in hoc, quod interruptio hebdomadalis jam ſit longior, & conſequenter propter eam tempus præſcriptionis duplicandum de jure civili. 2. quod de jure civili in longiore quoque interruptione ſufficiat tempus 20. tantum annorum etiam inter abſentes. Verum, quod hoc alterum attinet, puto, probabilius requiri 40. annos inter abſentes; nam verba legis citatæ ſunt: *duplicato conſtituto tempore amittitur:* atqui tempus alias conſtitutum ſunt 20. anni inter abſentes: ergo. Videantur Hermanus Chlingenſperger, ac Illuſtriſſ. D. L. B. de Schmid in laudatum Tit. & Art. Juris Bavarici.

411 Quæres iterum: An ad præscriptionem servitutis, vel exemptionis a servitute requiratur bona fides theologice talis? R. affirmative; id enim aperte colligitur ex cap. fin. *de Præscriptionibus.* superius allegato. Hinc

Colliges 1. Quando ad præscribendam libertatem a servitute requiritur aliquis actus positivus, non posse talem præscriptionem procedere, nisi bona fide, & sine scientia juris alterius ejusmodi actus ponatur; nam, si scienter contra jus alterius aliquid agerem, vg. trabem ejus ex meo muro ejicerem, peccarem, & sic essem in mala fide.

Colliges 2. Quando ad præscribendam exemptionem a servitute requiritur solus non usus alterius sine actu positivo, potes præscribere cum scientia juris alterius. Sic: etsi scias, quod Petrus habeat jus pecora agendi per tuum fundum, non debes desuper eum monere, si omittat uti hoc jure, sed potes exspectare, donec tempus ad præscribendum necessarium effluxerit, & tunc libertatem ab hac servitute præscribere. Ratio est: quia nemo tenetur alterum monere, ut jure suo utatur, sed potest aliquis sine labe injustitiæ eum permittere in neglectu sui juris, & tandem contra illum præscribere.

Eodem modo intervenit bona fides in præscriptione pœnæ: v. g. si alicujus bona in pœnam non soluti vectigalis sunt addicta fisco, intra quinquennium præscribuntur contra fiscum ex L. 3. C. *de vectigalibus, & commissis*; delinquens enim pergit bona fide possidere rem suam, sciens, se non teneri esse executorem suæ pœnæ, nec ultro debere solvere mulctam a Principe, vel ejus Officialibus neglectam. Ratio horum omnium est: quia nec servitus, nec pœna debetur, nisi exigat is, qui habet jus exigendi: si ergo talis negligat exigere, sibi imputet. Hac ratione possunt plures actiones præscriptione extingui, si Actor neglexerit eas proponere intra tempus a jure præfixum: prout tollitur actio injuriarum lapsu unius anni, si injuriatus eam proponere neglexerit: sicut & privilegium Nundinarum perditur lapsu decennii, quando illud impetrans a Principe, per tantum tempus eo usus non fuit. L. 1. ff. *de Nundinis.*

§. II.

§. II.

An, & quo tempore debita indefinite contracta poſſint præſcribi a debitore ſciente jus alterius?

NOTA 1. Quæri hic, an ille, qui ſcit, ſe debere alteri aliquid, v. g. certam ſummam pecuniæ, quam ab eo mutuo accepit, poſſit non obſtante ſua ſcientia præſcribere contra creditorem, & per præſcriptionem ſe liberare ab onere ſolutionis faciendæ? 412

Nota 2. Quæſtionem eſſe de illis debitis, quorum ſolutio determinato tempore non exigitur; hæc enim ſunt debita *indefinita*, quorum ſcilicet ſolutionis tempus non eſt definitum, vel determinatum; ſi enim certum tempus pro ſolutione eſſet ſtatutum, vel eam creditor legitimo tempore exegiſſet, tunc debitor non ſolvens non eſſet amplius in bona fide, conſequenter non præſcriberet.

Nota 3. Debitum poſſe tripliciter exigi a debitore: 1. per conventionem partium; ſi enim ex pacto, & conventione certa dies ſolutioni eſt deſtinata, tunc hæc ipſa dies interpellat pro creditore, & hujus loco exigit ſolutionem. 2. per juris diſpoſitionem; nam & juris interpellatio æquivalet exactioni, & interpellationi hominis. cap. fin. *de Locato.* Sic jus ipſum in contractu venditionis & emptionis exigit, ut emptor, quamprimum acceperit mercem, reddat pretium, ne ſimul mercem, & pretium retineat. 3. poteſt exigi per ipſum creditorem. Si autem uno ex iſtis modis exigatur debitum, & illud non reddatur, tunc mora debitoris non eſt ſine culpa: cum culpa autem non ſtat bona fides, ad omnem præſcriptionem neceſſaria.

Quare controverſia ſolum agitatur de debito, cujus ſolutionem nec exigit dies certa ex conventione ſtatuta, nec juris conſtitutio, neque ipſe creditor; ſi enim nullo ex his modis exigatur debitum, tunc juxta multos videtur debitor non eſſe in culpa, conſequenter habere poſſeſſionem bonæ fidei, proinde & poſſe præſcribere. H. N.

413 Affero : Talia debita indefinite contracta nequidem præscriptione longissimi temporis, seu 30. annorum, possunt præscribi a debitore sciente jus creditoris. Covarruvias, Rath, Haunoldus, Engel, Schmalzgrueber, Reiffenstuel contra P. Schmier, Pichler, nostrum Holzman, & plures alios ab his, & aliis citatos.

Prob. 1. Qui sciens, rem esse alienam, eam nihilominus possidere incipit, vel continuat, est in mala fide, & non præscribit, ut constat ex cap. ult. *de Præscript.* sæpius jam allegato: ergo etiam, qui scit jus alienum, & illi non satisfacit, est in mala fide, & non præscribit; quia nomine rei etiam venit jus. L. 23. ff. *de V. S.* ibi: *Rei appellatione & causæ, & jura continentur.* Subs. atqui in nostro casu debitor scit jus alienum, & non satisfacit illi per solutionem debiti indefiniti: ergo talis debitor est in mala fide, & non præscribit.

Prob. 2. Vel ejusmodi debitor habuit animum solvendi, vel non habuit? si habuit animum solvendi, tunc non fuit in quasi possessione libertatis a debito, sed creditori suam obligationis activæ possessionem integram reliquit, consequenter non potuit contra creditorem præscribere; cum sine possessione non currat præscriptio. *Reg.* 3. *J. in* 6. Si autem non habuit animum solvendi, tunc non egit ex bona fide; nam ille, qui debitum certum non vult solvere, non est in bona fide: atqui sine bona fide non subsistit præscriptio.

Neque respondeas cum Pichlero, debitorem habere animum solvendi, sed sub conditione, si creditor exegerit: & sic eum esse in bona fide, & quasi possessione suæ libertatis, quæ tollitur tantum per exactionem. Ast contra hanc præcipuam AAriorum responsionem, quæ continuo ab ipsis datur, est: Talis debitor debet habere animum absolutum solvendi, & si hunc non habet, aut tantum sub conditione illa velit solvere, est in mala fide: ergo nulla responsio. A. p. absolute se obligavit ad solvendum, dum tale debitum contraxit. Neque obstat, quod tale debitum sit indefinitum; nam etiam in debito indefinito manet absoluta obligatio solvendi, donec prudenter præsumi possit.

sit, illud esse a Domino remissum: atqui per hoc, quod creditor non exigat, non statim censetur illud esse remissum: ergo.

Confirm. Quamvis creditor non petierit, ipse tamen debitor scivit suam obligationem satisfaciendi, quæ pro creditore interpellat: ergo, etsi creditor non exigat, tamen tenetur præstare solutionem, & quidem absolute, tempore saltem arbitrario, & illo, quo creditor prudenter præsumitur, velle fieri solutionem. Adde, quod morosi tantum, & tergiversantes debitores soleant importunas exactiones exspectare: alii autem prudentiores agnoscunt se obligatos ad satisfaciendum suis creditoribus, etsi nulla ab ipsis fiat exactio.

P. 3. Per se absurdum videtur, quod debitor possit præscribere libertatem a solutione præstanda ex eo, quia creditor ex urbanitate, aut alia rationabili causa tacuit, & non petiit debitum: ergo. Accedit, quod exactio, vel non exactio debiti ex parte creditoris habeat speciem actus meræ facultatis, qui potest, ac solet fieri, & non fieri: atqui per actus meræ facultatis non inducitur præscriptio. Atque hæc ratio videtur tunc omnino procedere, quando ex natura contractus debitori datur dilatio voluntaria ad solvendum, prout contingit in debitis indefinite contractis.

Objic. 1. Textus juris Canonici, bonam fidem in præscriptione exigentes, loquuntur solum de præscriptione rerum, non 414
de præscriptione obligationum, & debitorum. c. ult. *de Præscript.*: ergo ad hoc, ut aliquis præscribat obligationibus & debitis, non requiritur bona fides. R. 1. retorq. Argum. ergo neque requiritur bona fides ad præscribendum obligationibus, & debitis definitis: quod negabunt AArii. R. 2. N. a. Ratio negandi 1. patet ex prima probatione nostræ assertionis. 2. Capitulum istud generaliter derogat omni præscriptioni, quæ sine peccato non potest fieri: atqui etiam præscriptio obligationum, & debitorum, quæ fit mala fide, non potest fieri sine peccato. 3. Per illud capitulum annullatur præscriptio, qua res alienæ possidentur mala fide: atqui, dum debita non solvuntur, saltem æquivalenter possidentur res alienæ, & quidem mala fide, si quis vellet ista omnino non solvere: ergo.

Objic. 2. Servitus rustica potest præscribi ab eo, qui scit, se eam debere, si nempe Dominus ea non utatur: ergo etiam potest debitum præscribi ab eo, qui scit se debitorem, dummodo creditor illud non exigat. R. N. c. & parit. disparitas est: quia servitus tantum debetur sub conditione, si alter, qui habet jus servitutis activum, exigat: ast debitum indefinitum debetur absolute, etsi creditor non exigat. Eadem est responsio, si objiciatur, quod a sciente obligationem suam possit præscribi actioni pœnali, ac pœnis; nam hoc ideo verum est: quia istæ pœnæ tantum debentur, si exigantur, non autem absolute: adeoque ille, qui non solvit, neque vult solvere ejusmodi pœnas ante exactionem, est in bona fide: non vero est in bona fide debitor, qui non vult solvere, nisi exigatur debitum.

Objic. 3. Proprietarius, seu Dominus directus præscribit usumfructum contra usufructuarium, si hic longo tempore non utatur suo jure, seu usufructu, atqui huic præscriptioni in Domino directo non obstat scientia juris alieni, quod habet usufructuarius: ergo idem a pari in nostro casu. Ant. constat ex dictis. R. N. c. & parit. Nam aliquæ obligationes sunt, quæ suapte natura tantum referuntur ad patiendum, vel subeundum aliquod onus, si ab altero petatur, vel exigatur. Sic obligatio respondens servituti rusticæ ordinarie obligat solum ad aliquid patiendum, v. g. ad permittendum transitum, si scilicet petatur. Talis obligatio ex parte Domini directi est, quæ respondet usufructui, & usufructuario; debet enim vi hujus obligationis Dominus directus permittere usumfructuarium colligere fructus, posito, quod velit eos colligere. Hinc, si usufructuarius negligit colligere fructus, tunc culpa ipsius solius est, non autem Domini directi, qui proinde, altero negligente collectionem fructuum, & usum sui juris, bona fide & absque peccato incipit possidere exemptionem a servitute ususfructus.

Aliud est in iis obligationibus, quæ sua natura tendunt ad agendum, vel omittendam actionem: sic obligatio restituendi debitum tendit ad agendum, obligatio autem proveniens ex servitute urbana negativa refertur ad non agendum, ad non ædificandum altius, ad non officiendum luminibus alterius, ad non aperi-

aperiendam fenestram versus hortum alterius &c. Tales autem obligationes nequeunt ullo tempore per præscriptionem extingui ab illo, qui habet scientiam juris alterius, ut recte docet Reiffenstuel Tit. de Præscript. n. 111. Ratio est: quia tales obligationes nequeunt præscriptione deleri, nisi vel omittendo actum debitum, v. g. solutionem debiti, vel exercendo actum oppositum juri alterius: atqui, qui scienter omittit actum debitum, vel facit actum oppositum juri alterius, peccat, & est in mala fide: ergo. Quæ doctrina ad alia multa dubia expedienda est summopere notanda.

Objic. 4. Hæres præscribit Legatum alteri relictum, si Legatarius 30. annis non petat Legatum, non obstante, quod hæres sciat, illud esse relictum alteri: ergo idem a pari in nostro casu. R. N. a. quod difficulter probabit P. Pichler, qui ita argumentatur. Saltem in foro conscientiæ talis hæres adhuc obligatur ad reddendum Legatum illi, cui erat relictum: quidquid sit de foro externo, in quo post 30. annos elapsos, si agere vellet, ejusmodi Legatarius non amplius audiretur, ut ex seq. objectione constabit. Quare

Objic. 5. L. *Sicut.* 3. C. *de Præscript.* 30. *annorum.* dicitur, quod lapsu 30. annorum omnis actio extinguatur: ergo & actio personalis, quam habet creditor adversus debitorem: si autem creditor non habet amplius actionem, tunc neque habebit jus in debitum. R. D. a. actio in se formaliter talis extinguitur, quatenus talis creditor non amplius auditur, si velit post 30. annos agere in foro externo C. a. extinguitur etiam fundamentum hujus actionis, seu debitum in foro interno conscientiæ N. a. Forum externum sæpe non admittit aliquam actionem ad amputandas lites, ubi tamen obligationem in foro conscientiæ relinquit: sic qui læsus est infra dimidium in contractu emptionis, non potest agere in judicio, & foro externo, quamvis interea lædens teneatur adhuc in conscientia resarcire damnum læso.

Idem dic de actione *redhibitoria*, & *quanti minoris*, quibus venditor, rei venditæ vitium sciens, proinde in mala fide existens, præscribit, priori quidem spatio 6. mensium, & alteri

teri lapsu unius anni: imo in Bavaria, saltem secundum jus antiquum, utrique actioni 14. dierum spatio præscribitur. *Landrecht* Tit. 6. Art. 4. Sic & exceptio *non numeratæ pecuniæ* post biennium non potest amplius opponi in judicio. R. enim ad hæc universaliter: in his casibus non proprie præscribitur, sed post lapsum temporis negatur tantum actio in foro externo ad minuendas lites, remanente interea obligatione in conscientia ad resarciendum damnum parti læsæ.

Objic. 6. Talis non solvens debitum, quod non exigitur, non agit contra jus alterius, nec peccat: ergo habet bonam fidem. R. D. a. non peccat, si non habeat animum solvendi, sed velit solutionem penitus subterfugere N. a. si habeat animum solvendi *subd.* tunc non peccat quidem, sed non habet possessionem requisitam ad præscriptionem C. a. habet N. a. Explicatio responsionis patet ex probationibus.

Objic. 7. Creditor non exigens debitum per 30. annos, censetur illud remittere: ergo eo ipso debitor non tenetur illud solvere. R. N. a. universaliter; quia sæpe potest adesse causa non exigendi tale debitum, v. g. urbanitas, metus reverentialis, oblivio &c.; quin propterea censeatur creditor velle tale debitum remittere, maxime si debitum sit magnum; quia ordinarie ab hominibus tam magna debita condonari non solent.

§. III.

An, & quanto tempore præscribi possint, aut extingui præstationes annuæ?

415 NOTA 1. Certum videri, quod jus petendi, exigendi, & accipiendi annuos redditus, census &c. possit præscriptione acquiri; nam si alia jura possint obtineri per præscriptionem, cur non etiam hoc? Unde Pichler judicat, 30. annis tale jus præscribi posse, & Schmalzgrueber ait, hanc esse communem Doctorum sententiam.

Nota 2. Magnam controversiam esse, an etiam hæ præstationes 30. vel 40. annorum præscriptione penitus extinguantur?

tur? v. g. Petrus obligatus ad 100. florenos, ſingulis annis pendendos Paulo, omiſit hanc penſionem præſtare continuis 30. annis, fide bona credens, ſe non eſſe obligatum. Modo quæritur, an præſcripſerit huic obligationi ita, ut neque impoſterum amplius ad talem penſionem teneatur, neque pro annis præcedentibus obligatus ſit ſatisfacere?

Nota 3. Sat graves DDes. eſſe, qui cum Engel contendunt, quod per omiſſionem præſtationum annuarum, per 30. vel 40. annos factam, equidem præſcribatur obligationi, impoſterum tales penſiones præſtandi, & conſequenter hæc obligatio univerſaliter, ac in perpetuum extinguatur: negant autem mordicus, ſic etiam univerſaliter præſcriptum eſſe omnibus præſtationibus, ac penſionibus præteritis, hocce tempore omiſſis. Rationem dant: quia, cum ſingulis annis fuerit ſolvenda aliqua penſio, hinc ex omiſſione talis penſionis cujuslibet naſcitur aliqua diſtincta actio, per diſtinctam & peculiarem præſcriptionem extinguenda. Sic ſi anno 1700. omiſiſti ſolvere penſionem annuam in 10. florenis conſiſtentem, & ſic perexiſti omittere usque ad annum 1740., tunc anno 1730. præſcribis primæ, & unicæ penſioni, quam debuiſſes pendere anno 1700.; præſtationem autem alteram, quam debuiſſes ſolvere anno ſequenti, ſcilicet 1701., præſcriptione primum extinguis anno 1731., & ſic ſucceſſive ſemper ſingulis annis unam penſionem extinguis, a cujuslibet omiſſione 30. annos completos numerando, reliquis autem, a quarum omiſſione necdum 30. completi anni ſunt elapſi, primum annis futuris præſcribere potes. Aliud dicunt eſſe de præſtationibus futuris; nam ſi per 30. vel 40. annos ſecundum dicenda bona fide omiſiſti ſolvere cenſum annuum &c. tunc anno 30. completo præſcribis immunitatem ab obligatione pendendi tales præſtationes; ſublata autem obligatione corruit univerſaliter debitum reſpectu omnium præſtationum. Ita iſti ratiocinantur. Verum contra illos

Aſſero: Hujusmodi annuis debitis, & obligationibus con- 416
tra privatum 30., contra Eccleſias & Monaſteria 40. annorum ceſſatione præſcribitur, ſine ulla diſtinctione inter præſtationes præteritas, & futuras. Ita Haunoldus, Chriſtophorus Chlingenſper-

fperger L. 2. Inftit. de Ufucap. q. 24. Arnoldus Rath, Schmalzgrueber, Pichler, & alii.

Prob. 1. L. *Sicut.* 3. & L. *Omnes.* 4. C. *de Præfcript.* 30. *vel* 40. *annorum,* univerfim ftatuitur, quod tanto tempore extinguatur omnis actio: adeoque & illa, quæ datur ad exactiones annuas.

Prob. 2. ex L. *Eos.* 26. C. *de Ufuris.* ubi deciditur, quod 30. vel 40. annorum præfcriptione tollatur obligatio folvendi ufuras tam præteritas, quam futuras: atqui ufuræ funt præftationes quædam annuæ: ergo. Verba legis funt: *Eos, qui principali actione per exceptionem* (id eft, præfcriptionem) 30. *vel* 40. *annorum five perfonali, five hypothecaria ceciderunt, jubemus, non poffe fuper ufuris, vel fructibus præteriti temporis aliquam movere quæftionem, dicendo ex iisdem temporibus eas velle fibi perfolvi, quæ non ad triginta, vel quadraginta præteritos annos referuntur, afferendo, fingulis annis earum actiones nafci; principali enim actione non fubfiftente, fatis fupervacuum eft, fuper ufuris vel fructibus adhuc judicem cognofcere.*

Prob. 3. ex cap. *de quarta.* 4. *de Præfcriptionibus.* juxta quod Clericus quadragenaria præfcriptione extinguit obligationem, folvendi Epifcopo annuatim quartam partem decimarum, & oblationum funeralium: ergo de jure Canonico quadragenaria præfcriptione extinguuntur annua debita, & quidem tam præterita, quam futura; nam citatum capitulum absque ullo difcrimine inter debita præterita & futura illimitate admittit talem præfcriptionem.

Hæc fententia etiam de jure Bavarico eft recepta Cod. Maximil. p. 2. c. 4. §. 8. ibi: *Ift auch* 2. *in Præfchribirung jährlicher Zinfen, oder Verreichnuffen nicht nöthig, jede derfelben befonders zu verjähren, fondern fie werden alle zufamen in einer Zeit fowohl active, als paffive verjähret.*

417 Objic. 1. L. *Cum notiffimi.* 7. §. ult. C. *de Præfcript.* 30. *vel* 40. *annorum.* fic dicitur: *In iis etiam promiffionibus, vel legatis, vel aliis obligationibus, quæ dationem per fingulos annos, vel menfes, aut aliquod fingulare tempus continent, tempora præfcriptio-*

num

num non ab exordio talis obligationis. sed ab initio cujusque anni vel mensis, vel alterius singularis temporis computari manifestum est. Ex qua lege clare deducitur, præscriptionem respectu omnium talium præstationum non simul & semel inchoari ab exordio, dum prima præstatio omittitur, sed singulas præscriptiones a singulis annis, quibus pensiones omittuntur, inchoari. Quare & quælibet præstatio omissa peculiarem, & sibi propriam præscriptionem exigit juxta explicationem in Notandis datam. Et hæc est præcipua objectio, quæ contra nos potest fieri. Verum

R. Explicando legem: Imperator in hac lege solum statuit, quod præscriptio non incipiat statim ab exordio, quo obligatio per promissionem, vel legatum est constituta, & inchoata: bene autem quovis illo anno, quo primitus intermissa est solutio, & pensio annua. Nec te moveat, quod lex dicat: *tempora præscriptionum*; hoc enim non dicit, quasi singulæ præstationes omissæ singulas exigerent præscriptiones, sed loquitur tantum relate ad præcedentia, ubi pariter in plurali ait: *in iis promissionibus, vel legatis.* Dein in fine addit: *manifestum est*; non autem manifestum est, a singulis annis singulas inchoari præscriptiones: bene vero nostra sententia quoad inchoationem est manifesta.

Objic. 2. Pensiones annuæ sunt obligationes in certum diem, vel sub conditione; quia tantum certo tempore, vel sub conditione temporis evenientis solvi debent: atqui obligationibus in certum diem, vel sub conditione non potest præscribi, nisi dies advenerit, aut conditio fuerit impleta, ut dictum est n. 397. & habetur L. *cum notissimi.* cit. §. 4. ergo harum præstationum præscriptio non potest inchoari ante singulos annos, quibus debent solvi. R. N. M. nam ille, cui debentur præstationes annuæ, habet ad has absolutum, & purum jus, quod parit etiam unam tantum, & absolutam obligationem, quamvis effectus hujus obligationis, seu præstationes sint diversæ, & diversis temporibus pendi debeant. Aliud est de obligationibus in certum diem, vel sub conditione; hæ enim ante illum diem, & adventum obligationis neque quoad actum primum, seu ipsum jus existunt: consequenter non possunt præscriptione extingui; nam quod necdum est, neque extingui potest.

 Objic.

Objic. 3. Anni, quibus hæ præstationes debentur, sunt distincti: ergo & obligationes eas pendendi sunt distinctæ, consequenter & distinctis præscriptionibus tolli debent. R. N. c. nam unum est jus has præstationes exigendi: ergo & una obligatio easdem pendendi, quæ una præscriptione tolli potest.

Objic. 4. Debitor, dum prima vice omittit pensionem annuam præstandam, non possidet immunitatem a præstationibus futuris sequentium annorum: ergo dum prima vice omittit talem pensionem, non potest incipere præscriptionem immunitatis pro sequentibus annis; cum aliquis non possit incipere præscriptionem illius rei, cujus non cepit possessionem. A. p. obligatio pendendi pro annis futuris necdum existit, cum singulis annis incipiat nova obligatio: ergo neque immunitas ab hac obligatione pro futuris annis potest jam hoc præsenti anno existere, & possideri. R. N. a. utrumque; nam obligatio hæc datur simul & semel quoad omnes pensiones annuas, etiam futuras, quamvis hæ non debeant simul pendi. Hinc non singulis annis oritur nova obligatio, aut novum jus tales pensiones exigendi, sed perdurat antiquum: ita quoque tota immunitas quoad omnes pensiones, etiam futuras, possidetur simul, & hæc possessio incipit, quando præscribens bona fide desinit eas solvere, & ita se habet, ac si esset liber ab omni obligatione easdem præstandi secundum dicta superius.

418 Quæres: An præscriptio legitime completa iterum rescindi possit? R. affirmative; rescinditur enim, dum adversus eam restitutio in integrum conceditur. Solet autem concedi 1. Minoribus quadriennio continuo a die, quo Majores facti sunt, id est, ab anno 25. completo usque ad annum 29. completum. L. un. C. *Si adversus Usucapionem.* 2. Ecclesiis, & piis locis integro quadriennio, numerando a die, quo re intellecta integrum fuit restitutionem petere. ca. 1. & 2. *de Præscript. in 6.* 3. ex causa, quæ Judici justa videbitur, restitutio etiam indulgetur Majoribus L. 1. ff. *ex quibus causis major.* qualis causa justa censetur, si legitime constet, aliquem non potuisse præscriptionem interrumpere per litis contestationem ob absentiam causa Reipublicæ, studiorum, vel aliam similem rationem. An vero talis cau-

sa etiam sit ignorantia prioris Domini, dubium est: sententia tamen id negans Juri videtur conformior. Certe, si ignorantia prioris Domini causa foret sufficiens præscriptionis, quilibet contra præscribentem deberet, vel posset restitui in integrum, & sic vix unquam finis præscriptionis obtineretur, neque litium foret finis, prout consideranti liquet.

Hæc omnia de præscriptione vim habeant de Jure communi: quid autem sit de Jure Bavarico, & aliis Statutis particularibus alicubi vigentibus, videatur ibidem, & consulantur Jurisconsulti talium statutorum, & consuetudinum periti.

DISSERTATIO V.

De Justitia, & Injuria.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit justitia, ac quale objectum habeat?

§. I.

Varia notanda de Justitiæ natura, & divisione.

NOTA 1. Justitiam, cujus nomen a justo derivatur, varie posse sumi: 1. pro collectione omnium virtutum, quomodo accipitur Matth. 3. *Decet nos implere omnem justitiam.* 2. pro justitia originali. 3. pro gratia sanctificante, seu pro forma nostræ justificationis, a quo homo justus dicitur, ut patet ex Trident. sess. 6. c. 7. 4. ad propositum autem sumitur pro speciali virtute morali, ac ab Ulpiano L. *Justitia.* ff. *de J. & J.* describitur, quod sit *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* quæ descriptio hunc sensum facit: *Justitia est virtus moralis inclinans ad jus suum cuilibet tribuendum.* 419

Dicitur 1. *Virtus moralis*: tum, quia non est virtus theologica: tum, quia est virtus voluntatis, non autem intellectus. Dicitur 2. *inclinans ad tribuendum cuilibet*, id est, *alteri*; nam justitia est virtus ad alterum: alteri ergo debet tribuere jus passivum, seu debitum, & quidem *legale*, ac stricte tale: per quod differt ab omnibus aliis virtutibus, quæ non inclinant ad jus rigorosum alteri tribuendum. Sic pietas, Religio &c. etsi sint virtutes ad alterum, tamen alteri non tribuunt vere & stricte dictum jus. Tribuitur autem jus vel negative, vel positive, hoc est, vel faciendo, quod oportet facere, vel omittendo, quod oportet omittere, ad servandum illæsum jus alterius. Ex quibus.

Nota 2. Ad veram justitiam requiri sequentes conditiones. 1. requiritur altereitas Personarum non solum physica, sed & moralis; nemo enim justitiam erga seipsum exercere dicitur. Sic qui equitat in equo suo, aut utitur jure suo, exercet quidem actum dominii, non autem justitiæ, neque per hoc est justus positive, sed solum negative, quatenus non est injustus, & nemini facit injuriam. Quare justitia semper tendit in alterum, & reddit alteri, quod illi debetur. Atque hæc altereitas debet etiam esse *moralis*, consistens in altereitate & distinctione jurium; nam (ut recte loquitur Mastrius) alter in ordine ad justitiam exercendam dicitur ille, qui non tantum physice est ab alio quoad personam distinctus, sed qui insuper proprium jus habet, quod cum altero commutare, vel alteri reddere, vel quo per alterum privari potest. Hinc juxta Aristotelem, & communem Th. Th. ac Juristarum sententiam inter Patrem & Filium non potest vera justitia reperiri; quia Pater & Filius reputantur una moraliter persona, eoquod Filius respectu patris non sit sui juris. Quoad hanc altereitatem moralem jam distinguitur justitia ab omnibus fere reliquis virtutibus moralibus.

Requiritur 2. jus, seu debitum legale; est enim duplex debitum: unum *legale*, & stricte tale, ad quod alteri reddendum aliquis vi juris activi proprietatis in altero residentis adstringitur. Dicitur debitum *legale*, quia oritur ex jure activo proprietatis superius descripto, seu ex potestate legitima alterius, quæ in *Legibus* fundatur. Insuper justitia, & jus proprietatis ordinarie exi-

exigit, ut inter redditionem debiti, & jus activum fiat æqualitas, seu ut tantum reddatur, quantum debetur, ita quidem, ut alias non exerceatur actus justitiæ, sed vel alterius virtutis, vel omnino nullius. Sic, si 100. debes Paulo, totidem reddere ei obligaris, secus non observas justitiam; id enim speciale est justitiæ, ut per actus suos virtuosos ponat æqualitatem inter datum & acceptum, inter jus activum & passivum, ut vel ex nomine ejus, quod *æquitatem*, seu *æqualitatem* signat, colligitur. Debitum *morale* est, ad quod alteri reddendum aliquis non tenetur ex vi juris activi stricti, seu proprietatis alterius, sed tantum ex honestate virtutis, & ex decentia morali. Debitum hoc est insufficiens ad virtutem justitiæ, ad quam exigitur debitum legale.

Nota 3. Æqualitatem esse duplicem: *una* est secundum proportionem *arithmeticam*, per quam intelligitur vera æqualitas rei ad rem, v. g. centum ad centum absque ullo respectu ad personas, quæ debent, aut quibus debetur talis res. *Altera* est secundum proportionem *geometricam*, quæ non est perfecta æqualitas, ac datur tunc, quando aliqua bona dispensantur inter plures cum respectu ad merita, ac qualitates eorum, inter quos dispensatur: ut puta, si habenti merita ut duo detur unus florenus, habenti merita ut quatuor assignentur duo floreni. Ubi vides, non adesse perfectam æqualitatem nec inter rem & rem, nec inter rem, & personas; etenim unus, & duo floreni non sunt æquales inter se, neque merita ut duo, & florenus unus inter se adæquantur: habetur tamen æqualitas proportionalis, & geometrica, quæ datur inter duas proportiones; nam sicut unum proportionatur ad duo, sic duo proportionantur ad quatuor; unum enim respectu duorum est dimidium, & duo respectu quatuor aliam dimidiam partem efficiunt. Paucis: ad æqualitatem geometricam requiritur, ut Persona dignior dignius officium, vel bonum majus, Persona minus digna minus dignum officium, aut bonum inferius accipiat, servata semper debita proportione excessum inter, & defectum dignitatis, ac meritorum Personæ.

Nota 4. Plures esse virtutes affines Justitiæ, quæ tamen ab ea in aliquo ex requisitis, Notando 2. enumeratis, deficiunt, & sic solum partes potestativæ justitiæ nuncupantur: non autem

autem sunt partes subjectivæ, vel veræ ejus species. Tales sunt omnes virtutes ad alterum: quarum tamen aliquæ non possunt reddere æquale, ut Religio, pietas erga parentes: aliæ vero in hoc deviant a vera justitia, quia non habent debitum legale, fundatum in jure activo proprietatis alterius, sed vel fundantur in jure activo jurisdictionis, ut obedientia; vel in honestate virtutis & morum, ut gratitudo, veracitas; honestas enim exigit, ut nostris benefactoribus simus grati, & erga alios veraces.

Observa etiam, partes subjectivas justitiæ a plerisque assignari justitiam *commutativam*, *distributivam*, & *legalem*. *Commutativa* juxta nostrum Reiffenstuel est, quæ versatur in commutationibus rerum, pactis, & contractibus &c.; observatur autem, quando fit commutatio rerum secundum æqualitatem, considerando solum valorem rerum sine ullo respectu ad personas contrahentes, seu illæ sint nobiles, seu plebeiæ: ut accidit in venditione, quando res tanto pretio venditur, quanto secundum moralem æstimationem hic & nunc constat: vel quando ille, qui alteri debet mille florenos, eidem totidem reddit: & sic de aliis. Hoc etiam habet justitia commutativa, quod ea intercedat inter personas qua particulares: sic dum Petrus etiam cum Principe, vel Communitate contrahit, Princeps ac Communitas spectantur ut personæ privatæ. Idem est, si homo privatus integræ Communitati, v. g. civitati det mutuo pecunias, tunc ejusmodi Communitas non consideratur ut talis, sed ut pars, & persona privata.

Justitia distributiva residet in Communitate, vi cujus per ipsam Communitatem, vel ejus Administratores bona, ac officia communia dispensantur in membra ejusdem Communitatis juxta cujuslibet membri dignitatem, merita &c. ita, ut digniori officium excellentius, minus digno minus quoque officium committatur.

Differunt autem justitia Commutativa & distributiva 1. quia justitia commutativa respicit jus stricte dictum, non autem distributiva. 2. quia Commutativa attendit primario & per se æqualitatem arithmeticam, distributiva proportionalem & geometricam. 3. quia justitia commutativa membrum Communitatis ad aliud membrum refert, & inter homines tantum qua particula-

res & privatos intercedit: ast distributiva ordinat Communitatem ad membra sua, & ad homines particulares, & intercedit ex una parte inter Communitatem qua talem, & ex altera inter membra sua qua talia.

Justitia tandem *legalis* est, quæ obligat membra Communitati, vi cujus membra adstringuntur, ut ordinent suas actiones, & interdum sua quoque bona in commodum communitatis per observationem legum, præstationem certarum rerum, ut tributorum, obsequiorum &c. Nam, ut Suarez, Gormaz, Antonius Mayr ajunt, vi juris hujus, seu vi justitiæ legalis membra debent Communitati præstare tributa, quamvis ea etiam alio ex jure possint communitati esse debita. Hæc justitia differt a reliquis duabus, quia membra qua talia refert ad communitatem, & ea obligat communitati, quod non faciunt reliquæ duæ species.

An autem hæ tres justitiæ sint veræ partes subjectivæ, seu veræ species, participantes exacte essentiam justitiæ in rigore talis, superius descriptam, sequentibus paragraphis decidetur. Contra hæc notata vero

Objic. 1. Qui defendit suum jus contra alios, est justus, 420
etsi non tribuat alteri jus suum; ergo ad justitiam non requiritur, ut alteri tribuatur jus suum. R. D. a. est justus negative, seu non est injustus C. a. est justus positive N. a.

Objic. 2. Possum ex affectu justitiæ suadere alteri, ut debitum mihi solvat: sed in tali casu habeo actum justitiæ, etsi non tribuam alteri jus suum; etenim per ejusmodi suasionem quæro jus meum, non alterius: ergo justitia non semper tribuit alteri jus, sed & erga seipsum exerceri potest. m. constat; quando enim ex affectu castitatis alicui suadeo castitatem, tunc mea suasio habet honestatem castitatis: ergo & idem a pari in proposito est dicendum. R. D. m. habeo actum justitiæ reductive talem C. m. formaliter talem N. m. Non ideo ego proprie sum humilis, si alteri suadeo humilitatem, vel humilitatem in alio amo: neque ideo ego sum liberalis, si suadeo alteri, ut erga me sit liberalis: ergo neque ideo proprie sum justus, si

tantum fuadeo, ut alter exerceat juftitiam; quamvis aliquo modo reductive ad juftitiam pertineat, velle alios effe juftos, & ad humilitatem, velle alios effe humiles, vel in aliis amare, & procurare humilitatem.

Objic. 3. Erga feipfum poteft aliquis exercere injuftitiam, ut dum homo feipfum occidit: ergo & juftitiam. R. N. a. Talis homo eft injuftus contra Deum, cujus fervum, necat, & fic ejus jus lædit, non autem contra feipfum.

Objic. 4. Juftitia commutativa non femper fervat æqualitatem: ut fi ille, qui multa debita contraxit, non habet amplius, unde omnia folvat. Talis juftitiæ fatisfacit, fi reddat, quantum poteft, quamvis non folvat, quantum debet: ergo. R. D. a. non fervat per accidens ob cafum impotentiæ C. a. non fervat per fe, & ex intentione primaria N. a.

§. II.

De Juftitia commutativa.

421 ASSERO 1. Juftitia commutativa eft vere, & proprie dicta juftitia, ac proinde virtus fpecialis ab omnibus aliis diftincta. Prob. 1. *pars.* Juftitia commutativa obfervat omnes conditiones ad juftitiam rigorofe talem requifitas, ac fuperius enumeratas: ergo eft vera, & rigorofe dicta juftitia. A. conftat; eft enim virtus ad alterum, & fervat perfectam altereitatem non folum phyficam, fed & moralem. Hinc inter Patrem & filium qua tales non folet intercedere; quia inter hos non datur altereitas moralis. 2. refpicit jus proprietatis, ac debitum legale ftricte dictum, reddendum ad æqualitatem.

Prob. etiam 2. *pars.* quod fit virtus fpecialis: quia refpicit fpeciale objectum, quod nulla alia virtus refpicit, id, quod partim patet ex dictis, & colligetur amplius ex dicendis.

422 Affero 2. Objectum materiale proximum juftitiæ commutativæ eft operatio externa, per quam alteri tribuitur jus fuum, &

& ponitur æqualitas inter debitum unius, & jus activum alterius. Herincx, Viva, Holzman &c.

Prob. 1. Illud est objectum materiale proximum cujusvis virtutis, circa quod proxime versatur: atqui justitia commutativa versatur proxime circa operationem externam, per quam tribuitur alteri jus suum, v. g. per quam restituitur res aliena, solvitur debitum &c. ergo ejusmodi operatio externa est proximum objectum materiale justitiæ commutativæ.

Prob. 2. Justitia est habitus practicus: ergo immediate respicit praxin, & operationem externam, ad quam ordinatur. Proinde justitia commutativa tantum remote, & mediate respicit rem, quæ debetur, quæ solvi debet &c. sicut & misericordia mediate tantum respicit rem, v. g. pecuniam, quæ pauperi datur: immediate autem pro objecto habet ipsum actum elargitionis pecuniæ in pauperes.

Objic. 1. Justitia commutativa intendit operationem solum per accidens, quatenus nempe per eam ponitur, ac datur res debita: ergo primario intendit rem ipsam, non autem operationem. R. N. c. Justitia intendit primario illud, in quo relucet honestas objectiva justitiæ: atqui hæc relucet in operatione externa, non autem in ipsa re debita; res enim debita secundum se nec honesta, nec inhonesta est, sed est tantum honesta, quatenus redditur alteri, cui debetur, consequenter honestas objectiva residet in operatione redditionis. 423

Objic. 2. Virtutes theologicæ non habent pro objecto proximo operationem, sed rem, circa quam versantur, v. g. fides pro objecto non habet actus fidei, sed Deum, & res, quæ creduntur: item spes respicit pro objecto materiali bona illa, quæ sperantur: ergo idem dicendum de justitia. R. N. c. & parit. nam 1. Virtutes theologicæ ex natura sua debent in Deum tanquam objectum suum principale, & proximum tendere, non item virtutes morales; nam in hoc virtutes morales a theologicis distinguuntur. 2. Actus virtutum theologicarum sunt media, quibus tenditur, & attingitur objectum materiale earumdem: ergo non possunt esse ipsum objectum. Ast vero actus externi virtutum moralium, præsertim justitiæ, non sunt tale me-

dium, quo attingitur objectum materiale, cum medium hoc sit actus internus, & elicitus justitiæ; hoc enim mediante imperatur, & attingitur actus externus tanquam objectum materiale. Ex his

424 Deduces 1. Actum internum, seu elicitum justitiæ non esse objectum materiale ejus. Ratio est 1., quia objectum virtutis distinqui debet non solum ab habitu, sed etiam ab actu elicito virtutis. 2. quia actus internus, seu volitio reddendi unicuique jus suum, est medium tendendi in objectum: ergo non est ipsum objectum.

Deduces 2. Non esse objectum justitiæ commutativæ jus activum, nec passivum. Ratio est: quia utrumque hoc jus potius præsupponitur ad objectum materiale justitiæ, non autem est id, quod justitia immediate intendit ponere. Patet a simili in misericordia, cujus objectum materiale est actus eleemosynæ, quo sublevat miseriam pauperis, non vero est ipsa miseria, quæ tantum actui misericordiæ, & eleemosynæ præsupponitur: ergo a pari objectum justitiæ est actus, quo redditur jus alteri ad æqualitatem, non autem est ipsum jus, quamvis hoc ad actum justitiæ præsupponatur. Nihilominus

Deduces 3. Jus *activum*, vel potius personam, quæ habet jus activum, & illo quadam ratione informatur, esse saltem objectum *cui*, seu est illud suppositum, cui debitum & jus passivum debet præstare.

Deduces 4. Justitiam non versari circa passiones, sed tantum circa actiones. Communis. Justitia enim per se non moderatur passiones animi, iram, amorem &c. ratio est: quia virtus illa, quæ ex primario suo fine moderatur passiones, reddit hominem duntaxat bonum ad se, non autem ad alterum. Per quod tamen minime nego, quod justitia per accidens, & secundario etiam passiones moderari valeat, v. g. nimiam cupiditatem habendi &c., in quantum nimirum ejusmodi moderamen est necessarium, ne actus justitiæ proprius, v. g. restitutio rei alienæ, impediatur. Id tamen justitia non præstat per se, sed per alias virtutes, quibus ejusmodi moderationem imperat.

Asse-

Assero 3. Objectum formale *quo*, seu motivum justitiæ commutativæ, est honestas æqualis, relucens in illa operatione externa, quæ est objectum materiale justitiæ. Consistit autem hæc honestas æqualitatis in hoc, quod reddatur, vel detur tantum, quantum alteri vi juris activi proprie & rigorose dicti debetur. Herincx, Holzman, & alii. 425

Prob. Motivum formale cujuslibet virtutis moralis est honestas illius rectitudinis, quæ primario respicitur ab aliqua virtute, & hanc specificat: atqui honestas æqualitatis primario respicitur a justitia, hancque specificat: ergo. M. patet in misericordia, & aliis virtutibus moralibus. m. iterum constat; dum enim aliquis ex motivo justitiæ vult restituere, intendit ponere æqualitatem inter suum debitum, & jus activum alterius: & si actus hujus restitutionis hanc æqualitatem posuerit, censetur satisfecisse justitiæ.

Pro objectionibus solvendis nota 1. Aliæ virtutes exigunt interdum æqualitatem qualemcunque, non autem inter jus activum proprietatis unius, & debitum legale alterius. Quare 2. hæc æqualitas primario attenditur inter jus prædictum, & debitum, non autem inter res. 3. Vix videtur possibile, ut quis alteri solvat deliberate debitum, quin intendat hanc æqualitatem ponere, saltem implicite: si autem non intendat etiam implicite hanc æqualitatem, habet solum actum justitiæ materialiter, non autem formaliter talem.

Quæres 1. Qualem æqualitatem justitia commutativa intendat? R. per se, & primario intendit æqualitatem arithmeticam; justitia enim commutativa non attendit ad qualitatem Personarum, saltem primario & per se; principaliter enim respicit jus activum & passivum, & inter hoc utrumque per actum justitiæ quærit ponere æqualitatem, absque ullo respectu ad Personas, & conditionem earum &c. Dixi: *per se, & primario*; concomitanter enim in aliquibus casibus justitia commutativa etiam attendere debet ad proportionem geometricam, quando nimirum in hac ex contractu, vel alia ex causa interdum fundatur jus activum: ut si Petrus suo hæredi relinquat mille florenos, in pauperes studiosos dispensandos juxta horum merita, quæ ha- 426

habent in studiis. In hoc casu debet hæc dispensatio vi justitiæ commutativæ fieri juxta proportionem geometricam, ita, ut magis eminenti in studiis plus, minus excellenti minus detur. Ratio est: quia magis doctus & excellens ex voluntate Testatoris jus acquisivit ad majorem partem pecuniæ &c. Ratio rationis: si in simili casu concomitanter non attenderetur ad proportionem geometricam, neque observari posset æqualitas arithmetica inter jus activum unius, & debitum legale alterius: atqui hæc semper, quantum possibile est, debet in justitia observari, nisi aliqua causa legitima per accidens excuset ab ejus observantia: ergo.

427 Quæres 2. Quale medium observet justitia commutativa? Ante responsionem nota 1. omnem virtutem debere quoddam medium observare. Unde vulgatum illud: *Virtus consistit in medio.* Ex quo patet, quod virtus debeat mediam quasi viam tenere inter duo extrema.

Nota 2. Extrema illa, inter quæ consistit virtus moralis, ordinarie esse vitiosa; sunt enim excessus, & defectus peccaminosus: ut patet in misericordia, quæ mediat inter prodigalitatem, & tenacitatem, quarum prior peccat per excessum, altera per defectum. Nihilominus interdum ambo hæc extrema, inter quæ virtus moralis intercedit, non sunt peccaminosa, ut constat in ipsa virtute justitiæ; si enim debes 100., tunc quidem contra justitiam peccas per defectum, si minus quam 100. das, & restituis: non autem delinquis, si des plus, quam centum; hic enim excessus non est necessario vitiosus, quamvis per eum non exerceas actum justitiæ. Igitur, ut recte advertit Herincx, omnis virtus moralis saltem eatenus habet medium inter duo extrema, quatenus tendit in aliquam determinatam materiam sub certa latitudine, ut saltem, si minus, vel amplius fiat, non exerceatur actus talis virtutis.

Nota 3. Medium virtutis aliud dici *rationis*, aliud *rei*. Medium *rei* dicitur, quod ex ipsa natura rei desumitur, & non taxatur, aut variatur ex diversis conditionibus & circumstantiis, ac dispositionibus personarum operantium. Medium *rationis* est, quod taxatur, & variatur juxta diversas dispositiones, & conditiones personarum operantium. H. N.

R. Regulariter, & per ſe juſtitia commutativa intendit æqualitatem inter jus activum & paſſivum absque reſpectu ad perſonas debitoris & creditoris, an eæ ſint divites, nobiles, vel ignobiles &c., ſed intendit præciſe hanc æqualitatem poni ab omnibus ſine diſcrimine. Aliud eſt de temperantia: ſic quantitas cibi, quæ reſpectu hujus perſonæ eſt medium proportionatum, poteſt reſpectu alterius perſonæ eſſe exceſſus, vel defectus. Et ita de aliis virtutibus moralibus, quæ ſemper ad diſpoſitiones perſonarum, circumſtantiarum &c. attendunt. Non tamen nego, quod concomitanter interdum juſtitia commutativa reſpiciat medium rationis, quando ſcilicet aliunde non poteſt colligere quantitatem juris activi, niſi conſiderentur certæ conditiones, vel qualitates perſonarum, debitoris nempe, & creditoris.

Quæres 3. An juſtitia commutativa ſit virtus una ſpecie 428
atoma, vel an ſit virtus generica, & poſſit in plures ſpecies dividi? R. Probabilius eſt virtus generica, comprehendens ſub ſe plures ſpecies. Sic diverſæ videntur juſtitiæ illæ, quarum una verſatur circa bona corporis & vitæ, altera circa bona famæ, tertia circa bona fortunæ. Maſtrius cum aliis.

Prob. 1. Diverſa ſunt jura, quæ verſantur circa bona vitæ, famæ, & fortunæ: ergo & diverſæ juſtitiæ, quæ verſantur circa hæc jura. 2. Secundum æſtimationem moralem alia formaliter, & ſpecie honeſtas cenſetur ineſſe actui, quo redditur fama proximi, quam illi, quo reſtituuntur bona fortunæ. 3. Læſio proximi in bonis famæ eſt ſpecie diverſa injuſtitia ab illa, qua læditur idem proximus in bonis fortunæ: ergo & juſtitia commutativa, quæ verſatur circa bona famæ, eſt ſpecie diſtincta ab illa, quæ ſe occupat circa bona fortunæ.

Dices: Ergo & furtum, quo aufertur aurum, eſt ſpecie diſtinctum a furto, quo aufertur argentum. R. N. illatum; nam furtum auri a furto argenti ſolum differt materialiter, non autem formaliter, aut in æſtimatione morali, quæ hic præcipue attenditur.

§. III.

De Justitia distributiva, & legali, nec non retributiva.

429 ASSERO 1. Justitia distributiva non est proprie, & univoce, sed tantum analogice justitia. Smising, Herincx, Palao, Suarez, Lugo, Lessius, Illsung &c. Prob. Illa virtus non est justitia proprie dicta, quæ non respicit jus & debitum proprie dictum: sed justitia distributiva non respicit jus, & debitum proprie dictum: ergo justitia distributiva non est justitia proprie dicta. M. est certa; nam a jure specificatur justitia. m. p. Jus enim, quod membra Communitatis secundum proportionem suæ dignitatis habent ad bona Communitati superabundantia, & ad officia publica &c., non est jus rigorose dictum, nec importat debitum proprie tale, sed solam obligationem honestatis, & decentiam: nempe decens, & honestum est, ut bona superabundantia Communitatis in membra distribuantur, & ut in distributione servetur proportio inter bona, & dignitatem personarum.

Confirm. Illud non est rigorosum jus justitiæ, cujus violatio non inducit obligationem ad restitutionem damni alioquin reparabilis: atqui violatio juris, quod respicit justitia distributiva, non inducit obligationem ad restitutionem damni reparabilis: ergo. m. probabitur infra. M. videtur satis clara.

Neque Communitas bona communia non distribuendo secundum majorem, vel minorem dignitatem personarum, acciperet personas; siquidem acceptio personarum non intervenit, ubi alicujus verum & strictum jus non læditur. Etenim acceptio personarum est prælatio personæ unius contra jus vere tale personæ alterius, quæ prælatio importat injuriam: atqui tunc, dum Respublica, & Communitas tota alicui minus merito plus daret de bonis communibus, quam magis merito, non læderetur jus magis meriti, neque fieret ei injuria; cum non habuerit jus proprie & stricte dictum ad majorem partem de bonis communibus: ergo. Plura, quæ huc facere possunt, dicentur inferius, ubi ista res exactius dilucidabitur. De cætero, etsi sola justitia distributiva non obliget ad restitutionem, & non importet jus rigo-

rigoroſe dictum, ſæpe tamen cum diſtributiva ſimul concurrit juſtitia commutativa, quæ exigit reparationem damni, & reſtitutionem.

Ex his patet, juſtitiam commutativam diſtingui ſpecie a diſtributiva; quia juſtitia proprie, & in rigore talis ab impropria diſtingui debet.

Aſſero 2. Juſtitia legalis eſt virtus ſpecialis, ab omnibus 430
reliquis diſtincta. Communior. P. Juſtitia legalis habet honeſtatem diſtinctam ab honeſtate omnium aliarum virtutum: ergo etiam ab omnibus aliis virtutibus diſtinguitur. A. p.; nam nulla alia virtus, nec charitas, nec pietas in patriam, procurat bonum commune ex motivo illius juris, quod Communitas tanquam totum aliquod habet in ſua membra, & in ſuas partes, ex quibus componitur.

Objic. 1. Etiam pietas obligat ad procurandum bonum commune: ergo pietas non diſtinguitur a juſtitia legali. R. D. a. pietas obligat ad procurandum bonum Communitatis, quatenus hæc fuit nobis naſcendi principium, & quatenus talis patria, vel Communitas contulit auxilium ad noſtrum ortum C. a. pietas procurat bonum Communitatis ex motivo hoc, quia aliquis tali Communitati tanquam pars conjungitur N. a.

Objic. 2. Omnes virtutes tendunt in bonum commune: ergo juſtitia legalis eſt complexio omnium virtutum. R. D. a. tendunt in bonum commune materialiter, quatenus a juſtitia legali poſſunt extrinſecus ordinari, & imperari in ordine ad bonum commune, ſicut & omnes virtutes a charitate poſſunt imperari C. a. tendunt in bonum commune formaliter ex motivo proprio, intrinſeco, & immediato N. a.

Objic. 3. Omnes virtutes tendunt in ſuum objectum obſervando omnes circumſtantias ejusdem: atqui inter circumſtantias cujuslibet objecti virtuoſi eſt procuratio boni communis: ergo omnes virtutes tendunt in bonum commune, conſequenter bonum commune non eſt ſpeciale objectum, aut honeſtas juſtitiæ legalis. m. patet; nam leges, quæcumque imperant aliquem actum virtutis, ſemper reſpiciunt bonum commune. R.

D. M. tendunt in ſuum objectum obſervando omnes circumſtantias, poſitive & formaliter intendendo earum honeſtatem n. M. negative, & non formaliter intendendo earum honeſtatem, c. M. Sic quælibet virtus, quando ejus actus eſt præceptus a Superiore, debet etiam ipſum præceptum obſervare materialiter, ponendo nimirum materiam præceptam: non autem neceſſe eſt, ut eam ponat, quia præcepta eſt, ex motivo formali obedientiæ.

Objic. 4. Unum & multa juxta D. Thomam non diſtinguunt virtutem: ergo juſtitia legalis reſpiciens Communitatem, non diſtinguitur a particulari, ſeu commutativa, quæ reſpicit perſonas privatas. R. D. a. niſi illa multa ratione unionis moralis fundent motivum honeſtatis diverſæ C. a. ſecus N. a.

431 I Aſſero 3. Neque juſtitia legalis eſt proprie, & univoce dicta juſtitia. Smiſing, Herincx, & alii. P. 1. Quia ſæpe tantum obligat ex decentia & honeſtate, non autem ex rigoroſa obligatione, quæ peccatum inducat: atqui juſtitia proprie dicta debet rigoroſe, & ſub peccato obligare: ergo.

Prob. 2. Juſtitia legalis non importat jus rigoroſe dictum: ergo non eſt rigoroſe dicta juſtitia. A. p. qui habet jus rigoroſe dictum, ſeu proprietatis, poteſt pro libitu alterum, adverſus quem habet jus, obligare: atqui ſic pro libitu Reſpublica non poteſt obligare vi juris & juſtitiæ legalis: ergo. M. conſtat ex definitione juris proprietatis, quod eſt jus rigoroſe dictum. m. p. nam membra non ideo obligantur ad procurandum bonum commune in neceſſitate, quia Communitas vult; ſed quia aliunde pars naturaliter & irremiſſibiliter adſtringitur ad conſervationem, & indemnitatem totius ob vitam ſocialem tranquille, & honeſte conſervandam. Aliud eſt in jure activo proprietatis, quod obligat ad libitum habentis illud.

Confirm. Violatio juſtitiæ legalis juxta communem DD. non inducit onus reſtitutionis, de quo ſuo loco: atqui violatio juſtitiæ proprie dictæ inducit onus reſtitutionis: ergo.

432 Petes: An juſtitia legalis in Principe exiſtens, ſit ſpecie diſtincta ab illa, quæ exiſtit in ſubditis? R. negative; habet enim

enim idem motivum, scilicet bonum Communitatis procurandum a partibus, & membris ejusdem Communitatis, quale membrum, licet principale, etiam est Princeps. Cæteræ disparitates, quæ possunt afferri, sunt tantum materiales.

Dices 1. Juxta D. Thomam justitia legalis in Principe est architectonice, in subditis ministerialiter: ergo justitia legalis, quæ est in Principe, distinguitur specie ab illa, quæ est in subditis. R. N. c. hæc enim est tantum disparitas materialis, non autem formalis, & moralis, eoquod motivum sit idem in Principe & subdito.

Dices 2. Alia est prudentia, quæ dirigit justitiam legalem in Principe, quam in subdito: ergo etiam alia specie justitia legalis est in Principe, quam Subditis. R. N. c. & parit. nam intendere bonum commune prædicto modo, neque importat speciale motivum, aut specialem, & aliam difficultatem in Principe, quam in subditis. Secus est in prudentia politica Principis & subditorum; nam longe alia dictamina & principia in Principe requiruntur, ad bonum commune debite administrandum, leges condendas &c. quam in subditis, quibus sufficit, si cognoscant, se esse obligatos ad obediendum, quando ipsis aliquid ob bonum commune imponitur. Quare & peculiarem difficultatem habet prudentia Principis, quam non patitur prudentia subditorum.

Quæres: Quid dicendum de justitia *retributiva*? R. 1. Ju- 433
stitia retributiva est illa, qua prœmia retribuuntur bene meritis, & pœnæ infliguntur delinquentibus. Dividitur in duplicem classem: una est *prœmiativa*, dispensans præmia secundum merita, altera est *vindicativa*, plectens scelera.

R. 2. *Prœmiativa* pro motivo habet honestatem, & decentiam, vi cujus congruit, ut bene meritis & virtuosis destinentur convenientia præmia: *altera* autem pro motivo habet honestatem, quæ relucet in hoc, ut delicta non maneant impunita. Nulla ex his est proprie dicta justitia; quia nulla ex parte illius, cui debetur præmium vel pœna, supponit jus activum rigorose dictum. Certe enim delinquens non habet jus activum, vi cujus exigit, ut ipsi imponatur pœna. Utraque igitur hæc

virtus respicit jus & debitum morale, quamvis ambæ aliquam similitudinem cum justitia proprie tali habeant: de quo plura alii. Videatur Reiffenstuel in Theologia morali. Ego huic quæstioni, quæ multum habet de nomine, nolo amplius immorari.

ARTICULUS II.

Inter quos possit intercedere Justitia commutativa?

§. I.

Præmittuntur Notiora.

434 QUÆSTIO hæc etiam sic proponi potest: quænam personæ possint aliis obligari ex justitia commutativa? In hoc autem controversia certum est 1., quod 1. inter Patrem & filium, 1. Dominum, & mancipium, 3. Maritum & uxorem, si hæ personæ spectentur qua tales, scilicet pater qua pater, filius qua filius &c. non intercedat justitia commutativa. Ratio est: quia ad justitiam commutativam requiritur altereitas jurium & personarum: atqui hæc non habetur inter patrem & filium, inter dominum & servum, maritum & uxorem qua tales; siquidem pater & filius reputantur fictione juris unica persona: idem est de uxore & marito, qui sunt duo in carne una &c. neque filius respectu patris, neque mancipium respectu domini, aut uxor respectu mariti est sui juris: ergo. Ex quo

Deduces 1. Neque patrem, neque filium peccare contra justitiam, neque teneri eos ad restitutionem, si deficiant in iis, quæ deberent qua tales præstare. Ratio est: quia talia omittendo solum peccant contra pietatem.

Deduces 2. Patrem non peccare contra justitiam, si filium suum sub patria potestate constitutum non curet, alat, honeste educet, aut instruat: neque filium delinquere contra justitiam, si patri deneget auxilium in necessitate &c. Ratio est: quia ad ista

ista & similia pater & filius qua tales obligantur : atqui inter patrem & filium qua tales nulla potest intercedere obligatio justitiæ, sed tantum pietatis : ergo. Idem cum proportione judicium esto de domino & servo, marito & uxore spectatis qua talibus.

Certum est 2. Inter patrem & filium, maritum & uxorem &c. posse intercedere justitiam commutativam, & injuriam oppositam huic justitiæ, si spectentur non qua tales. Ratio est: quia pater & filius in multis rebus habent jura distincta, & reputantur esse personæ distinctæ: ut si filius habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, & hæc filio contra fas auferantur, vel si filius sit emancipatus. Sic etiam mancipium quoad membra & vitam est sui juris, & non est subjectum Domino. Quare, si occideretur a Domino, ei inferretur injuria. Potest etiam Dominus ex peculiari pacto obligari mancipio ; ubi iterum servus & Dominus reputantur duæ personæ. Idem cum proportione dicendum de marito & uxore.

Ex his patet, quod filii peccent contra justitiam, teneanturque ad restitutionem, dum surripiunt aliquid de bonis paternis. Ita etiam peccare possunt uxores, auferendo bona mariti &c.

His præmissis gravis restat difficultas, an Deus creaturæ, & creatura Deo possit obligari ex rigorosa justitia commutativa? pro qua

Nota 1. Deum habere jus proprietatis absolutissimum in omnes res creatas, & in omnes actiones creaturarum, & hoc dominium & jus nec ex toto, neque ex parte posse a Deo abdicari, sicut neque alia prædicata, & perfectiones Dei simpliciter simplices, qualis est etiam dominium, sunt a Deo abdicabiles, & separabiles.

Nota 2. Omnem creaturam esse essentialiter servam Dei, & subjectam, ac obligatam juri proprietatis, quod Deus in eam habet, quodque circa illam pro libitu in omnem usum sibi possibilem exercere potest citra omnem injuriam creaturæ. Quare Deus nullam injuriam creaturæ infert, si eam destruit, affligit &c, quia Dominus de re sua disponere potest pro libitu citra in-

injuriam alterius. Dixi: Creaturam esse *essentialiter* servam Dei: hinc creatura ab hac obligatione, & subjectione passiva, quam habet erga Deum, nec per divinam omnipotentiam liberari potest. H. S. sit

§. II.

An Deus possit obligari creaturæ ex rigorosa Justitia? vel an possit erga creaturam exercere actum Justitiæ commutativæ?

435 ASSERO, & R. negative. Ita Scotus 4. d. 46. q. 1. §. *ad propositum.* ubi ait: *Prima illarum* (id est, justitia commutativa; de hac enim ibi loquitur) *non potest simpliciter esse in Deo respectu creaturæ: quia non potest esse simpliciter æqualitas, sed potest esse aliqualiter secundum proportionem.* Habet quidem alibi Scotus, quod Deus ex justitia commutativa, & secundum strictam justitiam remuneretur merita de condigno. Verum ibi vult, quod tantum aliqua similitudo inter justitiam commutativam, & istam remunerationem intercedat, quia solvitur illud, quod est debitum *ex promissione* sub conditione operis condigni: quare debet intercedere ratio dati & accepti, & aliqua æqualitas: deficit tamen ex nostra ratione. Cum Scoto sentiunt ex nostris Alensis, D. Bonaventura 4. d. 46. art. 2. q. 1. ad 2. Scot. Smising, Mastrius, Herincx &c. ex RR. vero Lugo, Vasquez, Lessius, Gormaz, Esparza contra Vivam, ac plures alios.

Prob. 1. Si Deus erga creaturam obligaretur ex justitia commutativa, & hanc erga illam exerceret, tunc Deus deberet erga creaturam habere debitum stricte dictum: sed tale debitum Deus erga creaturam non potest habere: ergo Deus erga creaturam non potest exercere justitiam commutativam. M. constat ex dictis; quia justitia ex natura sua ordinatur ad extinguendum, vel adæquandum debitum stricte dictum. m. p. ex Authoritate S. Augustini, qui L. 1. Confess. Deum ita alloquitur: *Reddis debita nulli debens.* & L. 2. de libero arbitrio: *Deus nulli debet aliquid; quid ergo ei erogas, ut tanquam debitum poscas.* S. Anselmus in Prosologio c. 10. *Justus es, non quia reddis debi-*

debitum, sed quia facis, quod decet te summe bonum. S. Bernardus Serm. I. de Annuntiatione. *Neque talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, ut propterea Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.*

Confirm. Si Deus creaturæ obligaretur ex justitia commutativa, tunc creatura deberet adversus Deum habere jus activum stricte dictum, & Deus esset debitor stricte dictus respectu creaturæ: atqui hæc sunt absurda; quia sic creatura quodammodo superioritatem erga ipsum Deum vi juris sui obtineret, & Deus suo modo esset subjectus creaturæ; creditor enim respectu debitoris videtur habere aliquam superioritatem, & debitor est suo modo subjectus creditori. Implicat autem, ut creatura vi juris stricte talis sibi competentis superioritatem erga Deum prætendere possit.

P. 2. efficacissime. Si Deus creaturæ obligaretur ex justitia commutativa, tunc Deus posset aliquid de jure proprietatis abdicare: sed Deus non potest aliquid de jure proprietatis abdicare: ergo. m. videtur certa; quia jus proprietatis illimitatum, & plenissimum in omnes res creatas est Deo essentialiter identificatum, & ab eo neque quoad partem aliquam abdicabile. M. iterum constat; quicumque enim alteri se ex justitia commutativa, v. g. per pactum aut contractum obligat, abdicat se aliquo suo jure, & hoc transfert in alterum, cui se obligat.

Confirm. I. Si creaturæ adversus Deum competeret jus strictum in rem aliquam creatam, v. g. in gloriam æternam, tunc hæc res esset exempta a pleno dominio Dei, ut de ea Deus non posset pro libitu disponere in omnem usum possibilem absque injuria creaturæ: sequela est absurda: ergo. M. patet; si enim Petrus in aliquam rem habet jus proprietatis adversus alios, tunc alii non possunt de hac re disponere sine injuria Petri: sic non possunt absumere vinum, vel panem Petri &c. vel si dicas: quod Deus adhuc sibi reservet jus, & potestatem disponendi de re tali pro suo libitu sine injuria creaturæ, tunc dico, quod creatura non habeat jus strictum adversus Deum, neque Deus ex justitia commutativa obligetur creaturæ. m. vero p. Tali modo creatura non subesset pleno dominio, & juri Dei,

ut-

utpote de qua non posset pro libitu suo disponere citra injuriam creaturæ: quod videtur implicare.

Confirm. 2. Servus qua talis nunquam potest sibi aliquod dominium acquirere, sed quia omnis servus qua talis est quasi peculium, & res domini sui, hinc omnia, quæ acquirit, Domino suo acquirit: ergo a pari, quia creatura semper & essentialiter est serva, & peculium, ac res Dei, quidquid acquirit juris, accrescit ipsi Deo: adeoque si Deus tribueret jus creaturæ, hoc ipsum jus propriissime ad Deum spectaret, qui proinde de tali jure creaturæ pro libitu posset disponere, & sic creatura nullum jus strictum adversus Deum haberet, sicut servus qua servus non habet jus strictum adversus dominum.

Dices: Potest Dominus quandoque ex pacto se obligare suo mancipio ad certum præmium præstandum, si hoc vel illud fecerit: ergo etiam Deus ex pacto, consequenter ex justitia commutativa potest se obligare creaturæ ad dandam gloriam æternam, si creatura certa merita posuerit. R. N. c. & parit. Nam dominium Deo est essentiale, quod habet in creaturas, ita quidem, ut illud neque quoad partem possit abdicare: ast dominium, quod homo habet in mancipium, non est ipsi essentiale; hinc potest hoc vel totum, vel quoad partem pro libitu suo abdicare. Plura, quæ pro confirmatione hujus assertionis faciunt, ex solutione objectionum colligentur. Quare

436 Objic. 1. S. Scriptura, & SS. PP. sæpissime Deo tribuunt justitiam, ut 2. ad Timoth. 4. Deus dicitur *justus Judex*: ergo Deo competit justitia. R. D. a. tribuunt Deo justitiam in sensu largiori C. a. justitiam commutativam in rigore talem N. a. Justitia in his textibus sumitur pro *fidelitate*, quatenus Deus homini reddit *fideliter* tantum, quantum ei promisit, absque omni tamen jure, quod creatura haberet adversus Deum. Hinc nota, magnam esse disparitatem inter obligationem justitiæ commutativæ, & fidelitatis; si enim Deus titulo justitiæ commutativæ est obligatus ad dandam e. g. mercedem creaturæ, tunc creatura habet jus strictum adversus Deum, & Deus stricte esset debitor creaturæ: proinde & Deus deberet aliquid de suo jure

jure dimittere, & illud dare creaturæ. Ex quo ulterius sequitur, quod Deus creaturæ possit facere injuriam, non reddendo mercedem debitam. Aliud est, si obligatio dandi mercedem proveniat ex fidelitate, aut veritate &c; tunc enim nullum jus ex parte creaturæ resultat, nec fit ei injuria, si merces promissa ex fidelitate non solvatur. Quare tota obligatio reddendi mercedem, orta ex fidelitate, vel veritate, aut alia simili virtute, se tenet ex parte promittentis, qui ideo adstringitur ad observandum promissum, ne alias non observando incurrat maculam, & inhonestatem infidelitatis, mutabilitatis, falsitatis &c. Unde D. Thomas 1. 2. q. 114. Art. 1. ad objectas authoritates recte respondet, Deum non esse simpliciter debitorem nobis, sed sibi ipsi, in quantum conveniens est, ut sua ordinatio, & promissio, quam nobis de danda mercede fecit, adimpleatur.

Dices: Verba S. Scripturæ, & SS. PP. debent sumi in sensu proprio, nisi quid obstet: atqui, si per justitiam intelligeretur fidelitas, verba Scripturæ non sumerentur in sensu proprio: ergo. R. 1. N. m. Nam (ut bene advertit Herincx) satis proprie secundum vulgarem loquendi modum *Justitia* dicitur, cum alicui merces promissa integre, ac proinde fideliter redditur, sive deinde is, qui reddit, sit obstrictus debito justitiæ commutativæ, sive solius fidelitatis; in usu enim istius nominis, saltem in communi & vulgari locutione, non tam attenditur vis obligationis, quam æqualitas & congruentia rerum, quæ ponitur, quæ etiam communiter, licet non semper in omni rigore, dici solet justitia, ac æquitas.

R. 2. Dato, quod S. Scripturam, & SS. PP. acciperemus in sensu improprio, tamen id faceremus ex gravi authoritate, & ratione in probationibus assignata: atqui propter gravem rationem licet accipere Scripturam in sensu improprio. Adde etiam, quod Concilium Tridentinum sess. 6. c. 16. nostræ explicationi faveat plurimum; sic enim loquitur: *Bene operantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei misericorditer promissa, & tanquam merces, ipsius Dei promissione fideliter reddenda.* Nota, quod dicat, promissam mercedem nobis *fideliter*, non ex stricto jure, reddendam esse.

Inftabis: Deus poteft ex fidelitate nobis obligari: ergo etiam ex juftitia commutativa. R. N. fuppofitum, quod Deus vi fidelitatis obligetur *nobis*, fed potius *fibi foli* obligatur, ne per infidelitatem in fe aliquid indecens admittat. Deinde eo ipfo, quod obligatio fidelitatis nullum importet jus ex parte creaturæ, & in Deo non dicat abdicationem juris, non fequuntur illa abfurda, quæ alias fequerentur ex obligatione juftitiæ commutativæ.

Objic. 2. Deus poteft abdicare a fe aliquod jus: ergo noftra fententia cum fuis probationibus non fubfiftit A. p. 1. fic Deus remittens peccatum abdicat fe jure ad indignationem & pœnam, quod habet adverfus peccatorem. 2. Deus deftruens creaturam aliquam cedit jure proprietatis, quod habet in talem creaturam; nam, quando creatura eft deftructa, & in nihilum abit, non amplius poteft effe fub dominio; cum dominium verfetur tantum circa res exiftentes, ut dictum eft.

R. N. a. cum utraque probatione, Jus ad iram & pœnam, quod Deus habet adverfus peccatores, femper manet, neque per remiffionem peccati remittitur, fed tantum tollitur objectum talis juris. Sic etiam dominium Dei in res creatas femper manet, etfi interdum ejus objecta mutentur, dum aliquæ res deftruuntur; dum enim deftructio fit alicujus fimilis objecti, tantum perit aliqua denominatio extrinfeca utriusque juris. Sicut in Philofophia folemus dicere, fi per hypothefin impoffibilem mufca v. g., aut alia creatura implicaret, & non poffet amplius produci, per hoc non mutaretur Omnipotentia divina intrinfece & entitative, fed tantum extrinfece & connotative, in quantum non connotaret talem creaturam tanquam objectum fuum. Adverte quoque, jus hoc, quod Deus habet in res creatas, effe conditionatum fecundum noftrum intelligendi modum; habet enim Deus jus & dominium creaturarum, *fi exiftant*. Sic habet etiam jus odio perfequendi, & vindicandi peccatum, *fi hoc exiftat*: atqui poft remiffionem, quæ fit per actum voluntatis divinæ, non amplius exiftit peccatum: ergo.

Dices: Duplex eft in Deo jus, unum effentiale, & inabdicabile, alterum accidentale, & abdicabile: ergo. R. N. a. nam

nam illud, quod Adversarii dicunt jus accidentale, est actualis connotatio extrinseca objecti talis juris, proinde est potius exercitium juris, quam ipsum aliquod jus.

Objic. 3. Quamvis justitia commutativa non possit reperiri in Deo cum suis imperfectionibus, quas habet, potest tamen in eo reperiri ut depurata a suis imperfectionibus: ergo. R. D. a. Si justitia commutativa depurata a suis imperfectionibus retineret adhuc naturam, quam importat, & quam ejus nomen significat C. a. secus N. a. Sunt aliquæ perfectiones, quæ ablatis omnibus imperfectionibus, non amplius retinent essentiam & naturam, quam nomen earum significat: talis perfectio est obsequium Deo præstitum, cujus essentia consistit in servitio & subjectione: & in hoc ipso sita est tota ejus imperfectio. Quapropter perfectio obsequii, utpote essentialiter annexam habens imperfectionem, non potest Deo competere. Idem est de justitia commutativa; hæc enim in sua essentia importat illas imperfectiones, quas in probationibus adduxi: proinde nequit Deo competere in rigore.

Objic. 4. Licet Deus non possit abdicare jus universale, & absolutum, potest tamen cedere creaturæ jus privatum, & bassum, quod habetur ex contractu inter Deum & hominem: ergo. R. N. a. & suppositum; si enim Deus per contractum cederet jus creaturæ, deberet aliquid dimittere de jure suo illimitato, & universali, ut non posset amplius pro libitu de re tali, quæ venit in contractum, disponere sicut ante.

Objic. 5. Creatura habet verum dominium libertatis ad actus liberos eliciendos, vel non eliciendos: ergo potest Deus inire contractum cum creatura libera, & se ei ex justitia commutativa obligare ad dandum præmium, si eliciat actum liberum. R. D. a. creatura habet verum dominium libertatis, exemptum ab essentiali servitute erga Deum N. a. secus C. a. Quia igitur dominium creatum actuum liberorum est essentialiter subjectum Deo, sic, quidquid creatura per istud acquirit, Deo acquirit, non sibi: ut dictum in probationibus.

Objic. 6. Non repugnant ſimul hæc duo jura, jus altum, quod habet Princeps adverſus ſubditos in eorum bona, & jus baſſum, quod habent ſubditi adverſus Principem: ergo etiam non repugnat in Deo jus illimitatum, quod habet in bona creaturæ, & jus privatum, quod creatura habet adverſus Deum. R. N. c. & parit. Jus altum in Principe eſt limitatum, vi cujus tantum pro caſu neceſſitatis publicæ poteſt bona ſubditorum uſurpare: item hoc jus non eſt verum jus proprietatis, conſequenter bene poteſt ſtare cum jure proprietatis ſubditorum, qui, quamvis in caſu neceſſitatis non poſſint licite contra prohibitionem Principis diſponere de bonis ſuis, poſſunt tamen alias, ceſſante iſta neceſſitate: imo abſente neceſſitate publica habent jus adverſus Principem, ne ab eo ſuis bonis priventur, aut ab eorum uſu impediantur. Aliud eſt in Deo, qui habet jus, non ſolummodo ad caſum unum neceſſitatis reſtrictum, ſed abſolutiſſimum, illimitatum, & univerſaliſſimum, & quidem jus proprietatis inabdicabile, & a creatura inimpedibile.

Objic. 7. Saltem Deus & creatura poſſunt ſimul habere dominium in ſolidum reſpectu ejusdem rei creatæ juxta dicta: ergo non implicat, quin Deus ſervet ſuum dominium, & tamen creaturæ, quatenus hæc habet dominium particulare, obligetur ex juſtitia. R. D. a. Deus & creatura poſſunt habere dominium in ſolidum, ita, ut creatura habeat dominium & jus adverſus Deum, & Deus ex juſtitia commutativa obligetur creaturæ N. a. ita, ut creatura adverſus aliam creaturam habeat jus C. a. dominium creaturæ, quod ſtat cum dominio Dei, eſt adverſus alias creaturas, quæ obligantur, non autem adverſus Deum. Ex quo

Colliges, quod creatura reſpectu Dei in res creatas, etiam actiones ſuas liberas, tantum habeat uſum ſimplicem facti, ad nutum a Deo revocabilem *absque injuria* creaturæ, ſeu absque læſione juris, quod in creatura reſideret. Et ſi quandoque Deus non poteſt amplius revocare ejusmodi uſum facti, uti in Beatis non amplius revocat uſum gloriæ, id non ex jure creaturæ, ſed ex ſua fidelitate & veritate, quam tenet in promiſſis, oritur. Quare, dum interdum dicimus, hoc vel illud competit

petit creaturæ vi juris creationis, id non de ſtricto jure juſtitiæ commutativæ intelligendum venit.

§. III.

An creatura erga Deum poſſit exercere juſtitiam, vel injuſtitiam commutativam ſtricte dictam?

ASSERO 1. Creatura non poteſt erga Deum exercere a- 437
ctum juſtitiæ commutativæ proprie talem. Vaſquez, Gormaz diſput. 10. ſect. 2. de J. & J.

Prob. 1. Qui exercet juſtitiam commutativam erga alterum, v. g. ſolvendo debitum, debet neceſſario extinguere jus proprietatis alterius: atqui creatura non poteſt per ſuum actum extinguere jus proprietatis Dei: ergo non poteſt exercere actum Juſtitiæ erga Deum. m. conſtat ex §. præc. & ex hoc, quia quoscumque actus præſtiteris Deo, Deus tamen retinet jus proprietatis integrum, plures, & plures in infinitum exigendi. M. vero probatur exemplis: ſic Paulus ſolvens Petro 100. florenos, quos eidem debuit, extinguit in Petro jus alterius exigendi ſolutionem illorum 100. florenorum.

Prob. 2. Qui præſtat actum juſtitiæ commutativæ erga alterum, acquirit etiam jus vere & proprie tale contra alterum: atqui creatura non poteſt acquirere jus vere & proprie tale contra Deum: ergo. M. p. qui enim ſolvit alteri debitum, acquirit jus extinctivum debiti, vel jus immunitatis a debito, vi cujus alterum obligatum habet, ne iterum exigat ſolutionem jam præſtitam.

Objic. 1. Datur in Deo verum jus proprietatis, vi cujus Deus poteſt exigere noſtra obſequia, & noſtras operationes: ergo nos etiam poſſumus exercere actum juſtitiæ commutativæ ſtricte dictum, ſi præſtamus noſtra obſequia conformiter juri illi proprietatis. R. D. a. datur jus proprietatis in Deo inextinguibile, & inabdicabile C. a. ſecus N. a.

Objic. 2. Si non poſſet a creatura poni actus juſtitiæ erga Deum, tunc ideo, quia creatura non poteſt ad æqualitatem

solvere debitum Deo obsequium; nam quæcumque Deo præstiterit creatura aliqua, semper plura potest exigere: atqui hæc ratio nulla est: ergo. m. p. etsi Petrus ad incitas redactus, non potest totum debitum ad æqualitatem solvere, satisfacit tamen, & exercet actum justitiæ, si partem debiti solvit: ergo. R. N. M. sed ratio nostra præcipua est, quia jus divinum neque ex parte extingui potest. Hinc disparitas est inter Petrum, qui ob impotentiam tantum partem debiti præstat; hic enim adhuc jus saltem partiale creditoris extinguit, ita, ut hac solutione facta non tantum deinceps debeat, quantum prius debuerat.

Objic. 3. Christus qua homo satisfecit suo Patri cælesti ex rigore justitiæ commutativæ: ergo creatura potest erga Deum exercere actum justitiæ rigorosæ. R. N. a. de quo plura in tractatu de Incarnatione.

438 Assero 2. Potest tamen creatura erga Deum exercere actum injustitiæ proprie dictum: Herincx, Gormaz cit. n. 534. P. Deus habet jus strictissimum in omnes res creatas, & vi hujus juris potest a creatura certas actiones exigere, quas si creatura denegat, violat jus illud, & sic exercet actum injustitiæ, & injuriæ proprie dictum: ergo. A. constat; nam actus injustitiæ & injuriæ nihil aliud est, quam violatio juris alterius. Inde putat Herincx, quod violetur justitia, & jus Dei, quod habet ad famam & honorem, si aliquis sit contra Deum blasphemus. Certum quoque est, quod per homicidium injustum violetur jus & dominium Dei, quod habet in vitam hominis.

Objic. 1. Non potest erga Deum exerceri justitia stricte dicta: ergo neque injustitia. R. N. c. Ad actum justitiæ requiritur simul integritas omnium conditionum, quas debet habere vera justitia, & si vel una deficit, jam non potest dari actus justitiæ: atqui juxta probationes nostras una similis conditio deficit in proposito. Aliud est de injustitia, ad quam sufficit vel unicus defectus contra jus proprietatis alterius. Totum patet ex recepto apud Theologos axiomate: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*

Objic.

Objic. 2. Deus non habet jus proprietatis vere tale: ergo illud non poteſt violari a creatura. A. p. Deus non poteſt nos obligare ad actionem aliquam in bonum proprium: atqui jus proprietatis tantum obligat in bonum proprium illius, qui habet tale jus: ergo. M. patet; nam noſtræ operationes Deo nihil proſunt; ſive enim bene, ſive male agamus, Deus manet ſemper idem, & ejus felicitas per nos nec augeri, nec minui poteſt. R. N. a. ad prob. d. M. in bonum proprium intrinſecum c. M. extrinſecum, quod Deus obtinet per promotionem honoris ſui extrinſeci n. M.

Objic. 3. Si poſſum lædere jus Dei, tunc jus & dominium Dei non eſt perfectiſſimum: ſequela eſt abſurda: ergo & id, unde ſequitur. M. p. de ratione perfectiſſimi dominii eſt, non poſſe in ejus uſu impediri: atqui ſi poſſem lædere jus Dei, tunc poſſem Deum in uſu ſui juris impedire, v. g. non præſtando illud, quod vi juris exigit: ergo. R. n. M. utramque; nam de ratione dominii perfectiſſimi tantum eſt, poſſe ſine injuria alterius exigere uſum omnem poſſibilem rei ſuæ, non autem de ejus ratione eſt, non poſſe impediri ab uſu. Deinde Deus impeditur per nos ab uſu rerum ſuarum, ſeu creaturarum, & noſtrarum potentiarum, quia nobis reliquit libertatem, quam ne lædat, permittit potius violari ſuum dominium.

Petes 1. An omne peccatum ſit actus injuſtitiæ contra Deum? R. Hoc quæſitum reſolvi in tractatu de peccatis. Lugo d. 3. de Incarnatione. ſect. 3. reſolvit negative: Herincx vero in Tractatu de peccatis diſputat in utramque partem. 439

Petes 2. An ille, qui actum injuſtitiæ commiſit erga Deum, teneatur ad reſtitutionem? R. 1. Si aliquis enormiter læſit honorem Dei per contumelias & blaſphemias, tunc eum probabiliſſime teneri ad reſarcitionem talis injuriæ. Lugo cit. ita enim lumen naturæ dictat.

R. 2. Regulariter loquendo non tenetur homo ex titulo juſtitiæ ad reſtitutionem propter injuriam, vel injuſtitiam erga Deum commiſſam. Lugo cit. Ratio eſt: ſi ex peccato relinqueretur

retur debitum per restitutionem resarciendi injuriam Deo illatam, tunc teneretur peccator ad reddendum in individuo, vel æquivalenti illud, quod abstulit: Non primum: fingamus enim, quod ideo læserim jus Dei, quia non elicuerim actum amoris, quem mihi vi dominii, quod in me & meam voluntatem habet, præcepit. Jam, vel præcepit mihi Deus, ut actum hunc eliciam pro instanti, & tunc elapso hoc instanti non possum reddere illud idem in individuo, quod exigebatur, scilicet amorem pro hoc determinato instanti; cum instans illud non amplius existat, nec sit exstiturum postea. Si autem præcepit amorem pro tempore indeterminato, tunc, si hoc tempore non amo, teneor quidem amorem ponere tempore subsequenti, non autem ex debito proveniente ob omissionem præteritam, sed ideo, quia præceptum adhuc durat. Neque teneor ad restituendum æquivalens; quia tunc tantum ad restitutionem in æquivalenti adstringimur, quando creditor in bonis suis habet minus, quam ante illatam injuriam habuit: atqui Deus per peccatum non habet minus in suis bonis; siquidem ille non habet minus, qui facillime, dummodo velit, possit bonum ablatum recuperare: sicut Deus potest, dummodo velit, illum, qui omisit actum amoris, aut alium excitare per auxilium gratiæ ad similem, aut perfectiorem actum amoris. Per hoc tamen manet, quod talis omissio fuerit actus injustitiæ, utpote commissus contra jus Dei talem actum exigentis.

Dixi in responsione 2. *ex titulo justitiæ*; non enim nego, quin homo ex alio motivo, & præcepto teneatur pro quovis peccato satisfactionem præstare Deo, nisi velit pro eo satispati saltem in purgatorio.

Petes 3. An in Deo sit justitia distributiva, præmiativa, & vindicativa? R. 1. In Deo non est talis justitia distributiva, quæ in creatura importat strictum jus, & in Deo strictum debitum. Constat ex dictis.

R. 2. Potest tamen in Deo admitti justitia præmiativa, & etiam distributiva, quæ non supponit tale jus, & debitum. Sic Deus Beatis juxta proportionem geometricam meritorum, & gratiæ sanctificantis distribuit præmia æterna.

R. 3.

R. 3. In Deo etiam datur justitia vindicativa: ut iterum certum est; quia justitia vindicativa in creatura punienda non importat strictum jus, & insuper dicit honestatem, Deo maxime convenientem, vi cujus delicta proportionata pœna castigari oportet.

R. 4. In Deo non datur justitia legalis. Ratio est: Justitia' legalis residet in membris, & partibus Reipublicæ qua talibus; atqui implicat, Deum habere rationem membri, vel partis; imperfectio enim est, esse partem. Videatur Herincx part. 1. d. 7. de voluntate Dei. q. 7. n. 58. & seqq.



ARTICULUS III.

An homo possit satisfacere ex rigorosa Justitia per actus iteratos, seu ut alii vocant, per actus supererogatorios?

NOTA 1. Statum quæstionis etiam sic formari: an idem debitum ex justitia commutativa solvi possit iteratis, & repetitis totalibus solutionibus? v. g. debes centum florenos Cajo: hos solvis hodie integre. Crastina die iterum 100. das eidem ex intentione solvendi debitum illud. Modo quæstio est: an iterata ista solutio sit actus justitiæ?

Nota 2. Quæstionem esse, an iterata totalis solutio sit actus justitiæ *effective*, & vere a parte rei, ac per se talis, præscindendo a conscientia erronea &c.? non enim volo litigare, an propter affectum internum, vel propter conscientiam erroneam, qua iterato solvens credit, se actum justitiæ exercere, talis solutio possit per accidens obtinere honestatem justitiæ. H. S.

Assero, & R. negative. Ita Viva cum Communiori contra Lu- 440
gonem, Haunoldum, nostrum Aquilinum Aman, & alios.

P. 1. Per actum justitiæ ex essentia sua debet alteri tribui jus suum: atqui per iteratam secundam solutionem totalem non p-

test alteri tribui jus suum: ergo iterata solutio totalis non potest esse actus justitiæ. M. est nota ex definitione justitiæ. m. p. Talis, cui præstatur secunda solutio, non habet jus ad hanc exigendam: ergo per talem iteratam solutionem non potest ipsi præstari jus suum. A. p. Jus omne, quod ad solutionem habuit, per primam solutionem est totaliter extinctum: ergo.

Dices cum Lugone: Talis creditor, cui jam est præstita integra totalis solutio, non habet quidem jus actuale, habet tamen præteritum. *Contra est*: Jus præteritum perinde est ac nullum jus: atqui illi, qui nullum habet jus ad solutionem, non potest hæc ex justitia præstari: ergo neque illi, qui habet jus præteritum. M. constat; nam jus præteritum, est jus extinctum: sed jus extinctum est nullum jus, sicut ignis extinctus est nullus ignis, & sicut ignis extinctus non potest urere, sic neque jus præteritum, & extinctum potest obligationem justitiæ parere.

Confirm. Non esset actus justitiæ effective, & per se talis, si aliquis vellet præstare solutionem pro debito possibili: ergo etiam si vellet solvere debitum præteritum. C. p. ideo solutio pro debito possibili non esset actus justitiæ, quia ad hoc, ut solutio sit actus justitiæ, requiritur debitum præsens, & actu existens, quale non est debitum mere possibile: atqui etiam debitum præteritum non est præsens, & actu existens: ergo.

P. 2. Justitia commutativa intendit ponere æqualitatem inter jus activum creditoris, & passivum debitoris, seu, vi justitiæ commutativæ debet tantum solvi, quantum debetur: atqui si idem debitum sæpius totaliter solveretur, non poneretur æqualitas, sed inæqualitas; nam si 100. deberes, & per iteratas solutiones 200. solveres, tunc utique non tantum, quantum deberes, sed plus dares, & sic foret inæqualitas, quæ est contra naturam justitiæ: ergo.

441 Objic. 1. Potest eadem materia successive informari pluribus formis, & idem corpus in pluribus locis poni: ergo etiam potest successive eidem debito per plures solutiones satisfieri. R. N. c. & parit. nam prima forma non extinguit penitus ap-

peti-

petitum & potentiam materiæ ad plures, & alias formas; hæc enim potentia est identificata materiæ, & durat, quamdiu materia durat. Aliud est de debito, utpote quod per primam solutionem totalem penitus extinguitur, adeoque ei, utpote non amplius existenti, non potest satisfieri per secundam solutionem. Idem est ad paritatem de ubicatione; nam potentia ad ulteriores, & ulteriores ubicationes est corpori identificata, nec per primam ubicationem penitus extinguitur.

Objic. 2. Potest idem peccatum sæpius in confessione explicari, & per absolutionem iterato remitti: ergo & idem debitum potest sæpius per iteratas solutiones extingui. R. 1. N. a. nam per iteratam absolutionem peccatum jam semel remissum, non denuo actu & formaliter, sed tantum radicaliter remittitur, in quantum conceditur nova gratia sanctificans, quæ esset remissiva peccati, si illud adhuc in homine existeret. Quare & forma absolutoria facit primario, & essentialiter hunc sensum: *Concedo tibi gratiam ex se remissivam peccatorum tuorum.* non autem dicit necessario: *Remitto tibi actu & formaliter tua peccata.* R. 2. Tr. a. n. c. & parit., quia est magna disparitas inter condonationem, & remissionem iteratam offensæ ac injuriæ, & inter iteratam solutionem ejusdem debiti, ut statim dicetur. Quare

Objic. 3. Potest idem debitum sæpius condonari: ergo & sæpius totaliter solvi. R. N. c. & parit. Condonatio iterata offensæ, vel debiti pro objecto immediato non habet extinctionem debiti, sed obligationem creditoris, qua se adstringit ad non exigendum debitum: atqui non implicat, ut aliquis se sæpius obliget ad non exigendum idem debitum: sicut & in physicis aliquis jam semel ligatus potest sæpius, & fortius ligari. Contra solutio iterata debiti primario, & ex natura sua respicit extinctionem debiti; hoc enim est de natura solutionis, in quantum est actus justitiæ: atqui debitum jam prima solutione extinctum non potest amplius extingui: sicut lumen jam semel penitus extinctum, non potest amplius extingui, & homo jam totaliter mortuus, & occisus, non potest amplius morte affici, neque semel solutus omnibus vinculis potest iterum solvi. 2. Condonatio iterata offensæ, vel debiti in æstimatione mora-

li fere est eadem cum priori, & eumdem effectum parit, quamvis aliter, scilicet obligationem non exigendi amplius debitum, aut satisfactionem: contra solutio secunda non est eadem moraliter cum prima, nec per eam datur eadem pecunia, sed solvitur nova, nec ponitur æqualitas, sed inæqualitas.

Objic. 4. Qui opus ex obedientia injunctum cum majori diligentia vel celeritate præstat, quam debeat, & obligatus sit, satisfacit ex virtute obedientiæ: idem est: si obligatus ad unum sacrum audiendum, duo audit die festo: ergo etiam qui plus dat, aut facit, quam ex justitia obligetur, satisfacit ex justitia. R. N. c. & parit. siquidem, ut recte advertit D. Thomas 2. 2. q. 104. ad actum obedientiæ non requiritur determinate, ut actus sit debitus ex præcepto, & Superior ad eum ponendum obliget, sed sufficit, si ejusmodi actio sit conformis voluntati Superioris, & juxta ejus voluntatem ac beneplacitum, etiam interpretativum, fiat. Proinde, si talis celeritas, vel auditio secundi Sacri sit actus obedientiæ, debet etiam fieri saltem secundum voluntatem, & beneplacitum i nterpretativum Superioris, etsi præceptum hoc faciendi non adsit. Aliud est de justitia, hæc enim expresse & determinate intendit ponere æqualitatem, & extinguere debitum: atqui neutrum fit, si plus solvitur, quam debeatur. Posset etiam retorqueri argumentum: qui plus facit, quam voluntas Superioris saltem interpretativa vult, non exercet actum obedientiæ: ergo neque ille exercet actum justitiæ, qui plus dat, quam debet.

Objic. 5. Zachæus reddens quadruplum, fecit actum justitiæ: ergo etiam actus supererogatorius potest esse actus justitiæ. R. D. a. fecit actum justitiæ mixtum liberalitate C. a. purum N. a. Fecit actum justitiæ, quatenus reddidit, quantum debuit: quatenus autem hæc redditio excessit debitum, eatenus non fuit actus justitiæ, sed liberalitatis, quare hic actus participavit honestatem duplicis virtutis, scilicet justitiæ, & liberalitatis. Id, quod sæpius contingit: ut si homini debeas alimenta indeterminate, huic obligationi satisfaceres per largitionem alimentorum etiam infirmorum, in hoc casu, si præbeas alimenta optima, exerces actum mixtum ex justitia & liberalitate. Idem dic,

dic, si debens unum aureum, duos solvis; tunc enim, si non determinas, quisnam aureus sit pro debito, & quisnam gratis, tunc hæc solutio ad justitiam simul pertinet, & ad liberalitatem: si autem determinas unum pro debito, tunc ejus solutio tantum est actus justitiæ, alterius autem aurei datio est actus liberalitatis.

Objic. 6. Qui secunda vice solvit, secunda vice obligat creditorem ad non exigendum debitum: unde & ille, qui non valet in judicio probare primam solutionem a se factam, quia v. g. chyrographum perdidit, satisfacit, si secunda vice solvit: ergo secunda solutio etiam est actus justitiæ. R. D. a. qui secunda vice solvit, obligat creditorem ad non exigendum debitum, & satisfacit, quia actu, & formaliter extinquit debitum, & ponit æqualitatem N. a. quia radicaliter extinguit debitum, seu quia ponit actionem ex se extinctivam debiti, si quod adesset C. a. & N. c. Ad solutionem debiti, quæ sit actus justitiæ, requiritur, ut actu, & formaliter extinguatur debitum, & tribuatur alteri jus suum.

Objic. 7. Anticipata solutio debiti est actus justitiæ: ergo etiam solutio debiti jam antecedenter soluti. A. constat: sic si solvo hodie debitum cras contrahendum, satisfacio ex justitia, nec obligari possum ad novam solutionem. R. D. a. anticipata solutio debiti nullo modo existentis N. a. anticipata solutio illius, quod indeterminate debetur c. a. Potest aliquis esse indeterminate obligatus, ut vel hodie, vel cras solvat: tali modo, si hodie solvat, exercet actum justitiæ per anticipatam solutionem. Item potest fieri contractus, ut hodierna die præstetur solutio pro merce crastina die primum tradenda: & in hoc casu iterum est actus justitiæ. Ratio est: quia vi contractus tale debitum jam hodie existit. Si autem debitum nullo modo hodie existeret, sed esset mere possibile, solutio pro illo facta nullatenus rationem justitiæ vindicaret.



ARTICULUS IV.

De Injustitia, seu injuria.

442 INjustitia hic sumitur pro defectu opposito justitiæ speciali, ac in rigore dictæ. Atque in hoc sensu iterum accipi potest vel pro habitu, aut actu pugnante contra justitiam: in primo sensu est habitus inclinans ad lædendum jus alterius, in secundo est actus, quo violatur jus alterius. Et de injustitia in secundo sensu accepta, quæ est ipsa injuria, modo controvertitur. Potest autem injuria, seu injustitia actualis definiri, quod sit *violatio juris alieni*: ubi per jus intelligitur jus stricte dictum, seu proprietatis, quod respicitur a justitia commutativa.

Injuria sic descripta dividitur in *materialem*, & *formalem*. *Materialis* est, quando quis lædit jus alienum inculpabiliter: ut si quis ex ignorantia invincibili bona fide detinet rem alienam invito Domino. *Formalis* est, quando scienter & mala fide violatur jus alienum: ut si sciens, rem esse alienam, eam tamen surripias, non restituas, aut eadem utaris contra voluntatem Domini. His præsuppositis quæstio remanet, an possit inferri injuria scienti, & consentienti? v. g. an Petrus inferat injuriam Paulo, si huic scienti, & consentienti auferat librum, vel aliquid aliud?

443 Assero. Scienti, & valide ac efficaciter consentienti non potest fieri injuria. Communis. P. 1. ex Regula 27. J. in 6. quæ sic habet: *Scienti, & consentienti non fit injuria.*

Prob. 2. Si aliquis scienter, & valide consentit in certam actionem, tunc eo ipso cedit jure, quod habet ad prohibendam talem actionem, vel certe suspendit in actu secundo obligationem talis juris: atqui posita semel tali cessione juris, vel suspensione obligationis, jam non potest amplius fieri injuria; quia non potest amplius lædi jus alienum, quod hic & nunc non obligat: ergo.

Dixi

Dixi in assertione 1. *Scienti;* si enim consensus in aliquam actionem daretur ex ignorantia invincibili, qua quis ignorat, sibi ab alio malum parari, adhuc talis pateretur injuriam; quia si sciret fraudes alterius, haud dubie foret invitus, & sic præsumitur implicite non consentire.

Dixi 2. *Valide, ac efficaciter consentienti;* nam per consensum invalidum, aut inefficacem non tolleretur jus, aut obligatio juris, proinde adhuc locum haberet violatio juris, prout ex objectionibus mox ponendis patebit. Hinc

Objic. 1. Pupillus consentiens in contractum sibi perniciosum absque authoritate Tutoris, patitur injuriam: ergo etiam efficaciter consentiens potest pati injuriam. R. D. a. pupillus consentiens invalide C. a. valide N. a. Talis consensus pupilli absque authoritate tutoris, vel judicis est a legibus invalidatus. 444

Objic. 2. Fœnerator, seu Usurarius accipiens usuras a consentiente, infert ipsi injuriam, & tenetur ad restitutionem: ergo. R. D. a. a consentiente efficaciter N. a. inefficaciter C. a. Mutuatarius aut nescit, aut scit usuras esse iniquas? si scit, & eas solvit mera necessitate coactus, & non ex gratuito animo eas donandi, tunc hoc ipso non vult cedere jure suo, sed vult, pecunias suas inique ab Usurario acceptas, denuo ab eodem recipere: si autem nescit iniquitatem usurarum, tunc iterum læditur in jure suo tanquam ignorans & invitus.

Objic. 3. Viator, qui metu mortis adactus donat latroni pecuniam, patitur injuriam a latrone: sed viator in hoc casu valide consentit in donationem pecuniæ: ergo etiam valide consentiens potest pati injuriam. m. constat; quia contractus etiam metu gravi extortus, est validus, ut suo loco dicetur. R. D. m. valide consentit in donationem secundum se, & quoad substantiam C. m. in omnes etiam circumstantias donationis N. m. Viator consentit quidem in donationem, & renunciat juri ac dominio, quod habet in pecuniam: non autem renunciat juri, quod habet adversus metum a latrone incussum, & coactionem, qua inique fuit adactus ad donandam illam pecuniam. Hæc re-

ſponſio ſervit ad plures caſus, in quibus aliquis dolo alieno inductus validum contractum celebrat.

Objic. 4. Homicida volentem, & rogantem occidens, committit injuſtitiam, & injuriam: ergo. R. D. a. & hoc ideo, quia jure vitæ nullus homo poteſt efficaciter cedere C. a. ſecus N. a. Jus vitæ noſtræ a Deo, qui eſt Dominus vitæ, pendet: & hinc tali jure nos efficaciter non poſſumus cedere.

Objic. 5. Uxor, etiam conſentiente proprio marito, alienum thorum accedens, evadit adultera, & infert injuriam proprio marito: ergo etiam conſentienti fit injuria. A. quoad 1. partem probatur ex propoſitione 50. ab Innocentio XI. damnata hujus tenoris: *Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium: adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.* Si autem talis copula eſt adulterium, tunc etiam eſt injuria Marito illata, ex quo etiam probata manet 2. pars Antecedentis. R. D. a. ſicut prius: infert injuriam Marito, quia Maritus non poteſt valide conſentire Tr. a. ſecus N. a. Transmiſi primum membrum diſtinctionis, quia non deſunt, qui docent apud Herincx, & alios, per adulterium conſentiente Marito factum, non inferri ipſi Marito injuriam, ſed tantum puritati matrimonii, & bono prolis. Neque obſtat propoſitio damnata; nam adhuc adulterium conſentiente Marito commiſſum diſtinguitur a ſimplici fornicatione, eoquod hæc non opponatur bono prolis & puritati matrimonii.

Nota præterea ex Viva: Jus Mariti in uxorem non eſt ſicuti jus in domum, quam alteri commodare poteſt, ſed eſt jus tantum ad exigendum debitum: adeoque huic ſoli juri cedere poteſt. Iterum, quamvis Marito conſentienti per adulterium conjugis non inferatur injuria ratione dedecoris ſui, cui etiam cedere poteſt: irrogatur tamen injuria matrimonio, & bono prolis, cui Maritus cedere non poteſt: & ideo hujusmodi adulterium in confeſſione explicandum eſt; quia quamvis non habeat completam rationem injuſtitiæ, habet tamen incompletam. Ita ille.

Objic.

Objic. 6. Qui in Clericum, etiam volentem & consentientem, cum peccato gravi injicit manus violentas, afficit eum injuria, & incidit in Excommunicationem latæ sententiæ. cap. *contingit.* 1. *de sent. Excommunic.* ergo. R. D. a. & hoc ideo, quia privilegium, ac jus Canonis non est penes particularem Clericum, sed penes totum Clerum, quo proinde Clericus non potest valide cedere C. a. secus N. a. Existimant aliqui, quod Clerico sic consentienti non fiat injuria, quatenus est persona privata, bene autem quatenus est persona publica, ad statum clericalem elevata: rationem dant; quia jure, quod habet tanquam persona privata, cedere potest, non vero illi privilegio Canonis, quod ei qua personæ publicæ convenit, valide renunciare potest.

Objic. 7. Martyres Christi passi sunt injuriam, etsi voluntarie consenserint in mortem, & tormenta: ergo. R. D. a. etsi voluntarie consenserint cedendo jure suo, aut positive volendo injustas actiones tortorum N. a. etsi voluntarie consenserint, id est, permiserint, & acceptarint mortem ac cruciatus, ex hypothesi, quod tyranni jam aliunde fuerint parati ad eos injuste inferendos C. a. Fuit ergo facta SS. Martyribus injuria, quia tantum permiserunt, & acceptarunt mortem a tortoribus illatam, non autem positive cesserunt jure, quod habebant ad vitam: imo nec poterant cedere, cum ipsi non fuerint Domini vitæ. Hinc & Sap. 5. SS. Martyribus tribuitur actio injuriarum contra tortores in extremo judicio. Dum autem Martyres aliqui condonarunt omnem injuriam, propterea tamen non abdicarunt jus omne ad vitam, sed tantum per similem condonationem renunciaverunt juri ad indignationem & vindictam in hac vita de suis tortoribus sumendam.



TRACTATUS II.

De Restitutione.

DISSERTATIO I.

De Natura, necessitate, & radicibus Restitutionis.

ARTICULUS I.

De Natura Restitutionis.

§. I.

Quid sit, & ad quam virtutem pertineat Restitutio?

445 ASSERO 1. Restitutio potest definiri, quod sit *rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio secundum arithmeticam æqualitatem.* Ita Holzman, ac quoad rem Communis. Per redditionem rei acceptæ intelligitur, quod res debeat vel in individuo, vel in æquivalenti reddi. Hæc descriptio aliis videtur nimium lata, quia comprehendit etiam redditionem mutui, commodati, depositi, pignoris, ubi non præcessit juris alieni violatio. Hinc tradunt pressiorem, quæ solum se extendit ad restitutionem faciendam alteri propter injuriam illi illatam, seu propter jus ipsius sive materialiter, sive formaliter læsum. Dicunt igitur cum Cardinali de Lugo D. 8. n. 17. quod restitutio sit *juris alieni redintegratio*, vel *actus justitiæ commutativæ, quo reparatur jus alterius, materialiter aut formaliter læsum.* Per jus in hac definitione intelligitur jus proprietatis, & rigorosum. Utraque descriptio est satis bona, & retineri potest. Ex his

Colliges 1. Restitutionem differre a satisfactione 1., quia satisfactio est quid generalius restitutione; satisfactio enim significat

ficat ſolutionem cujuslibet debiti, ſive ea fiat ex præcepto juſtitiæ, aut aliarum virtutum, v. g. charitatis. Aſt reſtitutio ſignificat tantum redditionem ex præcepto, & obligatione juſtitiæ commutativæ. 2. Satisfactio preſſius, & ſpecifice accepta eſt amica reconciliatio per obſequia, petitionem veniæ, & ſimilia, non autem reſtitutio: imo per ſatisfactionem & reconciliationem poteſt ſæpe deleri offenſa, & tamen remanere onus reſtitutionis, ut patet ex Tractatu de Charitate. 3. Satisfactio eſt præcipue in commodum ſatisfacientis, ut ſic propter obſequia, & petitionem veniæ liberetur a pœna: contra vero reſtitutio non eſt in utilitatem reſtituentis, ſed illius, cui fit reſtitutio, ut clarum eſt.

Colliges 2. Reſtitutionem quoque eſſe diverſam a ſatispaſſione, 1. quia ſatispaſſio eſt actus juſtitiæ vindicativæ, reſtitutio autem eſt actus juſtitiæ commutativæ. 2. Satispaſſio regulariter non debetur ante ſententiam judicis: reſtitutio ante omnem ſententiam fieri debet.

Colliges 3. Reſtitutionem etiam differre a ſolutione, etenim ſolutio non ſemper eſt actus juſtitiæ commutativæ, ut ſi ſolvas illud, quod debes ex charitate, vel miſericordia, voto, juramento &c. Aſt, ut jam dictum eſt, & ſtatim probabitur, reſtitutio eſt actus ſolius juſtitiæ commutativæ. 2. Sæpe fit reſtitutio, ubi tamen non fit ſolutio: ut ſi reddis pignus, depoſitum, commodatum, rem furto ablatam, tunc diceris reſtituere, non autem ſolvere.

Aſſero 2. Reſtitutio eſt actus proprius ſolius juſtitiæ commutativæ. DD. communiter contra paucos. Prob. 1. Reſtitutio verſatur circa jus proprietatis, ac rigoroſe dictum, quod ad æqualitatem arithmeticam reparat: atqui ſola juſtitia commutativa per actus ſuos verſatur circa jus proprietatis, ac rigoroſe dictum: ergo. m. conſtat ex dictis de objecto, & natura juſtitiæ commutativæ. 446

Prob. 2. Neque juſtitia legalis, neque diſtributiva, neque alia virtus, quæ diſtinguitur a juſtitia commutativa, obligat ad reſtitutionem: ergo obligatio reſtitutionis

ex ſola juſtitia commutativa oritur, conſequenter reſtitutio ad hanc ſolam virtutem ſpectare debet. Antec. præcipue probabitur §. ſeq. Interea

Objic. 1. Superior, vel Magiſtratus non æqualiter diſtribuens bona Communitatis, & ſic peccans contra juſtitiam diſtributivam, tenetur ad reſtitutionem: ergo reſtitutio etiam ex juſtitia diſtributiva oritur. R. D. a. tenetur ad reſtitutionem, ſi diſtribuendo ſimul lædat juſtitiam commutativam C. a. ſi ſolam juſtitiam diſtributivam lædat N. a.

Objic. 2. Etiam per violationem juſtitiæ diſtributivæ infertur alteri injuria: ergo etiam violans juſtitiam diſtributivam tenetur ad reſtitutionem; nam omnis injuria debet per reſtitutionem reparari. R. D. a. infertur alteri injuria, quæ ſit contra jus proprietatis alterius N. a. ſecus C. a. Sola injuria, quæ eſt læſio juris proprietatis alterius, infert onus reſtitutionis.

Objic. 3. Qui alterum impedit vi, vel fraude a conſequendo beneficio, tenetur ad reſtitutionem, & tamen non violat juſtitiam commutativam, vel jus proprietatis alterius: ergo. R. N. a. nam quilibet habet jus ſtrictum adverſus alterum, ne per vim, vel fraudem a beneficio aliquo impediatur. Verum, ut plenius intelligatur, quomodo ex ſola juſtitia commutativa proveniat obligatio reſtituendi, ſequentes §§vi. ponentur, in quibus & plura praxi multum utilia diſcutientur.

§. II.

An oriatur obligatio reſtitutionis ex violatione Juſtitiæ diſtributivæ, vel reſtitutio ſit actus Juſtitiæ diſtributivæ?

447 NOTA 1. Hic duplicem quæſtionem moveri poſſe: prima eſt, an ſit obligatio reſtituendi vi ſolius juſtitiæ diſtributivæ? v. g. Communitas omiſſo digniore contulit minus digno officium pingue, ac multorum redditutuum: nunc quæritur, an magis digno propterea debeat fieri reſtitutio, quia ipſi eſt prælatus minus dignus cum damno ſuo non modico in bonis fortunæ,

tunæ, eoquod redditibus talis officii adeo pinguis frui non poſſit? Tota ergo difficultas in hoc hæret, an præciſe ratione majoris dignitatis, & majorum meritorum ac qualitatum, aliquis ad prælationem in ordine ad bona, & officia communia habeat tale, ac tantum jus, ut ejus violatio inducat obligationem reſtitutionis; nam juſtitia diſtributiva unice, ac præciſe attendit ad illud jus, quod oritur ex majore dignitate, aptitudine, ac qualitate alicujus perſonæ, ut ſatis conſtat ex dictis Diſſert. præc.

2. Controverti poteſt, an ſaltem vi juſtitiæ commutativæ in diſtributione bonorum & officiorum communium obligatio reſtitutionis oriri poſſit tunc, dum officia & bona communia minus dignis, vel omnino ineptis & indignis diſpenſantur: poteſt enim quæri, an non tota Communitas ſe ex tacito contractu & pacto, conſequenter ex juſtitia commutativa obliget membris, & civibus particularibus, quod velit in diſtributione bonorum communium attendere ad proportionem geometricam, & dignitati ac meritis membrorum proportionare collationem officiorum, & bonorum Communitati redundantium.

Nota 2. Bona communia poſſe conferri immediate a tota Communitate per ſuffragia totius populi, vel mediate per Adminiſtratorem, aut Rectorem ac Principem a Republica conſtitutum, aut per aliquem, qui ex ſpeciali commiſſione a Communitate aut Principe eſt deputatus, ut bona communia ſecundum proportionem diſtribuat.

Nota 3. In hoc §vo decidendum eſſe, an obligatio reſtitutionis ex ſola juſtitia diſtributiva, & majore dignitate unius præ altero poſſit oriri. In reliquis autem §§vis dicetur de obligatione, quæ ex contractu, & juſtitia commutativa reſultat. H. N.

Aſſero 1. Dignus, aut dignior, præciſe & unice ratione 448
ſuæ etiam majoris dignitatis, non habet jus ſtricte dictum ad officia publica, & bona communia Reipublicæ redundantia. Communis cum Herincx, & aliis plurimis.

Prob. 1. Dignus, vel dignior ratione ſuæ dignitatis in ordine ad bona communia non habet jus in re, nec ad rem: er-

go non habet jus stricte dictum ; hoc enim dividi solet in jus in re, & ad rem. A. prob. Si enim dignus, aut dignior haberet jus in re præcise ratione dignitatis, tunc jam ante collationem officii, vel boni communis posset talis homo illud vendicare tanquam proprium, & de illo tanquam re propria, & ad se pertinente disponere secundum suum beneplacitum ; quia vi solius suæ dignitatis etiam sine collatione jam esset Dominus talis boni communis, quod est absurdum, & ab omnibus negatur.

Neque habet jus ad rem stricte dictum ratione solius dignitatis suæ, 1. quia dignitas importat tantum aptitudinem & decentiam ad ista bona præ aliis obtinenda, non autem jus stricte dictum. Hinc 2. neque ex praxi habetur, quod aliquis in judicio persequatur hoc jus, & exinde litem moveat, quod ipsi minus dignus in officio, vel favore quodam Communitatis sit prælatus, neque privatim urgeat restitutionem pro jure suo læso ; cum tamen alia jura stricte dicta in judicio, & privatim soleant defendi, & restitutio pro iisdem læsis efficaciter peti.

Prob. 2. Communitas de se tantum est obligata, ut per distributionem suorum bonorum procuret utilitatem communem totius Reipublicæ : ergo dum Communitas distribuit bona sua particularibus dignioribus, id facit citra obligationem stricte dictam, quam erga tales personas particulares, qua particulares haberet.

Confirm. & explicatur. Dum Respublica distribuit bona communia, & officia publica magis meritis, tunc id solum facit, quia per distributionem sic factam magis promovetur bonum commune : ergo potius Respublica suum bonum, & obligationem, quam in ordine ad se, & ad suam utilitatem curandam habet, respicere solet in tali distributione, quam utilitatem personarum particularium : neque solet attendere majorem dignitatem in se, ac si ea importaret aliquod jus, sed illam respicit tanquam melius, & opportunius medium in ordine ad bonum commune procurandum. Ex quo colliges, justitiam distributivam, & proportionem geometricam hic per accidens attendi citra obligationem strictam, ex majore dignitate personæ particularis resultantem.

Prob.

Prob. 3. In magnis Provinciis, imo & in Curia Romana, ut ait Vogler, citra scrupulum venduntur officia sæcularia: atqui hoc non posset fieri, si ratione dignitatis aliquis haberet jus strictum ad talia officia: ergo. m. p. vel enim talia officia venderentur minus dignis? & sic læderetur jus digniorum, quod haberent præ minus dignis: vel venderentur magis dignis? & taliter iterum illis fieret injuria; quia ratione solius majoris dignitatis jam habuissent jus strictum, ad hæc officia etiam sine pretio recipienda. Unde dicendum est, quod dignitas vel aptitudo etiam major non importet jus strictum, sed tantum aliquam decentiam citra obligationem stricte talem.

Assero 2. Violatio solius justitiæ distributivæ non importat onus, aut obligationem restitutionis. Communis. 449

Prob. 1. Juxta S. Thomam, & alios Th. Th. communiter obligatio tantum oritur ex violata justitia commutativa: ergo. 2. Obligatio restituendi originem habet ex injuria stricte dicta, quæ est læsio juris proprie, & in rigore talis: atqui violatio justitiæ distributivæ non est læsio juris proprie, & in rigore talis, ut patet ex Assertione præc. ergo. 3. Ideo ex læsione obedientiæ, charitatis &c. non oritur obligatio restitutionis, quia hæ virtutes non important jus rigorosum in altero: sed etiam justitia distributiva non importat jus rigorosum in altero: ergo. Ex his.

Deduces 1. Quando Communitas nullo pacto, aut contractu se obligavit personis particularibus, posse eam per se ipsam, vel per alios bona sua temporalia, & officia distribuere minus dignis, vel omnino indignis, etiam extraneis, seu extra Rempublicam constitutis, quin per hoc lædat jus stricte dictum, aut incurrat obligationem Restitutionis. Ita Illsung: & colligitur ex dictis. Plura de hoc num. 451.

Deduces 2. Hæc omnia procedere *vi solius justitiæ distributivæ;* sæpe enim obligatio justitiæ commutativæ observanda in distributione bonorum, & officiorum communium concurrere solet: de quo §vo seq.

Objic.

Objic. 1. Bona communia fpectant ad totam Communitatem: ergo fingula membra habent jus ftricte tale, faltem inadæquatum ad hæc bona. R. N. c. fi fingula membra feorfim, & divifim fumuntur; nam fic accepta non poffunt difponere de bonis communibus: bene, fi accipiantur conjunctim, & indivifim pro perfona aliqua ficta. Ex hac objectione fequeretur, quod membra etiam inepta habeant jus ad officia publica, & hæc illis conferri debeant, quod eft falfum. Imo univerfaliter officia non debent indigenis conferri; cum fæpiffime longe melius profpiciatur Reipublicæ, fi vocetur extraneus.

Objic. 2. Bona communia, faltem fecundario, ordinantur ad utilitatem hominum particularium in Republica exiftentium: ergo perfonæ particulares habent ftrictum jus ad bona communia. R. N. a. Finis hic fecundarius, feu utilitas hominum privatorum abunde obtinetur, fi diftributores bonorum communium, & officiorum debent æquam facere diftributionem ex juftitia diftributiva, vel ex lege pofitiva ipfis a Communitate præfcripta, vel ex contractu, aut ex charitate, etfi deinde membra ratione fuæ dignitatis non habeant ftrictum jus.

§. III.

An non faltem Juftitia commutativa obliget ad reftitutionem illum, qui inique diftribuit bona communia?

450 NOTA 1. Hic effe quæftionem de Electoribus, & diftributoribus bonorum communium a Communitate conftitutis, v. g. de Principibus, & Gubernatoribus Communitatum: item de aliis, qui per Principem deputantur ad officia, & bona communia diftribuenda.

Nota 2. Duplicis generis effe bona communia: aliqua ordinantur primario in utilitatem Reipublicæ qua talis, cujusmodi funt officia publica: alia vero faltem ex fe, & natura fua primario videntur ordinari in utilitatem accipientium, feu illorum, quibus a Republica difpenfantur: talia funt bona fortunæ Reipublicæ redundantia, quæ in populum difpenfantur juxta cujusvis merita; quamvis & in hac diftributione ultimato a Repu-

Republica intendatur bonum commune, dum per dispensationem conatur remunerari merita præterita in suum bonum collata, & alios ad bonum publicum promovendum sua liberalitate provocare.

Nota 3. Bona secundi generis, si ea aliquando vi legis, aut ordinationis a Communitate factæ distribuenda sunt ab Officiali aliquo in personas particulares, tunc ea plerumque servata forma justitiæ distributivæ, & proportione meritorum &c. esse dispensanda, ita quidem, ut, si secus fieret, justitia commutativa læderetur, & distributor teneretur ad restitutionem personis particularibus, quibus obfuit, faciendam. Ita Illsung T. 4. d. 2. q. 1. art. 3. §. 1. n. 8. Ratio est: quia Communitas, vel etiam Princeps, dum vult dispensari bona communia in personas particulares, prudenter præsumitur velle, & ex tacito quasi contractu obligare distributorem, ut plus det dignioribus, & minus largiatur minus dignis. Atque per talem voluntatem Principis, aut Communitatis subditi acquirunt jus rigorosum ad partem suæ dignitati commensuratam accipiendam. Quare in hoc casu justitia commutativa cum distributiva concurrit: imo forma justitiæ distributivæ, & proportio geometrica se hic habet tantum materialiter. Proinde iniquus distributor in simili casu solum peccat formaliter contra justitiam commutativam, & satisfacit dicendo in confessione, intuli aliis grave damnum in bonis temporalibus, non autem debet addere, quod simul violaverit justitiam distributivam, aut proportionem geometricam, utpote quæ solum in proposito attenditur per accidens, & propter jus rigorosum alterius cognoscendum, aut dimetiendum, non autem propter, ac per se. Videatur Illsung laudatus.

Nota 4. Etiam aliqua bona communia secundi generis esse, in quæ membra Communitatis possunt habere jus rigorosum, quæsitum ex aliquo contractu ab ipsis, vel aliis cum Communitate inito: ut si aliqua sylva hac sub obligatione justitiæ commutativæ fuerit donata, vel legata Communitati, ut annuatim singulis civibus certa portio, pro cujuslibet civis dignitate & meritis, detur. In hoc, & aliis similibus casibus Officialis non debite distribuens ligna peccat contra justitiam commutativam, ac tenetur ad restitutionem civibus illis faciendam, quibus por-

tionem suam secundum intentionem donantis non concessit. Mastrius in Theol. moral. d. 7. q. 1. n. 9. in fine, P. Elbl, & alii.

His ergo præmissis remanet quæstio de bonis communibus primi generis, seu de officiis publicis tam civilibus, quam Ecclesiasticis, pro quibus

Nota 5. Eligens, vel promovens omnino indignum, & ineptum ad aliquod officium sæculare, vel beneficium Ecclesiasticum, præsertim curatum, peccat mortaliter contra fidelitatem, & justitiam commutativam, vi cujus ex tacito contractu talis, dum officium Electoris, aut Promotoris, vel Gubernatoris suscipit, se obligat ad mala Reipublicæ impedienda, & ejus bonum promovendum. Non desunt, qui satis probabiliter apud Herincx p. 3. d. 7. q. 1. n. 6. defendunt, etiam graviter peccare illos Principes & Superiores, qui ad officium sæculare gravis momenti, v. g. Judicis, inter plures absolute dignos non præferunt notabiliter digniorem. Rationem dant: quia Princeps, vel officiorum distributor, saltem ex fidelitate tenetur non solum impedire damna Reipublicæ, sed etiam majus ejus bonum promovere, dum facile potest: atqui, si ex pluribus absolute dignis assumeret notabiliter digniorem, promoveret majus bonum Reipublicæ: ergo. Alii tamen probabiliter contradicunt huic assertioni apud eumdem Herincx, eoquod Princeps, vel Elector sæcularis non censeatur se obligasse ad exactissimam diligentiam in promovendo bono communi, sed videtur sufficere diligentia ordinaria, quam ostendit, dum semper officiis publicis studet præficere personas absolute, & certo dignas, ac idoneas. Aliud est de Beneficiis Ecclesiasticis, præsertim curatis, quibus ordinarie præfici debent digniores, ut patet ex Tridentino, & aliis Canonibus gravem obligationem inculcantibus. Vide Herincx cit. q. 2. n. 10. & seqq. Reiffenstuel in Theol. moral. Hic tantum quæritur de obligatione restitutionis, si officium conferatur indigno, vel minus digno.

Antequam quæstio ista resolvatur, nota obiter ex D. Thoma, universaliter non esse digniorem, qui doctior, aut sanctior est, sed qui pensatis omnibus utilior est Ecclesiæ, vel Reipublicæ futurus, sive qui consideratis omnibus circumstantiis per-

personæ, loci, temporis, &c. aptior censetur ad ministerium, quod ratione beneficii, vel officii peragendum est. Certe illi, qui majori pollent scientia, non statim habiliores sunt ad regendum, præcipue si superbia, quæ scientificos non raro comitari solet, eorum spiritum inflet, ut experientia sæpe sæpius in Ecclesia jam est testata. H. N.

Assero 1. Distributor iniquus officiorum sæcularium, & Beneficiorum Ecclesiasticorum per se, & regulariter nihil tenetur restituere personæ dignæ, aut digniori omissæ. E. g. Princeps, vel ejus Minister dedit officium publicum pinguissimum Paulo indigno, & inepto ad id administrandum, omisso Petro, qui erat dignissimus, & aptissimus. In hoc casu nihil tenetur restituere Princeps Petro omisso. Idem est de Beneficiis Ecclesiasticis inique distributis. Lugo, Herincx, Vogler, Sporer, ac alii plurimi apud P. Vogler de Restitutione n 215. citati. 451

Prob. Neque personæ dignæ, vel digniores habent jus strictum ad hæc officia ratione dignitatis suæ, neque ratione pacti, vel contractus cum ipsis a Republica initi: ergo violatio talis juris non importat onus restitutionis. A. quoad 1. membrum constat ex §vo præc. secundum pariter patet; quia neque ex praxi, aut aliunde colligitur, quod Respublica, aut Princeps se obligênt membris dignis, vel dignioribus in particulari consideratis, ad danda ipsis Beneficia, vel officia.

Dixi: *Per se, & regulariter*; Excipias enim 1. casum, quo dignus, aut dignior jam fuit legitime nominatus, electus, aut præsentatus ad beneficium, vel ipsi officium aut beneficium jam est debite collatum; facta enim collatione, præsentatione &c. jam habet jus quæsitum stricte dictum, cujus læsio esset injuria rigorose talis, quæ induceret onus restitutionis.

Excipe 2. Nisi beneficia, vel officia conferantur per concursum; si enim plures edicto convocantur ad examen, ut eorum dignitas exploretur, & eligatur dignissimus, tunc fit injuria stricte dicta dignissimo, si non eligatur, aut assumatur præ reliquis minus dignis, & Elector tenetur ei ad restitutio-

 nem.

nem. Lugo. d. 34. n. 42. Herincx d. 7. n. 29. Vogler n. 216. & alii communissime. Ratio est: quia in concursu intervenit aliquod pactum saltem implicitum, vi cujus concurrenti promittitur Beneficium, vel officium sub conditione hac onerosa, si subeat examen, & in eo dignior præ cæteris inveniatur. Hoc pactum si violetur, tunc concurrenti fit injuria stricte & rigorose dicta, ex qua oritur obligatio restitutionis faciendæ.

452 Assero 2. Scienter, & voluntarie eligens indignum, & ineptum ad Beneficium Ecclesiasticum, aut officium sæculare publicum, sæpe obligari potest ad restitutionem Ecclesiæ, vel Reipublicæ faciendam. Herincx mox citatus, & alii communissime. P. Talis Elector, dum subit officium Electoris, vel distributoris officiorum, contractu saltem implicito se obligat, quod in officiorum distributione velit semper Rempublicam, vel Ecclesiam indemnem servare: ergo, si per electionem indigni damnum causat Ecclesiæ vel Reipublicæ, jus stricte dictum, quod Ecclesia vel Respublica per ejusmodi contractum acquisivit, violat, adeoque ad reparationem talium damnorum tenetur, si ea sint reparabilia, & nisi electus ipse, qui primario ad eorum reparationem, & restitutionem obligatur, ea compenset.

453 Assero 3. Qui ad officium, vel beneficium eligit notabiliter minus dignum, dummodo talis re ipsa absolute dignus appareat, non tenetur ad restitutionem Ecclesiæ, vel Reipublicæ faciendam. Herincx p. 3. d. 7. n. 29. & teste Vogler n. 241. longe communior Authorum, quorum aliqui sententiam suam certam, aut omnino certissimam dicunt.

Prob. 1. Tanta obligatio reparandi damna ob electionem absolute digni ad officium, vel beneficium, præterito digniore, non agnoscitur in praxi: ergo ea non datur. A. constat; quia ex communi, ac timoratorum etiam praxi habetur, quod damna ex electione dignorum secuta, quamvis eligi potuissent digniores, absque remorsu conscientiæ non reparentur per restitutionem.

Prob. 2. Qui suscipiunt negotia aliena tractanda, communiter ex justitia commutativa non obligantur ad summam diligen-

gentiam, & administrationem omni modo meliorem: ergo neque Princeps, vel officiorum distributor, dum hoc officium in se suscipit, se ex justitia commutativa obligat ad bonum commune omni modo meliori promovendum, & semper ad optimorum Officialium delectum, sed tantum ad eligendos semper dignos, & absolute bonos. A. constat; quia Oeconomus non semper obligatur ex justitia commutativa, ut operarios & artifices optimos constituat, sed sufficit, si eligat simpliciter, & absolute bonos.

Prob. 3. Quamvis sæpe Distributores, præsertim beneficiorum Ecclesiasticorum, imo juxta aliquos etiam illi, qui distribuunt officia sæcularia, teneantur ad eligendos digniores vi præcepti seu naturalis, seu positivi, tamen hoc præceptum videtur tantum obligare ex fidelitate debita Ecclesiæ, vel Reipublicæ, non autem ex justitia commutativa; saltem, ut ex dictis claret, incertum est, an Respublica, vel Ecclesia suos distributores velit ex titulo justitiæ commutativæ obligare: ergo non sic obligantur, consequenter non tenentur ad restitutionem.

Confirm. 1. Propter maximam authoritatem DD. nobis faventem, & propter rationes adductas saltem dubium oritur, an eligens minus, absolute tamen dignum, violarit justitiam commutativam, & an teneatur ad restitutionem ob damna inde emergentia: atqui quando possessor, & Dominus suorum bonorum vere est dubius, an violaverit justitiam commutativam, & teneatur restitutionem facere ex bonis suis, quæ juste possidet, tunc non censetur esse obligatus ad talem restitutionem: ergo. m. constat; quia nemo ob dubium est spoliandus certa possessione suorum bonorum.

Confirm. 2. Specialiter de eligente, vel promovente minus dignum ad beneficium Ecclesiasticum: dum Ecclesia digniores vult præfici Beneficiis, præsertim curatis, & majoribus, id solum postulat, & stricte præcipit fieri ob evitationem damnorum spiritualium, non autem temporalium: ergo Ecclesia ob collationem Beneficii factam minus digno, non obligat ad compensanda damna temporalia, inde Ecclesiæ emergentia. A. constat ex constitutionibus Ecclesiæ circa hoc punctum factis, quæ

 sem-

semper attendunt ad pericula animarum præcavenda. Quare in ordine ad damna temporalia evitanda se habet Ecclesia, sicut Respublica sæcularis: atqui Respublica sæcularis non obligat Collatorem officiorum civilium ex justitia commutativa ad conferenda ea digniori, & ad damna resarcienda, quæ sequuntur ex collatione minus digno facta: ergo.

Objic. 1. Si notabiliter minus dignus eligitur, exponitur Ecclesia, vel Respublica periculo, ne ei omnino indignus præficiatur: atqui sic Ecclesiam, vel Rempublicam periculo exponere, videtur in Electore esse contra justitiam commutativam: ergo. R. N. M. vel claritatis gratia dist. nisi de minus digno certo constet, quod sit absolute dignus c. M. secus n. M. Nos ponimus, quod aliquis certo sciatur dignus: atqui dum certo dignus præficitur, non potest esse periculum præficiendi omnino indignum, ut ex terminis claret.

Objic. 2. Ipsa lex naturalis videtur obligare, ut digniores saltem ad Episcopatus, ac Parochias, & alia beneficia curata majoris momenti promoveantur: ergo. R. D. a. lex naturalis videtur obligare ex justitia commutativa N. a. ex charitate, vel fidelitate, quarum neutra importat onus restitutionis C. a. & N. c.

454 Quæres 1. An Princeps possit vendere officia sæcularia? Dixi: *sæcularia*; Beneficia enim Ecclesiastica ob Simoniæ vitium vendi nequeunt: de quo forte in hoc Tractatu aliqua dicentur. R. affirmative, dummodo certæ conditiones in tali venditione observentur. Ita D. Thomas Opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ, Herincx, & alii passim.

Conditiones autem sunt istæ: 1. ut non vendantur cuilibet, præsertim illi, qui tantum plus pretii solet offerre, sed solum personis dignis, & quidem, quantum possibile est, dignioribus, ne ex aviditate lucri homines inepti cum periculo subditorum præponantur officiis. 2. Debet adesse authoritas in vendente, qualis est in supremo Principe, non autem in inferiore Officiali, nisi forte ex ju[illegible] causa a supremo Principe hanc authoritatem obtinuerit. 3. Ut necessitas Reipublicæ ejusmodi venditio-

ditionem exposcat. 4. Ut non vendatur ipse labor officio annexus; hic enim est onus, quod alteri vendi non potest. Neque potest vendi pretium alias debitum, & labori, qui est officio annexus, commensuratum; nam & hoc jam aliunde ex justitia debetur illi, qui laborem & officium in se suscipit. 5. Igitur requiritur, ut præter laborem, & stipendium justum pro labore emptor ex tali officio reportet specialia quædam emolumenta, v. g. magnam eminentiam & dignitatem: sic non raro prædia, & dominia satis caro venduntur ob solum titulum magnificum aut eminentem, ipsis annexum, etsi cæteroquin paucos fructus, & redditus temporales ferant. Iterum excessus ille, quo stipendium annuum superat æstimationem laboris officio annexi, etiam pretio æstimabilis, & vendibilis est. Ratio hujus est: quia Respublica excessum illum stipendii posset Officiali omnino juste subducere: ergo & eum illi vendere potest. Insuper, si officium sit tale, ut occasionem faciendi quæstum præbeat, etiam pretio sit æstimabile; nam & ædes, quæ ad faciendum quæstum sunt opportunæ, ideo pluris venduntur.

Ex his causis, & sub his limitationibus aliquando juste possunt officia sæcularia, saltem moderato pretio, vendi: id, quod praxis obtinuit in variis Curiis, etiam Romana. Neque obstat Novella 8. c. 7. in qua prohibetur officiorum publicorum venditio: nam ibi vel solum prohibetur venditio ista sine adductis circumstantiis facta, vel hæc Novella non est usu recepta. Addo nihilominus, ejusmodi venditiones minime expedire, sed sæpe posse esse perniciosas; nam, dum officia fiunt vendibilia, sæpe obtinentur ab indignis, & sola causa divitum promovetur, omissis aliis longe dignioribus: unde etiam studia negliguntur, & quisque pecuniis corradendis insudat.

Quæres 2. An violans justitiam legalem teneatur ad restitutionem? R. negative. Communis: ratio est; quia justitia legalis non importat jus, & debitum rigorose dictum: ergo ejus violatio non obligat ad restitutionem. Accedit communis omnium DD. sententia. Videatur Illsung T. 4. d. 2. q. 1. n. 20. ad finem.

ARTICULUS II.

De necessitate Restitutionis.

§. I.

An Restitutio sit necessaria necessitate medii, vel præcepti?

455 NOTA 1. Illa esse necessaria necessitate *medii*, quæ sunt media per se requisita ad consequendam, aut constituendam justificationem hominis, ita quidem, ut iis etiam inculpabiliter, v. g. ob ignorantiam invincibilem, aut impotentiam physicam omissis, justificatio, consequenter & æterna salus de lege ordinaria nunquam obtineatur. Justificatio autem est gratia prima sanctificans, per cujus receptionem homo vel liberatur a peccato originali, vel a peccato mortali, & Filius ac Amicus Dei ex mancipio dæmonis evadit.

Hoc modo necessaria sunt 1. Baptismus, qui per se requiritur, ut deleat peccatum originale, & conferat homini gratiam sanctificantem. 2. Fides Dei unius, & Remuneratoris, quæ per se in adultis disponit ad gratiam primam sanctificantem. 3. Pœnitentia post lapsum in peccatum actuale grave, quæ juxta ordinationem Dei nos reconciliat cum Deo, & nobis reddit stolam primam, seu gratiam primam justificantem. 4. Gratia sanctificans ipsa; hæc enim est forma justificans, & formaliter constituit justificationem hominis &c.

Nota 2. Præcise, & unice necessaria necessitate *præcepti* sunt illa, quæ quidem non sunt media per se ordinata ad justificationem, & gratiam primam sanctificantem acquirendam, est tamen obligatio sub præcepto ad ea ponenda, ita ut aliquis peccet, si non adimpleat tale præceptum. De cætero, si aliquis inculpabiliter, v. g. ex ignorantia, aut impotentia illud non facit, quod est necessarium necessitate præcepti, seu quod præcise, & unice præcipitur, nihil obest, neque talis peccat. Et quoad hoc est

eſt notabile diſcrimen inter illa, quæ requiruntur neceſſitate medii & præcepti. Iterum, quæ requiruntur neceſſitate medii, debent per ſe influere in gratiam ſanctificantem, & illam conferre: quæ autem exiguntur neceſſitate præcepti, non influunt in gratiam ſanctificantem primam per ſe, tanquam media neceſſaria, & indiſpenſabilia, ſed tantum requiruntur, ut evitetur novum peccatum, quod committeretur per transgreſſionem præcepti. Verum plura de hoc in Tractatu de Virtutibus theologicis. H. P.

Aſſero. Reſtitutio non eſt neceſſaria neceſſitate medii ad 456
ſalutem. Ita fere omnes Theologi contra paucos antiquos. P. 1. Reſtitutio non eſt medium per ſe requiſitum ad juſtificationem, nec per ſe confert gratiam primam, ſed tantum requiritur, ut evitetur novum peccatum: ergo non eſt neceſſaria neceſſitate medii. 2. Reſtitutio inculpabiliter omiſſa non obeſt ſaluti hominis: atqui illa, quæ requiruntur neceſſitate medii, etſi inculpabiliter omittantur, obſunt ſaluti hominis: ergo reſtitutio non eſt neceſſaria neceſſitate medii.

His non obſtantibus reſtitutio eſt neceſſaria neceſſitate præcepti. Et quidem, ut alia taceam, urget ad reſtitutionem præceptum naturale, deductum ex illo principio naturali: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: vel, quod tibi vis fieri, alteri feceris:* atqui tu vis, ut tibi reſtituatur tuum; ergo & tu reſtitue. 2. Jure naturali alteri jubemur non inferre damnum, neque etiam illatum continuare: atqui, qui non reſtituit, continuat damnum illatum: ergo. Quare recte dixit D. Auguſtinus Can. 1. cauſ. 14. q. 6. *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Objic. 1. In illo, qui inique per peccatum mortale aliquem damnificavit, reſtitutio vel in ſe, vel in voto eſt neceſſaria ad juſtificationem, & gratiam primam recipiendam: ergo reſtitutio vel in ſe, vel in voto requiritur neceſſitate medii, ſicut Baptiſmus, aut Pœnitentia. A. conſtat; talis enim ſaltem votum, & propoſitum implicitum debet habere reſtituendi, caſu, quo reſtitutio fieret poſſibilis.

R. D. a. Reſtitutio vel in ſe, vel in voto eſt neceſſaria per ſe, & tanquam medium per ſe influens in juſtificationem

N. a. per accidens, & ne novum fiat, vel antiquum peccatum continuetur, & sic per accidens obex ponatur requisitis per se necessariis ad justificationem C. a. Restitutio seu in voto, seu in se non est necessaria necessitate medii ad justificationem, seu non est medium per se influens in justificationem. In adducto tamen casu requiritur per accidens, ne per ejus omissionem fiat novum peccatum, vel continuetur antiquum, & per illud ponatur obex illis mediis, quæ ad gratiam primam per se concurrere debent; nam sine tali proposito restitutionis, vel restitutione ipsa non haberetur pœnitentia de peccato, quæ tamen pœnitentia est medium necessarium ad justificationem in gravi peccatore.

Objic. 2. Si daretur præceptum restituendi, tunc per illud præcipue stringeretur nolens restituere: atqui nolens restituere non stringitur ejusmodi præcepto: ergo non datur præceptum restituendi. m. p. Creditor tenetur ex charitate relinquere bona sua, ne proximus damnetur: adeoque tenetur remittere debitum nolenti restituere, ne hic damnetur; atqui si nolenti restituere remittitur debitum, non amplius stringeretur præcepto restitutionis: ergo. m. constat; quia non stringitur præcepto restitutionis, qui rem alienam consentiente Domino detinet. R. Et nolentem, & volentem, qui rem alienam rationabiliter invito Domino detinent, stringi præcepto restitutionis. ad prob. N. M. charitas enim solum obligat, ut saluti proximi succurratur cum jactura bonorum temporalium, quando is est in necessitate, & quando seipsum liberare non potest ab æterna damnatione: ast in proposito se ipsum liberare posset, dummodo vellet, imo seipsum voluntarie per nolitionem restitutionis in æternæ damnationis periculum conjicit. Accedit, quod obligatio remittendi cuivis debita, redigeret omnes brevi tempore ad extremam paupertatem, & omnibus rapinis & furtis viam aperiret: imo non esset amplius possibile furtum; quia Dominus ex charitate teneretur impedire peccatum grave furis, & huic dare jus in sua bona. Verum ista sunt absurdissima.

457 Colliges tamen, quod restitutio non sit ita necessitate præcepti necessaria, ut animæ defunctorum e purgatorio liberari nequeant, donec ab eorum hæredibus fiat restitutio, prout homines

nes simplices sibi non raro persuadent. Elbl, Holzman, ac alii. Ratio est: vel defunctus, dum vivebat, fecit, quantum potuit, & debuit sub mortali facere ad præceptum restitutionis adimplendum, vel non fecit? si secundum: tunc non est in purgatorio, sed in inferno. Si primum: æquitas non admittit, ut, postquam pro suis peccatis est satis passus, patiatur amplius ob culpam hæredis a se inimpedibilem.

Dices: Ex historiis constat, quod animæ defunctorum monuerint hæredes restitutionis faciendæ, ut sic citius liberarentur: ergo. R. per ejusmodi restitutionem ab hæredibus factam animas e purgatorio posse sæpius per accidens liberari: *tum*, quia ipse actus restitutionis est aliquis actus satisfactorius, & ex pio, eoque meritorio commiserationis affectu per modum suffragii pro defunctis debitoribus potest offerri ab hæredibus: *tum*, quia illi, quibus restitutio fit, & qui inde aliquam eleemosynam percipiunt, possunt moveri ad preces fundendas pro debitore defuncto. Nego autem, quod restitutio ista fuerit conditio necessaria, sine qua animæ e purgatorio non fuissent liberatæ.

§. II.

An præceptum Restitutionis sit affirmativum, vel negativum?

ASSERO: Est potius affirmativum, quam negativum. Herincx, Sporer, Vogler, Holzman, contra Mastrium, Haunoldum, & alios plures. 458

Prob. Illud præceptum est affirmativum, quod directe & primario præcipit positionem actus positivi, ut in Tractatu de legibus est dictum: atqui præceptum restitutionis directe & primario præcipit positionem actus positivi, scilicet redditionem positivam debiti, compensationem damni illati &c.: ergo præceptum restitutionis est affirmativum. Adde: quamvis præceptum restituendi reductive pertineat ad præceptum negativum non furandi, directe tamen longe aliquid aliud præcipit, quam præceptum non furandi; siquidem aliud est, omittere furtum, & aliud restituere, vel compensare: quæ diversitas explicari

 non

non poteſt, niſi admittatur, præceptum reſtituendi eſſe affirmativum, ſaltem principaliter, quamvis reductive ſpectet ad præceptum negativum non furandi, & importet negationem continuationis injuriæ illatæ: quæ tamen negatio non poteſt aliter obtineri, quam per actum poſitivum reſarcitionis damni illati.

459 Objic. 1. Perinde eſt dicere: *reſtitue*, ac: *non detine rem alienam*: ergo præceptum reſtituendi eſt negativum; præcipit enim negationem detentionis rei alienæ. R. N. a. *Reſtituere*, & *non detinere rem alienam* preſſe non videntur idem ſonare; nam multi non detinent rem alienam, non tamen propterea vere, & proprie reſtituunt. Sic ille, qui nunquam proximum læſit in bonis ſuis, aut ei nihil debet, non detinet rem alienam, non tamen ideo reſtituit proximo. 2. Si præcepto reſtitutionis nihil aliud præciperetur, quam ut non detineatur res aliena, fur ſatis faceret huic præcepto, ſi rem inique ablatam dilapidaret, aut in flumen projiceret; ſic enim jam non amplius detineret rem alienam: atqui ſequela eſt abſurda: ergo.

Objic. 2. Præceptum reſtitutionis poteſt impleri ſine actu poſitivo: ergo eſt præceptum mere negativum. A. p. 1. Si equus ablatus ſine cooperatione furis ad Dominum ſuum ſponte rediret. 2. Si fundum inique occupatum Dominus vindicaret, & tu vindicanti non reſiſteres. 3. Si ſponte poſſeſſionem talis fundi desereres: in his caſibus reſtitueres, & tamen nullum poſitivum actum exerceres: ergo.

R. N. a. ad prob. 1. & 2. dico: ſi res aliena ad Dominum revertitur ſine illius cooperatione, qui talem rem debuiſſet reſtituere, tunc non adimpleri præceptum reſtitutionis ob defectum poſitivæ redditionis: quamvis hoc præceptum per accidens obligare ceſſet, quatenus materia, & objectum ejus aufertur, dum res ablata ad proprium Dominum revertitur.

Nota igitur, quod aliud ſit, præceptum impleri, & aliud, illud ceſſare obligare. Impleri dicitur, dum ponitur actus poſitivus præceptus, ſi præceptum ſit affirmativum: ceſſat autem obligare variis aliis modis. Sic præceptum audiendi Sacrum non im-

impletur nisi actu positivo auditionis Sacri, cessat vero ob alias varias causas obligare, v. g. ob ægritudinem, ignorantiam inculpabilem diei festi, aut assistentiam necessariam moribundo exhibendam. Ita quoque præceptum restituendi non impletur, dum debitor non potest restituere, & tamen in hoc casu obligatio hujus præcepti per accidens cessat. Sic discurre etiam in nostro casu.

Ad 3. exemplum dico: neminem posse possessionem prius cœptam relinquere saltem sine actu voluntatis exterius manifestato: adeoque jam intervenit actus positivus.

Objic. 3. Præceptum restitutionis obligat semper, & pro semper, sicut alia præcepta negativa: ergo etiam est negativum. R. N. a. Sæpe enim obligatio hujus præcepti saltem per accidens cessat, aut suspenditur ob impotentiam illius, qui tenetur restituere, ut dicetur, agendo de causis excusantibus a restitutione.

Objic. 4. authoritatem Scoti 4. d. 15. q. 2. §. *de quarto.* n. 28. & 29., ubi videtur tenere, quod præceptum restitutionis sit præceptum negativum, & quidem hoc: *Non furtum facies*: proinde, quod restitutio sit cessatio a furto, & negatio injustæ detentionis: ergo nostra conclusio est contra Scotum. R. 1. Scotum solum velle, quod præceptum restituendi reductive pertineat ad præceptum negativum non furandi. 2. Scotus cit. loc. tantum vult, quod restitutio non sit satisfactio sacramentalis, quæ in confessione a Sacerdote injungi solet, cujus rationem dat: quia jam ante omnem impositionem pœnitentiæ a Sacerdote factam ex præcepto naturali aliquis tenetur restituere. Hæc erat Scoti decisio, quam ibi pro praxi statuit, parum sollicitus, an præceptum restitutionis intendat cessationem a furto directe, vel indirecte tantum. Item, dum paritatem ponit inter præceptum *non mœchaberis*, & *restitutionis*, hoc unice vult, quod præceptum restitutionis jam ante impositionem satisfactionis sacramentalis obliget, sicut præceptum non mœchandi. Reliqua, quæ de præcepto negativo ibi obiter inspersa sunt, non ex propria assertiva mente proferre videtur.

DISSERTATIO II.

De Radicibus Restitutionis.


460 Titulus, seu radix restitutionis nihil est aliud quam causa, ob quam restitutio fieri debeat. Tales radices communiter duæ tantum assignantur, ut videre est apud Reiffenstuel, & Elbl Conferent. 1. de Restit. n. 2. Titulus primus scilicet est *res accepta*, alter *injusta acceptio*, vel *læsio*. Ratio primi tituli est: quia ille, qui rem alienam etiam optima fide possedit, si advertat, esse alienam, tenetur eam statim restituere. Ratio rationis: quia res aliena, etiam apud bonæ fidei possessorem existens, semper clamat ad Dominum suum. Item: talis bonæ fidei possessor habet plus in bonis suis, quam vi juris sui activi ipsi competit: Dominus vero, ad quem res aliena spectat, habet minus: adeoque est inæqualitas, quæ per restitutionem debet tolli. Accedit, quod bonæ fidei possessor rei alienæ saltem inferat injuriam materialem, quæ resarciri debet redditione, quamprimum advertitur, quod hæc res sit aliena, seu ad alium pertineat.

Ratio secundæ radicis per se patet; quia injuste accipiens rem alienam, alterum formaliter, & scienter damnificat, ac inæqualitatem ponit, quam restitutione a fortiori reparare debet.

Sunt aliqui, qui cum Sporer & Holzman quatuor radices enumerant, scilicet 1. ex re accepta. 2. ex injusta acceptione. 3. ex damnificatione. 4. ex contractu. Imo La-Croix L. 3. p. 2. n. 18. addit quintam ex lege positiva, ex eo, quod jus in certis casibus injungat restitutionem damni, quamvis nec sit res aliena accepta, nec injusta acceptio, vel damnificatio, neque contractus; ut si animal Joannis occiderit animal Petri.

Verum tres istæ radices, quas laudati Authores addunt, facile ad duas nostras reducuntur. Sic ad injustam acceptionem pertinet damnificatio injusta; hæc enim est quædam subtractio rei alienæ, quamvis ejusmodi res aliena non sit utilis damnificanti:

canti: cum injusta damnificatio supponatur tunc contingere, cum quis rem alienam malitiose destruit sine utilitate propria, uti faciunt devastantes segetes, vel accendentes alienam domum. Ad eamdem radicem reductive spectant obligationes restituendi ex contractu, & lege positiva; quia in his præsupponitur injusta læsio, aut præcavetur, eoquod quandoque soleat, & sæpe possit intervenire. His suppositis sit



ARTICULUS I.

De Restitutione debita ex re accepta, seu a bonæ fidei possessore.

§. I.

Quid, & quantum possessor bonæ fidei debeat restituere de substantia rei alienæ?

NOTA 1. Bonæ fidei possessorem tantum teneri restituere ex titulo rei acceptæ, seu, quod idem videtur esse, ex delicto materiali; siquidem delictum formale, aut formalem injustitiam non commisit: adeoque ex injusta acceptione non tenetur. 461

Nota 2. Magnam esse differentiam inter restitutionem faciendam ex titulo rei acceptæ, & ex titulo injustæ acceptionis, prout ex seqq. Articulis patebit.

Nota 3. Pro restitutione facienda a bonæ fidei possessore, seu ex titulo rei acceptæ, esse hanc universalem regulam: Mensura restitutionis ex delicto materiali, seu ex re accepta, est *quantitas possessionis.* id est: Possessor bonæ fidei tenetur restituere tantum, quantum de re aliena adhuc possidet formaliter, vel quantum inde est factus ditior. Regula hæc per sequentes Assertiones expendetur. Hinc

462 Affero 1. Poffeffor bonæ fidei, ubi certo cognovit, rem, quam hactenus poffedit, effe alienam, tenetur illam reftituere: & quidem 2. eamdem in individuo, per fe loquendo. DD. communiter. P. Res femper clamat ad Dominum fuum, & manet femper devincta fuo Domino, atque cum hac obligatione, ut fuo Domino reftituatur, redit a quemcunque poffefforem: ergo bonæ fidei poffeffor tenetur eam reftituere, & quidem ante omnem fententiam judicis; cum lex naturalis ante omne imperium judicis cuilibet injungat, ut cuique reddatur jus, & res fua. Ex quo

Colliges: Petrum, qui rem alienam emit a fure bona fide, nefciens eum effe furem, teneri ad reftitutionem rei hujus alienæ, etfi debeat jacturam pretii pro tali re expenfi fubire. Ratio hujus eft jam data; quia ejusmodi res clamat ad Dominum fuum: neque Petrus poteft evitare jacturam pretii fui cum injuria, & læfione juris alterius. Debet ergo fibi computare, quod rem alienam a fure, & non Domino emerit:

Prob. etiam 2. membrum Affertionis: quia res in individuo eft alterius: adeoque in individuo clamat ad alterum tanquam Dominum. Hoc tamen intelligendum eft *per fe loquendo*; nam 1. fi quis fidei bonæ poffeffor reftituendo rem alienam in individuo incurreret grave incommodum, utique poffet reddere aliam ejusdem valoris, & bonitatis; tunc quippe creditor non effet rationabiliter invitus ob non redditam eamdem in individuo rem. 2. Satisfacit debitor reddendo aliam rem æqualis bonitatis, quando Dominus prudenter præfumitur alia re æquivalente fore contentus, prout regulariter præfumi poteft, fi res fit ufu confumptibilis, ut pecunia, vinum, triticum &c. ita Holzman.

Dixi in Affertione: *ubi certo cognovit*; nam fi dubio invincibili laborat, num res fit aliena; rem fibi licite retinet, vel confumit, alienat &c. quia *in dubio melior eft conditio poffidentis*, ut fuperius jam eft dictum.

463 Affero 2. Si res aliena non quidem exftat formaliter apud bonæ fidei poffefforem, eft tamen apud eum virtualiter, in quantum hic inde factus eft ditior, tunc tenetur & illud reftituere,

in quo ex re aliena factus est locupletior. Communis P. Pretium, aut id, in quo talis possessor factus est ditior, succedit loco rei alienæ. ergo sicut rem alienam adhuc existentem tenetur restituere, ita tenetur restituere pretium, sive id, in quo factus est ditior.

Confirm. L. 14. ff. *de condictione indebiti* habetur: *Natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem;* atqui, nisi possessor bonæ fidei teneretur restituere illud, in quo factus est ditior, cum alterius detrimento fieret locupletior ex re aliena: ergo.

Petes: Quid sit ex re aliena fieri ditiorem? R. Esse nihil aliud, quam aliquem per se ex re aliena capere aliquod emolumentum, vel parcere aliquibus sumptibus, quos alias de suo fecisset, nisi rem alienam in hunc finem impendisset. Quantum ergo est tale emolumentum, vel in quantum parcit rebus suis, illarum loco rem alienam applicando, in tantum dicitur factus ditior ex re aliena.

Res hæc explicatur exemplis: 1. Rem alienam a fure donatam accepisti bona fide, quam iterum donasti liberaliter alteri, cui alias nihil donasses, nisi tali dono fuisses affectus: in hoc casu non es factus ditior ex re aliena; quia ratione rei alienæ non habes aliquod emolumentum, vel bonum in rebus tuis, quod alias non habuisses, si rem istam alienam non possedisses. 2. Si autem alias donasses eidem, etsi rem illam alienam non recepisses, tunc donando rem alienam fis ditior; quia dando rem alienam parcis rei tuæ, quam alias dedisses. 3. Attrivisti vestem alienam, 50. florenis constantem: interea autem, nisi hanc vestem alienam habuisses, attrivisses aliam 20. florenis constantem. Tali casu ex re aliena tantum factus es ditior 20. florenis; quia 20. florenos tantum, non autem plures expendisses de pecuniis tuis, nisi veste aliena usus fuisses.

Assero 3. Si bonæ fidei possessor rem alienam ita consum- 464
psit, ut neque per eam sit factus ditior, ad nihil restituendum tenetur. Communissima. P. In tali casu neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione est obligatio ad restituendum: ergo ex nullo capite, cum tantum duo prædicta capita, & tituli restitutionis sint. A. constat; non enim tenetur *ex re accepta;* quia hæc

hæc non amplius exſtat in ſe formaliter, neque æquivalenter in eo, in quo poſſeſſor eſſet factus ditior: atqui res non amplius exiſtens formaliter, aut æquivalenter, non poteſt amplius clamare ad Dominum ſuum, neque Domino eſt obligata. Neque tenetur *ex injuſta acceptione*, eo ipſo, quod ſupponatur eſſe bonæ fidei poſſeſſor, qui detinendo, vel conſumendo &c. rem alienam, nullum peccatum contra juſtitiam commiſit. Dixi: *contra juſtitiam*; eſto enim aliquis conſumendo talem rem peccaverit contra alias virtutes, v. g. caſtitatem, bona hæc impendendo in luxuriam, non tenetur ad reſtitutionem; mala enim fides, & peccatum, quod fundat obligationem reſtitutionis, debet pugnare contra juſtitiam commutativam, ex qua ſola oritur onus reſtitutionis.

Objic. contra 2. Aſſertionem: Si debet bonæ fidei poſſeſſor reſtituere, in quantum eſt ditior factus ex re aliena, tunc etiam debet reſtituere is, qui in aliena domo bona fide comedit cibos furtivos, & ſic factus eſt ditior: ſed talis non videtur teneri reſtituere: ergo. m. p. ſi talis teneretur reſtituere, tunc etiam ille, qui in aliena domo ſe calefacit ad ignem, ex lignis furtivis excitatum, quatenus ſic parcit lignis ſuis, quæ alias comburere deberet: ſed ſequela videtur abſurda: ergo.

R. C. M. n. m. ad prob. min. diſparitas eſt; nam talis, qui ſe ad alienum ignem calefacit, non cenſetur in morali æſtimatione ligna illa conſumere, ſed ſe habet ad iſtam conſumptionem mere per accidens, & ex tali conſumptione per accidens fit ditior. Aliud eſt de eo, qui comedit, & bibit alienam rem; talis enim ex intentione, & non per accidens conſumit cibos: adeoque ex tali conſumptione non per accidens, ſed per ſe fit ditior. Ex his

Colliges 1. Si durante bona fide res aliena apud poſſeſſorem bonæ fidei pereat vel caſu, vel etiam negligentia poſſeſſoris, eum nihil teneri reſtituere, niſi forte ſit factus ditior. Ratio eſt: quia neque ex injuſta acceptione, neque ex re accepta tenetur, ut patet ex dictis.

Colliges 2. Si rem alienam bona fide emeris, ac illam poſtea eodem, vel minori pretio vendideris, ad nullam reſtitutio-

tutio-

tutionem teneris, Domino rei faciendam: Holzman ex Molina, & Dicastillo. Ratio est: quia apud te nec formaliter, nec æquivalenter exstat, cum inde plus non habeas in bonis tuis, quam habuisses aliunde, etsi caruisses semper tali re aliena. Si autem rem illam majori pretio vendideris, adeo ut rem tuam familiarem auxeris, teneris tale augmentum restituere Domino. Dixi: non teneris ad restitutionem *Domino* faciendam; nam, an emptori non tenearis ad restitutionem pretii, alibi decidetur.

§. II.

An bonæ fidei possessor una cum re aliena teneatur etiam restituere fructus ex ea perceptos?

NOTA 1. Per fructus hic intelligi omne id, quod percipitur ex re, vel occasione rei. Dividuntur in *naturales*, *industriales*, & *mixtos*. *Naturales*, vel *spontanei* sunt, quos natura ipsa producit, quin interveniat notabilis industria humana, uti ligna cædua in sylvis, herbæ pratorum, poma arborum &c. *Industriales* sunt, qui fere unice, vel certe præcipue ex industria humana ortum habent, ut lucrum ex pecunia; nam pecunia est ex se sterilis: ergo lucrum non est fructus pecuniæ, sed industriæ illius, qui pecunia negotiatur. Item artefactum alieno instrumento confectum, fructus industriæ, non instrumenti est. *Mixti* sunt, quando natura, & industria fere æqualiter ad eorum productionem concurrunt: tales sunt segetes, uvæ, oleum, cerevisia, caseus, butyrum, sata omnia in agris & hortis. Atque hos fructus, quos nos mixtos dicimus, Civilistæ etiam industriales appellant. His addunt nonnulli fructus *civiles*, qui non ex ipsa re, sed occasione rei mediante aliqua obligatione civili proveniunt, ut usuræ, mercedes, salaria, pensiones, census, & alii redditus annui. 465

Nota 2. Fructus alios esse *perceptos*, alios *percipiendos*. *Percepti* sunt non solum illi, qui perfecte sunt collecti, veluti qui jam sunt illati in horreum, sed etiam ii, qui industria hominum sunt a solo, vel a re fructifera separati, licet necdum in horreis, vel cellariis reconditi. L. *Si fructuarius*. 13. ff. *Quibus*

modis ususfructus amittatur. ubi dicitur : *Fructum percipi spica, aut fœno cæso , aut uva adempta , aut excussa olea , quamvis nondum tritum frumentum , aut oleum factum , vel vindemia coacta sit.* Aliud est , si olea per se decidit , & absque industria hominis separata est a solo , ut statim subjungit lex citata. Fructus *percipiendi* , seu *pendentes* sunt illi , qui adhuc pendent , & corpori fructificanti , v. g. solo , arbori &c. adhærent. Insuper fructus percepti alii sunt *consumpti* , qui non amplius existunt in rerum natura , & quos possessor in suos usus convertit. Aliqui sunt *existentes* , & *non consumpti* , quos nempe non sic consumpsit. Deinde fructus etiam *consumpti* possunt esse *virtualiter existentes* , in quantum scilicet ex iis possessor est factus ditior , vel eos in æquivalenti possidet , ut , dum loco eorum habet pretium , pro quo tales fructus sunt venditi. Denique fructus possunt esse consumpti, vel percepti ante, vel post litis contestationem. H. S.

466 Assero 1. Fructus mere industriales non tantum bonæ , sed etiam malæ fidei possessor pleno jure facit suos , ita , ut nihil pro iis teneatur restituere , quamvis adhuc formaliter existant , vel possessor inde sit factus ditior.

P. Fructus mere industriales sequuntur industriam : ergo ad illum spectant , ad quem pertinet industria , atqui hæc spectat ad ipsum possessorem , qui talem industriam impendit : ergo & fructus industriales pertinent ad ipsum possessorem sive bonæ , sive malæ fidei. A. constat ; sicut enim fructus rei sequitur rem , ita fructus industriæ comitatur industriam.

Confirm. 1. Ipsum lumen naturæ dictat , esse nostrum , quod nostra industria est partum ; eoquod lucrum tale non sit rei , sed personæ : sic nemo imaginem , a Paulo confectam penicillo alieno , v. g. Petri , huic , scilicet Petro , adjudicat , sed potius Paulo , cujus industriæ & artis opus , & fructus est.

Confirm. 2. Quælibet res fructificat Domino suo : atqui industriæ suæ Dominus est possessor , ponens hanc industriam , sicut & omnium reliquarum actionum suarum dominium habet : ergo industria etiam fructificat tali possessori , & fructus industriæ ad

ad eumdem pertinent. Juristæ, qui huic assertioni oppositum videntur dicere, revera non sunt oppositi; nam illi non loquuntur de fructibus mere industrialibus, sed de mixtis, quos ipsi etiam industriales vocant.

Deduces 1. Eum, qui lucratus est pecunia aliena, eam proprio nomine exponendo in lusu, vel pro censu, aut applicando ad negotiationem, nihil teneri restituere, nisi ipsam pecuniam sic expositam, non autem lucrum occasione ejus reportatum. Ratio est: quia tale lucrum non est fructus pecuniæ de se sterilis, sed industriæ eam exponentis.

Deduces 2. Qui alienum triticum alio, ubi plus valet, deportat, & ibi proprio nomine cariori pretio vendit, satisfacit restituendo simile triticum. Ratio est eadem, quæ prius. Hoc tamen notent ejusmodi, qui re aliena negotiantur invito & inscio Domino, sæpe eos posse ad plus restituendum obligari ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, quod Dominus forte subire debet ex eo, quia ob alterius iniquitatem re sua ad tempus caret, & ea uti nequit.

Assero 2. Bonæ fidei possessor tenetur una cum re aliena 467
restituere fructus necdum perceptos, seu a solo. aut re fructifera necdum separatos, deductis tamen expensis utiliter factis, & æstimatione laboris. P. Tales fructus censentur esse pars rei fructiferæ: ergo si debet restitui tota res fructifera, debent etiam fructus ejus restitui. A. constat ex L. *Fructus pendentes.* 44. ff. *de rei vindicatione.* ibi: *Fructus pendentes pars fundi videntur.* Quod autem expensas, & æstimationem laboris deducere valeat, habetur ex L. 11. C. *de rei vindicatione.*

Assero 3. Bonæ fidei possessor una cum re aliena tenetur 468
restituere fructus etiam perceptos, tam naturales, quam mixtos, formaliter existentes, nisi hi jam sint legitime præscripti: potest tamen ab his iterum deducere expensas utiles, & æstimationem laboris, ac industriæ. Communis.

Prob. 1. Res fructifera semper fructificat Domino suo: ergo ad ipsum spectant omnes fructus rei tam naturales, quam mi-

mixti, in quantum hi, scilicet mixti, respondent naturæ, in quantum autem respondent industriæ humanæ, spectant ad possessorem: adeoque æstimationem industriæ suæ deducere potest, uti & alias expensas utiliter factas in rem fructiferam conservandam, excolendam &c.

Prob. 2. Ex L. *Certum.* 22. C. *de rei vindicatione.* quæ sic habet: *Certum est, malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare: bonæ fidei vero existentes: post litis autem contestationem universos*: ergo.

Et hi fructus, sicut & necdum percepti, debent restitui etiam casu, quo Dominus non fuisset eosdem percepturus ex re apud se existente, sive ex sua negligentia, sive ex alia causa, quia scilicet agrum non coluisset. Ratio est: etsi Dominus ex re sua apud se existente non collegisset fructum, tamen certum est, quod res, apud quemcunque sit, sui Domini sit, & huic fructificet, non autem alteri, qui non habet ejus dominium.

469 Objic. 1. Bonæ fidei possessor acquirit dominium fructuum ex re aliena perceptorum, etiam formaliter existentium, & quidem tam naturalium, quam mixtorum: ergo eos non tenetur restituere. a. p. L. *bonæ fidei.* 48. ff. *de acquirendo, vel amittendo rerum dominio.* dicitur: *Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena re suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia & opera ejus pervenerunt, sed* NB. *omnes.* id est, non solum industriales, sed etiam naturales, & mixtos. Et addit lex: *quia, quod ad fructus attinet, loco Domini pene est,* scilicet bonæ fidei possessor.

R. D. a. acquirit dominium revocabile C. a. irrevocabile N. a. Dominium hoc fructuum tantum esse revocabile, & durare tamdiu, donec possessor bonæ fidei in notitiam veri Domini, ad quem res aliena pertinet, veniat, ex ipsa lege citata colligitur; dicit enim, fructus suos *interim* facit. Tali modo etiam explicantur aliæ leges, quæ dominium fructuum naturalium & mixtorum adjudicant bonæ fidei possessori: uti lex *qui scit.* 25. §. 1. ff. *de usuris & fructibus.* ibi: *Bonæ fidei possessor in*

in percipiendis fructibus idem juris habet, quod Dominis prædiorum tributum est; loquitur enim de jure revocabili. Idem est de lege *sequitur.* 4. §. 19. ff. *de Usurpat. & Usucap.* ibi: *Lana ovium furtivarum, siquidem apud furem detonsa est, usucapi non potest: si vero apud bonæ fidei emptorem, contra: quoniam in fructu est, nec usucapi debet, sed statim emptoris fit.* ubi bonæ fidei emptor lanam, tanquam fructum rei alienæ non debet præscribere, ut ejus dominium *revocabile,* bene ut *irrevocabile* obtineat.

Objic. 2. Dominium revocabile nullum est dominium: ergo hæc lex, uti & aliæ citatæ, quæ bonæ fidei possessori tribuunt dominium fructuum naturalium & mixtorum existentium, non possunt loqui de dominio revocabili. A. constat in nobis Franciscanis, qui eo ipso, quod habeamus tantum facultatem revocabilem utendi rebus usu consumptibilibus, non habemus verum dominium. R. N. a. nam dominium revocabile est verum dominium, & jus disponendi pro libitu, & nomine proprio de tali re, donec scilicet ejusmodi dominium legitime revocetur. Sic in proposito tamdiu bonæ fidei possessor habet plenum jus nomine proprio, & secundum beneplacitum applicandi fructus haud aliter, ac verus Dominus, quamdiu perdurat bona fides, & Dominus rei alienæ fructiferæ ignoratur. Quod non est verum in Franciscanis, qui non ex jure, & nomine proprio, ne quidem revocabili, res sibi concessas consumunt. De reliquo dominium, & jus proprie dictum revocabile non est res insolita; tale enim dominium revocabile habet maritus in dote uxoris, utpote quod revocatur dissoluto matrimonio.

Objic. 3. L. 28. ff. *de Usuris & fructibus* dicitur, quod possessor bonæ fidei *pleno jure* acquirat fructus: atqui si acquirit pleno jure, acquirit irrevocabiliter: ergo. R. N. m. nam non semper possidetur irrevocabiliter, quod pleno jure possidetur, ut patet ex L. *generaliter. §. sub conditione. ff. Qui, & a quibus manumissi.* ubi servus sub conditione legatus alteri, pendente, seu necdum adimpleta conditione, dicitur esse *pleno jure* hæredis, quamvis tantum revocabiliter ad ipsum spectet, scilicet tamdiu, donec conditio fuerit impleta; hac enim purificata talis servus tradi debet Legatario.

Objic.

Objic. 4. Eadem L. 28. ff. *de Usuris*. Bonæ fidei possessor in ordine ad fructus comparatur Usufructuario: atqui Usufructuarius acquirit irrevocabile dominium fructuum: ergo & bonæ fidei possessor. R. D. M. comparatur Usufructuario in ordine quoad perceptionem fructuum c. M. quoad retentionem n. M. Hæc distinctio, & explicatio dari debet, ut ista lex cum aliis jam allegatis concordetur.

Objic. 5. Ad nihil prodest dominium istud revocabile: ergo frustra attribuitur bonæ fidei possessori. R. N. a. Servit enim 1., ut talis possessor permanente bona fide possit pro libitu de fructibus talibus disponere. 2. Juxta Reiffenstuel, & Pichler fructus isti non possunt per Dominum, dum rem suam evincit, a bonæ fidei possessore peti actione reali, & vindicatione, sed tantum implorando judicis officium, vel actione personali, scilicet condictione sine causa. Ratio hujus est: quia illud vindicari actione reali non potest, cujus quis non est Dominus: sed horum fructuum Dominus non censetur ille, ad quem res aliena spectat, sed bonæ fidei possessor, cui jura dominium fructuum perceptorum, revocabile tamen, tribuunt. Unde est disparitas inter fructus perceptos, & pendentes; illos enim, qui adhuc pendent, cum re sua vere actione reali potest Dominus vindicare.

Objic. 6. L. *fructus*. 45. ff. *de Usuris*. habetur: quod *uxor, vel vir, ex re sibi donata a conjuge* (quæ donatio invalida est) adeoque ex re aliena, *faciat tantum suos illos fructus, quos operis acquisierit, veluti serendo; nam si pomum decerpserit, vel ex sylva cæciderit, non fit ejus, sicut nec cujuslibet bonæ fidei possessoris; quia non ex facto ejus is fructus nascitur.* ergo saltem fructus mixti, ad quos industria bonæ fidei possessoris concurrit, ita sunt ejus, ut illos non teneatur restituere, etsi debeat restituere fructus mere naturales, ad quos ejus industria parum, aut nihil confert. Hæc objectio confirmari potest ex §. 35. Instit. *de rerum divisione.* ubi bonæ fidei possessori relinquitur fructus agri *pro cultura, & cura.*

R. N. c. Nam & ex hac lege tantum infertur dominium revocabile fructuum mixtorum: vel si irrevocabile, tunc illud se extendit tantum ad fructus mixtos, quantum hi respondent indu-

induſtriæ in eos producendos impenſæ, non autem in quantum reſpondent naturæ. Idem dic ad §. 35. Inſtit. pro confirmatione allatum.

Tandem nota, bonæ fidei poſſeſſorem non teneri ad reſtitutionem fructuum percipiendorum, ſeu illorum, quos potuiſſet percipere, non tamen percepit, quia v. g. ex negligentia agrum alienum, quem ut ſuum bona fide poſſedit, omiſit colere. Ratio eſt: quia bonæ fidei poſſeſſor ſolum tenetur reſtituere ex titulo rei acceptæ: ergo ſolum tenetur reſtituere illud, quod de re aliena adhuc poſſidet formaliter, vel æquivalenter: atqui de ejusmodi fructibus nihil poſſidet formaliter, aut æquivalenter; cum nihil de iis unquam perceperit: ergo. Similiter neque tenetur bonæ fidei poſſeſſor reſtituere fructus illos, ex re aliena bona fide perceptos, quos jam penitus conſumpſit ante litis conteſtationem, & ante notitiam, quod res illa, quæ fructus hos protulit, ſit aliena. Dixi: quos jam penitus conſumpſit, ita quidem, ut inde non ſit factus ditior, & tales fructus nec formaliter, nec virtualiter exſtent. Ratio eſt eadem, quæ prius; nam nihil amplius poſſidet de his fructibus: ergo eos non tenetur reſtituere.

Tenetur tamen talis bonæ fidei poſſeſſor reſtituere univerſos fructus poſt litis conteſtationem conſumptos, etſi ex iis non ſit factus locupletior; poſt hanc enim incipit eſſe in mala fide fictione juris: atqui qui mala fide conſumit rem alienam, tenetur ad eam reſtituendam ex titulo injuſtæ acceptionis, vel damnificationis: ergo. Concordat lex *Certum.* 22. C. *de rei vindicat.* ſuperius n. 468. allegata. His tanquam facilioribus præmiſſis ſit.

§. III.

An bonæ fidei poſſeſſor etiam obligatus ſit ad reſtituendos fructus bona fide ante litis conteſtationem conſumptos, quando ex iis factus eſt locupletior?

ASSERO: Bonæ fidei poſſeſſor ante præſcriptionem legitime completam probabilius tenetur reſtituere fructus tam naturales, quam mixtos, etiam æquivalenter exiſtentes, ſeu in quantum ex eorum uſu, venditione &c. eſt factus locupletior, deductis 470

tamen expensis, & æstimatione laboris. Assertio hæc intelligenda est secundum jus commune; si enim alicubi jus aliquod municipale aliud statuerit, tunc hoc illo in loco erit observandum. Hanc nostram sententiam tenet Reiffenstuel L. 2. Decret. T. 13. n. 149. & 153. ac seqq., qui allegat pro se Abbatem Covarruviam, Bartolum, qui licet sententiam contrariam dicant probabilem, nostram tamen probabiliorem agnoscunt. Idem facit Palao, qui, quamvis in oppositam sententiam inclinet, tamen dicit, nostram tanquam communiorem, & juri naturali conformiorem, esse tenendam. Pro nostra sententia etiam stant omnes Theologi antiqui, & Juristæ non pauci ex antiquis, quibus etiam accedit ex Recentioribus Joannes Christophorus Schambogen, celeberrimus per 30. circiter annos in Universitate Pragensi Jurium Professor. Est contra JCtos modernos, & paucos Theologos, ac Canonistas RR. scilicet Haunoldum, Illsung, Zetl, Ininger, Holzman, Schmier, Pichler, Wiestner. Verum contra hos.

Prob, 1. Ex una parte jus naturale antecedenter ad leges positivas certo obligabat ad restitutionem fructuum prædictorum, etiam virtualiter exstantium: & ex altera parte non est certum, sed summe dubium, an hæc obligatio juris naturalis sit sublata per legem aliquam positivam: ergo obligatio juris naturalis manet in sua certa possessione, & consequenter vi hujus tenetur bonæ fidei possessor restituere una cum re aliena etiam fructus virtualiter exstantes. C. patet; quia jus certum non tollitur per jus dubium; certitudo enim semper prævalet dubio: & aliunde constat, legem certo præexistentem tamdiu in sua possessione perseverare, donec non solum dubie, sed suo modo certo constet, eam esse correctam, vel sublatam. Imo etiam lex humana antecedenter certo lata debet observari, quando ejus abrogatio est dubia: ergo id a fortiori est tenendum de Jure naturali.

Ant. quoad 1. membrum constat *tum* ex confessione ipsorum Adversariorum: *tum* ex eo, quia tale augmentum, in quo factus est ditior, ei accrevit ex re aliena: ergo est quidam fructus rei alienæ: atqui secundum jus naturæ a bonæ fidei possessore debent una cum re aliena restitui fructus, & augmenta per se collecta ex re aliena: ergo. *tum* quia id indicat jus civi-

le L. 14. ff. *de condictione indebiti.* ibi: *Hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*: atqui sic bonæ fidei possessor fieret locupletior cum alterius detrimento, quod alter subire deberet, si non restitueretur emolumentum ex re sua natum. *tum* quia hic adest titulus restitutionis *ex re accepta*, vi cujus & ipsa res aliena, & augmenta ex re aliena capta reddi debent vero Domino.

Prob. etiam alterum membrum primi Anteced. Nam 1. nec ipsi AArii audent dicere, suam sententiam esse certam, sed ad summum eam defendunt ut probabiliorem. Imo nec ullam legem civilem possunt ostendere, quæ certo, & clare jus naturale revocaret: atqui jus naturale certo præexistens manet in continua sua possessione, donec iterum per certam legem humanam exturbetur e sua possessione. Plane probabilitas etiam major non prævalet certitudini, nec eam e possessione jam legitime præhabita dejicit. 2. Gravissimi Jurisconsulti, & plurimi Theologi, qui pro nostra sententia stant, pensatis etiam utriusque sententiæ fundamentis nostram sententiam judicant esse probabiliorem, atque in praxi tenendam: ergo contraria sententia non potest esse certa. 3. Teste, vel ipso Haunoldo, qui primus dicitur ex Theologis oppositam nobis sententiam tradidisse, jura circa hoc punctum sunt valde intricata, & non facile perceptibilia. Quomodo ergo ex tam obscuris & incertis textibus certam, vel etiam probabiliorem correctionem juris naturalis manifeste elicient Adversarii? 4. Leges, quas AArii adducunt, rationabilem patiuntur explicationem. Et si nos forte unam, vel alteram legem non adeo expedite resolvamus, habent & ipsi aliquas, in quibus enodandis ad explicationes non adeo faciles confugere debent, quas expositiones præcipue excogitant in favorem suæ sententiæ, ut eam possint defendere.

Ex quibus omnibus concludes, hæc jura humana, quibus ajunt corrigi jus naturale nobis favens, esse valde dubia: adeoque per ea jus, & obligationem naturalem certo præexistentem non elidi.

Prob. 2. Hæres ante aditam hæreditatem, & dum alius eam adhuc bona fide possidet, tantum habet jus ad rem, & non

non in re, & tamen debent ei evicta hæreditate restitui fructus virtualiter exstantes, seu augmentum, secundum quod possessor prior ex fructibus consumptis illius hæreditatis factus est ditior, ut clarum & certum est apud omnes JCtos & Th. Th. & habetur ex L. *item veniunt.* 20. & L. *Sed et si.* §. 5. ff. *de petitione hæreditatis.* ubi de bonæ fidei possessoribus dicitur, eos debere restituere, in quantum sunt facti locupletiores. Idem habetur L. 40. §. 1. ff. & L. 1. C. *de petitione hæreditatis.* ergo a fortiori debent ejusmodi fructus a bonæ fidei possessore etiam reddi in judicio particulari, quando non agitur de petitione hæreditatis, sed de re particulari, v. g. de fundo; nam in tali judicio particulari ille, cui hæc restitutio fieri debet, habet jus in re, & dominium fundi, ab alio bona fide possessi: atqui jus in re est fortius, quam tantum jus ad rem: ergo etiam fortius ligat.

Rdebis cum Haunoldo, & aliis, hanc obligationem restituendi fructus æquivalenter exstantes, seu in quantum possessor factus est ditior, esse specialiter statutam pro judicio universali, seu pro petitione hæreditatis, non autem pro aliis judiciis particularibus. *Contra est:* ex una parte major ratio pugnat pro judiciis particularibus, quam universalibus: ex altera parte non potest ostendi, quod jura pro judiciis particularibus oppositum statuerint: ergo idem a fortiori dicendum est de judiciis particularibus.

Confirm. Jus civile quoad restitutionem fructuum non videtur facere discrimen inter judicia universalia, & particularia, ut colligitur ex §. *et si in rem.* 2. Instit. *de Officio Judicis.* ibi: *Etsi hæreditas petita sit, eadem circa fructus interveniunt, quæ diximus intervenire de singularum* (seu particularium) *rerum petitione.*

Rdebis: Hunc textum solum intelligendum esse de fructibus formaliter, non vero de æquivalenter existentibus. *Contra est:* hæc responsio est prorsus arbitraria, ac gratis data: quin imo, si ea esset vera, tunc non eadem intervenirent quoad fructus in petitione hæreditatis, & rerum singularum. Et dato, quod inter petitionem hæreditatis, & petitionem aliarum rerum singularium sit aliquod discrimen, eoquod petitio hæreditatis sit alia actio, quam petitio rei particularis, in hoc tamen conve-

Pppp

niunt,

niunt, quod in utroque hoc judicio & actione æqualiter fructus ſint a Judice adjudicandi.

Objic. 1. Pichlerus contra noſtram primam probationem : 471
Non eſt certum, quod ſtantibus hisce legibus civilibus, quas adducunt Adverſarii pro ſe, exiſtat adhuc jus naturale, obligans bonæ fidei poſſeſſorem ad fructus virtualiter exſtantes reſtituendos: ergo non videtur hæc obligatio juris naturalis amplius manere in certa poſſeſſione. R. ad hæc, & alia; quæ laudatus Author L. 3. Decret. T. 12. n. 15. fere ad finem adducit, Neg. ant. & noſtrum argumentum iterato ſic propono: Obligatio reſtituendi in noſtro caſu ex lege naturali fuit certa ante leges poſitivas : ergo etiam ſtantibus legibus civilibus, ſeu poſt has editas manet certa; quia obligatio certa antecedens eſt in poſſeſſione, nec tollitur, niſi per deobligationem certam : qualis tamen certitudo deobligationis non evincitur ex illis legibus civilibus, quas Adverſarii pro ſe adducunt, prout fatetur ipſe Pichler. Adde, quod & Clariſſ. hic Doctor in ſuo Candidato Jurisprudentiæ abbreviato L. 2. T. 14. n. 5. inſinuet, non eſſe a jure naturali recedendum ob leges poſitivas & humanas, niſi in his legibus clare exprimatur talis receſſus : ergo idem in propoſito eſt dicendum. Denique ex communi apud omnes Theologos recepta doctrina liquidum eſt, legem prius certo latam ſemper manere in poſſeſſione, quamdiu tantum dubium eſt, an iterum ſit ſublata, vel in ea diſpenſatum ſit. Videantur dicta in Tractatu de Actibus humanis, de conſcientia dubia, & probabili.

Inſtat idem : Etſi lex confitendi peccata mortalia ſit certa, tamen qui probabiliter judicat, ſe aliquod peccatum grave eſſe confeſſum, non tenetur, illud amplius confiteri : ergo ab obligatione legis certæ poteſt ſe aliquis ſæpe eximere ob rationem probabilem, quæ re ipſa eſt dubia : ergo idem in propoſito eſt dicendum. R. 1. N. a. ſic nude acceptum, & intellectum. Certe per dubiam ſolutionem, & ſatisfactionem obligationi certæ non ſatisfit. Et hinc P. Holzman, licet ſit noſter adverſarius, ait, P. Pichlerum ſine fundamento hac in parte eſſe locutum, addens, communem eſſe Theologorum ſententiam, pauciſſimis tantum exceptis, quod ille adhuc teneatur confite-

ri, qui certo fcit, fe peccaffe mortaliter, & dubitat feu pofitive, feu negative, an peccatum fuum grave certo commiffum fuerit confeffus. Aliud eft, prout advertit Elbl de Sacramento Pœnitentiæ n. 192., quod ille, qui eft timoratæ confcientiæ, ac confcientiam fuam debite femper ante confeffionem difcutit, nec folet alias gravia peccata in confeffione reticere, facile fe poffit refolvere in tali dubio, quod ejusmodi peccatum confeffus fuerit, quia habet pro fe certam præfumptionem, & non tantum dubiam, aut probabilem rationem. Hinc poffet 2. diftin. A. non tenetur confiteri, fi ex aliis principiis poffit fe certo refolvere, quod tale peccatum confeffus fuerit, vel quod faltem in his circumftantiis ob fcrupulos, aut aliam fimilem rationem Deus ab ipfo non exigat confeffionem hujus peccati C. a. fecus N. a.

472 Objic. 2. Plures funt leges, quæ dicunt, bonæ fidei poffefforem non teneri reftituere fructus confumptos: atqui fructus, qui non formaliter exftant, jam funt confumpti: ergo bonæ fidei poffeffor non tenetur reftituere fructus illos, qui non formaliter, fed tantum æquivalenter exftant. R. D. M. fructus penitus confumptos c. M. non penitus confumptos n. M. Fructus illi, qui æquivalenter adhuc exftant, non funt penitus confumpti; etfi enim in fe formaliter non exiftant, exiftunt tamen in augmento, in quo poffeffor ratione talium fructuum eft factus ditior. Porro fecundum ipfas leges civiles non cenfetur effe abfumptum illud, quod æquivalenter exftat, ut patet ex L. 72. ff. *de Legatis*, *& fideicommiffis.* quæ fic habet: *Non enim abfumitur, quod in corpore patrimonii retinetur.* Ubi fermo eft de eo, qui aliena pecunia fuos creditores folvit, & confequenter fuis pecuniis pepercit, adeoque alienas in corpus fui patrimonii vertit, in quo virtualiter exftant quoad augmentum, fecundum quod eft factus ditior. Idem colligitur ex aliis legibus: ut ex L. 25. §. 1. ff. *de petitione hæreditatis. Quemadmodum fi confumpfiffet, in totum locupletior factus non videbitur.* Et eadem lege §. 15. *Si is, qui hæres non erat, totum, quidquid apud fe fuit, confumpfiffet, fine dubio non tenetur, quafi locupletior non factus.* Ex quibus omnibus colligitur, quod fecundum modum loquendi juris civilis illud non cenfeatur effe abfumptum, quod adhuc virtualiter exftat, & in quo aliquis eft locupletior factus,

ctus, etsi formaliter non amplius sit in rerum natura. Dum ergo jus agit de fructibus consumptis, non statim loquitur de fructibus tantum virtualiter exstantibus; fructus enim virtualiter exstantes juxta mox dicta non censentur esse absumpti.

Has responsiones etiam applica ad Jus Bavaricum, quod Tit. 9. Art 10. sequentia habet: *Wird einer um Gut, das er mit guten Glauben besessen, angesprochen, ehe er Nuz und Gewehr ersessen, so ist er gleichwohl schuldig, demjenigen, welchem es von rechtswegen gebühret, das Gut wieder zuzustellen: doch die aufgehobene Nuzungen, sie seyen durch ihne erziglet, oder selbst gewachsen, oder wie sie Nahmen haben mögen, ist er zu erstatten nicht schuldig, wann sie allbereits verzehret seyn.* Videtur enim hic articulus loqui de fructibus omnino consumptis, & ne quidem virtualiter exstantibus.

Objic. 3. §. 35. Inst. *de rerum divisione.* dicitur: *Naturali ratione placuit, fructus, quos percepit* (possessor bonæ fidei) *ejus esse pro cultura, & cura, & ideo, si postea Dominus supervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo* (scilicet bonæ fidei possessore) *consumptis agere non potest.* Sed si possessor talis ditior factus teneretur hos fructus in æquivalenti exstantes restituere, nihil haberet pro cultura & cura: ergo hos fructus non tenetur restituere. R. N. m. habet enim hoc bonæ fidei possessor pro cultura, quod nihil debeat restituere pro fructibus omnino consumptis, & neque virtualiter exstantibus.

Dices: Etiam bonæ fidei possessor, qui agrum omnino non coluit, hoc habet, quod non debeat restituere fructus penitus consumptos, & neque virtualiter exstantes: ergo talis bonæ fidei possessor, qui agrum coluit, pro cultura nihil speciale haberet, cum tamen jura velint, ipsum aliquid speciale habere. R. C. a. d. c. talis bonæ fidei possessor, qui agrum coluit, nihil speciale haberet: quo tamen non obstante illud, quod habet, ex speciali titulo haberet C. c. secus N. c. Talis enim primo hos fructus haberet, vel potius eos non teneretur restituere, quia eos consumpsit bona fide: & hæc bona fides est titulus primarius. 2. haberet etiam ex titulo culturæ. Prior titulus esset etiam communis alteri bonæ fidei possessori, qui non coluit agrum, non autem secundus. Adde, quod ille, qui co-

luit

luit agrum, etiam possit deducere expensas pro cultura, quod ille non potest facere, qui non coluit agrum. Quare posset etiam negari antecedens.

Objic. 4. L. 4. §. 2. ff. *Finium regundorum.* dicitur, quod eum, qui fructus bona fide percepit, *lucrari oporteat*, si eos consumpsit: ergo bonæ fidei possessor lucratur fructus consumptos. Atqui non potest quis lucrari fructus omnino consumptos; quomodo enim illud, de quo penitus nihil exstat, potest esse lucro? ergo debet lucrari fructus non omnino consumptos, seu virtualiter exstantes: consequenter eos facit suos, & non tenetur amplius restituere. R. N. m. subsumptam. Satis lucratur talis bonæ fidei possessor, quod pro fructibus omnino consumptis, & ne quidem virtualiter exstantibus non teneatur ex suis facere compensationem. Sic & secundum receptissimum modum loquendi lucrari causam dicitur ille, qui de damno dato accusatus, absolvitur ab omni onere restitutionis, aut refusionis, & tamen in hoc casu non fit locupletior.

Objic. 5. In sola possessione hæreditatis alienæ jura exprimunt obligationem restituendi fructus virtualiter exstantes, seu augmentum, in quo quis factus est ditior: ergo, cum jura hanc obligationem non exprimant in aliis casibus, censentur velle solum obligare ad hanc restitutionem in casu hæreditatis, non autem in aliis particularibus casibus. R. N. c. 1. enim eo ipso, quod Imperator non faciat mentionem de aliis casibus, vult in iis jus naturale in suo vigore relinquere. 2. Sæpe leges civiles insinuant obligationem juris naturalis in uno loco, quin eam inculcent in alio; quia jam per se est nota. 3. Non dicatur, quod per leges civiles specialis exceptio sit facta circa possessionem hæreditatis; nam contra est: non hic fit exceptio casus hæreditatis, sed potius est inclusio, ut ex probatione nostra constat. Item si casus hæreditatis hic exciperetur, tunc deberet dari regula universalis, vi cujus bonæ fidei possessores nullos fructus, saltem virtualiter exstantes, restituere tenerentur; ab hac enim regula universali excipi deberet casus specialis hæreditatis: atqui necdum probatum est, neque constat, quod existat talis regula universalis. 4. Ex juribus civilibus, statutis circa possessio-

sionem hæreditatis, desumimus nos potius argumentum pro nobis, quam contra nos, ut patet ex probatione nostra secunda. Cui accedit, quod ratio legis, & constitutionis factæ circa possessionem hæreditatis etiam ad alios casus extendi possit; nam ratio illius legis est, quia fructus virtualiter exstantes, per quos aliquis fit ditior, sunt quasi *augmenta hæreditatis*, adeoque hæredi sunt restituendi: atqui in aliis casibus particularibus fructus æquivalenter exstantes ex re aliena, sunt quasi augmenta alterius substantiæ, utpote ex qua quasi nascuntur: ergo cum jura agnoscant obligationem restituendi hos fructus virtualiter exstantes in possessione hæreditatis alienæ, non est ratio excludendi hanc obligationem a possessione aliorum bonorum.

Objic. 6. Obligatio restituendi fructus virtualiter exstantes est valde gravis, ac obnoxia mille scrupulis, præcipue cum vix fieri possit, quantum quis ex fructibus his sit ditior factus: ergo. R. 1. Retorq. Argum. etiam debet possessor malæ fidei restituere fructus virtualiter exstantes, imo & damnum emergens ac lucrum cessans, etsi difficile sit æstimare, quousque se extendat quantitas talis damni &c. R. 2. Sicut in omnibus dubiis de quantitate restitutionis, sic etiam hic debet moralis diligentia adhiberi in æstimanda quantitate debiti, & illud, quod prudenter æstimatum est, restitui, donec certius quid innotescat: Quod non est quid nimis grave, aut impossibile.

Objic. 7. Sententia adversa in praxi observatur in tribunalibus: ergo ea est vera. R. d. a. observatur in praxi in specialibus locis, ubi forte habentur specialia jura Tr. a. observatur in praxi universaliter N. a. Quod aliqui judices contrariam nobis sententiam practicent, id potest evenire 1., quia eam probabiliorem judicant, vel quia, nescio quibus reflexionibus utuntur, de quibus ipsi viderint. 2. vel hoc fit, quia judicibus non clare constat, an bonæ fidei possessor ex fructibus consumptis sit ditior factus. 3. Etsi pauci ex Theologis & Canonistis testentur, hanc praxin esse receptam, id ipsis non est credendum contra tot alios, qui volunt, nostram sententiam esse in praxi tenendam. Forte tales solum loquuntur de praxi locorum quorumdam particularium. Verum a locis particularibus ad universum orbem Christianum non est facienda extensio.

Dixi in Affertione: *ante præfcriptionem legitime completam;* poteft enim contingere, ut aliquis fructus legitime jam præfcripferit, etfi res aliena fructifera necdum fit præfcripta; eoquod ad fructus, tanquam res mobiles, cum titulo præfcribendos minus tempus requiratur, quam ad præfcriptionem rei fructiferæ immobilis: in quo eventu res fructifera aliena, non autem fructus ejus præfcripti, etiamfi effent formaliter exftantes, reftitui deberent. Porro quod etiam fructus æquivalenter exftantes poffint triennio ufucapi, probabilius effe oftendit Sanchez in Decal. L. 2. c. 32. n. 92. ratio eft; quia actio perfonalis, feu condictio fuccedit vindicationi: ergo ficut contra vindicationem fructuum triennio poteft præfcribi, ita & a fortiori contra actionem illam perfonalem, etfi alias actiones perfonales & condictiones tantum extinguantur 30. annis. Item poffunt fructus citius accefforie præfcribi L. *eos.* 26. C. *de Ufuris.* Vide P. Anton. Mayr T. 8. n. 598. occafione hujus.

473 Quæres 1. An etiam fructus rei furtivæ poffint triennio, vel tempore ordinario ufucapi, vel an laborent etiam vitio furti, & confequenter non poffint ufucapi, ficut ipfæ res furtivæ? R. Probabilius tales fructus, ex re furtiva collecti non a fure, fed a bonæ fidei poffeffore, qui rem furtivam bona fide a fure accepit, poffunt tempore ordinario præfcribi, & non laborant vitio furti. Ita D. Arnoldus Rath cap. 4. de Præfcript. Thefi 27. & Vitus Pichler de Præfcript. n. 81. Favent L. *qui vas argenteum.* 48. §. 6. ff. *de furtis.* & L. *bonæ fidei emptor.* 48. §. 2. ff. *de acquirendo rerum dominio.* ubi videtur fupponi, tales fructus non laborare vitio furti, etfi deinde tales fructus ex re fructifera jam pependerint tunc, dum res illa fuit furto fubducta, folo quoad hoc ultimum punctum excepto partu, feu fœtu ancillæ. Neque obftant verba finalia §. quinti cit. legis *qui vas argenteum;* ea enim, ut notat Arnoldus Rath non funt refolutiva, fed legi debent per modum interrogationis: refolutio autem dubii fequitur §. 6. fequenti.

Hoc etiam notes, quod ipfa poffeffio rei fructiferæ alienæ bona fide facta, fit loco tituli; poffeffio enim hæc eft titulus acquirendi dominium, faltem revocabile, eoquod poffeffor

ſor bonæ fidei ſit fere loco Domini, quantum attinet ad fructus: adeoque præter bonæ fidei poſſeſſionem non requiritur alius titulus ad uſucapiendos triennio, ſeu tempore ordinario fructus.

Quæres 2. Quid cenſendum de fructibus civilibus? R. idem, 474
quod de fructibus naturalibus, vel mixtis, ſaltem regulariter loquendo. Quare, qui rem alienam elocavit pro pretio, tenetur una cum re aliena etiam ejusmodi pretium reſtituere, deducta tamen æſtimatione laboris & diligentiæ, quam in elocanda tali re impendit. Layman, Sanchez, Lugo, & alii, qui ſaltem communiter pretia elocationis rerum volunt eſſe fructum ſuo modo naturalem, qui non provenit ratione induſtriæ, ſed ratione ipſius rei elocatæ. Ratio hujus eſt; quia teſte Herincx d. 4. de Juſtitia q. 8. n. 161. fructus civiles vim fructuum obtinent, & ad fructus vel mixtos, vel naturales revocantur. Conſentit lex 34. ff. *de Uſuris.* ſic habens: *Uſuræ vicem fructuum habent, & merito non debent a fructibus ſeparari.* & L. 36. eod. Tit. *Prædiorum urbanorum penſiones pro fructibus accipiuntur.* Si autem in aliquo caſu ſecundum æſtimationem moralem totus fructus civilis induſtriæ impenſæ reſponderet, tunc non deberet reſtitui, ſicut neque fructus alii mere induſtriales.

§. IV.

Quid in genere teneatur reſtituere malæ fidei poſſeſſor?

Hæc controverſia equidem pertineret ad articulos ſequentes, in quibus agetur de titulo injuſtæ acceptionis: quia tamen habet magnam connexionem cum immediate dictis, ideo generales regulæ, hanc materiam concernentes, in iſto §vo ponentur, ſpecialiores vero difficultates ſpecialibus quoque articulis excutienter. H. N.

Aſſero 1. Malæ fidei poſſeſſor debet reſtituere rem, & 475
fructus ejus naturales & mixtos, tam pendentes, quam perceptos: etiam rem alienam conſumptam, uti & fructus prædictos conſumptos, quamvis inde non ſit factus ditior. Communis TT. & JJ. Ratio eſt: quia malæ fidei poſſeſſor debet reſarcire totum damnum, quod intulit Domino rei: ſed non reſarciret,

 niſi

nisi prædicta omnia, quæ ad Dominum spectant, compensaret: ergo. m. est clara. majorem dictat lumen naturale. Idem clare habetur ex lege *certum.* 22. C. *de rei vindicatione.* Hæc Assertio tamen intelligenda est de fructibus, quos possessor tempore malæ fidei percepit; si enim is tempore aliquo in bona, & alio tempore in mala fide exstitisset tunc de fructibus tempore bonæ fidei perceptis, & consumptis idem dicendum foret, quod §§vis præcedentibus diximus de bonæ fidei possessore.

476 Assero 2. Malæ fidei possessor tenetur etiam illos fructus restituere, quos ipse quidem percepit, aut omnino consumpsit, Dominus vero nunquam fuisset percepturus. Communis. Ratio est: quia fructus, quamprimum sunt nati ex re aliena, transierunt in dominium illius, ad quem talis res spectat; quia quælibet res Domino suo fructificat: ergo, dum alius mala fide hos fructus percepit, & consumpsit, injuste Dominum in re sua damnificavit, & consequenter tenetur ad reparationem hujus damni.

Casus est: Petrus agrum suum non coluisset, neque ex eo fructus collegisset: hunc autem inique & mala fide occupat, colit, & ex eo fructus colligit, ac absumit Joannes. Jam Joannes tanquam malæ fidei possessor tenetur ad restitutionem fructuum, quos ex alieno agro percepit, non obstante, quod Dominus ejus, scilicet Petrus, non coluisset eumdem agrum, neque ex eo fructus percepisset.

Objic. 1. Si Joannes fructus penitus consumpsit, tunc ex nullo titulo tenetur ad restitutionem. non ex re accepta; quia nihil amplius restat de fructibus hisce, utpote omnino absumptis: non ex injusta acceptione; quia non intulit damnum Petro, eoquod Petrus eo tempore nullos fructus percepisset ex illo agro, quem omisit colere: ergo. R. N. a. tenetur enim ex injusta acceptione, & damnificatione; nam esto, quod Dominus ipse nullos fructus percepisset, ex supposito tamen, quod ager ipsius fructificaverit, eo ipso fructus ei proprii facti sunt. Proinde dum malæ fidei possessor fructus hos accipit, & absumit, damnum infert Domino agri, ad quod reparandum tenetur.

Objic.

Objic. 2. Juxta communem sententiam non debent restitui ea, quæ pereunt apud furem, si similiter periissent apud Dominum, ut infra dicetur: ergo neque tenetur malæ fidei possessor restituere fructus a se absumptos, quos alias Dominus non percepisset. R. D. a. non debent restitui, si fur in æstimatione morali non fuit causa efficax damni C. a. secus N. a. In proposito malæ fidei possessor absumendo fructus est causa efficax damni, dum actu destruit fructus alienos.

Assero 3. Malæ fidei possessor tenetur etiam restituere illos fructus, quos ipse non percepit, percepisset tamen ipse Dominus. Communis. Ratio hujus est: quia malæ fidei possessor tenetur ad reparationem cujuscumque damni injuste illati per ablationem, detentionem, vel destructionem rei alienæ: atqui Dominus per ablationem, vel detentionem suæ rei patitur damnum in fructibus, quos ipse alias percepisset, si rem suam habuisset: ergo malæ fidei possessor tenetur ad reparationem hujus damni per restitutionem etiam illorum fructuum, quos Dominus percepisset, quamvis illos iniquus possessor quacumque ex causa non perceperit. Ex his tandem 477

Colliges 1. hanc regulam universalem: Mensura restitutionis faciendæ a malæ fidei possessore est *quantitas damni illati*, seu tantum debet restituere, in quantum damnificavit alterum. Ita recte P. Elbl de Restit. n. 67. Ratio est: Justitia commutativa obligat ad æqualitatem: atqui æqualitas non observaretur, nisi malæ fidei possessor tantum redderet, quantum alterum damnificavit. Debet ergo tantum restituere, quantum alias habuisset Dominus rei, nisi re sua fuisset privatus, vel nisi fuisset injuste damnificatus.

Colliges 2. Malæ fidei possessorem teneri etiam domino a se damnificato compensare omne damnum emergens, & lucrum cessans. Ratio est: quia, nisi hoc resarciretur, Dominus non reciperet tantum, quantum alias habuisset, nisi fuisset injuste damnificatus & læsus. *Lucrum* autem *cessans* est omnis utilitas, quæ alias ex re sua ad Dominum pervenisset, hic vero & nunc ad ipsum non pervenit ex eo, quia re sua caret, & uti non potest.

v. g. si artifici omne penitus instrumentum auferatur, oritur lucrum cessans; quia carens instrumento, nihil amplius per artem suam lucrari potest. Sic etiam, qui alteri aufert pecuniam, qua negotiatus fuisset, vel occupat ejus agrum, quem messuisset, est causa lucri cessantis. *Damnum emergens* est omne nocumentum, distinctum a lucro cessante, quod Dominus patitur ob carentiam rei suæ. Sic si ablato equo proprio debes pretio conducere alienum, tunc expensio pretii est damnum emergens.

478 Assero 4. Malæ fidei possessor non tenetur restituere fructus mere industriales, neque in foro interno debet reddere fructus, quos ipse non percepit, & de quibus constat, quod eos Dominus etiam non percepisset, quamvis ipse, vel Dominus eos potuisset percipere. Prima pars jam est probata superius n. 466. secundam tenet Elbl de Restit. n. 68. & Antonius Mayr n. 634. posterior plures alios pro se allegat. Ratio est: quia ex una parte res aliena non fructificat; adeoque neque ex suppositione, quod fundus v. g. fructificaverit, ejusmodi fructus Domino deberent reddi, prout dictum est n. 476. ex altera parte Dominus nullum damnum, aut lucrum cessans patitur, eoquod ratione talium fructuum nec minus, nec plus habuisset, etsi injusta damnificatio non fuisset facta, ut consideranti liquet; nam ipse Dominus hos fructus, quamvis habuisset fundum in usu, & possessione sua, supponitur certo non fuisse collecturus.

Dixi: *in foro interno*; in externo enim malæ fidei possessor condemnatur ad restituendos fructus non tantum perceptos, sed etiam illos, quos honeste percipere potuisset, ut apud Mayr cit. tradunt Gletle, & alii ex L. 33. & 62. ff. *de rei vindicatione*. Verum hæ leges non obligant ante sententiam judicis; quia sunt pœnales, factæ in odium malæ fidei, ut advertit Gletle.

479 Quæres; An bonæ & malæ fidei possessor in restitutione facienda possit deducere expensas, & melioramenta, quæ ipse possessor talis primum addidit rei alienæ: de his enim solum potest esse quæstio? Ante responsionem

Nota 1. Melioramenta alia esse *intrinseca*, quæ quasi transeunt

ſeunt in ipſam ſubſtantiam rei, quam meliorem reddunt, ut ſtercoratio agri, implantatio arborum, ſi radices egerint: alia eſſe *extrinſeca*, quæ rei tantum extrinſece adhærent, & ſalva ejus ſubſtantia ſeparari poſſunt: cujusmodi ſunt picturæ, feneſtræ, januæ &c.

Nota 2. Aliquas expenſas, & melioramenta eſſe neceſſaria, alia eſſe utilia, nonnulla eſſe voluntaria. Expenſæ *neceſſariæ* ſunt (idem eſt de melioramentis) quæ ſi non fuiſſent factæ, res omnino periiſſet, vel fuiſſet facta deterior. Tales ſunt, quæ in reficienda domo v. g. tunc fiunt, quando hæc refectio judicatur neceſſaria ad præſervandam domum a ruina, *Utiles* ſunt, ſine quibus res illa tam uberes fructus non protuliſſet. Tales ſunt, quæ fiunt in plantandis arboribus, in agris extraordinarie meliorandis. *Voluntariæ*, vel *voluptuariæ* ſunt, quæ non ſerviunt ad majorem utilitatem, ſed tantum ad ornatum, oſtentationem &c. ut arbores non fructiferæ, fontanæ &c. H. N.

R. 1. Poſſeſſor ſeu bonæ, ſeu malæ fidei non tenetur una cum re aliena reſtituere melioramenta extrinſeca, quæ ipſe adjecit tali rei. Ratio eſt: quia talia melioramenta extrinſeca manent ſub dominio poſſeſſoris, adeoque hic non tenetur ad eadem reddenda Domino.

Objic. Si poſſeſſor malæ fidei poteſt auferre, & ſibi retinere melioramenta extrinſeca, tunc poterit etiam diruere ædificium, vel tollere materiam ædificii diruti, quod ante in ſolo alieno poſuit; atqui ſequela videtur eſſe contra leges §. 30. Inſt. *de rerum diviſione.* & L. 7. §. 12. ff. *de acquirendo rerum dominio.* ergo. R. Quamvis non liceat tollere ædificium in alieno ſolo ædificatum, quia illud ad Dominum talis ſoli pertinet: videtur tamen licere, repetere materialia, poſtquam tale ædificium eſt dirutum, ut colligitur ex L. 2. C. *de rei vindicatione.* ibi: *Si vero ædificium fuerit diſſolutum, ejus materia ad priſtinum Dominum redit, ſive bona, ſive mala fide exſtructum ſit, ſi non donandi animo ædificia alieno ſolo impoſita ſint.* Imo L. *Julianus.* 37. ff. *de rei vindicatione* dicitur de eo, qui ab initio bonam fidem habuit, & primum poſtea quam reſcivit, ſolum eſſe alienum, ædificavit, de tali inquam, dicitur: *Sed hoc ei concedendum eſt, ut ſi-*

ne difpendio Domini areæ tollat ædificium, quod pofuit. Cæterum de cafu hoc ædificationis leges funt multum difficiles, nec facile concordari poffunt inter fe. Quare refponderi poteft 2. fi leges nobis fint oppofitæ, tunc hunc cafum effe fpecialem, qui non debet generaliter extendi ad alios cafus. Quare in aliis cafibus hæc prima, & fubfequentes refolutiones locum habent.

R. 2. Ex oppofito melioramenta intrinfeca, quæ talis poffeffor adiecit, una cum re aliena debent Domino a quovis poffeffore reftitui. Ratio hujus eft: quia melioramenta intrinfeca (non autem extrinfeca) ratione ædificationis, aut plantationis cedunt folo, & fpectant ad Dominum talis foli vel fundi, cui adjiciuntur: ergo etiam Domino talis fundi reddi debent, ut colligitur ex dictis n. 319.

Circa fructus, qui ex melioramentis intrinfecis funt nati, idem fervandum eft, quod circa fructus ipfius rei alienæ tam a bonæ, quam malæ fidei poffeffore obfervari debet; nam & ejusmodi melioramenta intrinfeca fructificant Domino, ficut res ipfa aliena. Ex hoc tamen dubitabis, an non faltem pro melioramentis talibus intrinfecis, & pro expenfis factis bonæ, & malæ fidei poffeffor poffit aliquid deducere, vel exigere a Domino? Pro quo dubio enotando fint fequentes refolutiones. Unde

R. 3. Poffeffor malæ fidei ratione melioramentorum intrinfecorum mere voluntariorum, uti & ratione expenfarum voluptuariarum a fe in rem alienam factarum, nihil poteft detrahere, fed debet fibi imputare, quod cogatur amittere eas expenfas, quas circa rem alienam fcienter, & quidem citra confenfum vel utilitatem legitimi Domini fecit. Elbl, Holzman, & plures alii. Ratio eft; quia per has expenfas & melioramenta ejusmodi iniquus poffeffor negotium Domini non geffit utiliter: ergo nihil ab eo poteft exigere.

Neque poffeffor bonæ fidei in foro interno poteft aliquid prætendere pro melioramentis, & expenfis mere voluptuariis, vel voluntariis. Holzman T. 2. de Reftitut. n. 372. Ratio eft eadem, quæ prius fuit data. Et certe iniquum videtur, Dominum obligari ad eas expenfas compenfandas, quæ nullo modo in ipfius utilitatem, fed in meram voluptatem alterius, fcilicet poffefforis, funt applicatæ.

Dixi: *in foro interno*; nam in foro externo bonæ fidei possessori conceditur facultas, cogendi Dominum ad refundendas ejusmodi expensas: aut, si nolit eas refundere, ad totam rem sibi justo pretio vendendam. Ita Holzman L. cit. Elbl de Restitut. n. 70. ac Tamburinus, & Sporer a P. Elbl citati.

R. 4. In foro conscientiæ non solum bonæ, sed & malæ fidei possessor potest detrahere expensas necessarias, & Domino utiles. Idem est de melioramentis intrinsecis necessariis, ac Domino utilibus. Elbl, Holzman, Antonius Mayr, ac alii. Ratio est 1. quia si has expensas possessor non deduceret, Dominus plus acciperet, quam ipsi deberetur. 2. Quia uterque hic possessor negotium Domini utiliter gessit faciendo istas expensas, & melioramenta: ergo ex æquitate naturali pro his ei est debita congrua compensatio. Ex his Lugo, & alii apud Elbl n. 69. inferunt, si res aliena cum melioramentis necdum detractis, aut compensatis pervenit ad Dominum suum, hunc in conscientia obligari pro iis satisfacere etiam possessori malæ fidei.

Nec obstat, quod L. 7. §. *ex diverso, ff. de acquirendo rerum dominio.* possessori malæ fidei negetur actio ad repetendas expensas; nam lex illa est pœnalis; pœna autem juxta communissimam DD. non obligat ante sententiam judicis. Unde ante sententiam judicis Dominus naturali obligatione adstringitur ad refundendas ejusmodi expensas & melioramenta; quamvis hoc ipsum alii multi apud Elbl citatum non improbabiliter negent. Videatur Antonius Mayr n. 682. præsertim circa finem ejusdem numeri, ubi ex Voglero addit, non posse in hoc casu malæ fidei possessorem auferre expensas, vel uti occulta compensatione; quia ejus jus non est certum, cum ei obstet jus probabile Domini.

R. 5. In deductione, & computatione expensarum a bonæ, vel malæ fidei possessore esse plures circumstantias bene ponderandas: 1. enim possessor rei alienæ nihil potest deducere præcise ex eo, quia res apud se est pretiosior, vel melior facta, quam fuisset facta apud ipsum Dominum. Ratio est: hoc incrementum est intrinsecum rei, & per se spectat ad ipsum Dominum rei. 2. Nihil potest deducere bonæ fidei possessor pro ex-


expensis, quas impendit in fructus jam penitus consumptos, & nec virtualiter, nec formaliter exstantes. Ratio est: quia hæ expensæ non sunt utiles Domino, eoquod nihil de his fructibus ad Dominum redeat. Hinc in responsione 4. dixi, expensas *utiles Domino*. 3. Neque deduci possunt expensæ extraordinariæ, & per accidens, ac fortuito causatæ. Sic si possessori in cultura agri pereat equus, non potest expensas, quas pro alio equo emendo fecit, computare; tales enim expensæ sunt extraordinariæ, & casu fortuito causatæ. 4. Sic neque subtrahi possunt expensæ plures factæ, quam fecisset ipse Dominus, si æquali modo agrum e. g. coluisset. Dominus v. g. pro cultura tantum unum aureum solvisset, possessor vero ejus debuit quatuor solvere: in hoc casu tantum unus, non autem quatuor aurei deduci possunt a possessore. 5. Pro melioramentis intrinsecis non potest plus deduci, quam ea valent, dum res ad Dominum redit. Ratio est *tum* ex L. *in fundo*. C. *de rei vindicatione*. *tum* ex eo, quia solum eatenus cedunt in utilitatem Domini. Idem dicendum de expensis aliis. 6. Melioramenta, & expensæ debent compensari etiam ex fructibus omnino consumptis, etsi ex his possessor bonæ vel malæ fidei ditior non sit factus. Ratio est: quia quo plures fructus ex re aliena percepit, eo minus censetur de suis in meliorationem rei alienæ expendisse. Quod autem fructus ejusmodi omnino consumpserit, & inde non sit factus locupletior, sibi imputet; reipsa enim fructus percepit, quibus, si voluisset, expensas sibi compensare potuisset. Holzman, & alii passim. 7. Inter expensas deducendas etiam venit ipsa industria possessoris, si quam impendit; siquidem & hæc est pretio æstimabilis, & supponitur talis possessor non voluisse laborare gratis, sed pro lucro. Lugo, Holzman, & alii.

Objic. 1 Possessor malæ fidei colens rem alienam, videtur gratis laborare, & donare suam operam eo ipso, quod sciat, rem, in qua laborat, esse alienam, & Domino, non sibi fructificare: ergo. R. N. a. Certe talis possessor vult ipsam rem, & fructus ejus inique retinere: vel si hos non possit habere, saltem vult pretium sui laboris.

Objic. 2. Talis malæ fidei possessor injuste, & invito Domi-

mino excolit rem ejus : ergo nullam mercedem laboris meretur. R. D. a. excolit tamen utiliter C. a. inutiliter N. a. Quod autem solvatur labor injustus, & tamen utilis Domino, non est inconveniens, ut dicetur de contractibus.

Objic. 3. Dominus non tenetur solvere operarium, qui invito ipso ingreditur vineam ejus, & in illa laborat: ergo etiam non tenetur solvere expensas malæ fidei possessori, qui invito ipso excoluit rem suam. R. N. c. & parit. Hujusmodi operarius nec implicite laborat ex voluntate Domini, qui alios operarios jam constituit, aut certe constituet, vel saltem constitueret: ast possessor malæ fidei saltem ex implicita voluntate Domini laborat; quia cum Dominus non possit in talibus circumstantiis, in quibus sua res ab alio inique detinetur, constituere operarios & cultores suæ vineæ, vult implicite & tacite eam a quocumque utiliter coli.



ARTICULUS II.

De Restitutione debita ex titulo injustæ acceptionis.

INjusta acceptio hoc loco significat opus externum, quo proximo damnum culpabiliter infertur : vel injusta acceptio est actio externa, proximo damnosa, quæ conjuncta est cum peccato, vel culpa contra justitiam. Ex quo sequentes controversiæ nascuntur : 1. est quæ, 2. qualis, 3. quanta debeat esse culpa damnum inferentis, ut exinde in foro conscientiæ nascatur obligatio restituendi. Seu quæritur 1., an solum ex culpa theologica, vel etiam juridica hæc obligatio oriatur: 2. an sufficiat solum peccatum internum contra justitiam: 3. an per culpam quoque theologice venialem aliquis onus restitutionis incurrat? Hæc dubia per sequentes §§vos resolventur.

§. I.

An ex sola culpa theologica nascatur obligatio restituendi?

480 NOTA 1. Aliam culpam esse theologicam, aliam juridicam. Culpa *theologica* est quodlibet peccatum in foro conscientiæ & coram Deo, vel est offensa, & quidem formalis Dei. Dicitur culpa theologica, quia peccatum Theologi præcipue considerant. Culpa *juridica*, *civilis*, & *politica* est omissio alicujus diligentiæ, qua damnum proximi impediri potuisset, sive deinde talis omissio in foro conscientiæ, & coram Deo sit peccatum, sive non. Hanc culpam Juristæ, & Judices considerant, ac juxta hanc ferunt sententiam in foro externo, in quo interna non patent.

Nota 2. Culpam juridicam dividi in quinque classes, nimirum in *latissimam*, *latiorem*, *latam*, *levem*, & *levissimam*. Culpa *latissima* est dolus apertus, cum quis aliquid agit, vel omittit, intendens positive proximi damnum, quod ex tali actione, vel omissione secuturum prævidet. *Latior* est, cum quis quidem non intendit positive, prævidet tamen damnum proximi ex sua actione vel omissione secuturum, & vocatur *dolus præsumptus*: cui annumeratur ignorantia juris communis, saltem in illis Personis, in quibus ignorantia hæc non toleratur. *Lata* est omissio diligentiæ, quam homines ejusmodi conditionis solent communiter & ordinarie adhibere. *Levis* est omissio diligentiæ, quam diligentiores, & providentiores adhibent. *Levissima* denique est omissio diligentiæ, quam adhibent diligentissimi, & providentissimi.

Declaratur exemplo: Si librum, quem commodato habuisti, das furi, intendens positive, ut illum auferat, in hoc casu committis dolum apertum, & culpam latissimam. Si eumdem librum relinquis in domo furis, prævidens illum a fure surripiendum, committis culpam latiorem, & dolum præsumptum. Si domo egressus ostium apertum reliquisti, unde fures ingressi rem alienam, v. g. librum illum tibi commodatum, abstulerunt, commisisti culpam latam; nam ostium solent claudere homines, etiam tantum mediocriter diligentes. Culpam autem levem contrahes, si clausisti quidem, sed ita, ut facili negotio aperiri pos-

posset. Culpa autem levissima erit, si quidem bene clausisti, sed non etiam manu tentasti, an pessulus sit probe obductus.

Nota 3. Culpam juridicam, vel etiam theologicam, quæ in una materia est levis, posse in altera esse gravem; major siquidem requiritur diligentia, si agitur de bono publico, quam si de privato: major in curando morbo valde periculoso, quam illo, qui est minus periculosus &c.

Nota 4. Injuriam a JCtis dici illud, quod non jure, vel contra jus alterius factum est per culpam juridicam, etiam levem, & levissimam. Et in hoc sensu injuriam etiam accipiunt leges civiles, de quibus statim dicetur. Quare

Nota 5. Hic sciri debere, quid sint, & quid statuant leges noxales, & Aquilia. Lex igitur *Aquilia*, seu potius Plebisscitum Aquilium, sic dicta est ab Aquilio Tribuno plebis, quo rogante populus eam legem tulit. Habuit hæc lex olim tria capita: sed secundum hodie nec exstat, nec est in usu. In primo capite agitur de eo, qui mancipium alienum, aut pecudem alterius gregatim pasci solitam occidit *per injuriam*, scilicet juridice intellectam. Hic proinde ibi obligatur ad resarciendum damnum, & in tantum condemnatur, quanti plurimi ea res illo anno valuerit: seu debet solvere pecudem illam occisam tanto pretio, quanto per illum annum valuit eo tempore, quo fuit in valore maximo. Capite autem tertio præcipitur compensatio cujusvis damni per injuriam proximo illati. Intelligitur autem hic iterum injuria juridice accepta, & Notando 4. explicata.

Leges *noxales* sunt, quæ jubent reparari damnum omne alteri illatum, etsi inferendo nulla culpa proprie dicta, nequidem juridica, sit commissa. Sic 1. si animal natura sua mansuetum, præter consuetudinem ex pavore vel lascivia, aut quacumque causa vulneret, aut occidat alterius animal, Dominus animalis, quamquam nullam commiserit culpam, debet resarcire damnum, vel animal suum noxæ dare, seu reddere pro damno illato. Ita integro titulo statutum est Instit. & ff. *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* 2. Si mancipium tuum ex sua,

 abs-

absque tua tamen culpa, alteri nocuerit, teneris tradere mancipium alteri, qui ab eo est læsus, vel resarcire damnum. Instit. ff. & C. *de noxalibus actionibus.* 3. Si ex domo, vel navi tua per inquilinos, aut famulos tuos aliquid etiam absque tua culpa effusum, vel projectum sit, quod transeunti, vel adstanti nocuit, obstringeris ad damnum compensandum in duplo, quando clamatum non fuit, ut transiens, vel adstans sibi caveat. Idem est, si aliquid e domo tua suspensum fuerit supra viam, quod alteri nocumentum attulit. L. 1. 5. & penult. *de his, qui effuderint.* 4. Similes quoque leges sunt illæ, quibus præcipitur, ut exercitor navis, stabuli, vel cauponæ conveniatur de dolo, vel furto, quod ab ejus ministris in navi, stabulo, vel caupona fuit commissum. Huc etiam reducitur casus, quando per culpam coqui in culina, stabularii in stabulo, lotricum in lavatrina excitatum incendium corripuit vicinas ædes, ubi Dominus convenitur de tali damno per suos famulos illato, etsi ipse sit sine omni culpa.

Quæstio igitur remanet, an istæ leges obligent ante, vel post sententiam judicis, si damnum fuit datum absque culpa theologica? H. N.

481 Assero 1. Ad pariendam obligationem restitutionis ex delicto in foro conscientiæ ante judicis sententiam extra contractum, & quasi contractum requiritur culpa theologica, nec sufficit mere juridica, habens conjunctam inadvertentiam theologice inculpabilem. Herincx, Reiffenstuel, Holzman, ac Communis Th. Th. contra plures J. J.

P. In foro conscientiæ non est statuenda obligatio ex delicto, & injusta acceptione, nisi in eodem foro sit commissa formalis injustitia; atqui, nisi committatur culpa theologica, in foro conscientiæ non committitur injustitia, saltem formaliter talis, & quæ coram Deo peccatum esset: ergo.

Confirm. Talis, qui meram habet culpam juridicam; non autem theologicam, non tenetur restituere ex titulo rei acceptæ; per se enim supponitur, quod nihil amplius possideat de re aliena, nec ex ea sit factus ditior: neque obligatur ex titu-

lo injustæ acceptionis; cum in foro theologico formalem injustitiam non commiserit.

Assero 2. Nec lex Aquilia, neque leges noxales obligant in conscientia ante sententiam judicis, si nulla præcessit culpa theologica. Communis Th. Th. 482

Prob. 1. eodem modo sicut præcedens conclusio. 2. Allegatæ leges nullibi clare exprimunt obligationem in conscientia ante sententiam judicis: imo contrarium patet ex L. 2. C. *de lege Aquilia.* quæ ita dicit: *Competentis judicis authoritate consequeris. Judicis cura impetrabis.* ergo ipsa lex vult tantum obligare, si prius instituatur actio legis Aquiliæ, & judicis sententia fuerit secuta, 3. Neque istæ leges videntur esse in tanto rigore acceptatæ, ut etiam obligent in foro conscientiæ ante sententiam judicis; ita enim testantur fere omnes Th. Th., quibus, si agitur de obligatione conscientiæ, plus credendum, quam JCtis. 4. Istæ leges, si obligarent ante omnem sententiam, forent nimis arduæ, & humanæ conditioni non attemperatæ; imponerent enim onus gravissimum, seipsum spoliandi rebus suis ob aliquod damnum, nulla sua voluntate datum, & tale, quod magis casui videtur adscribendum, quam culpæ, saltem theologicæ; atqui leges nimium rigidæ & difficiles, ac humanæ conditioni non attemperatæ non obligant, nec habent aliquam vim, ut constat ex Tractatu de Legibus. 5. Leges noxales sunt quasi pœnales, non fundatæ in contractu, aut delicto proprio, adeoque adinstar aliarum legum pœnalium proprie talium non obligant in conscientia ante sententiam judicis, ut advertit Engl L. 5. Juris Canonici T. 36. n. 45. Sic etiam lex Aquilia, in quantum ultra modum & æstimationem damni debet restitui, legibus pœnalibus æquiparatur, nec proinde obligat ante judicis sententiam, ut tenet clariss. Cletle. 6. Vi legis naturalis seclusa culpa theologica præfatæ leges non obligant in conscientia ante sententiam judicis: jura autem civilia sunt saltem dubia, an velint, vel omnino ita possint obligare. Insuper probabilius videtur, quod ipsa consuetudo, & praxis neget talem obligationem: ergo dicendum est, quod talis obligatio non existat, & jus naturale deobligans a tanto onere sit in possessione sua certa.

Assero

483 Affero 3. Poft fententiam judicis legitime latam præftari debet etiam in foro confcientiæ culpa juridica, quamvis nulla intercefferit culpa theologica. Ita communiter Th. Th.

Prob. 1. Sententia jufta judicis etiam in foro confcientiæ obligat: atqui ifta fententia foret jufta, utpote fecundum leges lata: ergo. M. conftat; quia fubditus judici aliquid jufte præcipienti etiam in foro confcientiæ obtemperare debet. m. fupponitur. Prob. 2. Lex Aquilia eft jufta, uti omnes fupponunt: ergo affert aliquam obligationem in confcientia, faltem poft fententiam. P. 3. Finis harum legum, quæ imperant refarcitionem damni etiam ex culpa juridica, non obtineretur, fi homines non tenerentur parere judici, talem compenfationem fecundum præfatas leges imponenti; atqui finis harum legum debet obtineri; non enim funt fruftra latæ: ergo. Hanc tamen Affertionem intellige de illis tribunalibus, ubi iftæ leges adhuc funt in fuo rigore receptæ: ideo etiam dixi: *poft fententiam judicis legitime latam*; fententia enim debet effe legitima, id eft, debet effe conformis legibus adhuc vigentibus, & in ufu exiftentibus; alias ea foret injufta, & non pareret obligationem.

Obji. 1. Saltem jura, & DD. antiquiores communiter tradunt, obligationem reftituendi etiam in foro confcientiæ oriri ex culpa lata juridica: ergo. R. 1. opponendo fere tot alios, vel omnino plures DD., qui ftant a noftra fententia. R. 2. d. a. tradunt hoc de culpa juridica lata, in fe præcife fpectata N. a. de ea ut conjuncta cum culpa theologica C. a. ordinarie cum culpa lata folet conjungi peccatum mortale, & ideo taliter loquuntur illi Doctores.

Objic. 2. Potius favendum eft illi, qui damnum nulla fua culpa patitur, quam ei, qui faltem culpam juridicam committit: ergo committens culpam tantum juridicam debet alteri, quem læfit, facere reftitutionem. R. D. a. Si ille, qui culpam juridicam committit, fimul fit culpabilis coram Deo, & in confcientia C. a, fi non fit culpabilis coram Deo, fubd.: tunc ei &c. favendum eft potius media actione, & fententia judicis C. a. fecus N. a. Favetur potius damnum paffo, quam inferenti, quia

quia damnificatus habet actionem rei suæ, in qua damnum tulit, persecutoriam, & quia per judicis sententiam potest obtinere compensationem. 2. Videtur etiam durum, & contra æquitatem naturalem, quod quis sua sponte, nulla sententia judicis interveniente, statim seipsum debeat privare propriis bonis ad reparandum damnum non sua voluntate, sed ex inadvertentia, & quasi fortuito datum. Imo hoc videtur durius, quam ut alter patiatur tale damnum, inadvertenter & coram Deo inculpabiliter causatum.

Objic. 3. Lex justa pro foro externo est etiam justa pro foro interno: sed prædictæ leges sunt justæ pro foro externo: ergo etiam pro foro interno: ergo etiam obligant pro foro interno. R. D. ult. conf. ergo etiam obligant pro foro interno post sententiam C. c. ante sententiam subd. obligant judicem ad imponendam damnificatori restitutionem C. c. obligant ipsum damnificatorem ad faciendam restitutionem, antequam hæc sit per judicem imperata N. c.

Objic. 4. Leges noxales sunt conformes legi Mosaicæ, & S. Scripturæ Exod. 21. & approbantur a jure Canonico c. finali *de Injuriis*, ubi Gregorius IX. ita habet: *Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum velis liberare te ipsum*. ergo. R. Legem Mosaicam quoad judicialia esse abrogatam, nec amplius vigere in Lege Evangelica, ut videre est apud Reiffenstuel. Deinde summus Pontifex loquitur de foro externo, non de interno. Idem dic ad illa verba, quibus laudatus Pontifex eodem cap. approbat legem Aquiliam, dicens: *Si culpa tua datum est damnum, jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere, vel jacturam.* Ratio hujus responsionis est, quia ibi Pontifex se reflectit ad jus civile, & proinde loquitur de compensatione, quam vi ejusdem juris civilis facere oportet, nimirum in foro externo, & post sententiam judicis: vel certe loquitur de ignorantia vincibili, adeoque theologice culpabili.

§. II.

An, & qualis obligatio reftituendi nafcatur ex culpa theologica folum veniali?

484 NOTA 1. In damnificatione, vel ablatione rei alienæ varie poffe committi culpam venialem. *Primo* quidem poteft talis ablatio, vel damnificatio effe venialis ob parvitatem materiæ, ut fi tantum paucos obolos alicui diviti auferas. Quo cafu certum eft, quod tantum fit obligatio levis reparandi ejusmodi damnum. 2. Poteft aliquis venialiter folum peccare ob indeliberationem, & inadvertentiam, non autem ob parvitatem materiæ, utpote quæ de fe eft fatis gravis, & notabilis: ut fi quis ex motu iræ fecundo primo alterius gemmam, 100 vel adhuc pluribus florenis conftantem, projiciat in flumen. Ubi peccatum folum eft veniale ob defectum plenæ advertentiæ, & tamen materia damni illati eft gravis. 3. Poteft aliquis folum venialiter delinquere per omiffionem diligentiæ leviter tantum culpabilem in avertendo damno alterius: ut fi ex venialiter tantum culpabili negligentia domus aliena conflagret. 4. Poteft fieri, ut quis fciat, & plene advertat gravitatem materialem damni, non autem formalem: ut fi quis ex plena deliberatione fit furatus Principi tres aureos, pretium monetæ ablatæ probe fciens, bona tamen fide exiftimans, hanc quantitatem, Principi tam diviti fubductam, non fufficere ad peccatum mortale. Idem eft, fi aliquis Summam vere gravem fucceffive folum per furta minuta fæpius repetita aufert, ita quidem, ut fciens, & volens omnia ifta furta faciat, & fic omnes partes hujus Summæ, proinde & totam Summam advertenter auferat, cum ignorantia tamen invincibili gravis peccati, quia fcilicet nunquam, nequidem in ultimo furto apprehendit fe graviter peccare.

Nota 2. Hic folum effe quæftionem de reftitutione facienda mere ex titulo injuftæ acceptionis, non autem ex titulo rei acceptæ. Proinde fupponitur, quod ille, qui damnum cum peccato veniali intulit, nihil amplius habeat de re aliena, neque inde fit factus ditior; alias enim jam teneretur ex titulo rei acceptæ. H. N.

Affe-

Assero 1. Ex culpa veniali non plene deliberata, seu tali, quæ oritur ex defectu sufficientis deliberationis, & advertentiæ, non oritur obligatio gravis compensandi totum damnum, vel partem notabilem damni. Lugo, Lessius, Vogler, Mezger, Mastrius, Herincx, Poncius, Sannig, Holzman, Sporer, Reiffenstuel cum plurimis aliis.

Prob. 1. Ejusmodi læsio, quæ non est plene libera & voluntaria, in humanis censetur quasi esse casus fortuitus: atqui ex casu fortuito non oritur obligatio gravis restituendi, ut suo loco dicetur: ergo.

Prob. 2. Ex una parte obligatio restituendi, & resarciendi damnum notabile, est valde gravis, ac difficilis: ex altera parte culpa venialis semideliberata facillime committitur etiam a diligentissimis, & accuratissimis, ac maxime timoratis: esset ergo omnino durum, aliquem ob hujusmodi culpam subreptitiam obligare, ut se spoliet quantitate notabili suorum bonorum, iisdem faciendo compensationem damni alteri illati: ergo hæc obligatio non est conveniens, neque optabilis generi humano.

Confirm. Eo ipso, quia talis culpa subreptitia facillime committi potest in custodia, aut administratione &c. rei alienæ, plurimi, imo vero omnes homines conscientiosi absterrerentur a cura suscipienda rerum alienarum, ne committentes talem culpam, quæ vix evitari potest, ad gravem Summam alteri restituendam in conscientia obligentur: atqui tali modo magnum præjudicium pateretur societas humana, cum nullus alterum in curandis, custodiendis &c. ejus rebus adjuvaret: ergo iterum talis obligatio restituendi ex culpa semideliberata non expedit generi, & societati humanæ. Ex his

Colliges, neque Oeconomum, Procuratorem, aut alium Officialem &c., qui ex negligentia tantum venialiter culpabili fuit causa gravis damni, teneri sub mortali ad reparandum totum illud damnum, vel partem ejus notabilem. Lugo, Vogler, Antonius Mayr. Ratio est: quia & talis culpa est levis, ac vix evitabilis etiam apud Officiales timoratos: consequenter & duriſſi-

rissimum foret, tales statim obligare sub gravi ad restitutionem quantitatis notabilis ex propriis bonis faciendam.

486 Objic. 1. Cap. *Si culpa tua.* finali *de Injuriis.* superius n. 483. citato dicitur, eum tantum excusari a restitutione, vel compensatione damni, *qui de contingentibus nihil omisit*: atqui peccans venialiter, aliquid de côntingentibus omittit: ergo. R. Pontificem ibi loqui de culpa lata, quæ est conjuncta cum peccato gravi: non autem est intelligendus de negligentia solum venialiter mala, & tali, quæ moraliter loquendo ab hominibus vitari nequit.

Objic. 2. Etiam sic venialiter peccans lædit alterum injuste: ergo ex titulo injustæ acceptionis tenetur restituere. R. D. a. lædit injuste voluntate, & scientia plena, ac perfecta N. a. non plena, & imperfecta, quæ non est sufficiens ad obligationem gravem restitutionis C. a.

Objic. 3. Qui per errorem venialem alteri graviter detrahit, tenetur restituere famam ablatam: ergo etiam ille, qui alterum per peccatum veniale damnificavit in bonis fortunæ, tenetur resarcire damnum, in istis illatum. R. 1. Retorq. argum. etiam ille tenetur adhuc restituere famam, qui illam quoque per errorem omnino inculpabilem abstulit: ergo etiam ille tenetur facere restitutionem in bonis fortunæ, qui in his omnino inculpabiliter, etiam sine peccato veniali alterum damnificavit. Consequentiam negabunt Adversarii: adeoque non est paritas inter restitutionem circa bona famæ, & fortunæ. Hinc R. 2. omisso Ant. N. c. Ratio hujus uberior dabitur, dum tractabitur de restitutione famæ.

Objic. 4. Æquius videtur, ut nocens damnum ferat, quam innocens: sed qui venialem culpam commisit, est saltem aliqualiter nocens, & alter est omnino innocens: ergo R. 1. Retorq. Argum. Etiam videtur æquius, ut subeat damnum ille, qui est causa damni, & non alius, qui illud passus est: atqui qui lædit per casum mere fortuitum sine omni culpa theologica & juridica, est causa damni, qui autem sic læditur, non est causa dam-

damni: ergo æquius eſt, ut ſubeat, & compenſet damnum etiam ille, qui alterum læſit per merum caſum fortuitum: quod tamen eſt contra omnes, etiam Adverſarios. R. 2. D. M. videtur æquius in uno, vel altero caſu particulari tr. M. attentis omnibus caſibus poſſibilibus ſimul ſumptis n. M. Non eſt conſiderandum, quid in caſu particulari, ſed quid univerſim magis expediat, & optabile ſit ſocietati, & generi humano. Aſt vero non expedit generi humano, ob culpas ſemideliberatas, moraliter inevitabiles, tantum onus reſtitutionis imponere, faciliusque eſt, pati damnum quaſi fortuitum, quam ita datum debere ſub gravi compenſare. Neque illis, qui per ejusmodi culpas læduntur, infertur tantum præjudicium; cum & ipſis poſſit contingere, ut alios tali modo lædant: ubi tunc ipſi quoque excuſabuntur a reſtitutione. Dein antecedenter ad omnes eventus particulares quilibet cenſetur, potius velle ſubire ejusmodi damnum, quam ſi omnia a ſe danda ex talibus ſubreptitiis culpis compenſare debeat cum non modico fortunarum ſuarum detrimento.

Objic. 5. Pro culpa levi imponitur gravis pœna, ut pœna purgatorii, quæ eſt graviſſima: item excommunicatio minor, quæ & ipſa eſt pœna valde gravis: ergo etiam ob culpam levem poteſt imponi obligatio gravis reſtituendi damnum notabile. R. 1. indirecte: ergo etiam ob furtum unius oboli poteſt imponi reſtitutio mille florenorum; nam ſolutio tantæ Summæ longe minor pœna eſt, quam illa, quæ in purgatorio infligitur pro furto etiam unius oboli. R. 2. N. a. ad ejus primam probat. de purgatorio d. a. pœna purgatorii eſt gravis reſpectu pœnarum, quæ infliguntur in foro humano, & in hac vita C. a reſpectu pœnarum, quæ infliguntur in foro divino, & in altera vita N. a. Alius eſt ordo pœnarum in foro Dei, & altero mundo, & alius in foro humano: in foro divino pœna purgatorii, tanquam temporalis, eſt adhuc levis, imo leviſſima reſpectu pœnæ æternæ, quæ damnatis infligitur. 2. In foro divino præcipue attenditur, quid deceat, ut quis ingredi poſſit vitam æternam, & quomodo ſatisfieri debeat pro offenſa infinitæ Majeſtatis divinæ: in Republica humana ſpectatur, quid expediat felicitati temporali, & commercio humano, & quomodo ſatisfieri debeat ob injuriam homini alteri factam: atqui pro injuria homini, qua

tali factam non debet tanta satisfactio statui, quanta statuitur in foro Dei pro injuria, infinitæ Majestati divinæ irrogata. Iterum si pro levibus delictis tantas pœnas injungeret Respublica humana, quanta Deus dictat in purgatorio, omnes homines jam pridem fuissent vivicomburio sublati: adeoque tam graves pœnæ pro levibus delictis non sunt proportionatæ societati humanæ. R. 3. ad alteram prob. de Excommunicatione minore negatur a. Excommunicatio enim minor, licet videatur esse suo modo pœna gravis; tamen in æstimatione morali non reputatur talis, quia facillime tollitur per absolutionem.

Objic. 6. Si non posset ob peccatum leve imponi pœna gravis, esset injusta lex Aquilia; atqui non est injusta: ergo. R. 1. hoc argumentum probare nimium; probat enim, ob culpam mere juridicam etiam levem, vel omnino levissimam posse imponi obligationem restitutionis, quod tamen ab Adversariis non conceditur. R. 2. D. M. si non posset absolute, aut respective ad certum finem imponi pœna gravis ob culpam levem c. M. si saltem respective ob certum finem potest imponi pœna gravis n. M. Quamvis damna per culpam levem, aut venialem data ex natura sua non sint punibilia obligatione gravi restitutionis notabilis, ita tamen per legem positivam possunt esse punibilia respective, seu in ordine ad certum finem, videlicet ad excitandam majorem diligentiam hominum in cavendis aliorum damnis. Hic tamen finis necdum est efficaciter intentus a natura, neque a lege positiva humana, saltem ita, ut ante omnem judicis sententiam ob culpam mere venialem ex indeliberatione, aut mere juridicam restitutio rei notabilis fieri debeat.

487 Assero 2. Ex ejusmodi culpa ob imperfectam deliberationem veniali neque oritur obligatio levis ad compensandum damnum grave, vel gravem ejus partem. Lessius, Lugo, Mastrius, Herincx, Vogler, & alii.

Prob. 1. Obligatio legis naturalis in materia notabili, & gravi nunquam est levis, sed vel est gravis, vel omnino nulla: atqui ad ejusmodi restitutionem urgeret lex naturalis; positiva enim nulla ostendi potest, quæ eam imponeret: ergo talis obliga-

ligatio non poteſt eſſe levis, ſed debet eſſe vel gravis, vel omnino nulla. Subſummo: atqui talis obligatio gravis non eſt, ut patet ex prima Aſſertione: ergo nulla eſt. m. principalis conſtat. M. etiam patet ex principiis univerſalibus de Legibus; lex enim naturalis obligat neceſſario, & conſequenter debet tantum obligare, quantum materia eſt obligationis capax: ergo ſi in materia gravi obligat, debet neceſſario ſub gravi obligare, quia materia gravis eſt capax obligationis gravis: ſi autem non obligat graviter in materia gravi, ſignum eſt, quod omnino non obliget.

Prob. 2. Per ſe videtur mirabile, quod aliquis ad Summam graviſſimam, v. g. mille florenorum reſtituendam tantum ſub levi obligetur.

Prob. 3. Non obligatur aliquis ſub levi ad ſuſtinendas pœnas graviſſimas pro homicidio dictatas, ſi illud per levem inadvertentiam eſt commiſſum: ergo neque obligatur aliquis ſub levi ad reſtitutionem gravem ob damnum ex inadvertentia leviter tantum mala datum.

Objic. 1. Poteſt dari meritum de congruo, quod non ha- 488
bet proportionem aut condignitatem ad præmium; ergo etiam poteſt dari demeritum congruum, quod non habet proportionem ad pœnam, & obligationem gravem ſubeundam. R. N. c. meritum enim de congruo ſapit liberalitatem in præmiante: demeritum autem congruum, & pœna, ac obligatio ultra condignum & proportionem, argueret crudelitatem punientis, vel obligantis: atqui crudelitas non cadit in naturam, ſeu legem naturalem.

Objic. 2. Obligatio levis eſſet proportionata culpæ levi: ergo. R. N. a. Non eſt proportionata obligatio levis culpæ levi, ſi per eam etiam grave onus, quale eſt notabilis & gravis reſtitutio, ſit ſubeundum. Et plane non eſt modicum onus, aut rem gravem reſtituere, aut ſemper manere in peccato veniali: atqui tantum onus pro culpa mere veniali & indeliberata non cenſetur natura imponere homini.

Objic. 3. Poteſt aliquis ex voto ſe tantum obligare ſub levi ad materiam gravem, v. g. ad dandam eleemoſynam 100. florenorum: ergo etiam lex naturalis poteſt obligare ſub levi ad

ma-

materiam gravem. R. N. c. Obligatio voti est libera, & dependet totaliter a voluntate, & libertate voventis, qui se potest vel graviter, vel leviter obligare pro suo beneplacito. Aliud est de obligatione legis naturalis, quæ est necessaria, & quæ tantum obligat, quantum est materia capax obligationis. Sic responde etiam ad obligationes contractuum, & fidelitatis, ac legum positivarum humanarum, quæ omnes sunt liberæ.

Objic. 4. Potest aliquis sub gravi obligari ad restituendam materiam levem: ergo ex opposito potest aliquis sub levi obligari ad restituendam materiam gravem. A. p. qui sartori furatus est acum, unice necessariam ad laborem & victum, tenetur eam sub gravi restituere. 2. Fingamus, ad furtum grave exigi quantitatem medii floreni: jam ejusmodi fur, qui abstulit medium florenum, graviter obligatur ad restitutionem: sed tantum obligatur ad restituendam materiam levem, v. g. unum vel alterum crucigerum; restituto enim uno vel altero crucigero, jam non amplius est materia gravis, aut medius florenus.

R. N. a. ad ejus primam prob. dico, obligationem gravem non esse ad restituendam acum præcise, sed ad cavendum, ne sartor patiatur notabile damnum emergens. *Ad 2. prob.* N. m. obligatio enim gravis, qua fur medii floreni adstringitur ad restitutionem, indirecte quidem respicit materiam levem, directe vero gravem; quippe directe obligatur talis fur, ad non retinendam materiam gravem alienam: indirecte vero sub gravi tenetur ad restituendum unum vel alterum crucigerum, quatenus ejusmodi restitutio est medium ad non retinendam penes se materiam gravem rei alienæ. Sic, si subduxisti jam 28. crucigeros. indirecte sub gravi teneris abstinere a furto reliquorum duorum crucigerorum, quia directe graviter obligaris ad non furandam materiam gravem, quam tamen auferres, si reliquos duos crucigeros prioribus jam ablatis adderes.

489 Quæres: An in materia gravi, & notabili damnificans ex culpa veniali per inadvertentiam. saltem leviter obligetur ad resarciendam partem damni parvam, ac tali culpæ proportionatam, v. g. ad aliquot crucigeros compensandos? R. negative. Quare ta-

talis, qui ex culpa ejusmodi veniali ob indeliberationem alterum etiam graviſſime damnificavit, tenetur ad nullam omnino reſtitutionem. Ita probabiliter ſentiunt Leſſius, Sotus, Herincx, Mezger, Vogler, ac alii contra La-Croix, Elbl, Holzman &c. *Prob.* Ex actu vovendi, qui ob inconſiderationem tantum eſt ſemiplene voluntarius, nequidem ſub veniali oritur obligatio implendi votum, vel partem voti: ergo idem a pari in propoſito. C. p. Ideo actus vovendi cum ſemiplena advertentia non inducit aliquam obligationem, quia non eſt perfectus in ratione voti: ergo idem eſt de acceptione propter ſemiplenam advertentiam venialiter injuſta, quia & hæc eſt imperfecta in ratione injuriæ, conſequenter non inducit obligationem reſtituendi.

Objic. 1. Qui ex culpa ob indeliberationem veniali infert grave damnum, ordinarie habet ſufficientem cognitionem & deliberationem in ordine ad partem modicam talis damni: ergo talem partem modicam tenetur ſaltem ſub levi reſarcire. R. Hoc argumentum eſſe contra ſtatum quæſtionis; ponimus enim, quod totum damnum quoad omnes partes ſuas ſit cauſatum ex culpa ob indeliberationem veniali. Et cur talis hypotheſis & caſus, quem nos ponimus, non ſit poſſibilis?

Objic. 2. Obligatio reſtituendi totum damnum oritur ex injuria plene voluntaria: ergo ex injuria ſemiplene voluntaria oritur obligatio ſaltem reſtituendi partem levem reſpondentem tali injuriæ. R. N. c. Obligatio reſtituendi ſolum ſequitur injuriam perfectam in ratione injuriæ, non autem imperfectam, & ſemiplene voluntariam, ut patet ex inſtantiis voti, juramenti, præcepti Superioris &c., quæ tamdiu non obligant juxta probabilem ſententiam, quamdiu procedunt ex imperfecta deliberatione, adeoque ſunt imperfectæ in ratione voti, juramenti, præcepti &c.

Objic. 3. Damnum, aliquo modo voluntarie illatum, eſt reſtitutioni obnoxium; atqui ejusmodi damnum eſt aliquo modo voluntarie illatum: ergo eſt reſtitutioni obnoxium. Atqui non eſt totum damnum reſtitutioni obnoxium, nec pars ejus notabilis, ut patet ex præcedentibus: ergo ſaltem pars levis. R. D. M. ſi voluntarium ſit ſufficiens ad hanc obligationem, & tale,

le, ut damnum potius ex voluntate, quam ex casu fortuito contigisse censeatur c. M. secus n. M. damnum ex semiplena advertentia & deliberatione illatum, censetur potius fortuito datum, quam ex malitia voluntatis.

Notes tamen, Confessarium non facile credere debere, quod damnificatio externa gravis contigerit citra sufficientem deliberationem; licet enim in internis motibus, & cogitationibus semiplena deliberatio frequenter accidat, ea tamen in externis non adeo frequens esse solet; nam opera externa, præsertim talia, quæ gravis momenti sunt, ipsa gravitate sua advertentiam nostram excitant, periculum insinuant, & mentem ad deliberationem quasi compellunt. Ita recte monet Vogler de Restit. n. 122.

§. III.

Continuatur præcedens materia.

490 Assero 1: Qui per plura furta minuta, & peccata venialia plene deliberate commissa, pervenit ad materiam gravis damni, tenetur postea sub mortali illud damnum resarcire. Nunc communissima. Et hæc conclusio locum habet, quando neque in ultimo furto, in quo completur summa gravis, neque in præcedentibus advertitur malitia gravis, consequenter nullum peccatum mortale in ejusmodi ablatione committitur.

Prob. 1. ex propositione 38. ab Innocentio XI. damnata, quæ sic habet: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcunque sit magna summa totalis.*

Prob. 2. Jus naturale obligat sub mortali ad resarciendum damnum grave, quod alteri scienter, & voluntarie est illatum; atqui dum aliquis intra duos menses v. g. Domino suo per furta minuta clepit 100. denarios, eidem scienter & voluntarie infert grave damnum: ergo jus naturale sub mortali obligat talem hominem ad resarciendum totum hoc damnum. M. patet; jus enim naturale ad materiam gravem obligat sub gravi & mortali,

tali, ut dictum est. m. p. ex communi persuasione hominum, qui judicant, talia minuta furta in unum damnum grave coalescere.

Prob. 3. Qui singulis diebus unius integri anni acciperet mutuo uno denarium, teneretur completo anno sub gravi restituere illi, a quo mutuo accepit, 360. denarios: ergo idem dicendum de furante singulis diebus unum denarium.

Prob. 4. Hæc obligatio antecedenter ad omnes eventus videtur exoptabilis humano generi; quia alias homines non satis absterrerentur a furtis minutis deliberatis, & frequentatis, quibus sæpe magnum damnum infertur: ergo censendum est, quod hæc obligatio sit introducta lege naturali.

Assero 2. Si quis unica actione venialiter tantum mala alterum lædit injuste, sciens quidem gravitatem materialem, non autem formalem damni, talis tenetur sub mortali ad restitu- 491
tionem totius damni gravis. Ut si quis una ablatione Principi furatus sit tres aureos, valorem monetæ optime sciens, bona tamen fide credens, hanc quantitatem tam diviti ablatam non sufficere ad peccatum mortale: ejusmodi fur sub gravi tenetur ad resarcitionem hujus damni, etsi omnes tres aureos jam consumpserit, nec inde sit factus ditior. Illsung, Mezger, Vogler, Elbl, Holzman. Ratio est eadem, quæ pro priori assertione; si enim tres aureos teneris restituere, quos successive per furta minuta venialiter mala, plene deliberata subtraxisti, a fortiori teneris eos restituere simul una actione plene voluntaria surreptos; quia homines majorem læsionem, & injuriam in furto simultaneo, quam successivo, quantitatis gravis agnoscere videntur.

Objic. 1. Prædicta propositio Innocentii XI. non fuit dam- 492
nata in sensu opposito nostræ conclusioni: ergo non possumus ex ejus damnatione probare nostram conclusionem A. p. fuit damnata, prout jacet; atqui prout jacet, potest plures habere sensus falsos, ac damnabiles, inter quos tamen non est sensus nostræ conclusioni oppositus: ergo. m. p. hæc propositio potest intelligi 1. de eo, qui rem alienam, per furta minuta subtractam, adhuc penes se retinet. 2. de eo, qui mala fide, & cum

confcientia peccati mortalis, rem talem alienam abfumpfit. 3. de illo, qui furta minuta perpetravit cum animo perveniendi ad fummam gravem. In triplici hoc cafu eft obligatio gravis ad reftituendum: in primo quidem ex titulo rei acceptæ, in fecundo & tertio ex titulo injuftæ, ac graviter contra juftitiam peccaminofæ acceptionis: adeoque propofitio falfa, & merito damnata eft, dum in triplici hoc fenfu furem ejusmodi deobligat a reftitutione.

R. N. a. ad prob. N. min. fummus Pontifex non damnavit prædictam propofitionem in eo fenfu, in quo eam nullus Authorum tradidit; atqui, ut plures advertunt, in triplici adducto fenfu nullus Authorum eam propofitionem docuit: ergo in triplici illo fenfu non eft damnata, fed potius in alio. M. p. nam intentio Pontificis erat, damnatione fua laxiores quorumdam doctrinas reftringere. Et certe inutilis foret damnatio fententiæ illius, quam nullus Authorum docuiffet; fic enim fruftra vibrarentur fulmina Apoftolica, cum non effet, quem ferirent. Videatur Cardenas in Crifi in propofitiones ab Innocentio XI. damnatas Differt. 23. c. 3. n. 98. & feq.

Solent etiam AArii hic facere aliquas inftantias ex legibus propofitionum contradictoriarum. Verum ad eas univerfaliter R. 1. a Pontificibus in damnatione propofitionum non attendi rigorem, & fubtilitatem Summuliftiçam, faltem femper; per has enim fpeculationes logicas, & metaphyficas fæpe eluderetur mens, & veritas, quam per fuam damnationem intendit Sedes Apoftolica. 2. Neque femper ad veritatem ex propofitione confixa eruendam fufficit propofitio contradictoria, præfertim quando ex intentione propofitionem damnantis colligitur, plus peti. Hinc 3. ut veritas certa colligatur ex propofitione aliqua profcripta, debet præcipue attendi ad intentionem, & mentem Pontificis, talem propofitionem configentis.

Objic. 2. Damnum grave, per talia furta minuta illatum, non eft voluntarium, neque cognitum: ergo non datur gravis obligatio illud refarciendi. C. patet; nemo enim tenetur fub gravi, compenfare damnum fibi involuntarium. R. D. a. non eft volun-

voluntarium, vel cognitum quoad gravitatem formalem C. a. quoad gravitatem materialem subd. non est cognitum qua totum collective Tr. a. non est cognitum quoad omnes partes distributive N. a. Quamvis ejusmodi fur, successive clepens gravem summam, non velit omnes partes hujus summæ, & damni collectim una volitione, vult tamen eas omnes distributive pluribus & distinctis volitionibus, plene deliberatis: & sic vult totam summam per modum plurium damnorum levium, re ipsa coalescentium in unum grave damnum.

Objic. 3. Si esset gravis obligatio restituendi talem summam, minutim ablatam, vel proveniret ex titulo rei acceptæ, vel ex titulo injustæ acceptionis? non ex primo; quia supponimus, rem sic ablatam non amplius exstare. Non ex titulo injustæ acceptionis; quia juxta superius dicta ex culpa veniali non oritur obligatio gravis restituendi: ergo.

R. N. m. & dico, quod talis homo teneatur ad restitutionem ex titulo injustæ acceptionis, si ad titulum hunc etiam reducatur obligatio restituendi ex contractu, & quasi contractu, prout & nos reducimus n. 460. Quin imo, ut advertit Esparza L. 8. de justitia q. 25. omnis obligatio restitutionis ex injusta acceptione ultimato resolvitur in naturalem, & tacitam omnium gentium conventionem, contractum, ac consensum, quo antecedenter ad omnes eventus quilibet se vult in bonis suis illæsum ab alio servari, & si scienter, ac plene voluntarie in iisdem lædatur, vult, & exigit compensationem damni: consequenter vult etiam ipse illæsa servare quilibet bona & jura proximorum, & si aliquem in iis scienter læserit, damnum ex æquo resarcire, juxta illud legis naturalis principium: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quod autem in casu nostræ Assertionis talis tacita conventio sit inter omnes homines, patet ex eo, quia simile tacitum pactum est maxime utile & necessarium, ut consulatur felicitati, ac societati humanæ, prout ex quarta probatione primæ Assertionis colligitur.

Objic. 4. Restitutio est pœna; atqui pœna gravis non debet imponi pro delictis venialibus: ergo restitutio gravis non

 potest

poteſt imponi pro peccatis venialibus, etiam multiplicatis. m. conſtat; talis enim pœna gravis non eſſet proportionata culpis levibus. R. D. M. reſtitutio eſt pœna, proprie intenta ad vindicationem delicti n. M. eſt pœna impropria, & conventionalis, intenta ad reparationem damni illati c. M. & d. m. ſed pœna proprie talis, intenta ad vindicationem delicti, non debet imponi pro peccatis venialibus c. m. pœna conventionalis, intenta ad reparationem damni, non debet imponi pro culpa levi *ſubd.* niſi per eam ſit *ſcienter, & plene voluntarie* illatum damnum grave C. m. ſecus N. m. Qui ſciens, & plene voluntarie alteri per furta minuta ſurripit, imponit ſibi, vel potius ex quaſi contractu naturali in ſe ſuſcipit pœnam, ac obligationem reddendi res quaslibet, ita ſucceſſive ablatas: ergo ſuſcipit etiam obligationem reddendi gravem ſummam, ſi ea per furta minuta eſt ablata, & quidem ſub gravi; quia ad materiam gravem præſertim vi legis naturalis cenſetur eſſe obligatio gravis.

Objic. 5. Peccata inæqualia debent inæqualiter puniri; atqui hoc non fieret in noſtra ſententia, in qua peccatum mortale & veniale æquali obligatione reſtitutionis punirentur; ſive enim per furtum mortaliter peccaminoſum, vel ſolum venialiter malum ablata ſit ſumma gravis, tamen tota deberet reſtitui: ergo. R. N. m. etſi enim in hoc conveniant furtum mortaliter, & venialiter malum, quando per illud damnum notabile cauſatur, quod debeat fieri æqualiter reſtitutio, ſeu etſi conveniant in pœna conventionali: non tamen ſunt æqualia in omni pœna; cum pro peccato veniali pœna tantum purgatorii & temporalis, pro furto mortali pœna inferni & æterna, ac privatio gratiæ ſanctificantis ſit ſtatuta. R. 2. D. M. peccata inæqualia debent inæqualiter puniri ſpectando caſtigationem, & ſatisfactionem offenſæ c. M. ſpectando compenſationem damni illati *ſubd.* niſi etiam per peccata inæqualia plene tamen deliberata ſit ſcienter illatum damnum grave, & æquale c. M. ſecus n. M. &c.

Objic. 6. Furta minuta venialiter mala non dant juſtam cauſam gravis offenſæ illi, cui ſunt facta: ergo neque obligant ad reſtitutionem gravem. R. d. a. furta minuta venialia ſeorſim accepta, non dant rationabilem cauſam gravis offenſæ C. a. non dant

dant simul accepta *subd.* si adsit onus restituendi Tr. a. si desit n. a.

Illa, quæ ad majorem dilucidationem hujus paragraphi facere possunt, explicabuntur inferius, dum de restitutione ob furtum debita tractabitur.



ARTICULUS III.

An teneatur ad restitutionem, qui alterum impedit a consequendo bono, vel ipsi ex odio nocet?

§. I.

An teneatur ad restitutionem, qui alterum negative tantum damnificat, seu impedit a consecutione alicujus boni?

ASSERO 1. Qui alterum impedit a consecutione boni, quod 493
illi jam est debitum ex justitia commutativa, peccat contra justitiam, & tenetur compensare damnum. 2. Qui autem aliquem impedit a consecutione boni, quod ipsi ex justitia commutativa non est debitum, non peccat contra justitiam, nec ad aliquam restitutionem tenetur, dummodo non impediat vi, vel fraude &c. Communis apud Elbl n. 97.

Prob. breviter 1. *pars.* Qui impedit aliquem a bono, ipsi debito ex justitia commutativa, seu a tali bono, ad quod habet vel jus in re, vel ad rem, facit tali homini injuriam stricte, & proprie dictam, quæ fundat obligationem resarciendi jus læsum: ergo.

Et quidem, si ejusmodi homo, qui sic impeditur, habuit jus in re, tunc tenetur tantum refundere, quanti valet bonum, a quo impediit, & damna emergentia, ac alia præstare, quæ præstare debet aliquis fur &c. Ratio est: quia in æstimatione morali idem operatur, ac fur; cum perinde sit, impedi- re,

re, vel non dare aliquod bonum alteri proprium, quam illud auferre. Imo si possibile est, debet talis impediens curare, ut hoc bonum saltem postea tribuatur ei, qui antecedenter habuit jus in re, & quem læsit in hoc suo jure.

Si autem alter, qui ex impeditus ab aliquo bono, tantum ad illud habuit jus ad rem, scilicet ob promissionem meram traditione nondum secuta, præsentationem, concursum, exspectativam, & alios similes titulos, ex quibus conceditur actio personalis ad rem, tunc impediens non tenetur ad tantum, quanti valet res, & bonum impeditum, sed quanti valet spes boni, vel jus ad rem illam impeditum; etenim, quia bonum speratum, & ad quod solum habetur actio personalis, adhuc pendet a mutabili, & diversimode impedibili voluntate hominum, hinc illud notabiliter minus valet, quam bonum aliquod actu obtentum, & tale, ad quod habetur jus in re. Quanti autem valeat jus ad rem, & spes boni consequendi, non potest universali, & unica conclusione decidi, sed debet secundum varias circumstantias per Confessarios, arbitros, aut alios prudenter æstimari, vel inter lædentem & læsum transactio, aut amicabilis compositio fieri. P. Elbl de Restit. n. 107. judicat, quod res actu obtenta, & cujus habetur actuale dominium, plus duplo æstimetur, quam res tantum sperata: hinc putat satisfieri obligationi restitutionis, si impedito a consequendis mille florenis, ad quos habuit spem, & jus ad rem, restituantur 500. floreni. P. Vogler autem in thesibus de restitutione ait: certe spes consequendi 100. & mille aureos sæpe non æstimatur 10. aureis.

Prob. 2. *pars*. 1. Eo ipso, quod talis, qui impeditur, non habeat jus ad bonum impeditum, non potest ipsi fieri injuria stricte dicta, ex qua sequeretur obligatio restituendi. 2. Ille non peccat contra justitiam, nec obligatur ad restitutionem, qui alteri non confert bonum illud, ad quod alter non habet jus: ergo neque iste peccat contra justitiam &c., qui impedit talem hominem, ne conferat bonum non habenti jus ad illud. 3. Videtur contra rationem, quod ille peccet contra justitiam, & obligationem restitutionis incurrat, qui alterum, volentem

pro

pro hærede ſcribere Petrum, precibus, donis, obſequiis; conſiliis, ſine vi vel fraude, vel læſione juris alicujus inflectit, ut ſe potius quam Petrum hæredem inſtituat; alias ſemper peccares contra juſtitiam, quoties aliquod donum ab altero poſtulares, quod Dominus probabiliter alteri ex mera liberalitate, & ſine aliquo debito juſtitiæ fuiſſet conceſſurus, quod eſt abſurdum, & contra communem omnium Conſenſum. Accedit lex 3. ſeu finalis C. *Si quis aliquem teſtari prohibuerit, vel coegerit.* Quæ aperte huic ſecundæ parti Aſſertionis favet; ſic enim habet: *Judicium uxoris poſtremum* (ſeu ultimam voluntatem) *in ſe provocare maritali ſermone* (precibus, aut aliis verbis) *non eſt criminoſum.* Ubi utique alii, qui vel ab inteſtato, vel ex Teſtamento ſucceſſiſſent, impediuntur a bono.

Objic. 1. Juxta Philoſophum 2. Phyſic. c. 5. t. 56. *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur;* ſed parum diſtant bonum jam debitum alteri, & bonum tale; quod alter ſibi certa ſpe promittit liberaliter dandum a Domino: ergo etiam nihil diſtant: conſequenter etiam parum, ac omnino nihil diſtare videtur, ſive aliquem impedias a bono, quod ipſi jam eſt debitum, vel quod ſibi certo promittit: proinde in utroque caſu æqualiter ad reſtitutionem teneris. 494

R. 1. Tr. M. n. m. nam bonum debitum vi juris veri quæſiti, & bonum ſolum ſperatum ſine jure, non parum, ſed plurimum in æſtimatione morali differunt. R. 2. Hoc axioma in moralibus non ſemper habet locum; nam qui parum abeſt, ut furetur, vel homicidium committat, non ideo eſt fur, aut homicida, nec propterea ad reſtitutionem homicidis, & furibus incumbentem obligatur. Sic etiam ille, qui parum abeſt a ſummo Pontificatu, ſeu qui proxime eſt eligendus in Papam, nulla adhuc gaudet jurisdictione: ſi autem electus eſt, ſummam poteſtatem & jurisdictionem obtinet.

Nihilominus interdum prædictum axioma in materia reſtitutionis quoque applicari poteſt, prout advertit Vogler: ut ſi quis deſtruxiſſet fructus alieni agri, qui parum aberant a maturitate, teneretur ad eamdem compenſationem faciendam, quam

deberet præstare, si fructus penitus maturos devastasset; quia fructus jam fere maturi ab omnino maturis in æstimatione morali parum, aut nihil differunt. Aliud est in nostro casu, ut patet ex prima responsione.

Objic. 2. Clement. 1. *de Privilegiis.* in virtute SS. obedientiæ, & sub mortis æternæ comminatione interdicitur Religiosis, ne, dum intersunt testamentis condendis, retrahant testatores a legatis faciendis Matricibus Ecclesiis, neve suadeant, ut testans bona sua potius relinquat Monasteriis sui Ordinis: ergo peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, qui sine vi, vel fraude impediit Matricem Ecclesiam a consecutione alicujus boni, etsi nullum jus ad illud habuerit.

R. N. c. Præceptum illud est positivum, & Ecclesiasticum ob pacem conservandam inter Clerum sæcularem & Religiosos, nec obligat ad restitutionem, saltem ante sententiam judicis, vel saltem antequam ab illis, quorum interest, talis restitutio petatur. Ratio hujus est: *tum*, quia Clementina illa non obligat ex motivo justitiæ: *tum*, quia etiam in pœnam non imponit restitutionem, faciendam ante sententiam judicis, vel antequam exigatur ab illis, quorum interest. Statuuntur tamen certæ pœnæ ibi in Religiosos transgressores hujus constitutionis, & in Prælatos Monasteriorum, nisi hi ultimi, scilicet Prælati, *Personis Ecclesiasticis, aut Ecclesiis damnificatis, vel læsis plenariam exhibuerint satisfactionem intra mensem, postquam super hoc fuerint requisiti.* Ita textus cit. Clement. Verum de hoc videantur Canonistæ. Ex his

495 Resolves: Non peccare Sacerdotem, nec teneri ad restitutionem, qui moribundum, jamjam resolutum ad condendum testamentum, & pro hærede unice instituendum Sempronium, eo adducit sine vi vel fraude, ut sibi potius aliquid leget, vel se, aut suum consanguineum hæredem instituat, quam Sempronium. Quod præsertim verum est, si hoc faciat ex discreto Zelo, & prudenti consilio. Ita Elbl n. 114. Ratio est: quia hic non læditur jus alterius, consequenter neque justitia: ergo neque oritur obligatio restitutionis. Neque prudens consilium, quod

quod ſupponitur in hoc caſu eſſe datum, peccato obnoxium eſſe poteſt: proinde talis neque contra aliam virtutem, v. g. charitatem, peccat. Nec obſtare poteſt Clementina allegata, quæ ſolum continet caſum ſpecialem, quando moribundus vult aliquid legare Eccleſiæ Matrici, quod hic non reperitur.

Monitos tamen hic vult R. P. Elbl Religioſos, ne facile ſe immiſceant teſtamentis, aut legatis, procurando, ut ea in favorem ſuorum Conventuum fiant; talia enim Religioſis Perſonis avaritiæ notam inurunt, ſæculum offendunt, ac Epiſcoporum, & Clericorum ſæcularium indignationem poſt ſe trahunt. Quæramus animas, & Deus nobis certo de neceſſariis vitæ providebit. Plane res indigna! ſi Operarius in vinea Domini plus pecuniæ lucrum, quam fructum animarum curat: ſi & in Perſonas Deo ſacras illud cadit: *Omnes quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ JEſu Chriſti.* Mercenarii ejusmodi & Deo ſunt execrabiles, & animarum ſaluti parum proficui, ac aliis plurimum graves.

Dixi autem in ſecunda Aſſertionis parte, & ſæpius repetii, dummodo non impediat *vi vel fraude.* Hinc

Aſſero 2. Regulariter, qui alterum illegitima vi, vel frau- 496
dibus & mendaciis impedit a conſecutione boni, libere & licite conferendi, peccat contra juſtitiam, & tenetur tantum reſtituere, quanti valebat ſpes boni impediti. Communis DD. apud Elbl, & alios.

Prob. 1. Etſi alter non habeat jus aliquod ad Beneficium, vel aliud bonum, ſibi liberaliter & licite conferendum, habuit tamen verum jus adverſus quoscunque, ne per eos in conſecutione talis beneficii per vim injuſtam, fraudem, dolum, mendacia, aut alias machinationes contra juſtitiam pugnantes, impediatur: ergo, qui illum tali modo impedit, vere agit contra juſtitiam, adeoque obligatur compenſare damnum, non quidem refundendo totum bonum ſperatum, ſed potius valorem & æſtimationem ſpei, quam habuit ad conſequendum tale bonum; ſola quippe hac ſpe alterum privavit, ponendo ejusmodi impedimentum. Prob. 2. Nimia ſequeretur pernicies in Republica

humana, si citra obligationem restitutionis aliquem liceret per vim, vel fraudem impedire à bono consequendo: ergo.

497 Objic. 1. Si per vim, vel mendacium impedis Paulum, ne Andreæ conferat beneficium, vel bonum aliquod, potius Paulo, quam Andreæ facis injuriam; nam illi fit injuria, cui fit vis, vel mendacium: ergo Paulo, & non Andreæ teneris ad restitutionem. R. N. a. Qui immediate impedit per vim, vel fraudem Paulum, ne præstet beneficium, etiam impedit mediate Andream a consequendo tali beneficio: consequenter etiam Andreæ fit injuria, & quidem *damnosa*, quæ per restitutionem compensari debet; sola enim injuria damnosa, seu damnum illatum restitutione reparari debet, non autem illa, quæ non est damnosa, qualis est in Paulo, qui per vim impeditur a collatione beneficii, per quod impedimentum nullum damnum, saltem reparabile per restitutionem, patitur in suis bonis vel juribus, ut consideranti liquet: consequenter ipsi nulla debet fieri restitutio.

Objic. 2. Domini sæpe fallacibus verbis, & dolosis promissis detinent apud se famulos, & impediunt a meliore servitio: & tamen propterea nemo eos obligat ad restitutionem: ergo etiam per fraudem aliquem impediens a bono aliquo, non tenetur ad restitutionem. R. N. a. quoad ult. memb. Sicut enim sponsus, qui falsis promissis mulierem impedit a meliore matrimonio, tenetur ad restitutionem, ita & Dominus, vel Domina sic decipiens famulum, vel famulam.

Objic. 3. Ex nostra conclusione sequitur, etiam ad restitutionem obligari 1. Opifices & Mercatores, qui falsis laudibus extollunt suas merces, & mendaciter aliorum Mercatorum merces contemnunt, sicque impediunt alios mercatores & opifices a lucro. 2. Mendicos, qui simulatis morbis, vel sanctitate aliis pauperibus eleemosynas præripiunt: atqui nimis durum est, istos obligari ad restitutionem: ergo.

R. D. M. sequeretur, ad restitutionem obligari mercatores, quando efficaciter impediunt alios mercatores a notabili lucro, & mendici, quando magnas eleemosynas simulationibus suis ex-

extorquent, & per mendacia proxime impediunt alios pauperes c. M. ſecus n. M. Ex quo

Colliges 1. Interdum tales mercatores, opifices, ac mendicos a reſtitutione non eſſe excuſandos, quando ſcilicet revera proxime, & efficaciter per fallacias ſuas alios a juſto lucro, vel emolumento impediunt.

Colliges 2. Sæpe tamen ſic mentientes eſſe a reſtitutione deobligandos: 1. quia plurimi ita mentientes tantum venialiter delinquunt, tum, quia non attendunt ad damnum proximi: tum, quia non ſatis penetrant gravem obligationem; atqui ex ejusmodi peccato veniali non oritur obligatio gravis reſtituendi. 2. Quia talia mendacia ſatis frequenter ſunt in uſu apud opifices, & mercatores, quorum quilibet ſuam artem, & merces arti, & mercibus alienis præferre ſolet: hinc admodum parva, vel omnino nulla fides ſe, & ſua extollentibus, ac alienam laudem deprimentibus adhiberi ſolet. Quare per ejusmodi mendacia vix aliquod damnum aliis efficaciter cauſari poteſt. Idem eſt de mendicis; ſcitur enim ab omnibus, quod hi ordinarie ſuas neceſſitates exaggerent, varios morbos fingant, ut inde titulum aliquid acquirendi habeant. Quare talibus Perſonis extraordinariæ eleemoſynæ non ſolent dari. Hinc non inferunt adeo notabile præjudicium aliis egenis.

Objic. 4. Sequeretur ulterius, teneri ad reſtitutionem Candidatum alicujus officii, qui mendaciter tegit ſuos defectus, quibus cognitis eligerentur alii: ſequela eſt abſurda: ergo. R. Neg. ſequelam; nam talis tegens ſuos defectus primario, & directe non intendit impedire alterum a conſecutione officii, ſed vult tantum occultare ſuos defectus, quos manifeſtare non debet: ex qua occultatione defectuum per accidens ſequitur damnum & impedimentum, ne eligatur, vel aſſumatur alius ad officium. Nos autem loquimur de eo, qui primario & directe per ſuas fallacias aliquem molitur impedire a conſecutione officii.

Objic. 5. Non peccat contra juſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem, qui per vim, vel fraudem facit, ut beneficium, vel

vel officium conferatur magis digno, & denegetur minus digno, qui alias illud accepisset licite, ut ponitur in casu: ergo etiam ille non tenetur ad restitutionem, qui alium impedit a bono, quod licite accipere potuisset.

R. 1. Non deesse, qui negant Antecedens, ut Henriquez, & Dicastillo d. 8. n. 29. R. 2. C. a. prout & illud apud Vogler n. 398. concedunt, & defendunt Covarruvias, Thomas Sanchez L. 2. Consil. c. 1. dub. 49. & Tamburinus. D. c. Regulariter loquendo, & ubi Respublica vel Ecclesia absolute non approbat, aut consulit, ut ejusmodi homo impediatur a bono consequendo N. c. secus C. c. Quamvis Respublica, & Ecclesia reprobet modum fraudulentum, & violentum acquirendi beneficia aut officia: approbat tamen, & consulit, ut semper, quantum fieri potest, dignior assumatur, & minus dignus impediatur, & rejiciatur. Quare impedire talem minus dignum etiam per fraudem, vel dolum, non videtur injuria, vel certe non est gravis injuria, quæ onus restitutionis importet. Et ob hunc casum in Assertione addidi to. *regulariter*.

Porro ad alia plura, quæ objici possent, solvenda nota ex La-Croix l. 3. p. 2. n. 82. conclusionem nostram tantum procedere, quando aliquis per vim vel fraudem aliquem proxime, & directe impedit a consecutione alicujus boni, & sic talis actio dolosa, vel violenta proxime est conjuncta cum damno, & detrimento alterius. Aliud est, si consecutio alicujus boni tantum per accidens, ac remote impeditur; tunc enim sic impediens non tenetur ad restitutionem. Sic in casu: Cajus injuste occidit Stichium, alias liberalissimum in pauperes: adeoque pauperes tali modo injusta actione homicidii impedivit a multis eleemosynis consequendis a Stichio. Quæritur: an Cajus propter hoc impedimentum obligetur ad restitutionem aliquam pauperibus faciendam? & Rdetur negative; quia hoc damnum, & impedimentum pauperum ex occisione Stichii non proxime, sed tantum remote, ac per accidens oritur. Verum de hoc plura alibi.

Affero 3. Non tenetur ad reftitutionem, qui aliquem vi illegitima, vel fraude &c. impedit a bono, quod talis non poterat jufte accipere. Vogler, & alii apud hunc citati. Prob, 1. Nemo eum condemnat ad reftitutionem, qui fraude, vel dolo impediit latronem, aut furem a lucro iniquo, captando ex furtis, latrociniis, & cædibus: ergo. P. 2. Quia aliquis tantum cenfetur habere jus efficax adverfus eos, qui ipfum fraudibus impediunt a bono, quod jufte poterat petere, & ei jufte poterat conferri; atqui tale bonum, quod alter fperat, vel ipfe jufte non poteft petere, vel ipfi non poteft jufte conferri: ergo talis non habet jus efficax adverfus eos, qui ipfum fraudibus impediunt: confequenter, dum fic impeditur, non fit ipfi injuria talis, quæ reftitutione debeat reparari. Deinde fit quidem aliqua injuria tali homini, dum quis erga eum utitur mendaciis, & fraudibus, non tamen ei fit injuria eatenus, quatenus per fraudes impeditur a confecutione boni; cum talis in nullo cafu poffit jus aliquod prætendere ad bonum illud, quod jufte nequit accipere. Imo Leffius in hoc cafu judicat, mendacia & fraudes non opponi juftitiæ, fed tantum veritati. 498

Affero 4. Etiam non tenetur ad reftitutionem, qui fraude, vi &c. aut aliis malis artibus impedit alterum a bono, quod fine peccato gravi contra quamcumque virtutem, etiam a juftitia diftinctam, non poterat accipere, & alius non poterat dare. Tamburinus l. 8. t. 3. c. 3. §. 3. n. 9. La-Croix l. 3. p. 2. n. 72. Vogler de Reftit. n. 380. 499

Do exemplum: Paulus mittere intendit honoraria puellæ ex pravo fine, ut eam invitet ad peccatum carnis. Petrus famulus novit intentionem Domini, & indolem lubricam puellæ, quæ dono recepto certo effet confenfura in fcelus. Hinc dolo, vel mendacio avertit Dominum, ne talem donationem faciat. In hoc cafu, etfi mendacio puellam impedierit a notabili bono, nihil ei tenetur reftituere. Prob. Nec Paulo, nec puellæ in hoc cafu videtur facta effe injuria, eoquod per mendacium a re illicita, & graviter peccaminofa fint impediti.

Hæc conclufio præcipue procedit, fi donatio tam ex parte donantis, quam ex parte recipientis fit peccaminofa. Si vero

ro ea non ex parte utriusque, sed solum ex parte donatoris, vel solum ex parte donatarii sit illicita, tunc existimat Tamburinus, impedientem fraude &c. peccare contra justitiam, & esse obnoxium restitutioni parti læsæ. Verum hæc res indiget ampliori disscussione, ut sapienter Voglerus cit. advertit.

500 Ex his Assertionibus pro praxi sequentia elicies. Deduces ergo 1. non peccare contra justitiam, nec ad restitutionem obligari, qui precibus importunis, blanditiis &c. impetrat, ut Cajus sibi impendat beneficium, quod alteri jam destinaverat conferre, sed omnino gratis & liberaliter, seu absque jure, & debito justitiæ præcedente.

Deduces 2. Contra justitiam peccare, & ad restitutionem obligatos esse sequentes: 1. qui mendaciis, fraude, vel criminationibus, præsertim falsis, impediunt revera opifices, operarios, vel famulos ab opere, aut servitio suo, quo erant lucraturi. 2. qui mercatores impediunt a lucro captando artibus, & modis injustis. 3. Qui simili fraude a magistris abstrahunt discipulos, cum dispendio ejusmodi magistrorum. 4. Qui detinent injuste opifices in ergastulis, vel alio modo iniquo impediunt, ne interea sua arte & industria aliquid lucrari valeant. 5. Illi, qui veros mendicos impediunt injuste fraudibus, criminationibus &c. quo minus mendicando possint necessaria ad vitam sustentandam acquirere. 6. Qui impediunt Tabellarios, vel Procuratores, ne pro suo Principali possint agere, & sic sunt causa alicujus damni, inde Principali evenientis. 7. Qui mendaciis impediunt a beneficio, vel officio vere dignum, præsertim si non adsit dignior, qui præferatur. La-Croix, Vogler, Elbl.

Deduces 3. Qui aperit litteras alterius, & per apertionem est causa, cur aliquis non impetret beneficium, vel officium, talem apertorem teneri ad restitutionem. Ratio est: quia apertio litterarum in hoc casu est iniquum, & injustum impedimentum a consequendo beneficio.

Sed fingo casum: Sempronius, postquam legit litteras Caji a se dolose apertas, eas dextere iterum obsignat, ac ad locum debi-

debitum satis tempestive mittit; hoc tamen simul nequiter facit: utitur enim notitia illa, quam ex litteris injuste lectis hausit, ac alias litteras suo nomine supplices addit, & ipse præ Cajo impetrat beneficium. Jam quæritur, an teneatur ad restitutionem Cajo faciendam? R. probabilius affirmative. Ita sentiunt Lugo, & La-Croix n. 77. Ratio est: quia Sempronius injuriam fecit legendo, ex qua lectione proxime videtur secutum damnum Cajo. Est tamen contrarius Sporer cum aliis ex ratione; quia licet injuste legit litteras, non tamen injuste usus est scientia ex illis hausta. Sic etiam, qui ope dæmonis acquirit scientiam, vel artem, eadem juste postmodum utitur. Verum hoc exemplum non est ad rem; quia scientia ope dœmonis non obtinetur injuste, seu peccato contra justitiam, sed superstitiose tantum. Aliud est in præsenti casu.

Ast quid dicendum in sequenti casu: Cajus accepit litteras, quibus significatur, magnam esse futuram alicujus rei penuriam. Hoc nuncio in suam utilitatem usurus Cajus, non modicam quantitatem talis rei currente pretio comparare statuit, ut postea superveniente penuria eam maximo pretio cum ingenti suo lucro vendere possit: litteras tamen dilacerat, dilacerasque in mille fragmenta in foro projicit. Alius vero curiosus fragmenta omnia ita apte colligit, & ordinat, ut sensum litterarum integre percipere valeat. Quare absque mora congregando & coemendo, quidquid de tali re, cujus penuria imminebat, acquirere poterat, prævenit Cajum, & multum lucrum præripuit. Quæritur, an juste? & an non teneatur ad restitutionem faciendam Cajo? R. negative. Ita contra Rebellum resolvunt apud Vogler n. 388. Silvester, Layman, & Sporer, quibus & ipse consentit; nam, cum Cajus sua sponte projecit litteras laceratas in foro, dedit omnibus potestatem in fragmenta litterarum, ut quilibet iis uti possit in suum commodum. Aliud tamen P. Vogler dicendum putat, si quis alienas litteras legeret in iis locis, ubi moraliter certo constaret, eas non esse voluntarie, sed tantum casu relictas.

Deduces 4. Non licere quidem, alicui affingere crimina falsa, ut talis per similes detractiones impediatur a consequendo

aliquo beneficio, vel officio: quo tamen non obstante, licet interdum occulta crimina Superiori, vel alteri manifestare, ut sic indignus repellatur ab officio, vel opes non relinquantur homini lurido, qui illis esset abusurus.

Petes autem, quid dicendum, si aliquis alterum publice diffamat de criminibus occultis, & sic impedit a consequendo officio, an saltem tunc non teneatur ad restitutionem? R. sub distinctione: Vel solum crimen in se, ut revelatum, collatori est causa, cur tali Candidato criminoso non conferatur officium? vel potius hujus causa est non tam crimen cognitum collatori, quam infamia publica, ex divulgatione criminis orta, quæ hominem facit vilem, & officio indignum? Si primum: tunc diffamator probabilius tenetur tantum ad restitutionem famæ, non autem ad compensationem pro damno incurso ratione officii impediti. Ratio est: quia impedimentum obtentioni beneficii ponit sola manifestatio, & notitia criminis, quatenus ea facta est collatori: sed eatenus non est injusta, & potuit fieri ob bonum publicum. Si secundum: tunc præter famam debet pro rata spei compensari damnum beneficii, vel officii impediti, utpote quod ex injusta diffamatione, & publicatione criminis oritur. Lessius, de J. & J. L. 2. c. 12. n. 124. Lugo d. 18. de Restit. n. 92.

§. II.

An actio externa, quæ secundum se non est contra jus alterius, aut contra justitiam, fiat talis, si ea ponatur ex animo nocendi proximo?

501 NOTA 1. Hic non esse quæstionem de actionibus illis, quæ ex se sunt indifferentes ad hoc, ut sint, vel non sint noxiæ proximo; nam certum est, tales per intentionem internam posse fieri injustas. Talis actio est acceptio v. g. monetæ, vel libri alicujus, quæ est indifferens, ut sit contra justitiam, vel non sit; si enim tollis monetam ex intentione, ut eam consideres, librum, ut Authorem ejus videas, non peccas contra justitiam: si autem pecuniam, vel librum arripis cum animo

mo furandi, violas jus alterius, & obligaris ad reſtitutionem. En! quomodo ſola intentio acceptionem pecuniæ, & libri, tanquam actionem indifferentem, poſſit ad hoc determinare, ut ſit noxia proximo, & contra jus illius. Hinc

Nota 2. Quæſtionem eſſe de illis actionibus externis, quæ ex ſe ſunt quidem nocivæ, vel poſſunt eſſe noxiæ proximo, non tamen ſunt ſecundum ſe contra jus alterius. Modo quæritur, an tales actiones ſaltem fiant injuſtæ, & reſtitutioni obnoxiæ, ſi eæ procedant ex mala intentione, ſi ſcilicet ponantur ex odio, ſtudio vindictæ, & ex determinata intentione proximo nocendi? In exemplo: Judex in reum, quem juſte condemnare poteſt, fert ſententiam ex odio, invidia &c. Vel magis ad propoſitum: Titius ſine vi, aut fraude, ſed precibus & aliis mediis non injuſtis avertit Cajum, ne faciat teſtamentum in favorem Antonii: & hoc facit ex mero odio, invidia, aut aliis paſſionibus, quibus interne erga Antonium exagitatur. Atque in hoc ultimo præcipue caſu quæritur, an talis actio externa, ſecundum ſe non injuſta, fiat injuſta, & obligationem reſtituendi importet ob odium internum, & malevolum animum, ex quo ponitur?

Aſſero: Qui ſine vi, vel fraudibus alterum impedit a con- 502
ſequendo bono aliquo, quod ipſi non eſt debitum ex juſtitia commutativa, non tenetur ad reſtitutionem, etſi hoc impedimentum ponat ex odio, aut mera prava intentione alteri nocendi. Imo univerſim non tenetur ad reſtitutionem, qui ex odio, aut malo fine ponit actionem externam, noxiam quidem alteri, non tamen repugnantem juri alterius, Leſſius, Vogler, Antonius Mayr, Herincx diſp. 5. de Juſt. q. 1. n. 6. La-Croix L. 3. p. 1. n. 148. Poncius noſter, Sporer, Holzman, Elbl n. 108. & alii plures.

Prob. 1. Non inducitur onus reſtitutionis, niſi per actionem externam lædatur effective jus alterius: atqui etiam ſtante odio interno &c. per actionem talem externam, de qua hic eſt ſermo, non læditur effective jus alterius: ergo per talem actionem externam, etiam ſtante odio interno, non inducitur onus reſtitutionis. M. videtur conſtare; Juſtitia enim, quæ pri-

mario attendit æqualitatem, non vult reparari reſtitutione efficaci externa jus aliquod, quod non fuit efficaciter, ſeu effective læſum externe. m. vero prob. nam 1. ejusmodi actio externa ſecundum ſe, & præſcindendo ab odio interno &c., non lædit effective jus alterius, ut concedunt Adverſarii, & ſtatus quæſtionis ſupponit. 2. Neque ſic lædit talis actio externa, quatenus eſt conjuncta cum odio; alias enim effective læderet juſtitiam, & ad reſtitutionem teneretur judex, qui ſontem legitime convictum, ex odio condemnaret ad mortem; item carnifex, qui debite condemnatum ex prava intentione nocendi convenienti ſupplicio afficeret; atqui nullus ex his effective injuſte agit, aut ad reſtitutionem obligatur, etſi ex odio, aut alia iniqua affectione procedat, ut fatentur omnes: ergo neque actio externa alioquin juſta, ſeu non repugnans juri alterius, effective lædit juſtitiam, dum eſt conjuncta cum odio interno.

Prob. 2. Ex una parte obligatio reſtitutionis, quam in hoc puncto imponunt Adverſarii, eſt valde gravis, ex altera parte non ſufficienter probatur: ergo ea non datur.

503 Objic. 1. Scotus 4. d. 15. q. 2. n. 40. §. *ad ultimum dico.* videtur eſſe oppoſitus noſtræ concluſioni: ergo. R. N. a. nam ut notant Cavellus ibi in Scholio, ac ex eo Herincx citatus, & Poncius d. 52. q. 2. n. 8. Scotus ibi explicari debet de actione fraudulenta, ſeu quæ fraudem involvit.

Objic. 2. L. *Fluminum.* 25. §. finali. & L. *Proculus.* 26. ff. *de damno infecto.* & L. *in ſumma.* 2. §. 9. *de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ.* ſtatuitur, eum infeſtari non poſſe per juridicam actionem, qui facit aliquid in ædificio, vel fundo proprio, v. g. qui fodit puteum, aut derivat torrentem, eo tantum animo, ut ſibi proſit: ſecus, ſi faciat mero animo alteri nocendi: ergo malus animus, & ſiniſtra intentio nocendi alteri eſt contra juſtitiam, & obligat ad reſtitutionem.

R. 1. N. a. quoad ult. membrum, ſi intelligatur de intentione qualicumque nocendi, & non conjuncta cum dolo externo, vel alia actione externa, repugnante juri alterius. R. 2.

Primæ duæ leges nullam mentionem faciunt de intentione: ſed prima ait, quod non poſſim tam profunde fodere, ut murus tuus corruat: quod etiam verum eſt, etſi non adſit mala intentio; quia talis ſuffoſſio per ſe injuſta eſt, & repugnat juri alterius. Altera dicit, quod non liceat alteri damnum poſitive facere, bene autem liceat, impedire lucrum alterius, ſi ſcilicet tale lucrum non eſt debitum ex juſtitia, quod iterum nihil eſt contra nos. Tertia tandem lex vult, non licere torrentem ſibi minime noxium avertere in agrum proximi; hæc enim actio externa de ſe eſt injuſta, & contra jus proximi: adeoque iſta lex non loquitur præciſe de intentione nocendi, quæ non eſſet conjuncta cum actione externa de ſe injuſta. Adde, quod leges civiles per ſe non conſiderent intentionem internam, ſed actionem externam, ex qua intentionem pravam inferunt.

Objic. 3. Per ſolam malam intentionem, accedentem operi externo, poteſt aliquis incurrere excommunicationem: ergo etiam per ſolam intentionem malam, accedentem operi externo, poteſt quis incurrere obligationem reſtitutionis. A. p. ex Clement. 1. §. *Verum.* ubi cenſuram excommunicationis ſubeunt Inquiſitores, dum ex odio, vel amore lucri temporalis negligunt ea, quæ ratione muneris facere deberent adverſus hæreticos. R. D. c. ſi opus per intentionem fiat alteri nocivum C. c. ſi jam ſit antecedenter nocivum, & ſimul non ſit de ſe læſivum effective juris alterius N. c. Pœna excommunicationis poteſt ferri etiam ob alia peccata, quam injuſtitiæ: aſt obligatio reſtitutionis tantum limitatur ad ſola peccata externa injuſtitiæ, quibus effective læditur jus alterius.

Objic. 4. Qui alterum vi, vel fraude impedit ab officio, vel beneficio, tenetur ad reſtitutionem: ergo & ille, qui hoc facit ex odio. R. N. c. 1. enim, quod vis, metus, & fraus obſint juri alterius, & pugnent contra juſtitiam commutativam, conſentiunt omnes DD., non ita conſpirant circa odium, aut intentionem pravam internam. 2. Juſtitiæ finis præcipuus eſt indemnitas alienæ voluntatis, aut libertatis circa diſpoſitionem rerum ſuarum; atqui huic indemnitati opponitur vis, metus, ac fraus; ſiquidem actio doloſa, vel violenta minuit, aut tollit vo-

luntatem alterius, & impedit Dominum a libero usu suarum facultatum, & bonorum sine legitima causa. Ast vero odium, vel intentio prava interna non sic lædit, aut restringit voluntatem, aut libertatem alienam quoad usum suarum facultatum & bonorum: ergo vis, metus, fraus, non autem intentio prava, aut odium, opponuntur fini justitiæ.

Objic. 5. Juxta Notandum primum aliqua actio externa propter solam intentionem internam potest fieri injusta, & obnoxia restitutioni: ergo sola intentio interna potest vitiare actionem externam, & afferre obligationem restituendi. R. D. a. aliqua actio, quæ secundum se est indifferens, ut sit nociva, vel non nociva proximo, potest fieri injusta, & obnoxia restitutioni per solam intentionem C. a. aliqua actio jam antecedenter nociva, non tamen repugnans juri alterius N. a. &c. Si aliqua actio externa jam est nociva proximo, & tamen non opposita juri proximi, non fiet injusta, aut contraria juri alterius per quamcumque intentionem internam, ut patet in sententia juste a judice lata secundum leges; esto enim, judex moveatur mala mente ad ferendam talem sententiam: quia tamen ea est conformis legibus, & sic non repugnat juri alterius, talis judex non agit externe & effective contra justitiam, neque tenetur ad restitutionem. Aliud est de actione externa, quæ secundum se est indifferens, ut sit nociva proximo; hæc enim actio, uti per intentionem internam potest determinari ad hoc, ut noceat proximo, ita etiam per ejusmodi affectum & intentionem potest determinari, ut lædat jus alterius. Exemplum rei hujus habemus in Notando primo.

Objic. 6. Qui magis bibit ex hac prava intentione, ut sequatur pollutio, peccat contra castitatem, non peccaturus contra eam, si biberet quidem liberalius, non tamen intenderet, sed solum permitteret ejusmodi effectum turpem: ergo etiam sic peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur, qui positive intendit damnum alterius per actionem nocivam, etsi non peccaret alias, absente tali intentione. R. N. c. Pollutio per se opposita est castitati: adeoque ut ea fiat forma-

maliter peccaminosa, nihil aliud requiritur, quam voluntareitas, quæ habetur per ejusmodi intentionem pravam. Ast actio nociva proximo, de qua hic litigamus, de se non est opposita juri alterius, nec est de se injusta: consequenter, ut fiat actu, & effective injusta, ac formaliter obnoxia restitutioni, non sufficit sola intentio prava.

Ad alias objectiones solvendas nota 1. illa, quæ dicta sunt in Notando primo. Nota 2. Restitutionem non oriri ex quocumque affectu interno injustitiæ, sed ex injustitia externa effective illata, & effective externe damnificante. Hinc non multum disputo, an tale odium, vel intentio prava nocendi interdum ad injustitiam affectivam reduci possit, vel debeat: sed dico, ejusmodi actus internos etiam cum externis illis, de quibus loquimur, esse insufficientes ad inferendam obligationem restitutionis. Nota 3. Si damnum per accidens datum secundum se, præscindendo ab omni intentione & odio &c., non sit materialiter saltem contra jus alterius, non fieri injustum, & contra jus proximi per solam intentionem. Hinc ad casus ponendos, qui varii possunt esse, respondeatur semper sub conditione. v. g. in hoc casu, quem objicit, & solvit P. Vogler n. 412. Mulier prægnans, si sumit medicinam concomitanter occisivam prolis, est homicida, si eam sumit ex intentione occidendi prolem. Hic enim casus sic distingui potest: est homicida, si aliunde ex circumstantiis, vel ex se, independenter ab intentione, talis medicina est injuste occisiva prolis *conc.* secus *subd.* est homicida affective *transf.* effective, & externe *neg.*



ARTI-

ARTICULUS IV.

De obligatione restituendi ex contractu, & quasi contractu.

§. I.

Notanda.

504 NOTA 1. Contractum posse strictius, & latius accipi. Contractus strictius acceptus est pactum, vel consensus voluntarius duorum, aut plurium, ultro citroque pariens obligationem, ut emptio, venditio, conductio &c.; nam in contractu emptionis & venditionis mutuo obligantur emptor, & venditor, hic ad tradendam rem venditam, alter, seu emptor ad solvendum pretium. Tales contractus strictius tales ex utraque parte contrahentium obligationem inducentes, vocantur *onerosi.* Contractus latius acceptus est pactum, vel consensus plurium, inducens quidem obligationem justitiæ, sed non mutuam, ut donatio, vel liberalis promissio, quæ tantum ex parte donantis, & promittentis inducunt obligationem justitiæ. Et hi posteriores contractus vocantur *lucrativi.*

Nota 2. Triplex genus contractuum strictius acceptorum, seu onerosorum hic spectari posse. 1. Aliqui contractus cedunt in utilitatem solius dantis, uti est depositum ad custodiam tantum, si nempe pecunias tuas deponas ad Petrum in hunc finem tantum, ut ille custodiat. 2. Alii sunt contractus, qui cedunt in utilitatem solius accipientis, ut commodatum, in quo res aliqua gratuito conceditur ad usum pro tempore determinato: ut si gratis commodes alteri equum, ut eodem utatur certo tempore. 3. Dantur quoque contractus, qui cedunt in utilitatem tam dantis, quam accipientis, cujusmodi sunt venditio, locatio, societas, pignus &c.

Nota 3. Rem locatam, commodatam, vel conductam &c. posse tribus modis perire; 1. ex culpa theologica, ut si dolo, frau-

fraude, aut certa & voluntaria malitia res commodata &c. apud commodatarium perit. 2. Potest perire ex culpa mere juridica, seu ex omissione alicujus diligentiæ, ita tamen, ut non peccetur theologice, saltem mortaliter. 3. Ex casu fortuito. Quid sit culpa theologica, & juridica jam superius est explicatum: modo tantum declaratur natura casus fortuiti. Quare

Nota 4. Ex casu fortuito tunc aliquid perire, quando ejusmodi interitus, jactura, damnum non potest humana providentia, aut diligentia prævideri, aut præcaveri: ut dum equus subito fulmine tangitur, aut alias in loco bene tuto positus rapitur a latronibus. In foro interno, & theologico etiam fortuitum dici potest. quod fit indeliberate, & sine sufficienti cognitione, consequenter sine culpa theologica: in foro autem juridico, & civili casus fortuitus pressius accipitur, & tunc solum contingit, quando nulla adest culpa juridica, & adhibita est omnis diligentia & providentia humana, quæ in simili negotio secundum leges civiles, ac jus naturale debuit adhiberi.

Nota 5. Per leges civiles sequentia esse ordinata circa restitutionem faciendam ex contractu oneroso. 1. Si alterius res sit apud te per contractum, qui in tuam solius utilitatem cedit, teneris resarcire damnum datum non solum ex culpa juridica lata, sed etiam ex levi, & levissima. Ita statuitur L. *in rebus commodatis. ff. commodati.* ibi: *Talis diligentia præstari debet, qualem quisque diligentissimus Paterfamilias adhibet.* Excipitur tamen *precarium*; quamvis enim hoc cedat in utilitatem solius precario accipientis rem alienam, tamen est revocabile ad nutum a dante. Quare sic accipiens non debet præstare culpam levem, aut levissimam, sed tantum dolum, & culpam latam. L. *contractus. ff. de Regulis Juris.*

2. Quando contractus cedit in utilitatem solius dantis, recipiens tenetur solum ex dolo, & culpa lata; ut si quis apud te deponat suam pecuniam absque commodo tuo, si ea pereat sine dolo, aut culpa lata tua, etsi commiseris culpam levem, aut levissimam, non teneris compensare damnum. L. 32. ff. *depositi.*

3. Quando contractus cedit in utilitatem utriusque contrahentis, dantis fcilicet & accipientis, ut quando locatur domus, ubi unus accipit pretium pro domo elocata, & alter domo utitur ad fuum commodum, tunc accipiens tenetur ad reftitutionem ex culpa lata, & levi, non autem ex leviffima. L. 5. §. 2. & L. 18. ff. *Commodati.*

Nunc autem reftat duplex difficultas: 1. An, & quomodo ex contractu debeat præftari cafus fortuitus: 2. Quomodo allegatæ difpofitiones juris in foro confcientiæ fint receptæ? Hinc fit

§. II.

An cafus fortuitus, & culpa juridica debeat præftari ex contractu?

505 ASSERO 1. In contractibus, in quibus dominium rei acceptæ non transfertur in accipientem, ut in commodato, locato &c. accipiens per fe, & regulariter non tenetur ad reftitutionem ex cafu mere fortuito. Communiffima. P. 1. ex cap. un. *de Commodato.* ubi dicitur: *Fortuitus autem cafus, nifi interveniat culpa vel pactum, vel nifi in mora fuiffet commodatarius, non eft illi imputandus.*

P. 2. Cafus fortuiti per noftram diligentiam, & providentiam nequeunt præcaveri: ergo non videtur æquum, ut per fe loquendo aliquis teneatur refarcire rem alienam, cafu fortuito apud fe pereuntem. Adde, quod nullum exftet jus naturale, aut pofitivum, ex quo aliquis teneatur ad præftandum cafum mere fortuitum. Unde quafi regulæ loco habetur: *Res, quæ fortuito perit, Domino fuo perit.*

Dixi in Affertione: *per fe, & regulariter*; nam excipe 1. nifi fpeciale pactum accefferit de præftando cafu mere fortuito; ita enim limitat cap. un. *de Commodato.* mox citatum. Accedit ratio: quia tale pactum fupponitur effe juftum: ergo etiam de jure naturæ, & in foro confcientiæ obfervandum erit. Advertendum tamen, ejusmodi obligationem reftituendi defcendere immediate ex illo pacto, quod fpecialiter eft factum de præ-

præstando casu fortuito. Atque tale speciale pactum semper licite & juste exigit Dominus in gratuito commodatis, & similibus, non tamen in locatis pro justo pretio; quia supra justum pretium non potest exigi aliquid pretio æstimabile: atqui obligatio præstandi casum fortuitum est pretio æstimabilis: ergo eam Dominus supra justum pretium pro re sua elocata non potest exigere ab altero, cui elocat rem suam. Ita recte argumentatur Holzman t. 2. de Restit. n. 421.

Excipe 2. Nisi commodatarius, vel alius, qui rem alienam ex contractu habuit, fuerit in culpabili mora restituendi. Ita iterum Capitulum laudatum. Rationem addit P. Vogler: quia in tali casu tenetur præstare casum fortuitum vel ob injustam detentionem: vel si vult injustitiam effugere, debet contractu implicito se obligare etiam ad casum fortuitum præstandum.

Excipe 3. Nisi commodatarius, vel alius, qui rem alienam ex contractu habuit, ea non fuerit usus modo, aut loco debito, v. g. alio modo, quam fuerat conventum, vel alio loco, præsertim si illo in loco, ubi majus periculum damni erat, eam asservavit contra pactum initum.

Petes: An e. g. commodatarius tunc in foro conscientiæ teneatur ad præstandum casum fortuitum, ex sua mora secutum, quando bona fide credidit, Dominum non fore invitum, si re ejus diutius utatur, quam erat conventum. R. Probabiliter negative, dummodo quasi certo, vel saltem probabilissime sibi persuaserit, Dominum non esse rationabiliter invitum quoad ejusmodi moram, vel usum, aut modum utendi alium. Vogler de Restit. n. 141. citans Cardinalem de Lugo d. 8. n. 124. Ratio est hæc: quia ejusmodi mora, aut modus utendi non est culpabilis: neque videtur intervenire pactum implicitum de præstando casu fortuito, eo ipso, quod bona fide credatur, Dominum sine ejusmodi pacto non esse invitum quoad moram, aut modum utendi talem. Dixi: dummodo *quasi certo, aut probabilissime* sibi persuaserit, Dominum non esse invitum; secus enim contractu implicito se debet obligare ad præstandum casum fortuitum: aut certe non effugit culpam, & peccatum

per moram suam, aut modum illum alium utendi. Adeoque vel ex contractu, vel certe ob peccatum injustitiæ commissum in mora, tenetur compensare damnum etiam fortuitum, ex ejusmodi mora proveniens.

506 Objic. 1. Videtur contra naturalem æquitatem, ut Dominus solus sustineat damnum rei suæ, apud te casu fortuito pereuntis: ergo. Ant. videtur constare; nam non censetur æquum, ut Dominus reportet damnum ex beneficio tibi exhibito per commodationem rei suæ. R. 1. Retorq. Argum. Neque videtur æquum, ut commodatarius, vel alius teneatur compensare damnum, ex nulla sua culpa secutum: ergo. R. 2. N. a. Ratio negandi habetur 1. ex retorsione. 2. Quia hoc est plane per accidens, quod ex suo beneficio damnum patiatur commodans. 3. Dominus nollet esse ex justitia obligatus ad præstandum casum fortuitum, si forte aliquando ipsi aliquid commodaretur: ergo neque potest prudenter velle, esse ita obligatum alium; nam, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Hæc tamen intellige extra pactum speciale assecurationis commodato adjectum. 4. Commodans, quando rem suam concedit tantum in utilitatem alterius, vult ei præstare beneficium singulare: quale tamen revera non esset, vel saltem plurimum diminueretur, si commodatarius deberet etiam præstare casus fortuitos.

Objic. 2. Saltem, quando contractus cedit in utilitatem utriusque contrahentis, videtur æquum, ut damnum fortuito secutum dividatur: ergo. A. p. uterque contrahens ex tali contractu percipit commodum: ergo æquum est, ut uterque portet damnum, ex casu fortuito secutum. R. N. a. ad prob. N. c. Rationes negandi habes tum ex probationibus nostris, tum exinde; quia naturæ repugnat, ut compenset alterius damnum ille, qui nec culpam theologicam, nec juridicam commisit.

Objic. 3. Saltem præstandus est casus fortuitus a commodatario, vel alio ejusmodi, qui ex contractu accipit, aut detinet rem alienam, quando res traditur æstimata: ergo. A. p. ex L. *Si ut certo loco.* 5. §. 3. ff. *Commodati.* & ita sentiunt Bartolus, Antonius Gomez, & alii cum Glossa. R. D. a. Si traditur

ditur res æstimata æstimatione faciente venditionem, vel si constat, æstimationem ideo esse factam, ut totum periculum esset penes accipientem, & non penes Dominum C. a. secus N. a. Responsio hæc videtur colligi ex ipsa lege citata, quæ ita habet: *Etsi forte res æstimata data sit, omne periculum præstandum ab eo, qui æstimationem se præstaturum recepit.*

Objic. 4. Mutuatarius tenetur ad restitutionem, etsi pecunia mutuo accepta casu fortuito pereat: ergo. R. N. c. In contractu mutui transfertur dominium in Mutuatarium: ergo mutuatario talis pecunia perit; quia, quidquid fortuito perit, Domino perit. Conclusio autem nostra per se loquitur de contractibus illis, in quibus non transfertur dominium.

Objic. 5. Res, quæ perit fortuito, non semper Domino perit. ergo. A. p. Si res aliqua est vendita, & nondum extradita, manet sub dominio venditoris: & tamen, si perit, emptori, & non venditori perit, ut patet ex variis legibus, juxta quas emptor pretium debet solvere, etsi res empta ante traditionem perierit apud venditorem. Quare emptor debet totum damnum ferre, solvendo pretium pro re aliena, quæ periit: ergo res, quæ perit fortuito, non semper Domino perit: consequenter nostræ probationes non subsistunt. R. N. a. ad prob. d. a. si res determinata sit absolute vendita, & nondum extradita, manet sub dominio venditoris, ita tamen, ut fictione juris quoad commoda & pericula talis rei emptæ ipse emptor censeatur Dominus C. a. secus N. a. Quamvis emptor ejusmodi rei non sit Dominus absolute, & quoad omnes effectus dominii, est tamen Dominus fictione juris quoad commoda, vel pericula, meliorationem aut deteriorationem rei determinatæ, ac absolute venditæ: de quo plura in Tractatu de contractibus.

Objic. 6. Jus Bavaricum *Landrecht.* T. 17. art. 1. vult, ut Dominus non sustineat totum damnum, si res fortuito apud commodatarium pereat, sed debet commodatarius cum Domino transigere: ergo. R. 1. Hoc tantum esse de jure Bavarico, non autem de jure communi. R. 2. Neque hæc juris Bavarici constitutio obligat ante sententiam judicis in conscientia, uti colli-

ligetur ex dicendis num. seq.; si enim culpa mere juridica in foro conscientiæ non debet præstari ante sententiam judicis, minus præstari debebit casus mere fortuitus.

507 Assero 2. Per se loquendo nemo sub gravi tenetur ad restitutionem in contractibus ante sententiam judicis, nisi ex culpa theologica gravi: tenetur tamen post sententiam. Lugo, Sporer, Herincx, Vogler, Elbl, Holzman, ac alii plurimi ex modernis contra Communiorem saltem antiquorum, ut vult Lessius, docentem, leges prædictas de contractibus §. præc. allatas, obligare in conscientia etiam ante omnem sententiam judicis.

Prob. 1. Lex Aquilia, & leges noxales non obligant ante sententiam judicis: ergo neque istæ de contractibus; est enim par ratio. A. patet ex dictis.

Prob. 2. Hæ leges vel non intendunt obligare ante judicis sententiam, vel si intendant ita obligare, non sunt in hoc rigore receptæ: ergo. Ant. constat ex praxi; nullus enim commodatarius facit sibi scrupulum exinde, quod non compenset damnum secutum ex culpa sua levissima, quando in custodienda re commodata adhibuit diligentiam, quam diligentiores adhibent, etsi non adhibuerit illam, quam impendere solent diligentissimi.

Prob. 3. Sicut in foro externo secluso contractu requiritur aliqua culpa juridica, ut possit imponi restitutio, ita ut & in foro interno & theologico possit aliquis adigi secluso contractu, & sententia judicis ad restitutionem, requiritur culpa theologica, & quidem gravis, si grave damnum est compensandum: ergo &c.

Prob. 4. Quando ex casu fortuito res aliena perit apud commodatarium, non est obligatio, etiam in foro civili, eam compensandi: ergo etiam, quando ex aliqua indeliberatione res aliqua perit apud eumdem, non tenetur ad damnum compensandum in foro theologico; eoquod in foro theologico casus fortuitus, & casus ille, qui ex indeliberatione, vel defectu plenæ advertentiæ accidit, parum differre videantur. Videantur quoque pro-

probationes n. 482. poſitæ, quæ omnes cum proportione hic applicari poſſunt.

Pars altera Aſſertionis etiam probata manet ex dictis num. 483. Accedit, quod ſaltem per contractum aliquis ſe obliget ad præſtandam etiam culpam juridicam ſecuta ſententia.

Objic. 1. Quomodo leges obligent, præcipue debemus in- 508
telligere ex interpretatione, & ſenſu DD. atqui iſti communiſſime fatentur, leges de contractibus obligare etiam ante ſententiam judicis ob culpam mere juridicam, levem, & leviſſimam: ergo. R. 1. Etſi antiqui DD. plus ſententiæ contrariæ ſubſcripſerint, tamen authoritate modernorum ſat gravi & magna quoque munitur noſtra ſententia. 2. Authores antiqui, ſaltem plures ex iis, videntur poſſe intelligi de culpa quidem abſolute levi, vel leviſſima, reſpective tamen gravi, & omnino mortifera, vel ut plerumque cum peccato mortali conjuncta. 3. Non ſolum ex authoritate, ſed etiam ex praxi, & aliis adminiculis poteſt deſumi interpretatio legum. R. 2. in forma tr. M. d. m. ita tamen, ut ſufficiens authoritas, ac rationes valde graves, aut omnino graviores pro noſtra ſententia ſtent. C. m. ſecus N. m. &c.

Objic. 2. Contrahentes videntur ſe implicite obligare ad præſtandas culpas juridicas ſecundum præſcriptum legum: ergo. R. N. c. nam leges non præſcribunt, ut præſtentur iſtæ culpæ ante ſententiam judicis, vel ſi præſcribunt, non ſunt in hoc ſenſu receptæ.

Objic. 3. Etiam vi juris, & luminis naturalis eſt major obligatio cuſtodiendi res alienas, conceſſas in meram noſtram utilitatem, quam illas, quas tantum accepimus ob commoditatem, & utilitatem aliorum: ergo ſi jure naturali præſtari debet culpa lata, & theologica mortalis in contractu, qui cedit in utilitatem alterius, tunc etiam culpa juridica levis, & leviſſima vi ejusdem juris præſtari debebit in contractu, qui cedit in utilitatem ſolius accipientis. R. N. c. Ex hac objectione ſolum ſequitur, quod ad evitandam culpam mortalem major diligentia requiratur in uno contractu, quam in altero. Sic ipſa lex natura-

turalis videtur fub culpa, etiam theologica, obligare, ut majorem diligentiam impendamus rei alienæ, nobis ex contractu in noftram tantum utilitatem conceffæ, quam illi, quæ & nobis accipientibus, & danti cedit in commodum: uti & major diligentia requiritur in re aliena pretiofa cuftodienda, quam alia, quæ eft minoris æftimationis. Unde & minor negligentia in re pretiofa affervanda, & cuftodienda peccatum mortale efficere poteft. Non autem fequitur, quod fine omni culpa theologica mortifera gravis adfit obligatio, compenfandi damnum, ex culpa mere juridica datum.

Objic. 4. In emptione & venditione venditor in confcientia, & ante fententiam judicis ad evictionem tenetur, modo res emptori per fententiam evicta fuerit: ergo etiam in quolibet contractu ante fententiam judicis, & in confcientia præftanda eft culpa juridica C. p. Ideo tenetur venditor ad evictionem, quia hæc obligatio eft inter naturalia contractus venditionis: atqui etiam præftatio culpæ juridicæ videtur effe inter naturalia diverforum contractuum, qui quandoque majorem diligentiam ex natura fua exigunt: ergo.

Ante refponfionem nota, evictionem effe, quando Dominus rem fuam, tibi a non Domino, v. g. fure, venditam, per fententiam judicis vindicat, & fibi recuperat. In quo cafu ille, qui tibi vendidit ejusmodi rem non fuam, feu alienam, tenetur ad evictionem: & quidem, fi mala fide, feu fciens, quod res fit aliena, eam tibi vendidit, tunc poft evictionem tenetur non folum ad reftitutionem pretii tibi emptori faciendam, verum etiam ad intereffe, feu ad refarciendum damnum, & lucrum ceffans, quod pateris ob ejusmodi evictionem. Si autem venditor nefcivit, effe rem alienam, & bona fide proceffit, tunc in foro confcientiæ, & ante fententiam tenetur tantum ad refundendum pretium. Et hoc ideo, quia hoc in ifto contractu, ultro citroque obligante, tacite includitur, ut venditor emptorem indemnem fervet quoad rem emptam, ficut & emptor debet venditorem indemnem fervare quoad pretium. Unde

R. N. c.

R. N. c. & parit. similis enim obligatio præstandi culpam mere juridicam in foro conscientiæ non potest ostendi ex lege positiva, aut naturali, prout tamen ea ostenditur circa evictionem &c.

§. III.

De Obligatione restituendi ex quasi contractu, & aliis huc pertinentibus.

NOTA: *Quasi contractum* vocari illum, in quo non intervenit formalis, & explicita, sed tantum implicita, & virtualis voluntas se obligandi. Quinque species quasi contractuum enumerantur Instit. *de Obligationibus*, *quæ ex quasi contractu nascuntur.* nimirum: *negotiorum gestio*, *tutelæ administratio*, *cura communis rerum*, *hæreditatis aditio*, & *indebiti solutio.* Communiter tamen defacto nomen *quasi contractus* ad quodvis munus, ac officium Gubernatoris, Judicis, Medici, Advocati, imo cujuslibet opificis & artificis: item Episcopi, Parochi, Confessarii &c. extenditur; nam omnes, qui in se suscipiunt aliquod munus, virtualiter ac interpretative sese obligant ad debitam in ejus functione diligentiam adhibendam. H. N.

Affero: Nemo per se loquendo obligatur ex quasi contractu ad compensationem damni gravis, nisi ob culpam theologice gravem. Lessius, Lugo, Mezger, Herincx, Holzman, Vogler, ac alii quam plurimi.. Probatur hæc Assertio iisdem argumentis, quæ fuerunt adducta num. 485. 509

Objic. 1. Nostra sententia est contra leges, & contra Communem Authorum: ergo. R. 1. opponendo alios plurimos Authores modernos, qui communiter defendunt nostram sententiam, quidquid sit de antiquis. R. 2. Leges loquuntur de obligatione restituendi secuta sententia. R. 3. eodem modo, sicut respondi num. 508. ad objectionem primam.

Objic. 2. Qui pro mercede & stipendio servit, ad majorem diligentiam tenetur, quam ille, qui gratis servit; sed ille, qui gratis servit, tenetur ita esse diligens in suo officio, ut evi-

evitet omne peccatum grave, & culpam latam juridicam, alias obligandus ad reftitutionem: ergo ille, qui fervit pro mercede, tenetur etiam evitare culpam levem, & venialiter peccaminofam, alioquin erit ad reftitutionem obligandus.

R. 1. Quamvis Officialis, vel famulus mercede conductus teneatur ad ampliorem diligentiam, quam alius, qui pure gratis fervit, nihilominus non debet majorem diligentiam adhibere, quam communiter folent alii Officiales mercede conducti; atqui tales communiter tantum folent adhibere illam diligentiam, qua evitatur culpa lata, ac theologice gravis. Plane peffime confultum foret Medicis, etiam pro mercede fervientibus, fi cogerentur ad reftitutionem, quoties per ignorantiam, aut inadvertentiam venialiter culpabilem caufa funt acceleratæ mortis: uti & Judicibus, qui moraliter evitare nequeunt culpas omnes theologice leves in decidendis, & tractandis caufis forenfibus &c. Et certe, cum facile committantur fimiles negligentiæ venialiter culpabiles, omnes fere timorati abhorrerent ab acceptatione munerum publicorum, fi compenfari deberent damna, data per ejusmodi venialiter culpabilem negligentiam. R. 2. Ex hoc folum fequitur, quod apud Officiales ftipendio conductos ad conftituendum peccatum mortale fufficiat minor negligentia, quam apud illos, qui gratis ferviunt, vel liberaliter aliquod munus adminiftrant. Hinc in forma R. 3. D. M. ad majorem diligentiam tenetur, ita tamen, ut nunquam ad reftitutionem fub gravi obligetur, nifi commiferit negligentiam graviter theologice culpabilem c. M. fecus n. M.

Dixi in conclufione: *per fe loquendo;* per accidens enim interdum in quafi contractu oriri poteft gravis obligatio præftandi culpam refpective levem, & leviffimam, ac tantum venialiter, vel omnino in foro theologico non peccaminofam: 1. in cafu, quo quafi contractui adjicitur pactum affecurationis de præftandis ejusmodi culpis tantum juridicis, imo etiam de cafibus fortuitis. 2. Quando artifex, vel officialis fe jactat peritiorem aliis, ficque efficit, ut alii magis periti relinquantur, ac ipfe affumatur cum periculo non modici damni, quod alii inde poffunt incurrere. Quo in cafu ejusmodi Officialis tenetur ad

ad-

adhibendam exactiſſimam diligentiam, ut damna aliorum evitentur; ſecus ad reſtitutionem erit obligandus. 3. Quando aliqua res exigit diligentiam exactiſſimam, ut ſi ſit negotium magni momenti. Verum in duobus ultimis caſibus rectius dicitur, negligentiam etiam modicam, & culpam abſolute levem poſſe ſæpe eſſe latam, & theologice gravem. Ex dictis

Colliges: Cuſtodes ædium, aut vinearum &c. qui per negligentiam venialem duntaxat fores relinquunt apertas, cujus occaſione alii intrantes grave damnum inferunt, non teneri ad compenſationem talis damni. Sequitur ex dictis; quia ſcilicet non eſt commiſſa culpa gravis: ergo neque videtur propterea imponenda obligato reſarciendi damnum grave, præſertim quia neque gravitas materialis hujus damni plene eſt cognita.

Quæres: An in communi periculo incendii, tempeſtatis, 510
naufragii &c. teneatur aliquis rem alienam, quam poſſidet ex contractu, præferre rebus propriis, ita, ut ſi ſalvare nequeat utramque, teneatur potius periculo eripere rem alienam, quam propriam? Caſus ſit: Petrus habet apud ſe depoſitas plures res alienas: incenditur domus ejus, ac in periculo interitus eſt omnis ſubſtantia ſua, una cum rebus illis alienis apud ſe depoſitis. Modo quæritur: an ſi res ſuas, & alienas non poſſit ſimul ſalvare, teneatur potius incendio eripere res alienas depoſitas, quam proprias? H. N. ad quæſitum.

R. 1. Si res propria ſit æque pretioſa, vel omnino pretioſior, quam aliena, tunc in foro interno non eſt obligatio ſalvandi rem alienam præ propria. Ita Elbl de Reſtit. n. 157. & Holzman ibid. n. 422. cum Communi aliorum. Ratio eſt: quia in contractu quocumque nemo ſe obligare præſumitur ad expenſas extraordinarias, in conſervatione rei alienæ faciendas: atqui, ſi deberet aliquis pro conſervatione rei alienæ expendere, & perdere res proprias æque pretioſas, vel omnino pretioſiores, eo ipſo teneretur ad expenſas extraordinarias: ergo. M. conſtat; quia nemo vult potius conſervare rem alienam, quam propriam in pari periculo. Plane amor ordinatus erga ſeipſum ſuadet, ut quis in tali periculo potius ſuis, quam alienis rebus conſulat.

R. 2. Si ex amissione tuarum rerum, etiamsi non sint ita pretiosæ, ut alienæ, debeas subire notabile ac grave damnum, non teneris, res alienas in tali periculo tuis præferre, nisi sis moraliter certus de damno tuo resarciendo. Sporer, Holzman, & alii apud istum citati. Ratio est eadem, quæ prior; quia nemo censetur, se velle per contractum obligare ad custodiendas, & servandas res alienas cum notabili damno suarum rerum, nisi forte bonum publicum, vel altior quædam ratio contrarium exposcat.

Petes: Unde erit colligendum, quod ejusmodi detrimentum sit notabile? R. Per virum prudentem debere pensari tuam, & alterius jacturam: item tuam paupertatem vel indigentiam, & alterius, cujus res apud te deposita est, divitias. 2. debere quoque attendi, an contractus sit in tui gratiam solum factus, vel etiam in alterius? si in tui solius gratiam res aliena ex contractu apud te existit, tunc æquitas naturalis exposcit, ut pro ea servanda majus damnum subeas, quam si tantum in commodum alerius apud te esset deposita. Ita recte Tamburinus explicationis Decalogi L. 8. t. 3. c. 5. §. 3. n. 6. Ex his

Resolves 1. hunc casum: Joannes inops Paterfamilias 100. tantum aureis sine spe uberioris fortunæ se, suamque familiam ægre sustentat. Hos igitur 100. aureos non obligatur amittere, ut servet gemmam prædivitis cujusdam Principis, valentem decem millia aureorum, nisi certus sit, quod damnum suum 100. aureorum sibi refundendum sit a Principe. Tamburinus cit. n. 5.

Resolves 2. Te non excusari a conservatione rei alienæ, quæ valet mille, si times jacturam unius aurei. Elbl cit. Babenstuber t. 7. d. 4. Art. 3. n. 41. Hoc saltem verum est, nisi aliæ speciales circumstantiæ interveniant, quæ jacturam etiam unius aurei valde notabilem reddant. Ratio hujus est: quia unus aureus, licet in se sit materia gravis, & sufficiens ad peccatum mortale furti: non est tamen notabilis in casu, & prout hic to *notabilis* sumitur: seu non est magna, & notabilis respective, seu respectu summæ 1000. aureorum: atqui hic per damnum notabile non qualecumque, sed respective notabile intelligi debet: ergo. Jam ad quæsitum supra positum.

R. 3,

R. 3. Si res tua ſit admodum vilis, & ex hujus amiſſione non patiaris magnum detrimentum, tunc teneris rem alienam e periculo eripere, etſi tua pereat. Tamburinus cit. n. 7. Elbl, ac Holzman pariter cit. cum aliis. Ratio eſt: quia ſemper in ejusmodi contractibus imbibitur obligatio cuſtodiendi res alienas, quando moraliter & prudenter poſſunt cuſtodiri: atqui in caſu reſponſionis hujus poſſunt moraliter & prudenter cuſtodiri, & ſervari, cum tuum damnum, quod propterea ſubire debes, ſit exiguum: ergo.

Hoc etiam notes, quod alter, cujus rem ſervaſti cum detrimento tuæ, teneatur tibi, tanquam utili ſuorum negotiorum geſtori, damnum hoc exiguum, quod incurriſti, compenſare. Imo Tamburinus laudatus n. 8. judicat, ſi prævideas, Dominum tibi non ſoluturum pretium tuæ rei vilioris, te non teneri ex juſtitia ſervare rem illius pretioſiorem cum jactura tuæ vilioris. Ratio eſt: quia te in ſervanda re alterius non videris obligaſſe ad patiendum detrimentum proprium ſine hujus refuſione. Hoc tamen intellige, niſi detrimentum eſſet adeo exiguum, ut judicio prudentis cenſereris, te ad illud ſubeundum obligaſſe. Exiſtimat ulterius laudatus Author, etſi ex juſtitia non obligeris, ſaltem ex charitate te teneri ad patiendum tale damnum ob conſervandam rem alienam notabilem, & pretioſam. Ratio eſt: quia charitas dictat, ut ſubveniamus gravi damno proximi, quando ſine notabili noſtro detrimento poſſumus.

Obſerva etiam, has reſolutiones ſolum procedere de foro interno: ſiquidem in foro externo jura præſumunt, quod quis res ſuas liberans, alienas vero negligens, dolo malo proceſſerit, & conſequenter in tali foro condemnabitur ad reſtitutionem. Holzman cit. cum aliis.





ARTICULUS V.

De obligatione restituendi ex damno per ignorantiam, errorem, aut per accidens dato.

§. I.

De damno per accidens, & præter intentionem dato, per restitutionem iterum reparando.

NOTA, varios posse contingere casus, ubi ex aliqua actione per accidens præter intentionem, & advertentiam sequitur aliquod nocumentum alteri in bonis fortunæ, honoris, aut omnino vitæ: ut si honestæ venationi incumbens, trajicias præter opinionem tuam aliquem hominem, utpote quem invincibiliter credidisti feram: & sic de aliis pluribus. An ergo in ejusmodi damnis per accidens, & præter intentionem contingentibus sit restitutionis obligatio, per sequentia quæsita breviter expedietur. Igitur

511 Quæres 1. An vacans operi licito, v. g. honestæ venationi, alteri præter intentionem, & ex ignorantia invincibili dans damnum, ac lædens ipsius jus, teneatur ad restitutionem?

R. 1. negative. Prob. 1. Juxta Can. *quantum.* 48. d. 50. & cap. finale *de injuriis.* non obligatur restituere, *qui nihil de contingentibus ad præcavendum damnum omisit.* Atqui nihil censetur omisisse, qui damnum dedit in illa contingentia & circumstantia rerum, in qua damnum ob ignorantiam invincibilem non potuit præviderі: ergo.

Prob. 2. Infans, vel amens dans aliquod damnum, non tenetur ad restitutionem, quia non habent cognitionem talis damni: ergo, quia adultus procedens ex ignorantia invincibili, ac præter intentionem, etiam non habet cognitionem damni, hinc neque iste tenetur ad restitutionem.

Prob.

Prob. 3. Talis homo non tenetur ex titulo rei acceptæ; suppono enim, quod nihil de re aliena, in qua damnificavit, ad ipsum pervenerit, sed tota res sit consumpta, vel destructa: neque tenetur ex radice injustæ acceptionis; nam culpa injustæ acceptionis debet esse voluntaria; atqui voluntaria non est, nisi damnum ejusmodi fuerit præcognitum; cum nihil voluntarium, aut volitum sit, nisi fuerit præcognitum.

Ex quo habes, illum, qui in venatione occidit hominem, quem invincibiliter, & omni cautela adhibita putat esse feram, in omni foro absolvi ab homicidio, nec teneri ad restitutionem.

R. 2. Præcedens resolutio etiam vera est in casu, quo damnum ex errore invincibili inferens, habitualiter aut actualiter animo est ita comparatus, ut vellet injustum damnum causare, dummodo suppeteret occasio damnificandi. v. g. Petrus credit quidem invincibiliter, animal illud, in quod exonerat sclopetum, esse feram, interne tamen optat, ut ejus loco adesset Paulus inimicus, quem occidendi maximum affectum habet. Et ecce; facta explosione deprehendit, se revera non feram aliquam, sed hominem, & quidem Paulum inimicum suum petiisse, & occidisse. In hoc casu Petrus peccavit quidem graviter ob internum affectum homicidii: non tamen censetur peccasse peccato externo homicidii, neque obligatur ad restitutionem ob damna ex occisione Pauli aliis emergentia. Ita Elbl de Restit. n. 86. & Communis aliorum. Ratio est; quia ob merum affectum internum aliquis non obligatur ad restitutionem, sed requiritur, ut damnum externum sit deliberate & voluntarie positum: atqui in casu hujus Assertionis damnum, v. g. homicidium, non est voluntarie & deliberate positum, quia non fuit præcognitum: ergo.

Neque obstat affectus pravus internus; hic enim non est efficax, & absolutus, sed tantum inefficax & conditionatus, ac concomitans, nec dirigit efficaciter & effective actum externum: ergo neque in eum influit. Ant. constat; quia efficaciter non solet intendi, quod non cognoscitur, vel quod hic & nunc non cognoscitur possibile: atqui in simili casu damnificans non cognoscit, sibi esse possibilem occisionem sui inimici, eoquod

cre-

credat, inimicum ſuum non eſſe præſentem, ſed potius feram: ergo. Paucis: ex affectu illo interno, & prava diſpoſitione animi ſolum ſequitur, quod occiſio hominis fuiſſet volita, & voluntaria, ſi fuiſſet cognitus inimicus: non autem ſequitur, quod nunc fuerit actu, abſolute & efficaciter volita, ac voluntaria: imo cum Petrus non ſciverit inimicum præſentem, potius ſequi debet, quod occiſio inimici non fuerit efficaciter volita.

512 Quæres 2. An etiam dans operam rei prohibitæ, vel illicitæ, & inde per accidens, ac præter intentionem cauſans alteri damnum, teneatur ad reſtitutionem? R. 1. Dans operam rei illicitæ, quæ eſt tantum contra alias virtutes, non autem juſtitiam, & inde per accidens, ac præter intentionem damnificans alterum, non tenetur ad compenſationem ejusmodi damni per accidens dati. Caſus eſt: Sempronius die feſto contra præceptum Eccleſiæ laborat in officina fabrili, & præter omnem opinionem, ac prorſus improviſo excitat incendium, & comburit ædes ſui proximi. Quo in caſu non tenetur ad reſtitutionem damni, proximo illati. Prob. Sempronius in hoc caſu non peccavit contra juſtitiam formaliter: ergo ex titulo injuſtæ damnificationis non poteſt obligari. Ant. conſtat; peccavit enim ſolum contra præceptum Eccleſiæ, non autem contra juſtitiam, eoquod damnum ſecutum, & incendium nullo modo fuerit prævíſum, & omnino involuntarium.

Neque obſtat, quod labor fuerit voluntarius; nam eſto, quod labor in ſe fuerit voluntarius, non tamen fuit voluntarius ſecundum circumſtantiam incendii exinde ſecuti. Et ſæpe peccatum ſecundum ſe eſt voluntarium, non autem ſecundum ſuas circumſtantias invincibiliter ignoratas: ut ſi aliquis peccet cum ligata, quam invincibiliter putat ſolutam, talis non excuſatur a peccato carnis ſecundum ſe, excuſatur tamen a gravi ejusdem peccati circumſtantia, ſcilicet ab adulterio.

Objic. Clericus, qui dat operam rei illicitæ, & exinde præter intentionem eſt cauſa mortis, punitur in jure ut homicida; fit enim irregularis, quamvis opus prohibitum, quod exercuit, non ſit contra juſtitiam, ſed aliam virtutem: ergo eti-

etiam talis dans operam rei illicitæ, etsi ea non sit contra justitiam, potest obligari ad restitutionem, quando ex tali operatione illicita per accidens sequitur damnum proximi. Ant. patet ex cap. *Tua nos.* 19. *de Homicidio.* Ubi Monachus Sacerdos, cæteroquin artis chirurgicæ peritus, ac nullam gravem negligentiam in curando infirmo committens, pronunciatur irregularis, quia, dum chirurgiam contra prohibitionem Ecclesiæ exercuit, & strumam gutturis incidit, per accidens ex tali incisione infirmus est mortuus.

R. N. c. & parit. Irregularitas enim potest incurri ob specialem juris dispositionem, ubi non incurritur obligatio restitutionis. Et talis specialis juris constitutio habetur circa Clericos; nam ut hi fierent remotiores a periculo homicidii, statuit Ecclesia, ne ullo modo, quando alii sæculares in arte periti adsunt, chirurgiam exerceant, saltem quoad adustionem, abscissionem, & incisionem, utpote in quibus actionibus majus, & frequentius videtur subesse periculum mortis. Addidit etiam pœnam irregularitatis, a transgressoribus Clericis incurrendam, secuta morte ex tali adustione, incisione &c., de quibus vide Reiffenstuel T. 13. d. 3. q. 2. in Additionibus ad n. 23.

Dices: In prædictis casibus irregularitas incurritur ut pœna propter homicidium voluntarium: ergo ipsum homicidium per accidens secutum ex actione illicita jam est sufficienter voluntarium. At, si est sufficienter voluntarium, tunc nostra ratio nihil probat. R. 1. N. a. Irregularitas in ejusmodi casibus non incurritur ut pœna propter homicidium voluntarium, sed incurritur propter opus illicitum, & prohibitum, scilicet propter adustionem factam contra præceptum Ecclesiæ, ita tamen, ut homicidium requiratur tanquam aliqua conditio sine qua non; homicidium enim, utpote nec in se, nec in causa prævisum, non potest esse voluntarium. R. etiam 2. d. a. irregularitas imponitur propter homicidium re ipsa, & in se voluntarium N. a. propter homicidium interpretatione legis voluntarium C. a. Homicidium equidem in se non est voluntarium: lex tamen illud interpretatur esse voluntarium; quia oritur ex actione aliqua, quæ specialiter est prohibita ob periculum homicidii.

Jam ad quæsitum 2. R. 2. Si ex opere tuo etiam formaliter injusto, ac læsivo juris alterius per accidens, & præter intentionem sequatur adhuc aliud damnum, cum priore ex natura sua non connexum, nec ex eo communiter, aut valde frequenter sequi solitum, non teneris ad reparationem damni posterioris. Vogler n. 170. pro se allegans plurimos primæ notæ DD. Elbl de Restit. n. 87. ac Communissima aliorum contra Mastrium in Theol. morali d. 9. q. 2. n. 30.

Casus hujus responsionis declarativus sit: Cajus cum lumine alterius domum nocturno tempore fuit ingressus animo furandi, & actu furatus est: diligenter tamen cavit, ne incendium oriretur: idque nihilominus ob inculpabilem ipsius incuriam fuit exortum. Hoc igitur in casu tenetur quidem restituere ea, quæ furto surripuit, non autem quæ incendio perierunt.

Prob. Damnum hoc posterius nullo modo est voluntarium: ergo nullo modo est restitutioni obnoxium. A. p. non est voluntarium in se & directe; quia non est prævisum, nec intentum. Neque est voluntarium indirecte, & in causa; nam effectus ordinarie non dicitur volitus, aut voluntarius in causa, nisi per se, ac necessario, vel communiter & valde frequenter oriatur ex tali causa, & ex hac cognoscatur oriturus: atqui iterum supponitur, quod talis effectus, & damnum posterius non per se, neque communiter &c. oriatur ex priori tanquam causa: ergo. Ex quo

Deduces contra Mastrium: nihil referre, an opus, ex quo sequitur damnum alteri, sit contra justitiam, vel contra aliam virtutem, v. g. obedientiam, castitatem &c. dummodo ex eo per accidens tantum, & præter advertentiam ac intentionem sequatur damnum illud; quia tali modo damnum hoc semper est involuntarium, adeoque propter illud ex titulo injustæ acceptionis vel læsionis nihil restituendum.

R. 3. Regulariter excusaris a restitutione, etsi prævideas damnum aliquod ex actione tua illicita, vel injusta secuturum, dummodo illud non sequatur ex natura tuæ actionis, neque ex

ea

ea sequi communiter, vel ut plurimum soleat: sed potius oriatur ex malitia, ignorantia, aut errore aliorum. Tamburinus in Decal. L. 6. c. 4. §. 1. & 2. Vogler n. 172. Elbl n. 98. cum aliis communissime.

Prob. Damnificatio tunc solum est radix obligationis restituendi, quando est causa externa physica, vel moralis damni consecuti: atqui in proposito non est causa physica vel moralis, sed tantum mera occasio ejusmodi damni consecuti: ergo. M. patet in aliis obligationibus restituendi ex titulo injustæ damnificationis. m. iterum liquet; si enim actio tua, ex qua sequitur damnum, non est ex se, aut ex natura sua, neque ut plurimum connexa cum tali damno, tunc per se non censetur physice vel moraliter influere. Ratio hujus est: quia influxus causæ physicæ ex hoc desumitur, quod ea per se, & ex natura sua, vel necessario connectatur cum tali effectu: influxus vero moralis inde colligitur, quia ut plurimum ex positione talis actionis sequitur talis effectus, v. g. damnum tertii.

Confirm. Etsi charitas dictet, ut omnem etiam occasionem, unde malum proximi prævidemus oriturum, fugiamus, tamen justitia ad hoc non obligat, sed solum adstringit, ut secluso alio pacto, solum non præbeamus positivam causam moralem, vel physicam damno proximi: ergo etsi talis peccet contra charitatem, non tamen peccat contra justitiam, consequenter non obligatur ad restitutionem. A. constat; sæpe enim teneor impedire damnum proximi ex charitate, v. g. incendium domus ejus extinguere, si sine gravi meo incommodo possim, vel alia præstare, aut aliqua omittere, ad quæ facienda habeo alias jus, quin tamen tenear ista præstare ex justitia: ergo idem est in proposito. Ex hoc

Infertur, quodsi etiam prævideas, & positive intendas ejusmodi damnum, de quo in hac resolutione est sermo, te propter id secutum non obligari ad restitutionem. Tamburinus cit n. 3. La-Croix l. 3. p. 2. n. 156. Ratio est: quia prava intentio non facit actionem externam injustam, nisi ex natura sua sit causa saltem moralis injusti damni: ergo neque ex tali prava intentio-

ne inferri poteſt onus reſtitutionis, utpote quod oritur tantum ex cauſa externa injuſta damni. Ex dictis

513 Innumeri caſus reſolvi poſſunt : 1. Petrus aufert Joanni, homini avariſſimo, omnem ejus pecuniam, prævidens, eumdem ob iſtud furtum moriturum, quod & accidit. In hoc caſu Petrus eſt tantum occaſio, non autem cauſa mortis. Quare ratione ejus tantum peccavit contra charitatem, non autem juſtitiam : ſicque ad damna, ex tali morte hæredibus ſecuta, & etiam prævifa, nihil tenetur reſtituere : reddere tamen debet pecuniam ſurreptam, ut per ſe clarum eſt.

2. Joannes occidit aliquem occulte : Cædes imputatur Paulo, qui & 1. debet authoritate judicis hæredibus occiſi compenſare omnia damna illata per mortem illius. 2. Debet alias plures expenſas facere. In hoc caſu Joannes tenetur quidem Paulo refundere illa, quæ debuit ſolvere hæredibus neceſſariis occiſi : cujus ratio eſt ; quia homicida, ut dicetur ſuo loco, jure naturali tenetur reſtitutionem facere hæredibus occiſi : ergo etiam tenetur poſtea ſatisfacere iis, qui loco ipſius coacti ſunt, hanc reſtitutionem hæredibus facere. Non autem obligatur Joannes, reliquas expenſas refundere. Ratio eſt ; quia Joannes harum expenſarum, & damni non eſt cauſa, ſed tantum occaſio : & per accidens eſt, quod Paulo homicidium fuerit imputatum. Quis enim dicet, quod ideo imputetur homicidium Paulo, quia illud fecit Joannes ? ut ait Tamburinus.

3. Si aliquis cadaver occiſi ponat ante januam alterius, ex quo deinde imputatur homicidium alteri, non videtur eſſe per ſe cauſa hujus imputationis, & damnorum inde ſequentium. Vogler. Ratio eſt : quia ſitus iſte cadaveris non eſt cauſa ſufficiens ad imputationem, & talis imputatio ſequeretur ſolum ex ignorantia, vel malitia judicis, quam aliquis ex juſtitia non tenetur impedire. Hoc tamen intellige, niſi ille, cujus foribus apponis corpus occiſi, non ſit aliunde de cædibus commiſſis infamatus, vel ſuſpectus : item, niſi habuerit cum occiſo notorias, aut capitales inimicitias. Ratio hujus eſt ; quia cædes, & collocatio corporis occiſi ante fores alterius in his circumſtantiis fa-

facta, ſolet ut plurimum eſſe cauſa, ut alteri homicidium imputetur, & gravia ei damna inde immineant. Plures ſimiles caſus reſolutos vide apud Vogler, Tamburinum, & La-Croix citatos.

Dixi in reſponſione tertia: *regulariter ;* quia interdum actio, etſi in ſe non ſit cauſativa damni, eſt tamen talis ex circumſtantiis, in quibus exercetur. Et tunc certe erit obligatio reſtituendi; quia habetur moralis influxus in damnum. Ad diſcernendum autem, an adſit ejusmodi moralis influxus, hæc ſit regula: ſi ex tali actione, juncta cum ſuis circumſtantiis, ſequitur ut plurimum, vel communiter damnum tertii, tunc ſignum eſt moralis influxus, atque ejusmodi actio eſt vera cauſa, & non tantum occaſio damni. Ita Tamburinus cit. §. 1. n. 4. Plura de hac re valde practica apud Caſiſtas.

§. II.

An compenſari debeat exceſſus damni invincibiliter ignoratus?

Eſt hic quæſtio de exceſſu per ſe connexo cum damno, voluntarie dato, v. g. Titius projicit in mare gemmam Caji, valentem ducentis aureis, quam ipſe *invincibiliter* credebat valere tantum centum. Inquiritur ergo, an Titius ſcienter in mare jactans gemmam, teneatur ſolum compenſare damnum, quod cognovit, ſcilicet valorem 100. aureorum, vel an teneatur quoque reddere exceſſum hujus damni, & ſic ducentos aureos Cajo refundere? Solet hæc quæſtio etiam taliter proponi, An ille, qui ſcienter intulit damnum grave, ſed invincibiliter ignoravit, eſſe tam grave, teneatur totum hoc damnum, quantum in ſe eſt, compenſare? Ad hoc dubium reſpondendo

Aſſero: Ejusmodi damnificator non tenetur compenſare ex- 514
ceſſum damni invincibiliter ignoratum. Poncius, Dicaſtillo, Haunoldus, Mezger d. 32. Art. 2. n. 19. La-Croix l. 3. p. 2. n. 194. Vogler n. 187. Elbl n. 9. contra Lugonem, Illſung, & nonnullos alios.

Prob. 1. Ad talem exceſſum reſarciendum neque ex titulo rei acceptæ, aut injuſtæ damnificationis, vel acceptionis tenetur: ergo nullo ex titulo tenetur. A. quoad 1. memb. per ſe patet: 2. prob. quoad exceſſum illum, utpote invincibiliter ignoratum, non contingit formalis, ac voluntaria damnificatio: ergo damnificans ad illum exceſſum reſarciendum non tenetur ex titulo injuſtæ damnificationis.

Confirm. Si totum damnum non eſſet cognitum, v. g. ſi Titius invincibiliter credidiſſet, hanc gemmam eſſe ſuam, & non alterius, vel eam non eſſe gemmam, ſed vitrum nullius valoris, tunc fuiſſet deobligatus a compenſando toto hoc damno: ergo a pari, ſi pars, & exceſſus damni non eſt cognitus, tunc neque ad illam partem damni compenſandam tenetur. C. patet; ideo enim non eſt compenſandum totum damnum in caſu Antecedentis, quia totum ob defectum cognitionis eſt involuntarium: atqui etiam pars, & exceſſus ille damni pariter eſt involuntarius ob æqualem defectum cognitionis: ergo.

Prob. 2. Non eſt obligatio reparandi damnum extrinſecum, & per accidens cum alio damno per ſe intento connexum, quando hoc damnum extrinſecum non fuit præviſum, ut patet ex §vo præced. ergo a pari idem eſt de damno intrinſeco, & per ſe connexo cum alio: dummodo hoc damnum intrinſecum etiam non ſit præviſum.

Neque obſtat, quod hoc damnum intrinſecum ſit identificatum, vel per ſe connexum cum altero; non obſtante enim hac identitate, vel connexione poteſt unum damnum ab altero per intellectum præſcindi, & unius malitia eſſe cognita, ac voluntaria, non autem alterius: & conſequenter una pars damni moraliter imputari damnificanti, non vero altera. Talis præciſio fit etiam tunc, dum aliquis peccat cum ligata, quam invincibiliter exiſtimat eſſe ſolutam: ubi peccans committit quidem fornicationem, non autem adulterium formale. Idem dic cum proportione de noſtro caſu.

515 Objic. 1. Obligatio reſtituendi exceſſum damni invincibiliter ignoratum, eſt toti generi humano optabilis, ut per eam fures,

&

& injusti rerum alienarum consumptores absterreantur ab injuriis inferendis : ergo hæc obligatio defacto datur. R. 1. Retorq. Argum. in damna tantum extrinseca, & per accidens secuta ; quia obligatio compensandi etiam hæc damna extrinseca absterreret fures, & alios ab injuriis inferendis : & tamen talis obligatio etiam juxta Adversarios non datur. R. 2. N. a. nam cum excessus hujus damni invincibiliter ignoretur, & sit extra prudentem suspicionem, ideo damnificanti neque aliquid de obligatione hunc excessum compensandi incidet : si autem nihil de tali obligatione cogitat, tunc per eam non potest absterreri ab injuria ; rei enim incognitæ nulla est cupido, & nullus timor. Dein obligatio compensandi ex suis illa damna, quæ quis inadvertenter, & involuntarie dedit, est nimis dura, & non adeo naturæ, ac societati humanæ conveniens.

Objic. 2. Videtur æquius, ut injustus damnificator ferat hunc excessum damni, quam innocens Dominus : ergo. R. 1. Retorq. sicut prius. R. 2. d. a. videtur æquius, ut ferat hunc excessum damni, si eum voluntarie & scienter intulit C. a. si involuntarie *subd.* videtur æquius accedente sententia judicis C. a. secus N. a. Non videtur natura æquum, ut aliquis tam gravem pœnam sibi ipsi dictet, & in se exequatur ante omnem alterius judicis sententiam ob delictum tantum materiale, & involuntarium.

Objic. 3. In dubio debet præferri causa innocentis potius, quam rei : atqui in proposito damnificator est reus, qui scienter, saltem quoad reliquam partem, damnum fecit, & Dominus est innocens : ergo. R. 1. Retorq. Argum. In dubio non debet condemnari reus : atqui damnificator hic est reus : ergo non debet condemnari ad restitutionem. Item : in dubio nemo spoliari debet dominio certo suarum rerum : ergo neque talis damnificator debet spoliari dominio certo suarum rerum, ut ex iis faciat compensationem pro debito dubio. R. 2. d. m. damnificator est reus etiam quoad partem invincibiliter ignoratam N. m. quoad aliam partem non ignoratam C. m.

Objic. 4. Justitia exigit medium rei : ergo exigit, ut tantum restituat damnificator, quantum nocuit. R. d. c. exigit, ut

tan-

tantum restituat, quantum nocuit voluntarie, & formaliter injuste C. c. involuntarie N. c. Alias etiam ille deberet compensare totum damnum, qui ex incuria inculpabili ædes alterius accendit, & combussit, quod tamen falsum est.

Objic. 5. Pœnæ pro delictis gravibus statutæ incurruntur, etsi has ignorarint delinquentes, saltem regulariter loquendo, ut in Tract. de Actibus humanis est dictum: ergo etiam obligatio resarciendi totum damnum incurritur, etsi pars notabilis ejus fuerit ignorata. R. d. a. dummodo ejusmodi delinquentes totam malitiam delicti, cui respondet pœna, cognoverint C. a. si eam non cognoverint N. a. Adeoque hæc objectio potius videtur esse pro nobis; quia etiam pœna non incurritur, nisi malitia, cui pœna taxata est, fuerit cognita: sic excessus quoque damni debet esse cognitus, ut obligatio restituendi eidem excessui respondens incurratur.

Objic. 6. Qui peccat mortaliter, meretur pœnam æternam, etsi de ea non cogitaverit: ergo etiam, qui projicit similem gemmam in mare, debet restituere totum damnum inde illatum, etsi de toto hoc damno non cogitaverit. R. 1. Retorq. Argum. Qui peccat mortaliter, & meretur pœnam æternam, debet cognoscere malitiam gravem & mortalem, cui respondet pœna æterna: ergo etiam, qui debet restituere totum damnum, & consequenter præfatum excessum, debet etiam cognoscere totum hoc damnum, & excessum illum, cui respondet obligatio talis restitutionis. R. 2. d, a. etsi nihil cogitet de pœna, cognoscat tamen, & advertat malitiam gravem C. a. secus N. a. & c.

Objic. 7. Saltem ejusmodi damnificator committit peccatum mortale, cui proportionata pœna est restitutio totius damni: ergo. R. d. a. committit peccatum mortale quoad damnum illud, quod infert scienter C. a. quoad excessum damni, quem infert ignoranter N. a.

Objic. 8. Homicida tenetur etiam in foro interno resarcire illa damna, quæ ex cæde proveniunt uxori, & liberis occisi, etsi de istis damnis sub actuali occisione ordinarie non cogitet: ergo idem est in proposito. R. d. a. etsi de istis damnis non cogitet

gitet explicite & signate C. a. confuse, exercite & implicite N. a. Sic Sacerdos, etsi signate non cogitet, se esse personam sacram, sacrilegium tamen committit, dum actu contra castitatem peccat; quia saltem exercite, & implicite advertit, se esse per votum castitatis Deo dicatum. Si tamen in aliquo casu contingeret, ut homicida invincibiliter crederet, illum, quem occidit, esse sine liberis & uxore, non teneretur ad restitutionem aliquam illis faciendam, ut ait Vogler n. 198. & probat Lugo d. 11. n. 90. distinctio & responsio ista data ad plures similes casus applicari debet.

Objic. 9. Commodatarius, qui est in mora culpabili, & intra præfixum tempus non restituit rem commodatam, debet eam totam compensare, si casu fortuito apud ipsum pereat, ut dictum est: ergo etiam in proposito debet totum damnum resarciri a damnificante. R. N. c. & parit. Commodatarius ideo tenetur præstare casum fortuitum, vel quia se scienter, saltem implicite, ad hoc obligavit, vel tenetur ob labem injustitiæ in mora culpabili voluntarie, & advertenter contractam. Ast neutrum locum habet in nostro casu, ubi ejusmodi excessus, de quo disputamus, penitus ignoratur, adeoque nec de eo resarciendo potest fieri tacitus contractus, de rebus enim, quas nullo modo cognoscimus, non paciscimur: neque potest fieri peccatum injustitiæ in pessumdando tali excessu; quia omne peccatum debet esse voluntarium, & ex advertentia procedere.

Objic. 10. Qui projicit gemmam alterius in mare, vult executive totum, quod habet in manu, projicere. & perdere: ergo totum damnum hoc, quale in se est, executive intendit, consequenter & totum illud reparare tenetur. R. 1. Retorq. in illum, qui gemmam, quam in mare projicit, invincibiliter putat esse vitrum; hic enim executive totam gemmam alienam perdit, & tamen ab Adversariis non condemnatur ad restitutionem, quia ex ignorantia fecit: ergo. 2. Joannes invincibiliter credens, animal, quod videt, esse feram, vult executive illud occidere, quod ante se videt: ergo si tale animal visum esset homo, tunc Joannes executive intenderet occidere hominem, & propterea teneretur ad restitutionem: quis hoc credat? R. 2. in forma d. a. vult totum executive perdere, & pro-

jicere, quod habet ante se juxta suam cognitionem, vel quod ex errore invincibili judicat se habere C. a. quod habet contra, vel præter suam cognitionem & existimationem N. a. Sicut Joannes vult occidere feram, quam putat ante se habere, non autem hominem, quem non cognovit, ita & ejusmodi damnificator vult illud projicere, & rem tanti pretii perdere, quanti credebat ante se habere.

Ast quid resolvendum, si talis homo adhuc vellet projicere gemmam, etsi sciret ejus integrum valorem? R. dummodo hic & nunc actu integrum valorem non agnoscat, tunc eum non obligari ad totum refundendum. Ratio hujus responsionis colligitur ex dictis num. 511. in Resp. 2.

Ad alia resolvenda observa, me in Assertione dixisse: *excessum NB. invincibiliter ignoratum*, de quo nulla scilicet prudens suspicio habetur; sæpe enim ignorantia potest esse tantum vincibilis, & prudens dubium adesse, an non valor talis rei sit major, vel gravior, quam quis eum judicaverit, ubi rem alienam destruens, teneretur totum valorem resarcire.

§. III.

An errans in Persona læsa teneatur ad restitutionem, & quidem ex titulo injustæ acceptionis.

516 NOTA 1. Quæstionem esse, ad quid teneatur Cajus, qui damnum intulit Titio, putans, & volens illud inferre Stichio? Casus est: Cajus intendit furari Stichio equum: ast per errorem invincibilem abstulit equum alterius, scilicet Titii. Vel Antonius voluit devastare segetes Petri, capitalis sui inimici: per errorem vero invincibilem incidit in agrum Pauli, & hujus segetes est depopulatus. Modo quæritur, quid, & cui, & ex quo titulo hujusmodi damnificatores, in persona læsa *invincibiliter* errantes teneantur restituere.

Nota 2. Certum esse, quod Cajus nihil teneatur restituere Stichio, cui tantum voluit furari, non autem actu est furatus; quia nullam ei damnosam injuriam intulit.

No

Nota 3. Certum iterum esse, si talis per errorem damnificans, aliquid de re aliena, in qua damnum intulit, adhuc penes se formaliter, vel virtualiter habet, illud debere restitui personæ læsæ, & damnificatæ, & quidem ex titulo rei acceptæ, ut claret ex dictis de radicibus restitutionis.

Nota 4. Solam igitur esse controversiam, an damnificator, prædicto modo errans in persona, adhuc teneatur compensare damnum personæ læsæ, quando res aliena, in qua damnum factum est, tota est destructa, & absumpta, ita, ut nihil de ea restet? vel, quod perinde est, an teneatur restituere ex titulo injustæ acceptionis, & damnificationis? H. N.

Assero: Qui furatur, consumit, aut destruit rem Titii, 517
putans invincibiliter, esse Stichii, tenetur ad restitutionem, quamvis inde non evaserit ditior. Thomas Sanchez, Bonacina, Haunold, Vogler, n. 202. cum Communi: adeoque juxta hanc sententiam tenetur restituere ex titulo injustæ acceptionis, contra Molinam, & Tamburinum, quibus videtur esse probabile, in hoc casu tantum dari obligationem restituendi ex re accepta, & quando res aliena per errorem ablata adhuc exstat: ac contra La-Croix l. 3. p. 2. n. 200. qui existimat, tunc esse obligationem restituendi, si Cajus per errorem furans equum Titio, esset animo ita comparatus, ut adhuc furaretur, etsi sciret, talem equum esse Titii, & non Stichii: secus autem ab onere restitutionis eum absolvit, si animo ita sit comparatus, ut non furaretur, si sciret, eum esse Titii: additque laudatus Author, in hanc distinctionem consentire Cardinalem de Lugo d. 17. a. num. 77. Verum contra hos.

Prob. Assertio. Cajus, etsi sic erret, est vere, & formaliter fur, ac scienter accipit, & absumit rem alienam invito Domino: ergo etiam ex titulo injustæ acceptionis tenetur ad restitutionem; nam omnis formalis fur tenetur ad restitutionem ex hoc titulo.

Confirm. 1. Quamvis Cajus erret in persona damnificata, tamen hic error in furto, & damnificatione non est substantialis, sed mere accidentalis: ergo non obstante hoc errore com-

mittitur injusta damnificatio, & contrahitur obligatio restituendi ex titulo injustæ damnificationis. A. p. Non obstante isto errore, manent omnia substantialia ad furtum, vel injustam damnificationem requisita, siquidem ad furtum formale, vel formalem damnificationem nihil aliud exigitur, quam ut res aliena scienter auferatur, vel destruatur: atqui non obstante tali errore Cajus aufert, & destruit rem illam, sciens, eam esse alienam, & sciens, Dominum esse rationabiliter invitum: ergo.

Confirm. 2. Qui emit rem aliquam ab Antonio, quem putat invincibiliter esse Franciscum, emit valide, dummodo non erret circa substantiam mercis, teneturque Antonio pretium solvere, etsi forte interne ita fuerit dispositus, ut non emisset, si scivisset rem hanc esse Antonii, & non Francisci: ergo etiam inique absumens rem Antonii, tenetur ad reparationem hujus damni, etsi animo ita comparatus fuerit, ut non absumpsisset, aut damnificasset, si scivisset, rem esse Antonii, & non Francisci.

Accedit, quod hic non debeat attendi dispositio animi interna, qua voluisset abstinere a furto, vel damno, si hoc vel illud scivisset; hæc enim dispositio animi est tantum conditionata, & inefficax, ac non influit in actionem externam, ac proinde nec obnoxiam facit restitutioni, nec ab ea liberat. Debet autem attendi voluntas efficax, quæ actu externe influit: atqui actu habuit Cajus voluntatem efficacem damnificandi, quia actu libere externe intulit damnum, quamvis forte non intulisset, si personam damnificatam scivisset: ergo.

518 Objic. 1. In nostro casu non infertur injuria formalis Titio v. g. cujus res per errorem destruitur, aut aufertur: ergo non debet ei fieri restitutio ex titulo injustæ acceptionis; hic enim titulus fundatur in injuria, & damnificatione formali. A. p. In nostro casu damnificans non cognovit jus Titii: ergo non potuit formalis injuria inferri Titio; formalis enim injuria præsupponit cognitionem juris in tali persona residentis.

R. N. a. ad prob. d. a. non cognovit jus Titii sub omni prædicato C. a. non cognovit sub aliquo prædicato N. a. Damnifi-

nificator iste non cognovit quidem jus Titii sub hoc determinato, & individuali prædicato, quatenus erat jus hujus determinate hominis; scivit tamen esse jus alterius rationabiliter inviti, & non consentientis in destructionem, aut ablationem rei suæ: atqui ad contrahendam malitiam injuriæ formalis contra verum, & legitimum Dominum sufficit, ut quis sciat, actionem suam esse contra jus, & voluntatem illius, qui revera Dominus est, esto, non sciatur, quis determinate, & in individuo sit ille Dominus. Sic ille, qui absumit bona incerta ex delicto, formaliter injurius est illi, qui est Dominus horum bonorum, etsi hunc in individuo nesciat. Idem est, si quis bona inventa retineat, & non inquirat in Dominum debita adhibita diligentia; hi enim, quamvis ignorent Dominum, tamen ab injustitia formali in illum, qui revera Dominus est; commissa non excusantur; quia sciverunt saltem generaliter, hæc bona esse aliena, & Dominum esse rationabiliter invitum quoad absumptionem, vel retentionem eorumdem: ergo a pari, etsi Cajus ignoret, rem hanc, quam destruit, esse Titii, tamen est injurius eidem Titio; quia scit, rem esse alienam, & Dominum, quiscumque demum sit, non consentire in destructionem talis rei.

Objic. 2. Error in persona invalidat matrimonium: ergo etiam talis error invalidat injuriam formalem, & facit, eam esse nullam. Ant. constat; invalidum est enim matrimonium, quando quis voluit contrahere cum Anna, & per errorem contraxit cum Bertha. R. 1. Retorq. Argum. Error in persona non invalidat alios actus, excepto matrimonio, v. g. Baptismum, vel Ordinem. Sic valet Sacramentum Baptismi, dum baptizas filium Joannis, etsi invincibiliter credas, te baptizare filiam Gregorii. Idem est de contractu emptionis, prout ex 2. Assertionis confirmatione patet: ergo etiam talis error non invalidat injuriam formalem. R. 2. N. c. & parit. nam error circa personam in matrimonio est circa ipsam substantiam matrimonii, utpote quod versatur circa conjunctionem personarum & corporum: contra vero in injuria error circa personam non est semper circa substantiam injuriæ; cum non obstante hoc errore possint omnia essentialia ad injuriam formalem requisita manere, ut patet ex probatione nostra.

Objic. 3. Qui occidit Joannem Clericum, putans invincibiliter, eum esse Laicum, non committit injuriam in Clericum: ergo etiam, qui destruit rem Pauli, putans, eam non esse Pauli, non committit injuriam formalem in Paulum. R. d. a. committit tamen injuriam in hominem C. a. secus N. a. & d. c. vel potius N. c. & parit. Qui occidit Clericum per errorem invincibilem, non cognoscit in eo ullum prædicatum, quod sufficeret ad contrahendam malitiam sacrilegii, & injuriæ in Clericum: qui vero destruit rem Pauli, etsi nesciat, esse Pauli, cognoscit tamen, eam esse alienam, & illum, cujus est, non consentire in destructionem: ergo jam habet sufficientem cognitionem ad injuriam formalem tali Domino, scilicet Paulo, inferendam. Dein potest etiam Rderi 2. Retorq. Argum. Etsi talis homicida excusetur a sacrilegio, tamen non excusatur ab homicidio; quia, licet nesciat, quisnam homo ille sit, quem occidit, scit tamen, eum esse talem hominem, qualiscumque demum sit, qui habet jus ad vitam, quo citra injuriam spoliari non potest: ergo etiam, qui destruit rem Pauli, etsi nesciat, esse Pauli, tamen non excusatur ab injuria formali; quia saltem scit, hanc rem esse alienam, & se eam citra injuriam alterius non posse destruere. Ex his

519 Deduces 1. Eum peccare contra justitiam, & teneri ad restitutionem convenientem, qui occidit Paulum loco Petri, etsi interne ita comparatus fuerit, ut noluisset occidere, si scivisset esse Paulum. Ratio est: quia revera voluntarie homicidium hoc commisit, & egit contra jus occisi & aliorum, qui ex tali occasione damna patiuntur, dummodo hæc damna præviderit. Deinde error occidentis est tantum accidentalis; non obstante enim hoc errore habet sufficientem cognitionem malitiæ, & injustæ suæ actionis, utpote cognoscens, hanc suam actionem esse prohibitam lege naturali, & quinto præcepto Decalogi, ac esse contra jus hominis ibi stantis, aut prætereuntis, qualiscumque sit.

Deduces 2. Ejusmodi occisorem, etsi in persona erraverit, posse plecti pœna ordinaria in homicidas statuta, ut habent Covarruvias in cap. *Alma Mater.* §. 10. n. 14. Molina tom. 4. d.

30. ac longe communior, & probabilior teste Vogler n. 209. Homicida enim non punitur pœna mortis præcise, quia Petrum, aut Paulum, sed quia hominem, qualiscumque sit, contra jus occidit. Adjungit tamen laudatus Voglerus, quod in ejusmodi casu interdum possit pœna mitigari, *tum* quia homicidium quoad personam individualem non ita est voluntarium: *tum*, quia non tam gravis injuria redundat in consanguineos defuncti. Et in hoc sensu forte intelligendus est Julius Clarus L. 5. sent. §. homicidium: ubi sustinet, talem homicidam esse solum afficiendum pœnis arbitrariis, non autem ordinariis.


Deduces 3. Excommunicationem Canonis incurrit etiam ille, qui percutit Franciscum Clericum, quem invincibiliter credit, esse Clericum Antonium, etsi ita constitutus sit, ut nollet percutere, si sciret, hunc Clericum esse Franciscum, & non Antonium. Communissima apud Thomam Sanchez L. 9. de Matrimonio d. 32. n. 27. Ratio est: quia voluntarie & scienter percutit aliquem Clericum, etsi nesciat, quisnam in individuo ille sit.

Deduces 4. Eum, qui prætereuntem fœminam graviter infamat, putans aliam esse, quam sit, teneri ad restitutionem. Ratio hujus colligitur ex dictis, & ex L. *Eum, qui nocentem.* 18. §. 3. ff. *de Injuriis.* ibi: *Si injuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus, aut si quis me putet Lucium Titium esse, cum sim Cajus Sejus, prævalet, quod principale est, injuriam eum mihi facere velle; nam certus ego sum, licet ille me putet alium esse, quam sum, & ideo injuriarum actionem habeo.*

Objic. contra has illationes: Si quis putans se percutere servum nocentem, percutiat hominem liberum, tunc libero non conceditur actio injuriarum adversus percutientem. L. *Illud relatum.* 3. §. 4. ff. *de Injuriis.* ergo etiam tunc non est locus actioni injuriarum, quando quis percutit, vel mutilat Petrum, putans se percutere, aut mutilare Paulum. R. N. c. & parit. Si aliquis vult percutere, aut castigare servum nocentem, nullam vult alteri inferre injuriam, cum habeat jus percutiendi servum nocentem: Contra qui vult percutere, aut mutilare alium, in quem non habet jus, vult illi, quiscumque demum sit, infer-

re

re injuriam; cum velit agere contra jus illius cognitum. Potest etiam retorqueri argumentum ex lege immediate citata in deductione, & illatione quarta.



ARTICULUS VI.

Reliqua de Restitutione, facienda a bonæ & malæ fidei possessore.

§. I.

An ille, qui rem alienam a fure emit, possit eam eidem restituere ad recuperandum suum pretium?

520 NOTA 1. Quæstionem hanc agitari tam de bonæ, quam malæ fidei emptore, id est, tam de illo, qui scivit, dum emit, rem illam esse alienam & furtivam, quam de eo, qui hoc nescivit, & bona fide processit.

Nota 2, Quæstionem esse, an hujusmodi emptor rem furtivam emptam teneatur immediate reddere Domino, cui est ablata: vel an possit eam reddere furi, a quo emit, ut hac ratione ab illo recuperet pretium suum.

Nota 3. In ista materia certum esse 1., quod res furtiva ab emptore immediate debeat restitui Domino, quando pretium non amplius potest recuperari, ut si fur aufugit. Ratio est: quia res aliena semper clamat ad Dominum suum, nec potest aliquis retinere illud, quod scit esse alienum, & sibi a non Domino venditum: cujus uberior ratio colligetur ex mox dicendis.

Certum est 2., quod etiam tunc immediate Domino debeat res talis restitui, quando ea sic reddita emptor non patitur jacturam pretii. Ratio hujus est: Si liceret, talem rem furtivam reddere furi, tunc solum ideo, quia taliter, & non ali-

aliter emptor recuperaret pretium ſuum : ergo , ſi aliunde recuperare poteſt pretium , non eſt ratio , cur rem illam non immediate reſtituat Domino. Adde , quod ejusmodi emptor non poſſit rem proximi periculo injuſtæ ablationis exponere ſine legitima cauſa : ſed ſic exponeret rem illam , ſi eam immediate furi redderet , & quidem ſine legitima cauſa , ſeu ſine periculo deperdendi pretium ſuum. Ex quo patet , quod a fortiori tunc debeat immediate Domino reddi res furtiva ab emptore , quando hic necdum pretium pro ea ſolvit. Idem judicium eſt de eo , qui rem furtivam a fure gratis dono accepit ; quia hujusmodi emptor , & donatarius non incurrerent periculum deperdendi alicujus pretii , nec cenſentur habere aliam cauſam excuſantem a reſtitutione immediate facienda Domino, ad quem res illa aliena per ſe clamat.

Certum eſt 3. ex oppoſito emptorem poſſe rem furtivam furi reſtituere tunc , quando nullum eſt prudens dubium , quin ipſe fur ejusmodi rem ſit Domino redditurus. Ratio eſt : quia in tali caſu Dominus non incurrit damnum ex hoc , quod res ipſius fuerit tradita furi. Quare

Controverſia remanet , an tunc ab emptore res furtiva empta poſſit reddi furi , quando certum eſt , aut prudenter dubitatur , an fur ſit illam Domino reſtituturus. Atque in hoc ultimo caſu , in quo Dominus incurrit morale periculum rem ſuam deperdendi , ſi ea ab emptore ad furem redeat , agitatur quæſtio , an ob pretium recuperandum emptor poſſit rem furtivam immediate tradere furi ? H. P.

Aſſero : Emptor bonæ fidei poteſt in prædicto caſu rem 521
immediate reddere furi. Toletus , Bonacina de Reſtit. d. 1. q. 4. punct. 2. n. 2. Valentia , Dicaſtillo , Leſſius , Lugo d. 7. ſect. 2. Mezger , Babenſtuber , Viva , Maſtrius , Herincx , Sporer , Elbl , Holzman contra Cajetanum , La-Croix L. 3. p. 2. n. 100. noſtrum Henno , ac Antonium Mayr , & alios.

Prob. 1. Juſtitia me non obligat , ut cum æquali , vel majori meo damno promoveam bonum proximi , & ejus damnum evi-

evitem: ergo justitia me non obligat, ut cum damno, & periculo æquali perdendi pretium immediate restituam Domino rem furtivam emptam.

Prob. 2. Si quis advertat, rem alienam a se in platea publica inventam, & acceptam sibi fore damnosam, potest illam reponere in eodem loco, in quo invenit, nec tenetur servare, ut Domino reddat; ergo etiam in nostro casu res empta potest reddi furi, ne ea emptori sit damnosa.

Prob. 3. Si ejusmodi res non posset immediate reddi furi, tunc ideo, quia eam sic reddens cooperaretur ad injustitiam furis, & rem alienam e statu meliori, quem acquisierat, in deteriorem abjiceret: atqui talis emptor non cooperaretur *positive* ad injustitiam furis, posito etiam, quod hic non sit restituturus Domino, neque *positive* rem in deteriorem statum reponeret: ergo. M. est ratio principalis, & fere unica Adversariorum. m. ex solutione objectionum clare patebit.

522 Objic. 1. Res illa furtiva empta clamat ad Dominum: ergo debet Domino restitui. R. d. c. ergo debet Domino restitui mediate, vel immediate C. c. semper immediate *subd.* nisi adsit causa legitima excusans ab immediata restitutione C. c. si adsit N. c. Æquale damnum, & periculum perdendi pretium suum, quod emptori imminet, est causa excusans ab immediata restitutione. Sufficit ergo, quod ista res mediate per furem, qui habet majorem obligationem restituendi, reddatur. Neque Dominus in hoc casu potest esse rationabiliter invitus; quia ipsa charitas dictat, ut emptor potius proprium, quam alterius, scilicet Domini, damnum & periculum evitet.

Objic. 2. Non licet rem alienam, quæ jam meliorem statum acquisivit, in deteriorem rejicere: sed si res aliena e manibus furis ad emptorem pervenit, jam acquisivit statum meliorem, quam habuit in manibus furis: ergo non licet eam iterum in manus furis tanquam statum deteriorem rejicere. M. constat; si enim rem alienam ex incendio extraxisti, non potes eam iterum in illud injicere; quia talis res ex igne extracta jam acquisivit statum meliorem, quam habuit in igne. m. iterum claret; nam dum est in manibus furis,

est

eſt in ſtatu ſumme periculoſo, e quo valde difficulter, aut omnino non ad Dominum revertetur: aſt apud bonæ fidei poſſeſſorem non eſt in tanto periculo, utpote a quo longe facilius Dominus rem ſuam recuperabit, quam a fure.

R. D. M. Non licet rem alienam in deteriorem ſtatum rejicere poſitive C. M. permiſſive n. M. ad paritatem dico: Ille, qui rem e rogo extractam iterum in ignem injicit, eam poſitive in deteriorem ſtatum reponit, ac phyſice, & in æſtimatione morali deſtruit: Aſt emptor, qui rem reddit furi, non poſitive ponit eam in ſtatum deteriorem; ſiquidem non ideo reddit, ut fur retineat, ſed ut ipſe poſſit ſuæ obligationi ſatisfacere, & Domino reſtituat: quod autem fur non reſtituat, provenit ſolum ex ejus malitia, quam emptor poteſt permittere, & non tenetur impedire cum gravi ſuo damno.

Quoniam autem hæc paritas præcipuum adverſæ ſententiæ fulcrum eſt, hinc ea amplius eſt declaranda. Nota igitur bene, quod natura ignis ſit cauſa neceſſaria, ex natura ſua neceſſitata, & determinata ad unam abſumptionem veſtium, & aliarum rerum combuſtibilium: non autem ea eſt indifferens ad conſumptionem vel conſervationem, & retentionem rei. Quare ſi aliquis rem alienam injicit in rogum, tunc illam neceſſario in ſtatum deteriorem rejicit; quia nullus deterior ſtatus eſſe poteſt, quam perditionis, quem ejusmodi res in igne invenit. Inde ſequitur ulterius, quod deliberate veſtem, aut aliam ſimilem rem igni tradens, in æſtimatione quoque morali eam cenſeatur poſitive conſumere, vel deſtruere. Aliud eſt de fure; hic enim ex ſe, & ex natura ſua non eſt neceſſitatus, aut determinatus ad non reſtituendas res alienas, ſed eſt indifferens & liber ad reſtituendum, vel non reſtituendum. Quare, ſi res ad ipſum pervenit, non neceſſario eſt in ſtatu interitus, & non recuperationis: ſed potius eſt in tali ſtatu, in quo & poteſt, & debet ad Dominum reverti, dummodo fur velit uti ſua potentia, & conſcientiæ ſuæ ſatisfacere. Atque in hunc ſtatum bonum, id eſt, in manus furis, quatenus potentis, & obligati reſtituere, reponit emptor rem furtivam emptam, dum illam furi reddit: ad ſtatum vero malum, qui eſt ipſa malitia, ac nolitio

litio restituendi, ac per accidens ex prava voluntate cum fure connectitur, emptor se habet tantum materialiter, & permissive, & quidem ex justa causa.

Dices: Redditio est actio positiva: ergo dum emptor furi reddit rem alienam, positive eam in statum deteriorem rejicit. R. D. a. est actio positiva, si spectetur physice C. a. si spectetur moraliter, & quoad influxum moralem in damnum, quod Dominus ex tali redditione patitur N. a. Talis actio ex se non aufert rem a proprio Domino, neque ex natura sua facit, ut difficilius ad Dominum redeat: sed potius ordinatur ad hoc, ut Dominus rem suam recuperet, quamvis deinde fur hac actione abutatur in detrimentum ejusdem; quem tamen abusum in his circumstantiis emptor non tenetur impedire.

Objic. 3. Si fur est fuga elapsus, vel omnino mortuus, tenetur emptor rem furtivam emptam reddere ipsi Domino, quamvis hic non sit refusurus pretium: ergo etiam ita immediate Domino res reddi debet, quamvis fur adhuc compareat, & vivat. R. D. a. & hoc ideo, quia in isto casu mediate per furem non potest reddi Domino C. a. secus N. a. Res aliena debet reddi Domino vel mediate, vel immediate. Si ergo mediate non potest, debet id fieri immediate.

Objic. 4. Quando emptor prævidet, rem a fure non reddendam Domino, & tamen eam furi restituit, cooperatur peccato, & injustitiæ furis: sed qui cooperatur peccato, & injustitiæ alterius, ipse peccat, ac injuste agit: ergo & emptor in hoc casu peccat, & injuste agit. M. p. quando aliquis prævidet, hominem furiosum abusurum gladio ad occidendum alterum, & tamen eidem reddit gladium, peccat, & cooperatur homicidio: ergo a pari in nostro casu.

R. D. M. cooperatur peccato & injustitiæ furis remote, & materialiter c. M. proxime, & formaliter n. M. & d. m. sed qui cooperatur peccato alterius formaliter & proxime, peccat c. m. qui tantum materialiter & remote cooperatur n. m. Sæpe per actionem indifferentem licet materialiter, & remote coo-

perari

perari ad peccatum alterius, quando adest sufficiens causa. Sic mutuarius offerendo usuras mutuanti, quando habet necessitatem mutui, non peccat cooperando materialiter peccato usurarii. Pariter possum cooperari materialiter occisioni alterius, ne ipse occidar: v. g. Joannes furiosus, aut alias plurimum malitiosus vult me occidere, nisi dem ipsi gladium meum, quo vult abuti ad alium interficiendum: in hoc casu ex communi sententia, nisi aliter possim evadere, possum ei dare gladium meum, & materialiter cooperari ad occisionem alterius. In his enim circumstantiis, quia justam habeo causam ponendi istas actiones remotas, materiales, & indifferentes, cum quibus ex malitia, vel amentia alterius damnum, aut injustitia conjungitur, excusor ab injustitia & peccato, & censeor illud tantum moraliter permittere: aliud esset, si non haberem causam justam has actiones indifferentes exercendi. Idem est in nostro casu, ubi ex justa causa, ne perdatur nempe pretium, redditur res aliena furi, qui redditio est actio ex se indifferens, & non necessario sibi connexam habet injustitiam furis: imo ex intentione emptoris potius ordinatur ad justitiam adimplendam, & restitutionem vero Domino faciendam. Quare sic reddendo ex gravi causa emptor ejusmodi non cooperatur proxime & formaliter injustitiæ furis, consequenter nec peccat. Aliud esset, si sine justa causa furi immediate redderet: sicut & ille peccaret formaliter, saltem contra charitatem, qui gladium furioso, & ad alterum occidendum parato, sine justa causa cederet.

A prob. posset inverti argumentum, v. g. dicendo: quando aliquis prævidet &c., & tamen habet sufficientem causam, potest in illis circumstantiis furioso reddere gladium: ergo a pari. In forma d. a. peccat, & cooperatur homicidio, si non habet justam causam reddendi gladium C. a. secus N. a. Roboratur hæc responsio per aliud exemplum a P. Viva adductum p. 5. d. 4. q. 5. n. 20. quod brevitatis gratia omitto.

Objic. 5. Si Paulus posset rem furtivam emptam reddere furi ad recuperandum pretium, posset pariter alteri eam vendere ad recuperandum pretium: sequela est falsa: ergo. R. neg. sequelam; 1. quia venditio rei alienæ & furtivæ est injusta; nam, dum venditur res aliena, accipitur pretium pro illa re,

 cujus

cujus dominium non transfertur, nec transferri potest a venditore, quod injustum est. 2. Quia Paulus sic rem illam poneret in novo periculo, in quo eam non invenerat. Ast dum eam reddit furi, non ponit eam in periculo novo, sed tantum priori, in quo reperit illam, restituit.

Objic. 6. Saltem, si aliquis vellet auferre pecuniam meam, nisi aperuero arcam, vel cubiculum Petri, in quo iste habet suas pecunias repositas, possem aperire; quia secundum nostras responsiones sic me haberem tantum permissive, & materialiter ad ablationem pecuniæ Petri, & quidem ex justa causa, ne mea pecunia auferatur; sequela est absurda: ergo. R. neg. sequelam; nam aperire cistam, vel cubiculum alterius, est actio per se positive alteri injuriosa, & contra justitiam: aliud est de illa actione, qua res furtiva redditur furi; hæc enim ex se est indifferens ad justitiam vel injustitiam, & fit injusta primum per malitiam alterius, nolentis restituere Domino rem ab emptore acceptam. Verum quidem est, me non posse positive damnificare alterum, vel positive actioni damnificativæ formaliter tali cooperari, effringendo januas alterius &c. ne ego consimile damnum subire debeam: sicut non possum ipsus alterum interficere, aut positive cooperari actioni occisivæ alterius, ne ipsus interficiar. Possum tamen per actionem indifferentem, v. g. reddendo rem furtivam emptam ipsi furi, materialiter & remote cooperari damno alterius, ne ego damnificer: sicut possum per redditionem gladii materialiter cooperari neci alterius, ne ego occidar, ut fatetur ipse Antonius Mayr, quamvis noster Adversarius, n. 656.

Objic. 7. Judex, si in hoc puncto imploraretur ejus officium, deberet emptorem cogere, ut rem emptam immediate reddat Domino, & non furi, etiamsi emptor pretium perdere deberet: ergo signum est, quod emptor in conscientia sit obligatus ad rem talem immediate Domino reddendam. R. N. c. 1. in foro externo, ne detur ansa fraudibus, præsumitur talis res furtiva esse empta mala fide. Quare judex in pœnam culpæ saltem præsumptæ decernit, ut res illa Domino restituatur, etiamsi emptor jacturam pretii subire debeat. Nihilominus non tene-

tenetur emptor hanc pœnam subire, priusquam a judice dictetur. 2. Judex procedit per media tutiora, ut unusquisque habeat, quod suum est. Hinc adjudicat Domino rem suam, emptori vero pretium, si fur, qui vendidit, possit inveniri: si autem jam fuga est elapsus, vel aliunde pretium ab eo recuperari nequit, tunc per se emptor tenetur, rem immediate Domino restituere, ut in notandis est dictum. 3. Judex procedit petente Domino, qui habet jus ad accipiendam, & vindicandam rem suam immediate, nec potest prohiberi, dum rem suam a quocumque possessore recuperat, & vindicat, quia utitur jure suo, ut amplius dicetur objectione sequente: atqui Dominus sic vindicans ad hoc exequendum utitur manibus judicis: ergo sicut ipse Dominus potuisset rem per se apprehendere, & recuperare, sic etiam judex potest sententiam ferre, ut res hæc immediate ad Dominum redeat.

Objic. 8. Potest ipse Dominus ab emptore exigere rem suam: quo in casu debet ea immediate ipsi Domino exigenti restitui: ergo etiam ita debet immediate Domino dari, quamvis expressis verbis non exigat, quia semper præsumitur velle, ut sibi suum restituatur. R. N. a. quod in tali casu emptor teneatur rem furtivam emptam positive reddere domino exigenti. Etenim Dominus vi juris realis potest quidem rem suam, ubicumque fuerit, sibi vindicare, & accipere, ac exigere ab eo, qui eam habet. Quare etiam ille, qui possidet ejusmodi rem alienam, tenetur non impedire Dominum, dum quærit, & accipit rem suam; quia Dominus utitur jure suo: insuper talis possessor tenetur rem illam alienam non abscondere, non tamen obligatur eam positive Domino reddere cum suo ingenti detrimento. Sic si extraxisti Petrum de flumine, & dum eum supra aquas suspensum tenes, periclitaris ipse de vita, nisi illum mergi permittas: in hoc casu non potes quidem Petrum positive impedire, ne saltu, vel alio modo se a mortis discrimine liberet, non tamen teneris eum positive juvare, nec suspensum tenere cum tanto tuo dispendio. Idem dic in nostro casu. Et aliunde constat, quod fere nunquam possit Dominus impediri, si rem suam vindicat, & ipse accipit; cum tamen sæpe sæpius sit

causa

causa excusans, ne ea immediate & positive a possessore Domino restitui debeat.

523 Quæres: An etiam emptor malæ fidei, dum eum postea pœnitet, possit rem furtivam emptam furi reddere ad recuperandum pretium? R. affirmative. Ita noster Alexander Alensis, Sylvester, Lælius, Angelus v. *Restitutio.* Gabriel, Cardinalis de Lugo, & alii plures, quamvis non omnes, ex citatis Assertione præcedente.

Ratio hujus responsionis est, quia inter bonæ & malæ fidei emptorem par est ratio quoad hoc punctum: quod probatur: Si malæ fidei emptor non posset rem furtivam emptam immediate reddere furi, tunc obstaret emptio mala fide facta, hæc non obstat: ergo. m. p. emptio hæc supponitur esse rescissa, & retractata ab emptore, qui propterea etiam pretium suum repetit: atqui emptio rescissa, & annullata non amplius influit, nec effectum aliquem parit: ergo. Unde rescissa emptione malæ fidei emptor se habet, sicut bonæ fidei emptor.

Confirm. 1. Qui injuste aliquid accepit, tenetur solum tollere injustam acceptionem: ergo etiam, qui injuste aliquid emit, tenetur solum tollere injustam emptionem, eam rescindendo, & rem emptam venditori reddendo.

Confirm. 2. Tota injustitia hujus emptionis consistit in hoc, quod emptor rem alienam accipiendo a fure, hunc impedierit a restitutione facienda, ad quam tenebatur: atqui hoc impedimentum penitus tollitur, dum res illa iterum furi ad restituendum obligato redditur, qui ea reddita potest suæ obligationi satisfacere: ergo.

Confirm. 3. Emptor talis non tenetur immediate restituere Domino ratione rei acceptæ; nam eodem modo teneretur emptor bonæ fidei; cum restitutio ratione rei acceptæ non proveniat ex mala fide, sed ex re ipsa existente apud possessorem: neque tenetur ex injusta acceptione; nam mala fides, & injusta emptio, ac acceptio jam est retractata, & consequenter non amplius influit, nec facit, ut Dominus carere debeat re sua.

Dicta

Dicta tamen limites 1. pro casu, quo emptor se aliquo modo participem fecisset furti, præbendo recursum, aut per frequentem emptionem animando furem ad similia furta; tunc enim emptor malæ fidei positive cooperaretur ad damnum alterius, & sic alteri, seu Domino immediate satisfacere teneretur: de quo inferius, dum agetur de causis cooperantibus ad damnum. 2, Tam bonæ quam malæ fidei emptor potest obligari ad refusionem Domino faciendam, si, postquam cognoverunt, rem emptam esse alienam, eam diu detinent, ita ut ex ejus detentione damnum sequatur aliquod Domino, vel furi omnino impossibilis, aut difficilior reddatur restitutio, & Domino recuperatio rei suæ.

Objic. Emptio mala fide facta, seu injusta acceptio rei alienæ obligat emptorem, ut servet Dominum indemnem: sed non servat Dominum indemnem, si rem ejus reddit furi: ergo. R. D. M. ut servet Dominum omni modo possibili indemnem n. M. ut servet Dominum indemnem ita, ut vi suæ actionis, & emptionis mala fide factæ nullum damnum sequatur c. M. Atqui si emptio mala fide facta retractetur, non sequitur amplius vi ejus aliquod damnum; postquam enim est revocata, non amplius potest influere.

Dices: dum emptor malæ fidei scienter rem alienam emit, censetur in se suscipere omne periculum talis rei: ergo. R. D. a. censetur in se suscipere omne periculum pro eo tempore, quo eam apud se retinet C. a. pro alio etiam tempore N. a.

§. II.

De causis cooperantibus ad injustam damnificationem.

NOTA 1. Dupliciter posse contingere injustam damnifica- 524
tionem: 1. Si quis immediate per seipsum inferat alteri damnum injustum in suis bonis. 2. Si hoc faciat *mediate*, cooperando ad iniquam actionem alterius, qua proximus damnificatur. Hæc autem cooperatio potest fieri mandato, consilio, aut alio simili modo movendo alterum ad injustam damnificationem proximi.

Nota 2. Certum esse, quod ille, qui cooperatur efficaciter ad damnum alterius, teneatur ad restitutionem, & quidem in solidum, seu ita, ut in defectum aliorum teneatur totum damnum, in quod efficaciter influxit, resarcire. Patet ex propositione 38. ab Innocentio XI. confixa, quæ sic habet: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem damni illati.* Ratio est: quia ille, qui est causa efficax injusti damni, tenetur ad illius compensationem: ergo & talis cooperans.

Dixi autem: qui *efficaciter*, seu ita cooperatur, ut vi suæ cooperationis sequatur effective, & re ipsa damnum, & quidem quoad substantiam, & non solum quoad modum; nam si damnum omnino non sequatur, eoquod alter non utatur maligno consilio sibi dato, tunc de se nulla compensatio damni, utpote quod non est illatum, fieri debet. Item si damnum quidem inferatur, non autem vi consilii, aut cooperationis, sed aliunde, tunc iterum non tenetur cooperans, v. g. consulens ad restitutionem. Ratio est: quia ille solum obligatur ad restitutionem, qui re ipsa influit in damnum injustum alterius: atqui talis consulens non influit re ipsa in damnum alterius, eoquod hoc non vi hujus consilii, sed aliunde sequatur: ergo. Sic 1. si des consilium furandi alicui, qui jam antecedenter firme erat determinatus ad furtum, quod tu consuluisti, patrandum, tunc non teneris aliquid propterea resarcire etiam in defectum furis. 2. Si quis præstiterit auxilium v. g. tenendo scalas, sine quo adhuc damnum fuisset secutum, licet non tam celeriter, vel tam faciliter, talis non censetur obligari ad restitutionem; quia non influxit efficaciter in ipsam substantiam furti & damni, sed tantum in modum ejus: ut ait Holzman de Restit. n. 437. 3. Si illi, qui jam est firmissime determinatus ad furandum Paulo septimana sequenti, suadeas, ut hac adhuc hebdomade illud ipsum furtum committat, non teneris restituere. Ita iterum Holzman n. 546. allegans pro se plures alios. Ratio est: quia neque in hoc casu efficaciter influxisti in substantiam damni, & furti, sed tantum in modum ejus, faciendo, ut citius fiat, quod alias certo, licet serius, vel cum majore difficultate fuisset factum.

Nota

Nota 3. Cooperantem teneri ad illud resarciendum, ad quod efficaciter fuit cooperatus: ut si ad partem damni efficaciter suades, partem restituere debes: si ad totum damnum, totius restitutio tibi incumbit, servato semper ordine illo, qui inferius indicabitur. Sic si determinato auferre 100. suadeas, ut auferat ducentos, juxta probabilem sententiam teneris tantum ad 100. quia tantum in 100. efficaciter influxisti suadendo.

Petes: Quid dicendum, si duo consilio suo dato aliquem antea indifferentem determinent ad damnum, ita quidem, ut nullus seorsim suo consilio sufficeret ad persuadendum, sed ambo simul juncti causam adæquate motivam constituant? R. etiam in hoc casu tenetur quilibet seorsim restituere in solidum, & in defectum alterius totum damnum resarcire. Ratio est: quia quilibet ex his seorsim spectatus est causa totius damni, saltem totalitate effectus, quamvis non totalitate causæ: uti recte iterum discurrit Holzman. n. 436. H. N.

Quæres: Quænam, & quot sint causæ cooperantes ad in- 525
justam damnificationem? R. sunt novem: sex priores sunt positivæ, tres posteriores sunt negativæ. Comprehenduntur autem omnes sequentibus versiculis:

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, non obstans, non manifestans.

Per *jussionem* intelligitur *mandans*, seu ille, qui expresse opus damniferum injungit alteri v. g. famulo, vel filio: vel saltem tacite, ut si dicat, utinam quis pro me Paulo nocumentum inferret in bonis fortunæ &c. Si aliquis ex tali implicito, vel explicito mandato moveatur ad inferendum damnum injustum alteri, tunc sic mandans obligatur ad restitutionem ejusmodi damni. Ita Herincx.

Petes: An teneatur ad restitutionem etiam ille, qui ratum habet injustum damnum, suo nomine alteri a famulo, vel filio suo, aut alio illatum? R. negative; nam ratihabitio, quæ primum subsequitur damnum jam complete factum, non influxit efficaciter in actionem damnificantem, eo ipso, quod non

præcedat, sed sequatur damnum. Neque huic resolutioni obest *Regula* 10. *Juris in* 6. dicens: *Ratihabitionem retrotrahi*, & *mandato non est dubium comparari*; nam ista regula respicit tantum forum externum, in quo ratihabens puniretur sicut ille, qui mandavit tale maleficium: vel procedit solum de contractibus, & aliis quibusdam actibus, qui per ratihabitionem confirmantur, perinde ac si mandatum præcessisset, non autem dicta regula loquitur de naturali obligatione restituendi. Videatur Herincx d. 8. n. 40. & seq. ubi etiam aliquam objectionem solvit.

Consilium est, quo suades, consulis, mones, exhortaris, modum ostendis, quomodo damnum sit inferendum. *Consensus* est, quando præstas suffragium, vel alio modo conspiras, & sic efficax causa es, ut damnum inferatur. *Palpo*, seu *Palpator* est, qui vel laudando iniquum factum, vel exprobrando ignaviam non audentis illud committere, incitat aliquem ad executionem operis: ut si tali modo laudando, vel exprobrando incites aliquem ad vindictam sumendam per cædem sui inimici. *Recursus* est, quo quis res furtivas in custodiam accipit, vel ipsos fures receptat, sicque ipsos facit animosiores ad furta, & damna ulterius continuanda, vel non resarcienda.

Participans ad propositum dicitur ille, qui est causa totius iniquæ actionis, præbendo v. g. malefactori instrumenta, aut auxilium ad totum damnum inferendum: qui proinde ad totum damnum resarciendum tenetur. Per *Participantem* potest etiam intelligi ille, qui partem participat de re furtiva, etsi non fuerit causa talis furti, nec ad illud induxerit suadendo, aut auxilium ferendo &c. in quo casu tenetur tantum ad restituendam partem illam, quam ex re furtiva accepit, non autem totum damnum. Verum hic non est quæstio de Participante in posteriore, bene in priore sensu.

Mutus est, qui tacet, dum deberet loqui prohibendo, reprehendendo, dissuadendo, clamando, vel strepitum edendo. *Non obstans* est, qui non impedit damnum, dum potest, & tenetur. *Non manifestans* est ille, qui non manifestat malefactorem,

rem, dum potest, & tenetur vel ad impediendum, vel ad reparandum damnum.

Porro notabile est discrimen inter causas positive, & negative cooperantes; nam positive cooperantes semper tenentur ad compensationem damni vi talis cooperationis secuti secundum ordinem assignandum. Contra negative cooperantes solum tunc obligantur restituere, quando ex contractu, vel quasi contractu erat obligatio impediendi damnum alterius. Ratio hujus est: quia qui positive cooperatur ad injustam damnificationem alterius, semper peccat contra justitiam, & facit alteri injuriam, dum ad læsionem juris influxum positivum præstat: talis autem injuria ex titulo justitiæ commutativæ violatæ compensari debet per restitutionem. Secus est de negative cooperantibus; hi enim non positive influunt in damnum alterius, sed illud solum permittunt, seu non impediunt. Quando ergo non ex speciali contractu, vel quasi contractu se obligant ad impediendum damnum proximi, tunc sic non impediendo peccant solum contra charitatem, non autem contra justitiam: quare tunc non obligantur ad restitutionem, uti communis est omnium sententia. Hinc si Petrus videt fures ascendere in ædes sui vicini, illosque posset facillime clamando impedire, illos tamen non impedit, peccat quidem contra charitatem, quæ præcipit, ut proximi damnum impediamus, si facile possumus impedire, non autem peccat contra justitiam; quia nullo contractu, vel quasi contractu se Vicino obligavit ad custodiendas eius res, & damna ab eo avertenda: sicque ad nullam resarcitionem tenetur.

Ex dictis sequentes resolutiones practicæ deducuntur.

1. Mandans ad nullam restitutionem tenetur, si ante patratam injuriam, quam v. g. famulo demandavit, revocet suum mandatum, & hæc revocatio innotescat mandatario, etsi deinde mandatarius tali revocationi non acquiescat, sed nihilominus pergat, injuriam & damnum proximo inferre. Communis. Ratio est: quia in tali casu mandatum, utpote revocatum, non amplius efficaciter influit in injuriam. Si autem hæc, non obstante revocatione, nihilominus inferatur, infertur ex sola ma- 526

litia mandatarii, cui proinde totum onus restitutionis incumbit. Aliter resolvendum est, si revocatio ante patratum facinus mandatario non innotescat; vel si innotescat quidem, mandatarius tamen credat, eam revocationem non esse seriam, aut eam inculpabili oblivioni det, in ejusmodi enim casu mandatum prius datum adhuc efficaciter movere pergit, & vi illius damnum injustum infertur: quod proinde mandanti principaliter adscribetur, uti gnaviter advertunt Authores.

2. Consulens, si re adhuc integra, seu ante patratum facinus damnosum, consilium suum retractet, interdum a restitutione deobligatur, interdum non; si enim simpliciter tantum rogavit, vel quasi imperando consuluit, ut alter damnum inferat, non autem simul suggessit modum, quo possit inferri damnum, neque motiva addidit, ob quæ debeat inferri, tunc revocato efficaciter consilio, re adhuc integra, consulens non tenetur ad restitutionem. Ratio est: quia ejusmodi consilium revocatum non permanet moraliter, consequenter non influit efficaciter in damnum. Idem est, si aliquis falsum consilium dedit, vel falsum motivum adhibuit, tunc falsitate detecta ejusmodi consilium non potest amplius movere. Secus est, si suggessit motivum efficax, v. g. ostendendo utilitatem, quæ ex ejusmodi damno damnificanti posset oriri, vel detegendo modum, quo damnum posset inferri: ratio est; quia motiva a consulente semel suggesta, etsi postmodum revocentur, tamen adhuc movere pergunt, & proinde ad damnum inferendum efficaciter incitant. Quare sic consulens, etsi revocarit suum consilium, tamen adhuc tenetur ad restitutionem, posito, quod sequatur, & inferatur damnum ab illo, cui ita consuluit: quod etiam verum est, quamvis alter, seu damnificans ab initio consilium non acceptarit, dummodo postmodum illo motus operetur. Ita Lugo, Lessius, Herincx, Holzman, Elbl. Atque quoad hoc punctum est disparitas inter *mandatum*, & *consilium*; mandatum enim præcise influit propter authoritatem, & voluntatem mandantis, quæ per revocationem tollitur: ast consilium non movet tam ratione voluntatis, & authoritatis alterius, quam ratione motivi suggesti, quod etiam revocatione facta, adhuc in mente alterius remanet, & non vim motivam exercet.

3. Si

3. Si homini, efficaciter determinato ad auferendum 100. aureos Petro, suadeas, ut *eidem* Petro auferat tantum 10. vel si volenti occidere Petrum, suadeas, ut *eumdem* tantum vulneret, non teneris ad restitutionem. Ratio est: quia in hoc casu tantum censeris consulere diminutionem majoris mali, non autem consulis positive minus malum, sed illud permittis. Herincx, & alii.

Dixi 1. *Si suadeas;* si enim ipse simul adjuvares hominem illum ad patrandum minus malum, & simul cum ipso actionem damnificativam exequereris, furando 10. aureos, vel vulnus simul infligendo, tunc tenereris ad restitutionem, quia tunc vere & physice influeres in damnum etiam minus, & illud non solum permitteres. Dixi 2. *Eidem Petro;* si enim illi, qui paratus est furari Petro 100. aureos, suadeas, ut potius alteri, v. g. Paulo, tantum 10. auferat, & pecunias Petri intactas relinquat, iterum obligaris ad restituendum. Ratio est: quia non licet impedire unius etiam gravius damnum cum alterius innocentis pariter notabili damno. De hoc tamen casu utiliter potest legi Herincx d. 8. de injuriis in bonis fortunæ n. 47. & seqq. ubi multa notabilia refert ex Authoribus.

4. Consiliarius, qui dat suffragium ad injustam gabellam, iniquam causam &c., antequam sufficientia vota pro concludenda tali causa adsint, & sic etiam partialiter constituit numerum votorum sufficientium, & requisitorum ad decisionem talis causæ, secuta iniqua sententia tenetur ad restitutionem. Neque obstat, etsi talis Consiliarius sciat, quod ipso etiam non suffragante, aut annuente, alii post ipsum votantes sint ompleturi numerum illum suffragiorum injustorum; nam talis Consiliarius vere est causa efficax damni, constituendo majorem partem suffragantium, sicque prævenit obligationem restituendi, quam reliqui postea votantes in se suscepissent. Sicut peccas, & teneris ad restitutionem, si equum furto auferas, etsi præsciveris, te non auferente certo alium venturum, qui eumdem equum abduceret.

Aliud dicendum de dantibus suffragium injustum primum post

post numerum suffragiorum jam completum, seu postquam jam habetur major pars votorum pro causa iniqua; nam illa tantum suffragia, quæ primo, & immediate majorem partem constituunt, sunt solum causa efficax damni, & injustæ sententiæ, ita ut hæc æque sequeretur, etsi posteriora suffragia deessent: contra vero deficientibus prioribus sententia iniqua non ferretur, neque damnum inferretur. Herincx cit. n. 51. ac Lugo d. 19. n. 17. cum communi DD., quam allegat laudatus Herincx.

5. Qui Marito exprobrat adulterium uxoris, ipsumque taliter excitat, ut adulteram interficiat, restituere tenetur ad damna ex homicidio secuta.

6. Obligantur ad restitutionem caupones, & ejusmodi, qui filiosfamilias domi suæ receptant, ut ibi paternam pecuniam potu, vel lusu consumant, parentibus absolute, & quoad substantiam invitis. Holzman, & alii. Idem est, si quis receptet, & occultet furem, ne eum lictores deprehendant, si per hoc furi præbeatur spes ulterioris refugii, quo ille animatur ad ulteriora furta perpetranda, secus est, si ipsum recipiat, abscondat &c. ne per Magistratum pœna capitali, aut alia afficiatur, & quidem absque spe ulterioris refugii; in hoc enim ultimo casu actum charitatis exercet, & nulli injuriam infert, neque peccat, saltem secluso præcepto speciali Magistratus: in priore autem casu recipiens est causa efficaciter movens furem ad ulteriores injustitias.

7. Si scias, prædones in via grassari, & aliquis te de hac re interroget, tuque neges, & alter tuo credens dicto viam prosequatur, ac spolietur a prædonibus, teneris ad restitutionem; quia sic mentiendo causa fuisti injusti hujus damni, quatenus animasti itinerantem ad iter hoc periculosum continuandum. Aliud esset, si solum negative te habuisses, & neque affirmative, neque negative respondisses.

8. Restituere tenentur Principes, Magistratus, Consiliarii, Belliduces, dum non impediunt furta, latrocinia, iniqua monopolia, & alia peccata damnifera, quando impedire possunt

sine

ſine notabili detrimento vitæ, honoris, famæ, & rei ſuæ familiaris. Ratio eſt: quia tenentur ea impedire ex quaſi contractu, nempe ex officio: adeoque, ſi non impediunt, peccant contra juſtitiam commutativam.

Dixi: *quando impedire poſſunt &c.* non enim cenſentur ejusmodi munia ſuſcepiſſe cum tanto onere, ut damnum etiam cujuslibet privati avertere teneantur cum ſuo majori, aut æquali damno. Nihilominus damna Communitatis, præſertim ſpiritualia, v. g. hæreſes, ſcandala &c. tenentur impedire etiam cum periculo vitæ; nam horum malorum evitatio, & bonum commune longe anteferri debet bono privato Principis. Ita Holzman, ac plures apud eum cit.

9. Cuſtodes agrorum, ſylvarum, gabellarum &c. non impedientes damna, quæ per devaſtationem agri, cæſionem lignorum, omiſſionem gabellæ &c. inferuntur, tenentur ad reſtitutionem omnium damnorum directe cauſatorum; nam tales ex officio, & contractu tenentur impedire ejusmodi damna, & inferentes ea manifeſtare; in hunc enim finem a Dominis ſunt conducti. Quoad Cuſtodes gabellarum videri poteſt P. Elbl de Reſtit. n. 11.

Dixi: *ad reſtitutionem damnorum directe cauſatorum;* non enim videntur obligari ad reſtitutionem pœnæ, vel mulctæ, quam alias rei, ſi fuiſſent manifeſtati, ſolvere debuiſſent. Ratio eſt: quia talium Cuſtodum officium non eſt, Dominos ſuos locupletare ex lucro pœnarum, ſed tantum conſervare res ſuæ curæ commiſſas. Holzman n. 446. allegans Sporer; & La-Croix. Inde

Colliges 1. Si Procurator fiſcalis ſit in cauſa, cur fiſcus non accipiat mulctam, a lege impoſitam delicto, vel ſi judex mulctam debitam non imponit, aut ſine cauſa relaxat, vel imminuit, non tenentur ad reſtitutionem. Ita La-Croix l. 3. p. 2. n. 83. citans Vaſquez, Tannerum, Leſſium, Lugo diſp. 37. n. 112. Illſung T. 1. d. 2. n. 77. Nam horum officium primario eſt ad hoc, ut delicta delata non fiant, & ſecundario tantum ad bonum fiſci. *Tum* etiam, quia ſimiles mulctæ debentur tantum ex juſtitia vindicativa, cujus violatio non importat onus reſtitutionis.

Colliges 2. Qui juſte interrogatus, fraude vel mendacio declinat mulctam ſibi imponendam, vel aliis ob delictum, non tenetur reſtituere propterea fiſco. La-l. 3. p. 2. n. 82. Sanchez, Leſſius, Lugo diſp. 18. n. 108. & diſp. 37. n. 110. aliique cum Diana. Nam 1. Fiſcus non habet jus ad pœnam ante ſententiam. 2. Fraus, vel mendacium tantum indirecte, & remote concurrunt ad damnum illud fiſci; primario enim ſolum tendunt ad damnum a ſe, vel ab altero avertendum, & ad defenſionem ſui, vel aliorum, & ad occultationem delicti. Idem eſt de illis, qui mendaciis & fraudibus impediunt, ne ipſi, vel alii accuſentur ob delicta commiſſa: item de Advocatis, & aliis ſimilibus, qui falſo defendunt reum, ſicque impediunt, ne mulctetur.

10. Qui tantum malo exemplo inducit alios ad damnificandum, non tenetur ad reſtitutionem, quamvis peccet contra charitatem: ut ſi quis alienam vineam devaſtans, ſuo exemplo moveat, ut & alii id ipſum tentent. Ratio eſt: quia tantum ad reſtitutionem tenetur ille, qui ad injuſtitiam concurrit tanquam cauſa influens, & non præciſe eſt occaſio: at, qui ſuo malo exemplo inducit ad injuſtum damnum, eſt tantum occaſio ejus, non autem cauſa per ſe influens. Ita Alanus Pfeiffer citans pro ſe Molinam, Bonacinam, Dicaſtillo & alios. Imo etſi ex animo, & intentione alium inducendi ad injuſtam damnificationem, malum exemplum vel occaſionem præbeas, non teneris ad reſtitutionem, ut advertit laudatus ex Bonacina; quia intentio interna non facit injuſtam actionem externam nocivam proximo, ſi ea ex ſe non eſt injuſta, & contraria juri alterius, ut alibi dictum eſt.

Reſtarent etiam aliqua dicenda de ordine, quem in reſtitutione debent ſervare concurrentes ad injuſtam damnificationem. Verum de hoc videre potes P. Reiffenſtuel T. 9. d. 5. q. 4. ubi & alia hic omiſſa invenies reſoluta.

ARTICULUS VII.

De caufis excufantibus a Reftitutione.

CAufæ excufantes a reftitutione convenienter enumerantur decem, etfi alii recenfeant plures. Sunt autem fequentes: 527
1. Impotentia. 2. Neceffitas propria. 3. Ignorantia. 4. Damnum ex reftitutione creditori, vel alteri imminens. 5. Rei, quæ in individuo debetur, interitus. 6. Remiffio creditoris. 7. Compenfatio debiti. 8. Compofitio facta authoritate juris, vel judicis. 9. Ceffio bonorum, & 10. ingreffus in Religionem. Hæ tamen caufæ non æqualiter excufant; priores enim quatuor ordinarie folum excufant ad tempus, ut fcilicet reftitutio differri valeat: pofteriores fex vero excufant in perpetuum. De quibus plura examinant Cafiftæ: ego vero duo tantum puncta trutinabo: *primum* eft, an accipiens rem alienam, & eam abfumens in extrema neceffitate, teneatur ad reftitutionem, poftquam ad pinguiorem fortunam pervenit? *fecundum*, an ille, qui non poteft reftituere in uno genere bonorum, teneatur in alio?

§. I.

An accipiens, & abfumens rem alienam in extrema neceffitate, teneatur ad reftitutionem?

NOTA. Neceffitatem, feu inopiam effe triplicem. Una eft *extrema*, quæ datur, quando aliquis ex rerum neceffariarum defectu deberet amittere vitam, vel membrum aliquod principale, vel fenfum, v. g. oculos, aut fuftinere perpetuum carcerem, vel perpetuam infirmitatem. Altera eft *gravis*, in qua ex rerum neceffariarum defectu non fine notabili moleftia vita trahitur, uti contingeret illi, qui e ftatu commodo delapfus cogeretur folo pane, vel oleribus victitare, aut alias in fama, vita, aut fuis rebus grave damnum pati. Tertia eft neceffitas *communis*, quæ vitam aliqualiter miferam reddit juxta ftatum pati-

entis hanc necessitatem. Hac laborans non debet notabiliter decedere a statu suo legitime acquisito, sed tantum occurrunt aliquæ molestiæ, quæ eidem statui communiter annectuntur. Talem necessitatem patiuntur mendici triviales, & ostiatim mendicantes. H. N.

528 Assero: Qui rem alienam consumit in extrema necessitate, quando re simul, & spe pauper est, ordinarie transacta necessitate, si pervenerit ad pinguiorem fortunam, non tenetur eam restituere. Scotus 4. d. 15. q. 2. n. 26. Lugo d. 16. n. 171. Herincx d. 8. de injuriis, & Restit. n. 125. Holzman, Reiffenstuel, & alii. *Prob.* Si talis, absumens rem alienam, teneretur ad restitutionem, tunc vel ex titulo rei acceptæ, aut ex titulo injustæ acceptionis: atqui ex neutro tenetur; non ex primo: cum supponatur tota res hæc esse absumpta in extrema necessitate, ita quidem, ut neque virtualiter aliquid de ea exstet. Neque ex titulo injustæ acceptionis; nam extrema necessitas saltem concedit licentiam utendi rebus alienis, vel usum facti, quantum requiritur ad eamdem necessitatem sublevandam juxta communem DD. sententiam: ergo talis non illicite, neque injuste absumit rem alienam, sicut & Franciscanus non absumit injuste res sibi ad usum simplicem facti concessas.

Dixi in hac probatione: *saltem concedit licentiam &c.*; Volunt quidem aliqui, quod in necessitate extrema fiant omnia communia, & in statum pristinæ libertatis reducantur, adeoque necessitas hæc dominium quodammodo, & jus stricte dictum in accipientem transferat. Verum hoc gratis mihi videtur dici; nam necessitas extrema non plus juris videtur tribuere, quam requiritur ad eamdem necessitatem sublevandam: atqui ad necessitatem extremam sublevandam, non requiritur concessio juris & dominii in rem alienam, sed sufficit sola licentia, & usus simplex facti in eadem licentia fundatus: ergo.

Dices: Ad sublevationem necessitatis extremæ sufficit, quod concedatur res aliena sub conditione onerosa, ut fiat restitutio ab accipiente, si ad pinguiorem fortunam pervenerit. *Contra* est: Quamvis Dominus forte posset adjicere ejusmodi conditionem onerosam, tamen non præsumitur velle eam adjungere, quan-

do patiens neceffitatem extremam eft pauper in re & in fpe, vel quando nulla, aut tantum modica, & vix æftimabilis fpes eft futuræ pinguioris fortunæ; nam in tali cafu Dominus cenfetur gratis donare rem fic acceptam, & fpem illam pinguioris fortunæ, & reftitutionis aliquando faciendæ pro nihilo reputare. Saltem in tali cafu non adeo rationabiliter ageret, fi vellet adjicere fimilem conditionem onerofam. Porro in ejusmodi neceffitate Dominus deberet ultro, & gratis fuccurrere: ergo debet præfumi, quod accipientem nolit, aut omnino non poffit fimili conditione onerofa gravare. Et dato etiam, quod Dominus vellet accipientem gravare tali conditione onerofa, accipiens tamen non teneretur eam acceptare, aut in eam confentire ftante tanta neceffitate, qua aliquis fpe, & re eft pauper; quia talis neceffitas licentiam tribuit fimpliciter accipiendi, & abfumendi, quantum ad occurrendum ejusmodi indigentiæ eft neceffarium: ergo tunc neque accipiens præfumi poteft, fe velle obligare ad reftituendam rem alienam ita abfumptam.

Dixi in Affertione: *ordinarie;* funt enim aliquæ exceptiones faciendæ. 1. Non procedit conclufio, fi debitor, vel abfumens in neceffitate extrema rem alienam, effet actu pauper, & fpe dives; tunc enim non haberet neceffitatem accipiendi fimpliciter, fed potius emendi, vel mutuo petendi cum conditione onerofa, poftmodum, ubi ad meliorem fortunam pervenerit, compenfandi acceptum. Quare Dominus in tali cafu non poffet præfumi donare rem fuam neceffitatem patienti. Idem dic de eo, qui per honeftam mendicationem, aut alia via poteft fublevamen acquirere in fuis miferiis; talis enim non eft in extrema neceffitate aliquid ab alio accipiendi propria authoritate.

2. Non procedit, fi debitor in extremam neceffitatem incideret ratione delicti; quia tunc potius delicto, quam neceffitati extremæ fortuitæ deberet adfcribi confumptio rei alienæ: atqui delictum non excufat a reftitutione: ergo.

3. Neque locum habet, ubi in neceffitate conftitutus non abfumit rem alienam, fed fuam, quam ab alio jufto titulo emptionis, vel mutui accepit: ut fi frumentum ab alio antea mu-

tuo acceptum in extrema necessitate absumas; nam in hoc casu homo ille succurrit suæ necessitati ex bonis propriis, quæ Domino suo pereunt, & non alteri.

Objic. Ex hoc sequeretur, quod ille. qui ante extremam necessitatem furatus est bovem, possit illum in extrema necessitate absumere absque onere restitutionis: sequela est absurda: ergo. Rdet Herincx, ac ipse Scotus pro conclusione citatus §. *Ad aliud.* seu n. 37. neg. M. Ratio est; quia in hoc casu obligatio restituendi habet ortum ex injusta acceptione præcedente extremam necessitatem: atque hæc obligatio jam antecedenter orta, per supervenientem extremam inopiam non tam extinguitur, quam ad tempus sopitur. Aliud est, quando quis rem alienam accipit in extrema necessitate; talis enim rem illam juste accipit, & juste absumit. Nihilominus P. Vogler concedit M. & n. m. nam esto, res aliena habita fuerit ex delicto, vel ex contractu, tamen in ejusmodi necessitate, nisi res sit valde pretiosa, tenetur Dominus ejus gratis succurrere, nec censetur velle adjicere conditionem illam onerosam, quando accipiens, ac absumens est pauper re & spe. Neque obstat authoritas Scoti; nam ibi loquitur dubitative, ut patet ex illis verbis: *videtur, quod sic posset dici*: Et ultima hæc responsio videtur mihi verior, & conformior nostræ sententiæ.

529 Quæres: quid tenendum, si creditor & debitor simul incidant in extremam necessitatem?

R. 1. cum Scoto 4. d. 15. q. 2. n. 36. §. *Ad aliud.* Si debitor prius incidit in extremam necessitatem, quam creditor, tunc debitor potest retinere, & absumere rem illam creditoris; quia necessitas hæc ipsi prius, & consequenter potius jus tribuit. Si autem simul incidunt in necessitatem extremam, tunc juxta Scotum cit. debitor tenetur eas res restituere, quarum antea dominium non acquisiverat, utputa quas ante statum extremæ necessitatis acceperat a creditore per contractum depositi, aut commodati, vel per furtum, rapinam, aut simile delictum. Ratio est: quia extrema necessitas non dat jus sibi attribuendi, vel retinendi, & absumendi rem alienam Domini, in pari necessi-

cessitate, & indigentia constituti, atque in ejusmodi casu Dominus non teneretur succurrere alteri, sed potius sibi. Iterum Dominus in hoc casu habet duplicem titulum pro se, scilicet dominium & possessionem juris, nec non extremam necessitatem, ubi alter pro se solam necessitatem allegare potest: ergo causa Domini est potior. Atque hæc sententia est communis inter Scotistas, quibus etiam consentit Lugo d. 21. n. 4. nec dissentit La-Croix L. 3. p. 2. n. 429. citans etiam pro Scoti sententia Richardum, & Palidorum.

R. 2. Communior aliorum, & vere probabilis, ac practice tuta sententia est, quod ejusmodi debitor possit rem alienam retinere, & absumere. Ratio præcipua videtur; quia ordo charitatis obligat, ut debitor prius sibi, suisque proxime conjunctis, quam personæ extraneæ subveniat: atqui hoc facere non potest, nisi bona creditoris in casu illo retineat: ergo. Huic sententiæ ex Scotistis etiam subscribit Elbl n. 349. Id ipsum etiam verum est a fortiori, non contradicente Scoto, de bonis illis, quæ in debitoris dominium jam ante casum extremæ necessitatis transierunt per contractum mutui, emptionis, venditionis &c. quia tunc debitor est Dominus talium bonorum: atqui in pari casu, & necessitate melior est conditio Domini, quam alterius, qui non est Dominus: ergo.

§. II.

An excuset a restitutione impotentia restituendi in eodem genere?

NOTA: Triplex bonorum genus a DD. distingui, scilicet *infimum*, *medium*, & *supremum*. In *infimo* ordine ponuntur bona fortunæ, utputa pecunia, vinum, frumentum, agri, animalia &c., ad *medium* pertinent honor, & fama: in *supremo* ordine collocantur bonum vitæ, & integritas membrorum, sanitas, libertas, virginitas, & similia. Huc etiam spectant bona spiritualia, vel bona animæ: quorum alia sunt naturalia, nempe usus rationis, ingenium, liberum arbitrium, artes, & habitus naturales &c. alia sunt supernaturalia, videlicet gratia Dei, virtutes, Sacramenta, & id genus alia, quæ ad salutem 530

& sanctitatem animæ pertinent. Imo bona animæ, saltem supernaturalia, in speciali, seu quarto, ac reliquos ordines bonorum transcendente gradu poni merentur. Quæritur ergo, an ille, qui non potest restituere in eodem genere, in quo damnum intulit, teneatur saltem reddere in alio genere: v. g. ob inopiam non potes amplius reddere pecunias, & bona fortunæ, quæ surripuisti: quæritur ergo, an saltem tenearis damnum hoc illatum compensare per bona alterius generis, v. g. per bona spiritualia, per preces, opera bona? Iterum læsisti alterum in membris suis mutilando: quæritur jam, an non tenearis ad restitutionem pecuniariam, cum membrum ipsum reddere nequeas? & sic de aliis. H. N.

531 Assero: Probabilius, & in praxi tutum est, quod ille, qui non potest restituere in eo genere, in quo nocuit, non teneatur restituere in alio seu superiore, seu inferiore genere, ac ordine bonorum. Lugo d. 11. n. 5. Lessius, Herincx disp. 5. de Injuriis. q. 6. Sporer, Holzman, Vogler n. 450. & alii plures apud Vogler citati.

Prob. 1. Pro vita, membris, & integritate eorum nihil debet restitui; quia restitutio hæc non potest fieri in eodem genere bonorum, in quo præcessit damnum, seu quia ipsa vita adempta, ac membra abscissa nequeunt restitui: ergo qui non potest restituere in eo genere, in quo nocuit, ad nullam tenetur restitutionem. A. p. ex L. finali. ff. *de his, qui effuderint, vel dejecerint.* ubi dicitur: *Cum liberi hominis corpus ex eo, quod dejectum, effusumve quid erit, læsum fuerit, Judex computat mercedes Medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt; præterea operarum, quibus caruit, aut cariturus est ob id, quod inutilis factus est. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio; quia liberum corpus NB. nullam recipit æstimationem.* Idem habetur ex L. *qua actione.* ff. *Ad legem Aquiliam.* & §. *ob hominem.* 1. Instit. *de obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur.* Imo id ipsum dicit lex vetus Exod. 21. ubi illum, qui alterum in rixa percussit, & debilitavit membro, ut debeat *ambulare super baculum suum*, absolvit a reliquo onere restitutionis, condemnando solum ad restitutionem lucri cessantis, & ex-

expensarum in Medicos; ait enim: *Innocens* (id est, liber ab alia restitutione) *erit, qui percusserit, ita tamen, ut operas ejus, & impensas in medicos restituat.* Ex quibus sic

Argumentor: Incredibile est, quod S. Scriptura, & Principes Christiani voluerint percussorem liberare a restitutione pro ipsis membris, & nocumentis corporis, si pro iis fuisset jure naturæ, vel aliunde debita aliqua restitutio. Certe nec S. Scriptura, neque Legislatores humani voluerunt in hac parte derogare juri naturali: ergo potius dicendum est, quod aliunde, & quidem de jure naturæ talis restitutio pro læsione in bonis corporis, & vitæ non sit debita, sed tantum pro lucro cessante, & damno emergente, quod non raro sequitur in bonis fortunæ ex læsione corporis, aut membrorum.

Prob. 2. Non est in praxi restitutio pro vita & membris: ergo talis obligatio non datur. A. constat; quia nullus mutilator, aut homicida condemnatur, ut aliquid reddat pro vita occisi, vel pro membris mutilati.

Nec dicas: Vitam occisi satis compensari per supplicium ultimum, & sententiam capitalem, quam homicida debet subire. *Contra* est: Per mortem homicidæ, quam subit ex justitia vindicativa, nullatenus satisfit justitiæ commutativæ, neque redditur aliquid occiso, vel ejus hæredibus. 2. Fur propter capitale supplicium non eximitur a restitutione rei furtivæ: ergo etiam homicida, si sit obligatus ad restitutionem, propter capitale supplicium non eximetur ab illa facienda. 3. Restitutio ex natura sua facit, ut ille, qui per læsionem alterius deperdidit aliquid, id ipsum, quod deperdidit, actualiter vel æquivalenter recipiat: atqui occisus per ultimum supplicium homicidæ non recipit amplius suam vitam actualiter, aut æquivalenter: ergo.

Prob. 3. Obligatio compensandi damna illata alteri etiam ad hæredes transit: atqui ad hæredes non transit obligatio compensandi damnum vitæ alteri illatum ab homicida defuncto: ergo censendum est, quod talis homicida etiam in vivis non fuerit obligatus compensare damnum vitæ. m. constat; nullus enim

hæres, etsi timoratissimæ conscientiæ, putat se obligari ad pecuniariam compensationem pro vita occisi ab illo, cui ipse ut hæres successit: neque aliquis Confessarius ejusmodi hæredem ad aliquam restitutionem etiam per bona spiritualia v. g. preces, faciendam obligat.

Prob. 4. Justitia commutativa intendit pro motivo æqualitatem: ergo, ubi æqualitas poni non potest, cessat obligatio justitiæ commutativæ. Atqui non potest poni æqualitas inter bona diversi generis & ordinis, quæ mutuo sunt incompensabilia: ergo non est obligatio justitiæ commutativæ resarciendi damnum alteri illatum per bona diversi ordinis: consequenter non est obligatio, u. pro vita ablata restituatur pecunia, vel fundantur preces: neque pro honore, si hujus restitutio sit impossibilis, debet præstari aurum &c. m. subsumpta prob. Inter bona diversi ordinis non datur communis mensura: atqui inter illa bona, inter quæ non datur communis mensura, non potest dari æqualitas: ergo. 2. Æqualitas, quam restitutio ex natura sua intendit, consistit in hoc, ut injuriam passus habeat aliquo modo id, quod debebat habere, vel quod ipsi per injuriam est ademptum: atqui etsi omnes pecunias expendas pro vita occisi, omnes preces pro eo fundas, eleemosynas distribuas, ejusmodi tamen occisus nunquam habebit id, quod ipsi debetur, & quod ipsi fuit ademptum, scilicet vitam &c. Idem cum proportione dic de aliis bonis.

532 Neque dicas: Justitia, ubi non potest ponere æqualitatem perfectam, saltem intendit imperfectam: ergo si non potest restitui in eodem genere, saltem intendit justitia, ut restituatur in diverso genere bonorum, & sic ponatur æqualitas saltem imperfecta.

Contra est: Etiam tunc, dum justitia intendit æqualitatem imperfectam, intendit talem, qua extinguitur saltem pars debiti adæquate, & ponitur æqualitas perfecta cum una parte debiti: atqui per restitutionem bonorum in diverso ordine neque ponitur æqualitas perfecta cum parte debiti: ergo. M. constat; nam justitia vult quemque habere, quod suum est, & quidem adæquate, & ad æqualitatem perfectam & completam, si debitor possit ponere æqualitatem illam perfecte & adæquate: vel saltem si hoc non possit, debet pars debiti adæquate ex-

extingui. Sic: si damnificasti, 100. florenos auferendo, justitia obligat, ut omnes 100. restituas, si talis restitutio sit tibi possibilis: si vero non potes restituere omnes centum, sed 10. tantum, tunc obligaris reddere 10. Ratio hujus est: quia in ejusmodi casu, dum restituis 10., non reddis quidem aliquid æquale toti damno, reddis tamen aliquid æquale parti damni; nam auferendo 100. florenos, abstulisti etiam 10. ac justitia non solum obligat, compensare ad æqualitatem totum damnum, sed etiam quamlibet partem damni. Jam vero, quando pro membro, vel vita restituis pecuniam, tunc ille, cui restituis, nec adæquate, nec inadæquate habet suum membrum, vel vitam; etenim adhuc facta tali compensatione pecuniaria totaliter caret suo membro, adeoque sic non satisfit intento justitiæ. Quare in forma ad instantiam Adversariorum neg. cons.

Nec dicas 2. Saltem per bona diversi ordinis potest dari æque, vel magis bonum, vel tale quid, quod alter pluris æstimat, vel æstimare debet, quam v. g. membrum amissum: ergo tali modo potest adhuc per bona diversi ordinis finis justitiæ obtineri. A. constat; sic enim facile reperies aliquem, qui pluris faciat triginta millia aureorum, quam digitum auricularem, & hunc pro tanta summa libenter sibi præscindi permittat.

Contra est: Quamvis possit aliquis pro membro accipere aliquod bonum, quod est altioris ordinis, vel quod ipse pluris æstimat, quam membrum, nunquam tamen compensatur damnum membri amissi eo modo, quo justitia commutativa illud exigit compensari; nam justitia commutativa præcise & unice intendit, ut alter per restitutionem aliquo modo recuperet illud ipsum bonum, quo est privatus per damnificationem: atqui per hoc, quod detur id, quod injuriam passus pluris facit, quam membrum amissum, non recuperat ille suum membrum, sed eo privatus manet sicut ante. Quare in hac quæstione bene attendi debet, qualem æqualitatem intendat, & respiciat justitia commutativa, nempe illam, quam indicavi, & quam aliquis per bona diversi ordinis ponere non potest; alias enim, si alicui infideli, quem lethaliter vulnerasti, procurasses ante mortem aliquem Sacerdotem, qui eum converteret, & bapti-

ptizaret, fufficienter compenfaffes damnum, dando pro vita temporali æternam, & fpiritualem: quod tamen meo judicio falfum eft.

533 Objic. 1. Legem veterem, & pofitivas, in quibus dictatur compenfatio pecuniaria pro damnis, in bonis vitæ, & corporis illatis: ergo talis compenfatio eft neceffaria. R. Iftam compenfationem dictari tanquam pœnam, non autem effe debitam ex titulo juftitiæ commutativæ, & tanquam reftitutionem.

Objic. 2. Noftra fententia eft contraria Scoto 4. d. 15. q. 3. §. *de fecundo*. n. 6. ubi ait de homicida: *Tenetur ergo ad reftitutionem fpiritualem æquivalentem vitæ, quam abftulit, ficut poteft effe æquivalentia in talibus*: ergo vult, quod homicida per opera pietatis, orationem, lucrandas indulgentias &c. debeat occifo reftituere fpiritualiter, cum aliter non poffit. R. 1. Doctor ibi loquitur de confilio, vel de foro interno pœnitentiæ, in quo Confeffarius poteft, vel etiam debet obligare pœnitentem, ut fatisfactionem aliquam præftet in bonum defuncti: non autem ibi agit de debito naturali reftitutionis, quod vi juftitiæ commutativæ jam obligat ante injunctionem Confeffarii. 2. Doctor ibi defendit fuam fententiam ut probabilem, & tutiorem, quod & nos non negamus: per hoc tamen noftram fententiam non rejicit tanquam improbabilem, aut omnino non tutam. Bene notetur, quod in affertione dixerim: *probabilius*, *& in praxi tutum eft &c.*

Objic. 3. Occidens afinum tenetur ad reparationem damni, faltem pecuniariam: ergo a fortiori occidens hominem; alias, qui occideret hominem, effet melioris conditionis, quam qui occideret afinum. R. N. c. & parit. nam afinus, & pecunia funt bona fortunæ, & in eodem ordine, & funt mutuo compenfabilia, non item vita hominis, & pecunia. Item juxta Ariftotelem 5. Ethic. c. 5. pecunia eft pretium, & menfura omnium rerum, feu omnium bonorum fortunæ; ergo mirum non eft, quod damna omnium bonorum fortunæ plerumque per pecuniam poffint compenfari. Dein per pecuniam poteft iterum emi afinus, vel aliud bonum fortunæ: adeoque recipiens pecuniariam compenfationem pro afino, cenfetur æquivalenter recipere ipfum

afinum. Aft vero pro pecunia non poteft amplius obtineri vita femel deperdita, aut membrum abfciffum: adeoque per pecuniam neque æquivalenter recipitur, aut compenfatur vita adempta, aut membrum abfciffum.

Objic. 4. Si fama ablata in fe non poffit reftitui, debet reftitui in æquivalenti per honorem: ergo, fi vita in fe non poffit reftitui, debet reftitui in æquivalenti per bona fpiritualia, aut pecuniam. R. N. c. & parit. Quamvis enim honor, & fama inter fe differant, funt tamen multum affines, ac ad eumdem ordinem bonorum pertinent, adeoque mutuo compenfari poffunt. Aliud eft de bonis aliis, quæ ad diverfum ordinem fpectant. Nota interea ex Reiffenftuel T. 9. dift. 6. n. 2. Famam effe *opinionem communem de virtute, fapientia, prudentia, vel rebus præclare geftis alterius*: honorem vero effe *teftificationem excellentiæ alterius*. Differunt igitur honor, & fama; quia hæc confiftit in interiore opinione, quæ, dum exit in opus, dicitur laus: Honor vero confiftit in extrema fignificatione opinionis noftræ, quam habemus de excellentia alterius. Hæc igitur fignificatio externa fupponit opinionem internam; alias tantum foret illufio.

Objic. 5. Sæpiffime libertas venditur pecunia, caftratio puerorum admittitur ob congruam fuftentationem, & vita graviffimis periculis exponitur a militibus, & aliis pro lucro temporali: ergo ifta bona poffunt compenfari, & taxari pretio aliquo pecuniario. R. 1. cum Holzman: vitam, membra &c. non effe in fe æftimabilia pretio, nec per pretium compenfabilia, bene autem poffe æftimari, & vendi comparative ad utilitatem, quæ ex eisdem membris &c. haberi poteft. Sic venditur fervus, & quidem eo majori pretio, quo utilior eft ementi, nulla habita ratione vitæ, vel membrorum ejus. R. 2. cum Vogler n. 459. ad finem. dift. conf. poffunt prædicta, fcilicet vita, membra, libertas compenfari, & taxari pretio aliquo per conventionem, & pactum privatum C. c. poteft effe obligatio ifta compenfandi ex jure naturali, & antecedenter ad iftam conventionem liberam partium N. c. Si enim ex liberali & gratuita promiffione potes obligari alteri ad folvendam certam fummam pecuniæ: cur non etiam potes fic obligari ex pacto alio onerofo, quo

quo promittis alteri dare pecuniam, si permittat sibi amputari digitum? Certe hoc pactum adimpleta conditione obligat, ut dicetur inferius Tract. seq. Ast independenter a tali pacto non videris obligari ad restitutionem faciendam pro membro, vita, aut aliis bonis, quæ in proprio genere nequeunt reparari.

Objic. 6. Restitutio præcipue jure naturæ intenditur, ut tollatur dolor illius, qui injuriam, vel damnum est passus: atqui si pauperculus est passus damnum, vel injuriam in membro, facile tollitur dolor ejus per magnam pecuniæ summam: ergo per pecuniæ summam potest fieri restitutio pro membro. R. 1. N. M. nam restitutio præcipue intenditur, ut damnum passus rem suam, quam per injuriam perdidit, iterum recuperet saltem in æquivalenti, modo sæpius jam explicato: atqui per pecuniam læsus in membro non acquirit amplius membrum. Hinc R. 2. d. M. ut tollatur dolor, & præcipue radix doloris, quæ consistit in eo, quod aliquis bonum non habeat, quod alias deberet, & posset juste habere c. M. ut tollatur solus dolor n. M.

Objic. 7. Pro vita hominis servi, & mancipii est aliquid restituendum, quando tale mancipium est occisum: ergo a fortiori pro vita hominis liberi. R. d. a. pro vita hominis servi secundum se N. ā. pro vita hominis servi, quatenus ratione operarum suarum erat utilis Domino C. a. Vita servi non secundum se, sed ratione operarum, quas ejusmodi servus Domino præstare debet, & potest, pretio æstimatur, ejusque jactura computatur inter damna realia Domini.





TRACTATUS III.

AMplus quidem hac in materia excurrendi se offert campus. Quia vero materia hæc plerumque Juris-Consultos tangit, sufficiet, hic saltem aliqua explanare, reliqua Juri Canonico, & Theologiæ morali reservare. Inde fit

DISSERTATIO I.

De Contractibus in genere.

ARTICULUS I.

De Natura, divisione, & requisitis Contractus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Contractus?

COntractus potest dupliciter accipi, large scilicet, & stricte: *Large* acceptus convenit cum simplici pacto, ac ut genus sub se comprehendit omnem prorsus contractum, seu gratuitum, seu onerosum. *Stricte* autem acceptus sub se continet solum contractum onerosum, qui nimirum parit obligationem reciprocam ex utraque parte paciscentium. 534

Contractus *late* sumptus, seu *pactum* definitur, quod sit *duorum, vel plurium in idem placitum, & consensus.* L. 1. ff. *de Pactis.* Scotus 4. d. 46. q. 1. §. *ad solutionem.* ac alii. Ratio hujus definitionis est; quia nullus contractus potest cogitari, in quo non plures conveniant, & consentiant in unam sententiam in ordine ad aliquid dandum, faciendum, vel omittendum. Et hac de causa donatio est contractus, vel pactum; quia est consensus duorum, unius dantis, alterius acceptantis.

In-

Insuper ad contractum non sufficit, ut quovis modo duo in idem consentiant, sed necessarium est, ut consensus suos in se mutuo dirigant, ac unus det, vel promittat, alter acceptet. Hinc si duo quidem consentirent inter se de re aliqua alteri tertio danda, non esset contractus, nisi & tertius mutuo consensum præberet acceptando: ut recte advertit Reiffenstuel in Theolog. moral. T. 8. d. 1. n. 5.

Contractus *stricte* sumptus, & græce Συναλλαγμα dictus, definitur, quod sit *pactum reciprocum onerosum, quod ex utraque parte paciscentium obligationem parit.* Reiffenstuel cit. n. 8. Et desumitur ex L. *Labeo.* ff. de V. S. ibi: *Contractus est ultro, citroque obligatio.* Vel potes etiam sic describere: Contractus est *duorum vel plurium in idem consensus, ultro citroque obligationem pariens.* Tales contractus sunt emptio, venditio, locatio, conductio, & hujusmodi; nam in contractu venditionis obligatur venditor tradere mercem, emptor vero solvere pretium.

Varie dividi potest contractus: 1. in *lucrativum*, & *onerosum.* 2. in *implicitum*, & *explicitum*, id est, in contractum, & quasi contractum, de quibus vide dicta num. 504. & 509. Hoc solum addo: juxta Reiffenstuel 1. Decret. T. 35. n. 12. inter tacitos, & implicitos contractus etiam numerari actionem illam, qua creditor reddit debitori cautionem, seu chirographum suum; per hanc enim redditionem censetur tacite, & interpretative pacisci de non petendo debito, ac illud remittere. L. 2. ff. *de Pactis.* Non autem tacite redditur debitum, si debitori restituis pignus, uti statim habet lex sequens, seu 3. ff. *eod. tit.* Cujus disparitatis duplicem rationem dat Reiffenstuel allegatus; quia redditio chirographi nullam aliam affert utilitatem debitori, nisi ut eum liberet a solvendo debito: quare ne frustra fiat actio hæc redditionis, censetur ideo reddi. Aliud est de pignore. Vide ibi.

Dividitur 3. in contractum *bonæ fidei*, & *stricti juris.* Contractus *bonæ fidei* dicuntur, circa quos judex multa, pensatis circumstantiis, arbitrari potest ex æquo & bono. Hi distincte enumerantur §. *Actionum.* 28. Instit. *de Actionibus,* scilicet emptio,

ven-

venditio, locatio, conductio, depositum, commodatum, mandatum, tutela, pignus, societas &c. aliique ibi enumerati: quibus adde contractus a Principe initos, cujus dignitatem decet liberalis interpretatio juxta Glossam in L. *Princeps*. ff. de V. S. Contractus *stricti juris* sunt, in quibus judex alligatur ad verba contrahentium, ut sunt liberalis promissio, stipulatio, donatio, feudum, mutuum, Emphytheusis. L. *Ad aures*. ff. *de Ædilitio edicto*. quia ratio dictat, ut non fiat lata interpretatio in præjudicium liberaliter promittentis, donantis, infeudantis &c.

Dividitur 4. in *nominatum*, & *innominatum*. *Nominatus* est, qui proprium, & specificum nomen in jure habet, ut emptio, locatio &c. *Innominatus* est, qui caret nomine determinato: cujusmodi quatuor recensentur: *do, ut des*: *facio, ut facias*: *do ut facias*: *facio, ut des*. Et quamvis hi contractus, quos innominatos dicimus, vocari soleant *permutationes*; tamen hoc nomen permutationis est genericum, & omnibus aliis contractibus etiam nominatis convenire potest.

Dividitur ulterius Contractus generaliter sumptus pro pacto in pactum *nudum*, & *vestitum*. *Pactum nudum* est, quod parit tantum obligationem naturalem, non autem civilem; nam vi pacti nudi in foro externo non conceditur actio, sed tantum exceptio, saltem de jure communi, quidquid sit de consuetudine. Pactum *vestitum* est, quod vestitur certa solemnitate civili: unde & in foro externo ac civili tribuit actionem, vi cujus altera pars a judice ad insistendum contractui compelli debet. Vestiuntur autem pacta 6. modis: 1. Si ex parte Actoris contractus traditione rei sit impletus. 2. Si contractus sit nominatus. 3. Si stipulatio accesserit. 4. Si pactum etiam non vestitum fuerit adjectum vestito, quasi in uno continenti. 5. Si gaudeat privilegio legis: si nimirum sit pactum aliquod ex iis, quibus specialis aliqua lex actionem concedit, cujusmodi referuntur a Glossa in L. *Juris Gentium*. §. *sed cum nulla*. ℣. *Igitur*. *ff. de Pactis*. 6. Si fuerit juramento firmatum. Vide Reiffenstuel cit. L. 1. Decret. t. 35. n. 19.

§. II.

Qualis consensus requiratur ad contractum?

535 ASSERO : Ad valorem contractus requiritur verus consensus internus. Herincx disp. 1. de contractibus. n. 23. cum communiori contra Vasquez, Turrianum, Basilium, Poncium, Dicastillo, qui putant, ad validum contractum sufficere, quod aliquis libere proferat sola verba externa significantia contractum, ficte tamen, & absque animo se obligandi.

Prob. 1. L. 1. ff. *de Pactis* dicitur, quod pactum sit *duorum vel plurium in idem placitum, & consensus* : atqui ista lex loquitur de vero, & non simulato placito, & consensu : ergo pactum debet esse verus consensus, & non solum simulatus.

Prob. 2. L. 55. ff. *de obligationibus & actionibus.* habetur : *In omnibus rebus, quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium; nam sive ea venditio, sive donatio, sive conductio, sive quælibet alia causa contrahendi fuit, nisi utriusque animus consentit, perduci ad effectum id, quod inchoatur, non potest* : ergo requiritur etiam animus, & affectus, ac consensus internus ad validum, & obligantem contractum, & quidem omnem.

Prob. 3. ex paritate a contractu matrimoniali, qui est certo invalidus, si desit consensus internus ex una parte contrahentium, ut fatentur omnes Th. Th. & Canonistæ : ergo.

Prob. 4. Omnis contractus, & pactum est lex privata, quam sibi ipsi imponunt contrahentes. L. 51. ff. *de Actionibus empti.* L. 1. C. *de Pactis.* L. 23. ff. de R. J. atqui de essentia legis est consensus, & actus internus voluntatis Legislatoris, ergo etiam de essentia contractus & pacti est actus voluntatis contrahentium. Quemadmodum ergo nulla lex obligat, aut existit, si desit in Principe interna voluntas obligandi, ita etiam nullus contractus qua talis, seu sub ratione contractus obligat, si desit interna voluntas vel unius contrahentis.

Objic.

Objic. 1. Pacta verbis externis inita sine animo interno se obligandi, habentur pro validis in foro externo: ergo sunt valida. R. 1. Retorq. Argum. Etiam matrimonium, & professio Religiosa, ac donationes gratuitæ, quæ juxta AArios sine animo interno sunt invalidæ, habentur pro validis in foro externo: ergo. R. 2. D. a. habentur pro validis præsumptive, & si ficte contrahens suam fictionem probare nequeat C. a. secus N. a. Talia pacta re ipsa non sunt valida, neque obligant: quia tamen, si contrarium probari nequeat, in foro externo præsumitur adfuisse animus se obligandi, sic etiam præsumuntur esse valida.

Objic. 2. Sufficit, quod consensus internus sit debitus. seu sit obligatio habendi eum, etsi actu non sit præstitus: ergo non requiritur actualis consensus internus. A. p. Eo ipso, quod talis consensus sit debitus, ex eo omisso jam sequitur obligatio præstandi id, quod fuit externe contractum. Atque hæc obligatio oritur ex ipsa injuria, quæ fuit alteri parti per fictionem, & simulationem externam illata: ergo. R. N. a. utrumque; Esto enim, quod consensus sit debitus, & quod ejus omissio sit injuriosa, tamen contractus ejusmodi externus sine consensu interno nihil operatur, neque habet vim obligandi sub ratione contractus; cum essentia & virtus obligativa contractus consistat vel unice, vel principaliter in consensu voluntatis. 2. Injuria, quam ficte contrahens infert, sistit præcipue in hoc, quod mendaciter & ficte procedat, quæ tamen non debet reparari per observantiam pacti, quod nullum est, & nullam parit obligationem. 3. Neque damnum alter patitur in hoc, quod non detur ei res ficte promissa; nam per fictam promissionem, vel simulatum contractum non acquisivit jus ad rem sic promissam. 4. Si nihilominus per fictionem aliquis sit alteri causa aliorum damnorum, quæ distinguuntur a carentia rei in contractum deductæ, & a ficte contrahente promissæ, tunc tenetur quidem ficte contrahens ea resarcire, sed non vi pacti, quod nullum est, bene autem vi injuriæ damnosæ, quatenus scilicet media sua fictione exstitit causa ejusmodi damnorum. Imo si aliter hæc damna non essent reparabilia, deberet ficte contrahens ratificare contractum, & consensum, qui defuit, postea supplere.

Objic. 3. Poſſet ſaltem Reſpublica authoritate ſua ſupplere conſenſum internum, & ſignis externis eamdem vim tribuere ſine animo interno, quam haberent cum tali animo: ergo ſaltem in tali caſu contractus obligaret æque, ac ſi adeſſet conſenſus internus. R. D. a. Ita tamen, ut hæc vis tunc non oriretur ex natura contractus C. a. ut oriretur illa ex natura contractus N. a. In tali caſu non eſſet obligatio vi contractus, utpote eſſentialiter conſiſtentis in conſenſu duorum contrahentium: ſed tota hæc obligatio oriretur vi legis, aut voluntatis Principis, vel Reipublicæ habentis dominium altum in bona ſubditorum: adeoque fieret tunc quædam donatio, vel translatio dominii per ipſum Principem vel Rempublicam, ut contingit in caſu præſcriptionis, non per perſonas privatas paciſcentes, ut fit in contractu.

Dices: Reſpublica ſupplet conſenſum in pactis tacitis; ſive enim conſentiat conductor prædii, ſive non conſentiat, res in prædium illatæ ſunt tacite hypothecatæ locatori: ergo. R. D. a. & talia pacta tacita, in quibus tantum fingitur a jure, vel præſumitur conſenſus contrahentium, ſunt pacta vere talia N. a. ſunt pacta analogice talia C. a. Pacta tacita ejusmodi, de quibus in diſtinctione eſt dictum, habent quamdam ſimilitudinem cum pactis veris, quatenus ex juris diſpoſitione eosdem effectus operantur, ac vera pacta: differunt tamen ab his; quia vera pacta hunc effectum operantur ratione conſenſus veri, & actu præſtiti, pacta autem tacita tantum ratione diſpoſitionis, & fictionis juris.

Objic. 4. Si aliquis, ignorans naturam contractus, vellet quidem contrahere, & ex hac intentione poneret ſigna externa contractus, nollet autem ſimul ſe obligare, talis a parte rei verum contractum celebraret: atqui talis non haberet conſenſum internum: ergo etiam ſine conſenſu interno poteſt dari verus contractus. R. N. M. Si enim utraque hæc volitio contrahendi, & ſe non obligandi eſt efficax, non poteſt fieri contractus: imo ſic volens contrahere, vellet aliquid impoſſibile, ſicut ille, qui vellet equitare ſine equo, aut alio animali, cui inſideret. Si tamen voluntas contrahendi ſit omnino efficax & abſoluta, voluntas autem ſe non obligandi ſit quaſi conditionata, & minus efficax, ac ex ſuppoſitione, quod ſine tali animo, & conſen-

su interno stet natura contractus, tunc valebit contractus vi alterius intentionis efficacis præponderantis: prout in simili dicitur de Ministro Sacramenti, quando is habens duas intentiones oppositas administrat Sacramentum.

Ulterius ad consensum validum pro contractu requiritur: 1. ut sit mutuus & reciprocus ex utraque parte contrahentium, prout omnes fatentur. 2. ut sit aliquo signo externo expressus; alias enim non posset alteri contrahenti intimari, nec ab eo acceptari: quæ tamen acceptatio ita necessaria est ad valorem pacti, vel contractus, ut sine hac nullam obligationem inducat. De qua acceptatione forte plura, quando de promissione, & donatione agemus. 3. Requiritur, ut signa externa manifestativa consensus interni ad alterum dirigantur. Hinc, si aliquis exterius verba promissionis proferret, & promissarius in occulto præsens ea audiret, & acceptaret, non foret valida acceptatio; quia in hoc casu verba promissoria non sunt ad ipsum directa. Debet ergo voluntas ex intentione seria promissionem suam vel per se, vel per alium a se missum alteri intimare, & sic utriusque voluntas uniri, prout recte discurrit Herincx d. 1. de Contractibus n. 27. 4. Denique requiritur, ut talis consensus acceptetur ab altero, ut colligitur ex dictis. Plura de acceptatione inferius dicentur.

Hoc præterea notandum est, ad completum contractum, ac dominium per illum transferendum requiri etiam traditionem; nam, ut ait Lex *Traditionibus.* 20. C. *de Pactis. Traditionibus & Usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur:* nimirum, *si venditio aut aliqua justa causa præcesserit*, ut dicitur L. *Nunquam.* 31. ff. *de acquirendo rerum dominio.* Necessitas autem traditionis non est de jure naturæ, ut est per se clarum, sed est de jure positivo statuta: *tum* quia congruit, tradi res: *tum* quia sic certius evitatur incertitudo dominiorum.

Sunt tamen casus aliqui excepti, in quibus sine traditione per contractum in alterum transfertur dominium: ut 1. Si quid venditum, donatum aut legatum &c. fuerit Civitatibus, vel Ecclesiis, aut piis locis, aut pro redemptione Captivorum.

2. Beneficii Ecclesiastici dominium acquiritur sola collatione, & acceptatione ante ejus traditionem, vel apprehensionem. 3. Jus reale, & dominium hæreditatis acquiritur sola aditione: seu acceptatione, & professione, quod quis velit esse hæres, sive deinde talis professio fiat per verbum, aut factum. 4. Si alicui legatur res in individuo: ubi legatarius dominium acquirit, quamprimum hæres hæreditatem adit. 5. Si alicui donatio est facta sub modo, vel conditione, ut donanti alimenta præstet: si ista non præbeat, redit dominium rei donatæ statim ad donatorem. 6. Princeps, si vult uti suis Privilegiis, potest absque traditione transferre dominium. An autem actu velit uti hisce suis privilegiis, ex verbis, quibus donat, vel contrahit, desumendum erit: si nihil exprimat, censetur se accomodare legibus communibus. 7. In contractu societatis omnium bonorum per matrimonium, bona statim fiunt communia absque traditione.

ARTICULUS II.

An dolus, vel error obstent valori contractus?

§. I.

Notanda, & aliquæ Conclusiones.

537 NOTA 1. Contrahentem in celebratione contractus posse decipi dupliciter, scilicet a se ipso, aut ab alio. Priore modo decipitur, quando propria opinione, & a nemine alio inductus, putat rem, quæ in contractum deducitur, esse aliam, quam est: ut si ex propria erronea persuasione judicet, hanc personam, quam vult ducere in uxorem, esse nobilem, divitem, cum tamen talis non sit: vel si putat, illud, quod emit, esse gemmam, cum tamen sit merum vitrum. Atque hæc deceptio absolute *error* vocatur. Posteriore modo potest contrahens decipi ab alio, nempe a contrahente, vel alia tertia persona ad contractum non pertinente, ut si a talis personæ assertis seductus

ctus credat, rem, de qua paciscitur, esse aliam, quam est. Et hæc deceptio vocatur *dolus*.

Nota 2. Errorem, vel dolum in contractibus posse contingere *circa substantiam rei*: ut si putes, te emere aurum, & emas aurichalcum, aut si putes, te ducere Catharinam, & ducas Bertham, vel *circa accidentia, & qualitates rei*, ut si emas equum octennem, putans esse quadrimum, aut si ducas in uxorem Annam plebeiam & pauperem, putans esse nobilem & divitem. Regula autem, qua dignosci possit, an error in contractu circa substantiam, vel accidentia versetur, inferius dabitur, & per exempla practica declarabitur.

Nota 3. Errorem & dolum tam substantialem, quam accidentalem ulterius dividi in *antecedentem*, & *concomitantem*. *Antecedens* est, qui dat causam contractui, ita ut eo absente contractus non fieret. Error *concomitans*, *consequens*, & *incidens* est, qui non dat causam contractui, seu quo absente contractus adhuc iniretur: v. g. si scivisses, hoc vinum esse recens, non emisses: in hoc casu error iste accidentalis dat causam contractui; quia hic non fuisset initus absente tali erronea persuasione. Si autem tempore emptionis ita fuisti dispositus, ut adhuc emeres vinum hoc, etsi scivisses, illud esse recens, quamvis pro minori pretio, tunc est error incidens. H. N.

Assero 1. Error, vel dolus circa substantiam rei non solum antecedens, sed etiam concomitans, seu incidens vitiat, & irritat contractum. Ita DD. communiter. Prob. 1. Contractus est essentialiter consensus: atqui consensus errantis est nullus L. 9. C. *de Juris & facti ignorantia*; voluntas enim non ptest ferri essentialiter in incognitum: ergo etiam contractus errantis circa substantiam rei illius, circa quam contrahit, est nullus. P. 2. ex L. 45. ff. *de contrahenda emptione*. ubi dicitur, nullam esse venditionem, *si vendatur aurichalcum pro auro*. P. 3. Contractus, & pactum est essentialiter consensus duorum in idem: atqui, quando unus contrahens errat circa substantiam rei, quæ est objectum contractus, tunc jam non duo consentiunt in idem; cum errans consentiat in rem diversam ab illa, de qua contrahitur, 538

hitur, v. g. in aurum, non in aurichalcum, in gemmam, non in vitrum &c.

Hæc etiam vera sunt, sive error si antecedens, sive concomitans; error enim concomitans, etsi non causet positivum involuntarium, tamen causat non voluntarium, seu negationem voluntarii, aut (ut alias dici solet) involuntarium negativum: atqui contractus debet esse positive voluntarius circa substantiam rei, de qua contrahitur, utpote in quam essentialiter debet consentire: ergo neque potest esse negative involuntarius, seu non voluntarius circa eamdem substantiam. C. patet; quia negatio, & carentia voluntarii non potest stare cum positivo voluntario circa idem omnino objectum. Ex quo habes, quod ejusmodi contractus, ubi unus contrahentium errat circa substantiam, nullam omnino pariat obligationem.

Objic. Quando res inaurata venditur pro aurea, fit error circa substantiam, & tamen venditio est valida. L. 14. ff. *de contrahenda emptione.* ergo etiam error circa substantiam non invalidat contractum. R. 1. opponendo L. 41. ff. *eodem.* ubi contractus declaratur nullus, quo mensa auro cooperta, vel inaurata pro solida, id est, pro vere aurea venditur. Imo in ipsa lege 14. in objectione cit. ad finem dicitur: *Venditio, si æs pro auro vœneat, non valet.* R. 2. in forma: per rem inauratam intelligi illam, quæ non solum in superficie parum de auro, sed etiam in ipso corpore notabilem quantitatem auri immixtam habet: ubi proinde, saltem ex notabili parte, ipsa substantia, quæ venditur, & non tantum ejus superficies & cooperimentum, aurea est. R. 3. Si præfata responsio non placet, tunc mea pace dimittatur præfata lex 14., utpote quæ satis eliditur per alias leges, quarum aliquas jam allegavi, & quibus potius standum est.

539 Assero 2. Error, vel dolus etiam antecedens, qui versatur circa accidentia qua talia, jure naturæ contractum non invalidat. Herincx disp. 11. de Contractibus. n. 35. Palao t. 14. d. 2. punc. 5. n. 19. Mastrius disp. 4. Theolog. moral. q. 1. Art. 2. n. 15. Sporer in Decalogum Tract. 6, c. 2. n. 95. & seq. Holzman T. 3. de Contract. n. 658. & alii.

Prob

Prob. 1. In hoc caſu dolus non verſatur circa materiam, aut ſubſtantiam contractus, ſed circa cauſam impulſivam contrahendi, cui tanquam conditioni non alligatur conſenſus: ergo non tollitur conſenſus circa ſubſtantiam, conſequenter talis contractus jure naturæ valet.

Prob. 2. Certo valet contractus matrimonii, in quo erratur circa accidentia; alias enim innumera matrimonia eſſent irrita, quia ſæpiſſime aliquis contrahit cum ea, quam deceptus putat nobilem, divitem, pacificam, prudentem &c. cum tamen talis non ſit: ubi tamen juxta omnes tale matrimonium, non obſtante ſimili errore accidentali, valet, etſi aliquis noluiſſet contrahere, aut etiam non contraxiſſet, ſi ſciviſſet, ejusmodi defectu laborare ſuam ſponſam. Idem itaque eſt dicendum in aliis quoque contractibus.

Objic. 1. Scotus 4. d. 15. q. 2. art. 2. Concluſ. 3. ad va- 540
lorem & juſtitiam permutationis, ſeu contractus exigit abſentiam erroris, & doli non ſolum in ſubſtantia, ſed etiam in quantitate, & qualitate: ergo. R. cum Maſtrio, juxta Doctorem requiri abſentiam utriusque, ſed in ſenſu accommodo. Abſentia erroris & doli circa ſubſtantiam exigitur, ne contractus reddatur omnino invalidus: abſentia autem erroris circa accidentia exigitur, ne contractus ſit illicitus, ac contra leges juſtitiæ, prohibentis ejusmodi contractum.

Objic. 2. Si ejusmodi accidens fuiſſet præviſum, contractus non fuiſſet initus: v. g. Petrus non voluiſſet emere vinum, ſi ſciviſſet, eſſe ita recens; ergo error, vel ignorantia talis accidentis reddit contractum involuntarium, & conſequenter nullum. R. N. c. Ex hoc tantum ſequitur, quod abſente tali errore contractus non fuiſſet initus: non autem ſequitur, quod defacto re ipſa non ſit initus; defacto enim habuit conſenſum in ſubſtantiam rei, de qua contrahebatur, & hoc ſufficit ad valorem contractus.

Objic. 3. Saltem tunc, quando committitur error antecedens circa qualitatem, vel accidens, cenſetur contrahens alligare ſuum conſenſum certæ qualitati, & accidenti ita, ut nolit con-

contrahere, nisi hæc vel illa qualitas subsit, v. g. ut nolit emere vinum, nisi sit vetus, & 7. vel 8. annorum: ergo dum committitur talis error antecedens, contractus est nullus. A. videtur clarum. Consf. patebit ex statim dicendis. R. N. a. Quamvis enim consensus contrahentis possit ita alligari tali qualitati, ordinarie tamen non ita censetur esse alligatus, consequenter ordinarie tales contractus adhuc valent, quod mox amplius explicabitur.

Dixi in conclusione: dolus vel error circa accidentia *qua talia*: per quod volo indicare, quod accidentia possint per se intendi, ac ad ea intentio principalis contrahentis alligari, ita quidem, ut actu nolit esse obligatus, si hic & nunc non subsit tale accidens. In tali autem casu accidens non manet amplius accidens, sed ingreditur ipsam substantiam, & motivum contractus, quo non subsistente contractus quoque non subsistit. Ratio hujus est; quia tunc contrahens implicite, vel explicite dicit: contraho tecum puella, si sis nobilis, & non aliter: dono tibi hoc, si sis meus consanguineus, prout asseris, alias non: emo a te vinum hoc, si sit vetus, non autem si sit recens. Ubi vel ex terminis liquet, non dari consensum etiam in substantiam rei, de qua contrahitur, nisi revera adsit qualitas intenta. Quare si error circa eam contingat, contractus est invalidus ob defectum consensus essentialiter requisiti. Ex his

541 Petes regulam aliquam, ex qua conjici possit, quando aliquis contrahens censeatur ad aliquam qualitatem, vel accidens restrinxisse suam primariam intentionem?

R. I. Certum est, quod non universaliter intentio contrahentium restringatur ad tales etiam notabiles qualitates, ita ut iis non subsistentibus non valeat contractus. Ratio est: quia si universaliter alligaretur sic intentio ad omnia accidentia, & circumstantias, ita, ut contractus esset invalidus, si error antecedens circa hæc accidentia contingeret, tunc omnes fere contractus essent invalidi, vel saltem de eorum valore dubitari posset; quia plerumque aliqua circumstantia, vel qualitas deesset, cui fuisset alligata intentio. Quoties vel solus contractus matrimonii in dubium vocaretur? nihil enim frequentius auditur, quam:

quam: si scivissem, conjugem meum esse talis genii, tam pauperem, tot debita habentem &c. non eum duxissem, vere decepta sum.

R. 2. Illa prædicata, & qualitates censentur ingredi substantiam rei in contractibus, ad quæ, vel quas aut expresse per clara verba in contractu expressa actu restringitur, aut saltem implicite & virtualiter ex communi usu, vel dispositione legis censetur esse restricta intentio contrahentium. Primam partem hujus regulæ tenet Communis omnium: alteram tradit Haunold Tom. 3 Tract. 8. n. 78. & seqq. Et plane hæc res aliter non potest decidi, nisi attendendo, quid hominum usu, & consuetudine sit receptum, & quid lege sit præscriptum. Ex quo

Deduces 1. Errorem circa personam esse substantialem in matrimonio, non autem in emptione, nam ex ipsa consuetudine, & recepto usu constat, quod contrahentes matrimonium, consensum ad determinatam in individuo Personam alligent. Quare si intendas contrahere cum Petronilla, & per errorem contrahas cum Anna, matrimonium est nullum: in emptione vero habetur contrarium ex usu; venditores enim non curant, etsi emptor non sit ille, quem putant esse.

Deduces 2. In contractu venditionis errorem esse substantialem, si in re empta, vel vendita fiat error. e. g. heri vidisti equum, quem tibi alius obequitavit: hic tibi ob suas, quas in eo deprehendisti, dotes singulariter placuit. Quare redis altera die, & vis eumdem equum tibi obequitatum emere: venditor vero fraudulenter producit alium, externe quidem similem priori, discolum tamen, & minime tractabilem. Tu nihil sciens de hoc dolo, emis hunc alterum equum: modo quæritur, an hic contractus sit validus? R. negative. Ita Haunold cit. Ratio est: quia ex communi consuetudine homines solent in simili casu alligare suum consensum ad illas dotes, quas in tali equo sibi obequitato antecedenter viderunt: quare talis contractus est tacite conditionatus: volo emere hunc equum, si sit ille ipse, quem heri vidi, vel cujus dotes heri vidi.

Deduces 3. Non valere legatum, si quis leget rem alienam alicujus extranei, nesciens, esse alienam. Cujus ratio non est, quasi non posset legari res aliena, si testator eam sciat esse alienam, sed est hæc; quia communiter homines non solent habere intentionem legandi rem alienam, præsertim personis extraneis, & hoc modo gravandi hæredem. Et hæc ratio in ipso textu juris insinuatur, in quo deciditur iste casus §. 4. Instit. *de Legatis.* Vide Haunold cit. n. 81.

542 Assero 3. Similis error, vel dolus, etiam antecedens, circa accidentia qua talia neque jure positivo irritat contractum onerosum, sive is sit stricti juris, sive bonæ fidei. Cardinalis de Lugo, Herincx, Haunold, Mastrius, Sporer, aliique quam plurimi contra alios non paucos quoad contractus bonæ fidei.

Prima pars de contractibus stricti juris, quæ inter DD. satis est communis, colligitur ex §. 1. Instit. *de Exceptionibus.* ubi dicitur: *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere, palam est, jure civili te obligatum esse, & actio, qua intenditur, dare te oportere, efficax est: sed iniquum est, te condemnari, ideoque datur tibi exceptio quod metus causa, aut doli mali, aut in facto composita ad impugnandam actionem.* Ex quibus sic argumentor: ille contractus valet in foro civili, qui parit obligationem, & actionem civilem: atqui contractus stricti juris (qualis est juxta dicta promissio) initus ex dolo, vel errore versante circa rei accidentia parit obligationem & actionem civilem, ut ex mox cit. §. 1. Instit. desumitur: ergo contractus stricti juris ex dolo, vel errore initus valet in foro civili.

Secunda pars de contractibus bonæ fidei, quæ est contra multos, non adeo facile probatur. 1. Aliqui probant ex L. 5. C, *de rescindenda venditione.* ubi dicitur, venditionem, quæ est contractus bonæ fidei, dolo initam esse rescindendam: atqui, quod primum rescindi debet, antecedenter valuit: ergo talis venditio dolo inita valuit. Verum (ut notat Haunoldus Tract. 8. de J. & J. n. 88.) etiam contractus ipso jure invalidi dicuntur

tur rescindendi, & irritandi, sufficit enim ad eorum rescissionem, quod defacto teneant, quamvis de jure non valeant.

Probant alii 2. ex L. 13. ff. *de Actionibus empti, & venditi.* ubi emptori decepto conceditur actio ad interesse: ergo supponitur contractus valuisse. Verum contra est: L. 62. ff. *de contrahenda emptione.* etiam emptori rerum sacrarum datur hujusmodi actio, & tamen contractus fuit omnino nullus.

Probatur igitur aliter, & melius 1. ex L. *Rem alienam.* 28. & L. 34. ff. *de contrahenda emptione.* & aliis pluribus legibus apud Herincx citatis, ex quibus patet, validam esse venditionem rei alienæ, quam emptor dolo inductus credidit esse venditoris: ergo valet contractus bonæ fidei, qualis est venditio, etsi dolo initus.

Prob. 2. Adversarii non possunt adducere ullum clarum textum, quo irritarentur hujusmodi contractus: ergo illi manent in suo valore, quem a jure naturæ acceperunt; quia correctio juris naturalis sine claro textu non est asserenda. C. claret. A. probabitur ex solutione objectionum.

Prob. 3. De utroque contractu. Dolus, & metus in jure æquiparantur. cap. *cum contingat. de Jurejurando.* & L. *dolo.* C. *de inutilibus stipulationibus*, sed metus dans causam contractui, non irritat eum jure positivo: ergo nec dolus dans causam contractui, eum sic irritat. Accedit, quod finis ille, qui per irritationem intenderetur, magis obtineatur, si contractus valeat, & non sit irritus ipso facto, sed tantum irritabilis a decepto, si hic velit; nam finis hic est, ut exhibeatur favor decepto: atqui major favor est, si talis pro libitu suo possit stare contractu, vel eum rescindere. Tali ratione minime favetur dolo, cum dolum inferens nullum commodum ex suo dolo reportet, sed potius incommodum, ut patebit ex Assertione sequenti.

Objic. 1. L. 7. in principio ff. *de dolo.* dicitur, nullam esse venditionem, *si quis in hoc ipso, ut venderet, circumscriptus est.* Deinde L. 3. §. 3. ff. *pro Socio.* habetur: *Societas, si dolo malo coita sit, ipso jure nullius est.* Idem fere habetur de emptione dolose, vel erronee facta L. 1. C. *de rescindenda venditione*: ergo 543

go saltem contractus bonæ fidei, quales sunt societas, venditio, ac emptio sunt nulli, si dolus vel error interveniat.

R. N. c. ad primum textum dico, legem in eo loqui de Minorenni per dolum circumvento, ut venderet suum servum, qui contractus utique est nullus, cum Minorennes absque consensu Curatorum alienare non possint. Vel si hæc responsio non placet, applica istam, quam do ad sequentes duas, & alias similes leges dicendo, & distinguendo, quod hujusmodi contractus sint nullius momenti, quatenus possunt rescindi, si velit eos rescindere deceptus, penes cujus beneplacitum stat, an velit contractum ratificare, vel penitus annullare. Hinc ulterius isti contractus bonæ fidei, uti & stricti juris, sunt nulli & irriti ex parte decipientis, qui vi talis pacti non potest obligare deceptum, aut aliquid ab ipso exigere, si ipse deceptus nolit: valent autem ex parte decepti, & per errorem inducti, ita ut possit, si velit adstringere alterum ad observandum contractum. De quo mox plura.

Objic. 2. Nemo in contractu obligatur ultra intentionem: sed deceptor non habet intentionem se obligandi, nisi & alter, seu deceptus obligetur: ergo, si deceptus non obligatur, neque decipiens obligabitur, consequenter hic contractus ex utraque parte contrahentium erit nullus. R. 1. Retorq. Argum. Nemo etiam vi juris naturalis obligatur ultra intentionem: sed &c. ergo neque deceptor vi juris naturalis obligabitur, quod est contra AArios. R. 2. N. m. Deceptor enim habet intentionem se obligandi, quantum vi contractus potest, & debet obligari, si & deceptus intendat se obligare, quantum potest: atqui deceptus implicite intendit se obligare, quantum potest vi talis contractus, scilicet non stabiliter, & ita, ut possit rescindere contractum tali dolo initum: ergo & deceptor debet obligari, quantum potest, & debet, scilicet ex parte sua irrescindibiliter.

Objic. 3. Contractus bonæ fidei ex sua natura censentur excludere omnem dolum; nihil enim magis contrarium bonæ fidei, quam dolus: ergo dolus penitus irritat tales contractus R. N. a. & supposit. quod bona fides, prout sumitur pro recto

cto dictamine conscientiæ sit illa forma, a qua denominantur contractus bonæ fidei; bona enim fides pro illo dictamine conscientiæ accepta, in omnibus contractibus etiam stricti juris requiritur. Igitur contractus bonæ fidei sunt illi, in quibus judex potest secundum bonum & æquum quædam judicare, aut supplere, quæ per simplicitatem contrahentium non sunt expressa. Et his contractibus bonæ fidei non magis opponitur dolus, quam aliis, qui sunt stricti juris. Ex quo ulterius sequitur, quod nulla sit ratio, cur leges potius velint valere contractum stricti juris, si sit dolo initus, quam contractum bonæ fidei. Porro non est credibile, quod leges velint fovere dolum, & deceptorem liberare ab omni obligatione: quod tamen fieret, si ejusmodi contractus ex utraque parte contrahentium esset nullus.

§. II.

Continuatur præcedens materia.

ASSERO 4. Si dolus circa qualitatem qua talem det causam contractui, & proveniat ab altero contrahente, vel falsam alter contrahens sit particeps doli, tunc contractus ejusmodi, si sit natura sua solubilis, potest rescindi ad arbitrium decepti. Herincx cum Communi. 544

Prob. 1. ex L. *Si dolo.* 5. C. *de rescindenda venditione.* ubi dicitur: *Si dolo Adversarii deceptum venditionem prædii te fecisse Præses Provinciæ aditus animadverterit, sciens, contrarium esse dolum bonæ fidei, rescindi venditionem jubebit.*

Prob. 2. Deceptus in hoc casu patitur injuriam, quatenus dolo inducitur ad contractum, quem non fecisset: ergo hæc injuria debet reparari ab inferente dolum. Sed non potest aliter reparari, nisi deceptus restituatur in statum pristinæ libertatis, in quo potest se vel libere obligare acceptando contractum, vel respuere omnem obligationem, penitus rescindendo contractum, ac si nunquam fuisset factus.

Prob. 3. Leges, quæ irritant contractum ex dolo factum, debent ita explicari, ut cedant in odium decipientis, & in favo-

vorem decepti: atqui hoc fit, si deceptus pro libitu suo potest vel annullare contractum, si is sibi sit inutilis, vel eodem stare, si sibi sit proficuus: ergo. Quare talis contractus claudicat; quia vi illius solum gravatur decipiens, qui pro libitu suo non potest resilire: non autem sic obligatur deceptus, qui ad nutum & libitum suum potest vel resilire, vel ratificare contractum.

Dixi in hac Assertione 1. *dolus*, non addendo etiam errorem: cujus ratio colligetur ex dicendis. Dixi 2. si dolus *proveniat ab altero contrahente*, non autem ab aliquo tertio, qui non est unus contrahentium: ratio hujus limitationis iterum mox dabitur. Dixi 3. *vel saltem alter contrahentium sit particeps doli*; non enim requiritur, ut ipse contrahens dolose & fraudulenter mendaciis &c. alterum contrahentem inducat, sed sufficit, si sit conscius doli ab aliquo tertio facti. Ratio hujus est: quia contrahens, conscius doli ab altero patrati, facit se ejusdem participem, adeoque in æstimatione morali censetur ipse decipere. Accedit, quod venditor teneatur, etiam non rogatus, omnia occulta vitia rei suæ detegere L. 13. ff. *de actionibus empti.* & L. 1, ff. *de ædilitio edicto.* ergo, si hoc non facit, tollendo errorem, aut deceptionem alterius, etiam a tertio provenientem, censetur ipse dolum committere, & injuriam alteri contrahenti, v. g. emptori, inferre. Hinc ne talem injuriam continuet, debet obligationem alteri contrahenti, dummodo hic velit, remittere per rescissionem contractus.

Dixi 4. *Si contractus natura sua sit solubilis*, ad excipiendos contractus natura sua irrescindibiles, quales sunt matrimonium, & Professio religiosa, ubi dolus accidentalis nihil juvat ad rescindendum propter utriusque insolubilitatem.

Dixi 5. *rescindi potest ad arbitrium decepti*, & quidem propria authoritate, saltem si res adhuc sit integra, & contractus ex altera parte necdum impletus sit. Ita Henno T. 2. de J. & J. disp. 5. q. 6. conclus. 2. Rationem dat: decipiens ex justitia tenetur deceptum in priorem libertatis statum reponere ante omnem sententiam judicis: ergo & deceptus ante omnem sententiam judicis potest per rescissionem injuriam illatam excutere, &

suam libertatem priorem recuperare; hoc enim videtur & æquitati, & rationi consonum. Volunt tamen aliqui apud eumdem, hoc non amplius habere locum, quando contractus jam ex altera parte est impletus, & sic res non amplius integra, in quo casu putant requiri sententiam judicis.

545 Dixi in Assertione 6. *Si dolus det causam contractui*, ob dicenda Illatione 3. ad finem hujus §.

Petes: An etiam tunc errans possit rescindere contractum initum, quando alter contrahentium non est particeps doli, sed contrahens est deceptus a se ipso, & sua propria opinione, vel a tertio, qui non erat unus contrahentium? R. 1. DD. satis conveniunt apud Herincx & Holzman, quod etiam in hoc casu sponsalia, & contractus gratuiti possint irritari, & rescindi ab illo, qui est deceptus vel a se, vel a tertio.

Ratio hujus est: quia promissiones gratuitæ facilius dissolvi possunt, quam contractus onerosi; cum enim pendeant ex sola libera voluntate promittentis, benigne interpretandæ sunt, ita, ut promittens censeatur se noluisse obligare in omnem eventum, sed tantum tunc, quando res in eodem statu permanent, & non notabiliter immutantur. Quare a DD. hæc regula traditur apud Laymann: *Promissio gratuita desinit obligare, si re adhuc integra notabilis mutatio accidat.* Atque in his contractibus perinde est, sive notabilis circumstantia, ac mutatio contractui primum superveniat, sive ea tempore promissionis jam adfuerit, sed tamen fuerit invincibiliter ignorata.

De Sponsalibus ratio est: quia hæc ad amorem mutuum, & matrimonium, quod est vinculum perpetuum, ordinantur, benigne explicari debent, & Sponsis relinqui libertas illa dissolvendi, si notabilis mutatio superveniat, vel cognoscatur, quæ prius non adfuit, vel saltem non fuit cognita.

R. 2. Probabiliter non possunt in hoc casu irritari a persona decepta contractus onerosi. Lugo d. 22. sect. 6. n. 83. Molina, & Rebellus apud Herincx citati, Holzman, ac alii. Ratio hujus est 1., quia hi contractus dependent non solum ex voluntate unius, sed etiam a consensu alterius contrahentis, onus suum ferentis, & pariter obligati ad aliquid præstandum: ergo

go non possunt sicut gratuiti rescindi, nisi & alter contrahens consentiat, præsertim ex eo, quia alter contrahens non est causa, nec etiam est particeps doli, aut erroris. 2. Neque hic militat eadem ratio, quæ pro sponsalibus. 3. Sibi imputet deceptus a se ipso, quod rem antecedenter non melius examinarit: vel si deceptus est a tertio, habet contra hunc actionem L. *Si proxeneta. ff. de Proxenetis.* proinde ab hoc debet ipsi compensari omne damnum secutum ex tali dolo: ergo non est ulla ratio, cur rescindere possit contractum, nolente altero contrahente. 4. Jus rescindendi contractum provenit ab injuria, quam unus contrahens patitur ab altero contrahente: atqui in proposito contrahens non patitur injuriam ab altero contrahente, sed a persona tertia, vel debet sibi ipsi totum damnum adscribere: ergo tali contrahenti decepto non competit jus rescindendi contractum. Ex his,

Deduces 1. Quod in his casibus deceptus habeat contra alterum non quidem actionem *redhibitoriam*, quæ est ad rescindendum contractum, bene vero actionem *quanto minoris*, id est, ut reducatur contractus ad æqualitatem, & de pretio tantum refundatur, quanto minoris res empta ob vitium detectum æstimatur.

Deduces 2. Quod in hoc casu etiam contra tertium, qui decepit, detur actio de damno, & dolo: imo tertius in conscientia tenetur illi resarcire omnia damna, secundum omnes, quia suo dolo injusta eorum causa exstitit.

Deduces 3. Si error, aut dolus etiam ab altero contrahente causatus, non sit antecedens, id est, si non det causam contractui, sed non obstante illo contractus adhuc fuisset initus, quamvis alio modo, v. g. minori pretio, in hoc casu non posse rescindi contractum; quia injuria tantum est facta quoad excessum pretii, adeoque iste solummodo est compensandus, & ad hunc datur actio *quanto minoris*. Unde fingamus, quod emas vinum Austriacum, ex alterius contrahentis mendaci persuasione credens, esse Rhenanum, empturus tamen, sed minori pretio, etsi scias, esse Austriacum. In hoc casu tenet contractus, nec potes eum rescindere: nihilominus competit tibi

bi actio adversus decipientem venditorem, & huic incumbit obligatio solvendi, quantum interest, dolum non fuisse commissum, teneturque contractum ad æqualitatem reducere. Communis cum Holzman, & aliis.



ARTICULUS III.

De Contractibus metu initis.

§. I.

Præmittuntur faciliora.

NOTA 1. Aliud esse vim, vel violentiam, & aliud esse metum. *Vis*, vel *violentia* est corporalis coactio ad patiendum, vel faciendum aliquid, ut, si tibi violenter eripiatur liber, si vi curventur genua coram Idolo. Definitur L. 2. ff. *de eo, quod metus causa.* taliter: *Est majoris rei impetus, qui repelli non potest*, seu cui simpliciter nequit resisti. Atque hæc vis facit simpliciter involuntarium, tollitque consensum in rem illam, quam quis pati, vel facere cogitur. Vis, seu violentia multipliciter dividitur, ut videri potest apud Reiffenstuel L. 1. Decret. Tit. 40. n. 4. & seqq. 546

Metus est *instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio*, ut loquitur textus L. 1. ff. *de eo, quod metus causa.* Seu, metus est passio mentis, fugientis malum aliquod sibi imminens: & accidit, quando quis propter instans, vel futurum periculum aliquid agit, quod alioquin, absente tali periculo, sponte non ageret: veluti si ad effugiendam mortem mercator tempore naufragii merces jactet in mare, vel si minis compulsus viator latroni det pecuniam, eam alias minime daturus. Metus dicitur etiam *vis conditionata*, *compulsiva*, ac *modificata.*

Nota 2. Metum etiam gravem non causare involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid. Unde ille, qui ex metu

tu aliquid agit, ſimpliciter voluntarie id facit, quamvis non ſpontanee. Ita tenet communis Th. Th. & Canoniſtarum ſententia, & patet ex dictis in Tractatu de Actibus humanis. Quare, qui ex metu mali cujusdam adorat idola, vel aliquid aliud intrinſece malum facit, peccat; cum habeat ſufficiens voluntarium. Ratio hujus ulterior eſt ex communi illo dicto: *coacta voluntas eſt voluntas.* Inſuper qui ex metu agit, illud, quod agit, libere aſſumit tanquam medium ad evitandum majus malum, quod timet: ſic viator libere dat pecunias latroni minitanti, ut per hanc largitionem tanquam medium evadat mortem, quam alias inferendam timet. Hinc notabilis eſt diſparitas inter vim *præciſam*, & *abſolutam*, ſeu violentiam, & inter metum, qui eſt tantum vis *conditionata.*

Nota 3. Metum poſſe incuti *ab intrinſeco*, vel *extrinſeco.* Metus *ab intrinſeco* incuſſus eſt, qui provenit a cauſa naturali, & non libera, puta a morbo, incendio, feris, periculo naufragii &c., ad quod declinandum forte emittis votum. Metus *extrinſecus* eſt, qui incutitur a cauſa libera creata, puta ab homine, minis te adigente ad aliquid faciendum, vel omittendum. Hic metus aliquando *juſte* infertur, ut ſi incutiens habeat jus, vel tu cauſam præbueris alteri, ut tibi jure poſſit metum inferre: ut ſi tibi judex ob flagitia tua carcerem, vel excommunicationem minitetur. *Injuſte* autem incutitur, quando inferens nullum habet jus, aut cauſam inferendi metum: ut ſi latro metu mortis adigat viatorem ad dandos 10. aureos. In tali acceptione per decurſum metum juſtum, & injuſtum accipiam, quamvis alias metus *juſtus* etiam cum *gravi* confundatur: qui proinde quoque vocatur *probabilis*, ſeu talis, quem jura probant, & pro tali habent, qui merito aliquem movere poſſit ad aliquid faciendum, vel omittendum.

Nota 4. Metum alium eſſe *gravem*, alium *levem.* *Gravis* eſt, qui cadit in virum conſtantem, vel conſtantiſſimum, ſeu eſt talis, qui hominem alias fortem, & non nimis meticuloſum afficere, & movere poteſt, ut aliquid faciat, vel omittat, quod alias abſente tali metu non faceret, vel omitteret. Et hic metus eſt *abſolute gravis*, qui ſcilicet tunc datur, quando malum, quod

quod timetur, eſt tantum, ut quemvis virum fortem, & conſtantem movere valeat. Hujusmodi mala metum abſolute gravem cauſantia ſunt mors, mutilatio, carcer diuturnus, exilium diuturnum, atrox cruciatus, amiſſio ſtatus honorifici, jactura bonorum omnium, vel notabilis partis eorumdem, aut aliud prioribus æquivalens malum, ut colligitur ex variis textibus juris. Metus autem *reſpective gravis* eſt tunc, quando malum, quod timetur, eſt tale, ut non quemvis virum conſtantem & fortem, ſed tantum homines magis meticuloſos movere valeat, uti pueros, fœminas, Minorennes, ſenes, ac quosdam minus cordatos viros, apud quos ſæpe minus malum ſufficit ad excitandam gravem trepidationem, & perturbationem animi. Unde in tali caſu dabitur metus reſpective gravis, qui tunc in tali particulari caſu idem operabitur, ac metus abſolute gravis. Quare de metu tam reſpective, quam abſolute gravi pariformiter concluſiones, & Aſſertiones noſtræ procedent.

Metus levis eſt trepidatio animi, orta ex malo imminente levi, uti eſt vexatio modica, levis indignatio Superioris, vel Parentum, levis infamia &c. imo etiam levis tantum metus oriri poteſt ex malo gravi, ſi illud non ſit imminens, ſed ſolum vane apprehenſum, vel ſi ille, qui minatur malum, hoc inferre non poteſt, aut non ſolet, aut illud alia ratione declinari poteſt. Ex quo

Nota 5. Juxta Scotum 4. d. 29. q. un. ad metum gravem has duas conditiones requiri: 1. eſt, ut malum, quod timetur, ſit vere grave, intellige, vel abſolute reſpectu omnium, vel reſpective reſpectu certarum perſonarum. 2. eſt, ut ejusmodi malum non vane & ex levibus conjecturis, ſed vere probabiliter credatur imminere. Pro declaratione hujus ſecundæ conditionis alii apud Reiffenſtuel cit. n. 19. addunt ſequentes: & ſic requirunt 3., ut metum incutiens poſſit minas exequi: 4. ut ſoleat easdem executioni dare: 5. ut metum patiens non poſſit facile avertere malum, v. g. monendo, rogando, judicem implorando, alienum auxilium procurando, fugiendo &c.

Nota 6. Ad metum gravem perinde eſſe, an tibi, vel perſonis tibi valde conjunctis intentetur malum grave, ut puta

parentibus, liberis, uxori, domefticis, amicis, probabiliter etiam confanguineis; & affinibus usque ad quartum gradum. Ratio hujus eft: quia mala talium perfonarum putamus effe noftra. Parum etiam refert, five metu impellaris ad aliquid dandum illi, qui metum infert, vel alteri. Ita P. Pichler tit. 40. n. 3. ad finem.

Nota 7. Metum poffe incuti vel a contrahente altero, vel ab aliquo tertio: item ad extorquendum contractum, vel ob alium finem. H. N.

547 Affero 1. Valet in foro interno, & externo actus, vel contractus metu gravi intrinfeco initus, ita quidem, ut neque propter ejusmodi metum fit refcindibilis. Communis. Prob. 1. ex communi omnium fidelium fenfu, qui putant, fe firme obligari ad fervanda vota, quæ ex timore mortis emiferunt in ægritudine &c., item ad exequendas promiffiones, quibus ex timore mortis aliquid polliciti funt, ut eos ex periculis aquæ, vel incendii liberarent: ergo. Prob. 2. In fimilibus cafibus habetur confenfus liber, & voluntarius: ergo tales contractus valent. Deinde non intervenit injuria, propter quam deberent refcindi ejusmodi actus: ergo firme & ftabiliter valent, nec refcindi poffunt.

Affero 2. Valent etiam, nec refcindi poffunt contractus initi ex metu gravi extrinfeco, jufte tamen incuffo. Reiffenftuel cit. n. 27. cum communi contra paucos. Prob. 1. ex una parte confenfus ex tali metu præftitus eft liber, & voluntarius, confequenter fufficiens ad valorem contractus, ex altera parte per ejusmodi metum, utpote juftum, non infertur injuria, propter quam refcindibilis foret contractus: ergo contractus talis valet, nec refcindi poteft.

Prob. 2. In hoc cafu metum patiens fibi ipfi metum infert, vel faltem eft caufa, cur talis metus inferatur: ergo non eft ratio, cur talis actus ex metu factus non valeat, aut cur debeat refcindi, prout totum colligitur ex L. *Si mulier.* 21. in principio ff. *de eo, quod metus caufa.*

Prob.

Prob. 3. Metus juſtus excommunicationis incuſſus a lege, vel judice non invalidat matrimonium; valet enim matrimonium, ſi ille, qui ſponſalia habuit cum Bertha, metu excommunicationis adigatur ad contrahendum matrimonium cum ea, ut colligitur ex cap. *ex Litteris.* 10. *de Sponſalibus.* atqui metus excommunicationis eſt gravis, cum nulla pœna major ſit in Eccleſia, quam excommunicatio: ergo actus, vel contractus initus ex metu gravi juſte incuſſo eſt validus. Ex his

Deduces 1. Valere matrimonium, & profeſſionem religio- 548
ſam initam ex metu in caſu, quo Juvenem in ſtupro vel alio crimine deprehenſum minitaris ad judicem deferre, niſi matrimonium cum puella violata ineat, vel Relioignem profiteatur. Lugo de Contractibus d. 22. n. 160. Pichler cit. n. 8. circa finem, ubi pro ſe allegat etiam Palao p. 1. Tract. 2. punct. 10. n. 3. Ratio eſt: quia minæ iſtæ ſunt juſtæ, cum habeas jus accuſandi criminoſum, ut ſuppono.

Nec dicas: Quamvis talis homo habeat jus accuſandi, non tamen habet jus tali medio & metu extorquendi conſenſum matrimonii &c.: ergo talis metus infertur injuſte. R. enim. neg. Ant. nam, ut recte ait Lugo, accuſatio de ſe eſt juſta, & habes jus ad eam: ergo non videtur ulla ratio, cur ea fiat injuſta, dum aſſumitur tanquam medium ad matrimonium obtinendum; alia enim media de ſe juſta, dum ad finem matrimonii adhibentur, non fiunt injuſta: ergo neque ejusmodi jus accuſandi. Neque urget, quod per ejusmodi minas inferatur metus; nam non obſtat metus, dummodo non ſit injuſtus; etiam minæ excommunicationis juſte ferendæ non obſunt valori matrimonii: ergo a pari &c.

Deduces 2. Toties valere contractum ex metu initum, quoties malum, quod minitaris, & ex cujus metu contractus ſequitur, juſte, id eſt, citra peccatum injuſtitiæ potuiſti inferre alteri, cui talem metum incutis etiam in ordine ad extorquendum contractum. Ratio ſemper eſt eadem; quia videlicet talis metus non eſt injuſtus.

Dedu-

Deduces 3. Si Pater minitetur defloratori, vel ſtupratori filiæ ſuæ, ſe eum velle occidere, niſi eam ducat in matrimonium, tunc hoc matrimonium non valere. Ratio eſt: quia matrimonium metu injuſto gravi extortum eſt nullum, ut Tom. V. pluribus declarabitur: atqui talis metus eſt gravis, & ſimul injuſtus; cum homo iſte non habeat jus authoritate privata occidendi ſtupratorem, vel reum: ergo. Si autem hoc metu injuſto extorqueret contractum alium ex natura ſua reſcindibilem, v. g. donationem certæ pecuniæ, tunc is quidem valeret, ſed non ſtabiliter; poſſet enim irritari juxta dicenda §. ſeq., quia nimirum omnis contractus natura ſua reſcindibilis, vel irritabilis metu gravi injuſto, directe ad extorquendum ejusmodi actum incuſſo initus, poteſt ad arbitrium metum paſſi irritari.

Deduces 4. Si metum incutiens malum, quod minitatur, tenetur quidem non inferre ex charitate, aut alia virtute, non autem ex juſtitia, tunc adhuc contractum ex tali metu incuſſo extortum valere, neque poſſe propter metum irritari, etſi ſit cæteroquin irritabilis. Ratio eſt: quia talis metus non eſt injuſtus, adeoque non infert injuriam, propter quam deberet contractus reſcindi, aut omnino eſſe nullus. Unde Medicus, qui ægroto extreme, vel graviter decumbenti ſolum ex charitate, eoquod alium Medicum habere nequeat, non autem ex juſtitia, ſcilicet ex pacto implicito, vel explicito tenetur ſuccurrere, poteſt minitari, ſe velle omittere medelam, niſi ægrotus promittat, ſe velle ſuam filiam in uxorem ducere: ubi, ſi hisce minis adductus infirmus promittit, eam accipere velle in conjugem, valet, & non poteſt reſcindi ejusmodi promiſſio, uti & matrimonium vi ejus ſecutum. Ita ſentiunt Mezger, & Holzman; in hoc enim caſu medicus metum inferendo ſolum peccat contra charitatem, non autem contra juſtitiam. Alia plura videri poſſunt apud Lugo cit. a num 162. Interea ſi ſimiles etiam quandoque implexi caſus ponuntur objectionis gratia contra noſtram aſſertionem, tunc iis non multum immorandum, ſed quærendum ex Adverſariis, an ſupponant in tali caſu, metum eſſe juſte, vel injuſte incuſſum? ſi juſte incuſſus eſt, tunc valebit contractus, & neque reſcindi poterit, etſi alias talis contractus natura ſua ſit reſcindibilis: ſi eſt injuſte incuſſus, tunc caſus non eſt contra noſtram aſſertionem.

Objic-

Objic. 1. Etsi lex possit hominem metu justo cogere ad matrimonium ineundum, non tamen sequitur, quod etiam homo, præsertim privatus, id possit: ergo nostræ probationes, & deductiones non subsistunt. R. N. a. Ideo talis metus, qui a lege, vel judice incutitur, non invalidat matrimonium, quia ex una parte relinquit sufficientem libertatem, & ex altera parte non infert injuriam: atqui ista ambo præstat metus justus ab homine privato incussus; nam libertas, & voluntareitas est æqualis in utroque casu, & injuria in altero pariter abest; quia & homo privatus utitur jure suo. Neque potest ostendi, quod homo privatus injuriam inferat, dum utitur jure suo.

Objic. 2. Cap. *Veniens.* 15. *de Sponsalibus.* dicitur, quod valeat matrimonium de præsenti, nisi *Maritus metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, fœminam desponsaverit*: ergo metus cadens in constantem virum invalidat matrimonium, etsi justus sit; nam Capitulum loquitur generaliter, & indiscriminatim. R. D. a. nisi coactus fuerit metu injusto C. a. metu justo N. a. Capitulum intelligendum est secundum subjectam materiam, & secundum terminos habiles, ac phrasin juris, juxta quam ille non dicitur metum, vel vim pati, qui juste cogitur, ut colligitur ex L. *Continet.* 3. §. *Sed vim. ff. de eo, quod metus causa.* ubi sic habetur: *Sed vim accipimus atrocem, & eam, quæ adversus bonos mores fiat, non eam, quam Magistratus intulit, & jure honoris quem sustinet.* Idem videtur docere Glossa in Cap. *cum Dilectus. de iis, quæ vi, metusque causa fiunt.* ℣. *metum mortis.* Idem tenet Lugo disp. 22. de Contractibus in genere. n. 159. citans Immolam. 2. Capitulum in objectione citatum agit de viro, quem Pater invenit in propria sua domo dormientem cum sua filia: unde & eum statim coegit, ut cum eadem contraheret matrimonium, & credibiliter minitatus est mortem, nisi vellet inire hoc matrimonium: atqui metus mortis fuit injuste incussus, ut patet ex dictis: ergo iste casus non est contra nostram conclusionem, quæ loquitur de metu juste incusso.

Objic. 3. Cap. *Gemma.* 29. *de Sponsalibus.* reprobatur omnis pœna, etsi cæteroquin justa, solvenda ab illo, qui resilit a contractu sponsalitio, ne alias matrimonium, quod liberrimum

esse debet, potius metu pœnæ, quam amore coalescat: ergo idem dicendum est in proposito.

R. 1. Retorq. Argum. & opponendo alia capitula, quibus timore excommunicationis, tanquam pœnæ maximæ, sponsus vel sponsa ad matrimonium compelli potest. R. 2. N. a. quod ibi reprobetur omnis pœna secundum se justa. Notes ergo, communem esse sententiam inter Th. Th., quod pœna ab illo solvenda, qui sine justa causa resilit, sponsalibus recte apponatur ex conventione contrahentium: invalide vero, ac injuste adjiceretur, si per pactum solvi deberet ab illo, qui justa de causa resilit. Hancque ultimam, non autem priorem adjectionem pœnæ, tanquam libertati matrimonii contrariam, reprobat citatum Capitulum, utpote quod loquitur de sponsalibus in impubertate, imo infra septennium contractis, a quibus licite & juste secundum dispositionem juris resiliri potest. Ulterius observa, matrimonium liberrimum debere esse a metu injusto, non autem justo.

550 Petes: Quid tenendum in casu, quo quis metum incutit ex causa quidem justa, animo tamen simulato, quia non cogitat inferre istud malum, quod juste posset inferre? potestne talis contractus rescindi, si sit rescindibilis? vel est omnino nullus, si sit irrescindibilis?

R. 1. Talis contractus, si sit natura sua rescindibilis, potest rescindi. Haunold, Molina, Lugo. Ratio est: etsi forte non ratione metus rescindi valeat, valet tamen ratione doli; quia inferens metum per simulationem, & dolum intendit extorquere contractum, & actu extorquet: atqui contractus dolo antecedente extorti, possunt rescindi, ut dictum est Articulo præcedenti: ergo.

R. 2. Matrimonium vero, & alii contractus natura sua irrescindibiles, seu tales, qui semel contracti non amplius possunt rescindi, valent, etsi ex tali metu simulato extorqueantur. Lugo. d. 22. n. 189. Nam dolus antecedens circa accidentia, qui adhuc relinquit liberum consensum substantialem, non irritat matrimonium, aut contractus alios irrescindibiles, ut patet ex dictis:

ctis: ergo neque iste dolus, vel simulatio metus; quia & hæc adhuc relinquit consensum substantialem.

Dices: Metus gravis injuste incussus invalidat matrimonium, & contractus irrescindibiles, ut dicetur §. seq. atqui in hoc casu habetur metus injuste incussus: ergo. m. p. nam 1. datur metus; quia ad metum sufficit, ut prudenter existimetur malum imminens, vel futurum, etsi revera eventurum non sit: atqui ponimus, quod alter ita externe simulet, & intentet malum, ut revera prudenter possit credi eventurum. 2. Metus iste est injustus ob simulationem: ergo R. Metum illum, qui invalidat matrimonium, debere non quomodocunque esse injustum ob denominationem extrinsecam, desumptam a dolo, per quem impe- ratur, sed debere esse injustum ex objecto, & intrinsece, quatenus est de malo injuste inferendo, seu tali, ad quod inferendum metum incutiens non habet jus: atqui supponitur habere jus ad malum hoc inferendum secundum se. Videatur Lugo citatus.

§. II.

Sequitur difficultas præcipua.

ASSERO 3. De jure naturali & positivo valent etiam, sal- 551
tem aliqui actus & contractus, ex quocumque metu gravi injusto, & directe ad extorquendum consensum incusso, celebrati. Communis cum Herincx, Reiffenstuel, ac Holzman contra paucos alios.

Prob. 1. pars. Si contractus præfato modo celebrati essent jure naturæ nulli, id esset vel propter defectum voluntarii & consensus, vel propter injuriam illatam contrahenti per metum injustum: atqui neutrum est; *non primum*: nam quæ ex metu fiunt, sunt simpliciter voluntaria, & tantum involuntaria secundum quid, ut constat ex contractibus metu justo, vel intrinseco initis, quæ in ratione coactionis, & metus non differunt; cum per metum intrinsecum, vel extrinsecum justum possit proponi malum æque grave, ac per metum injustum, ubi proinde æqualis oritur trepidatio, & coactio mentis. *Neque secun-*

cundum potest dici; nam injuria non invalidat statim contractum; alias enim dolus quoque accidentalis eumdem invalidaret, quod præc. Articulo rejectum est. Igitur injuria plus non facit, quam quod metum injuste incutiens teneatur ad restitutionem, non autem quod contractus sit invalidus.

Prob. 2. Optabilius est metum passo, si contractus valeat: vel enim est ipsi noxius, vel utilis? si noxius: potest petere rescissionem, & resarcitionem damnorum. Si utilis: potest obligare alterum ad observandum contractum, quod posterius non posset, si contractus esset nullus: ergo non est ratio, cur talis contractus non valeat jure naturæ.

Prob. etiam 2. pars. §. 1. Instit. *de Exceptionibus.* superius cit. inter alia dicitur: *Si metu coactus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere* (consequenter si metus fuit injuste, & absque jure illatus) *palam est, jure civili te obligari.* Iterum L. 21. §. 5. ff. *de eo, quod metus causa.* JCtus ait: *Si metu coactus adii hæreditatem, puto, me hæredem effici; quia, quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, sed per Prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur.* Ex quibus liquidum est, etiam jure civili tales contractus metu initos valere.

Confirm. Id, quod jure præcipitur infirmari, regulariter non est ipso jure nullum: atqui leges præcipiunt infirmari contractus, qui sunt initi ex metu injuste incusso: ergo. M. constat. m. p. L. ult. C. *De his, quæ vi, metusque causa.* dicitur: *Venditiones, donationes, transactiones, quæ per pœnam extortæ sunt, præcipimus infirmari.* Et Cap. 2. *De his, quæ vi metusque causa.* generaliter dicitur: *Quæ metu, & vi fiunt, debent in irritum revocari.*

552 Objic. 1. Metus injustus est contrarius consensui: ergo invalidat contractum. A. p. ex L. *Nihil consensui.* 116. ff. de R. J. & cap. *cum locum.* 14. *de Sponsalibus.* R. 1. Retorq. Argum. in metum justum, & ab intrinseco incussum, qui etiam est contrarius consensui. R. 2. D. a. est contrarius consensui in ratione consensus, & voluntarii simpliciter N. a. in ratione liberi, & voluntarii perfecti C. a. Leges adductæ loquuntur de contrarieta-

te

te cum consensu perfecte libero, qualis quidem requiritur ad matrimonium, ac professionem Religiosam, tanquam actus ex natura sua irrescindibiles, non autem ad alios actus.

Objic. 2. Metum inferens juxta nostram sententiam referret ex injuria commodum, & ex injustitia justitiam: atqui hoc videtur esse contra jus naturale: ergo. R. 1. Retorq. Argum. Etiam ille, qui metum levem incutit, referret ex injuria commodum, & ex injustitia justitiam, & tamen juxta AArios contractus ex metu levi incusso initi valent: ergo. R. 2. N. M. nam hoc commodum, & justitia non provenirent immediate & formaliter ex metu injusto qua tali, sed ex consensu libero, metus autem & injuria tantum se haberent occasionaliter: atqui non est novum, quod actio injusta sit occasio justitiæ. Deinde illud commodum, quod acquirit metum, vel injuriam inferens, vix æstimabile est; siquidem in foro interno tenetur illatum damnum resarcire, & ad petitionem metum passi contractum rescindere: in foro autem externo compelletur ad id ipsum, si metum passus instituerit actionem *quod metus causa*, quam actionem habet contra quemcunque possessorem rei suæ, per metum injustum sibi extortæ, & ad alium qualemcunque possessorem translatæ L. 14. §. 3. ff. *quod metus causa.*

Objic. 3. Saltem contractus gratuiti, v. g. liberales donationes, & promissiones non valent metu injusto extortæ; nam in his requiritur voluntas omnino liberalis, & libera, ut ex eorum nomine constat: ergo. R. N. a. nam 1. ad valorem horum quoque actuum gratuitorum non videtur major libertas, & voluntareitas requiri, quam ad alios. 2. Qui donat ex metu, simpliciter vult illud, quod donat, fieri donantis, quamvis simplici affectu vellet non dare, si metus abesset: sicut ille qui metu naufragii merces projicit in mare, vult absolute eas jactare, quamvis per affectum conditionate nollet, si metus naufragii abesset. 3. Juxta L. ult. C. *de his, quæ vi &c.* superius in probatione allegatam, donationes per metum, ac potentiam extortæ jubentur in irritum revocari: ergo supponuntur fuisse validæ. 4. Dato, quod donationes, & contractus gratuiti metu extorti non valerent, tamen nihil obesset nostræ conclusioni,

quæ tantum dicit, *aliquos* contractus sic extortos valere; valerent enim adhuc plures onerosi.

Objic. 4. Qui promisit ex tali metu alteri equum tradere, non peccat, si equum non tradat: ergo signum est, quod contractus ejusmodi sit invalidus, & non obliget. R. D. c. ergo signum est, quod sit invalidus, & non obliget conditionate, si nempe metum passus nolit observare hunc contractum C. c. quod non obliget absolute, etiam tunc, dum metum passus vult stare contractu N. c.

Objic. 5. L. 1. C. *de rescindenda venditione.* venditio per metum facta *irrita* appellatur: ergo contractus metu initus est invalidus. R. to *irrita* ibi idem significare, ac irritabilis, rescindibilis, vel irritanda, prout declarant verba statim sequentia: *Aditus itaque nomine tuo Præses Provinciæ authoritatem suam interponet*, scilicet rescindendo venditionem illam metu extortam. Deinde contractus metu extorti etiam ideo in jure vocantur irriti, vel nullius momenti, quia ex parte metum passi nullam inducunt obligationem stabilem, & firmam, vel quia sunt contractus claudicantes, & ad nutum metum patientis rescindi possunt, & debent.

Objic. 6. L. *qui in aliena.* 6. §. *Celsus.* 7. ff. *de acquirenda, vel omittenda hæreditate* dicitur: *Qui metu verborum, vel aliquo timore coactus, fallens adierit hæreditatem, sive liber sit, hæredem fieri non placeat, sive servus sit, Dominum hæredem non facere*: ergo talis aditio hæreditatis omnino est nulla, si metu fiat. R. In citata lege formaliter quidem, & in se nulla dicitur aditio hæreditatis, ast non propter metum, sed propter defectum omnis consensus; quia hæres illam adiit *fallens*, id est, ficte, & simulans se adire, cum tamen animum adeundi non haberet. Ita Glossa in cit. Legem. R. 2. indirecte ad omnia argumenta ex legibus, opponendo alias leges in probationibus adductas.

Objic. 7. Dolus circa substantiam contractus reddit hunc irritum: ergo etiam metus injustus; quia dolus & metus in jure æquiparantur C. *cum contingat.* 28. *de Jurejurando.* R. N. c. & parit. Dolus circa substantiam impedit omnem consensum volun-

voluntarium, requisitum ad essentiam, & substantiam contractus, non autem metus. Porro dolus circa qualitates, & accidentia rei, ac metus æquiparantur, non autem ille dolus, qui est circa substantiam.

Objic. 8. Si contractus metu initus foret validus, tunc transferret dominium rei traditæ: atqui non transfert: ergo. M constat; quia contractus validus, accedente traditione, transfert dominium. m. p. ex L. *Metum.* 9. *§. volenti.* & *§. licet. ff. de eo, quod metus causa.* ubi metum passo conceditur actio non solum personalis, sed & realis, in ordine ad rem talem traditam iterum recuperandam: atqui, qui habet actionem realem in ordine ad rem recuperandam, est Dominus rei, & consequenter in alterum non transfert dominium talis rei. Id, quod amplius confirmat ratio legi citatæ addita, sic si habens: *quia res* (quæ per contractum metu initum tradita est) *in ejus bonis est, qui metum passus est*: ergo res per metum alteri data, adhuc in bonis & dominio manet illius, qui metum passus est, & qui tradidit, consequenter talis non abdicat a se dominium.

R. N. m. Actio *quod metus causa* non dicitur ideo *realis*, vel *in rem scripta*, quasi res per metum tradita maneat in dominio metum passi: sed ideo, quia adinstar aliarum actionum realium potest institui contra quemvis possessorem, ad quem talis res per metum tradita pervenit. Res vero tradita dicitur esse in bonis metum passi, non quasi actu in bonis, & dominio ejus esset, sed quia per rescissionem contractus, & restitutionem in priorem statum facile a metum passo recuperari potest; res enim, etiam alienatæ, & ad alterum pertinentes, quæ facile a nobis recuperari possunt, quodammodo inter nostra bona referuntur, ut colligitur ex L. 15. ff. de R. J. ubi dicitur: *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* Et L. *Nemo.* 5. ff. *de in integrum restitutione.* quæ ait, *neminem exclusum a re, ad quam recuperandam actio ei a Prætore conceditur, & offertur.* 2. Quamvis metum passus non sit Dominus rei per metum traditæ, censetur tamen illam fictione juris in rebus suis habere, quatenus eam per restitutionem in integrum recuperare potest, ut patet ex L. *Nemo. ff. de Restit. in integrum.* quæ dicit: *Nemo videtur a re exclusus, quem Prætor in integrum*

se

se restituturum pollicetur. Ita advertit Reiffenstuel L. 1. Decret. Tit. 40. n. 41. & observat Glossa in Legem *Metum.* cit. §. *licet etiam.* ℣. in bonis ejus.

553 Dixi in Assertione: *valent saltem aliqui contractus;* hæc enim conclusio non est omnino universalis, sed patitur suas exceptiones. Sic 1. excipiuntur contractus non amplius rescindibiles, postquam legitime sunt initi, ut Professio religiosa, & præcipue matrimonium; hi enim certo sunt nulli, si ex metu injuste, & directe ad eosdem extorquendos incusso celebrentur. Et sic sentit communis DD., quamvis aliqua sit controversia inter eos, quo jure sint irriti, scilicet an solo jure positivo humano, vel etiam naturali. Ratio autem hujus nullitatis est; quia, si hi actus semel valent, non possunt amplius rescindi: consequenter, si etiam ex metu initi valerent, non posset injuria per eos illata iterum reparari media rescissione illorum: quæ ratio non pugnat in contractibus rescindibilibus.

2. Etiam multi alii contractus per talem metum extorti, a variis dicuntur irriti jure positivo humano, scilicet omnia vota simplicia, quasi Deus ea ex simili metu concepta non acceptaret: item promissio, & solutio dotis: promissio quælibet facta ab eo, qui in carcere detinetur, si fiat in gratiam ejus, qui in carcerem conjecit, vel in eo detinet: absolutio a censuris, vel revocatio earum: promissio, & traditio rerum Ecclesiæ, ac juramentum de iis non repetendis: acta Tutoris inviti, vel per vim retenti. Adduntur etiam alii actus ab aliis, qui juxta eos metu initi non valent, ut: pronunciatio sententiæ judicialis: testamentum metu extortum, vel tale, ad quod testes sunt coacti: sponsalia: constitutio Procuratoris ad negotia: jurisdictio prorogata per metum &c. De quibus videri possunt Canonistæ, & Civilistæ in propriis locis, singulariter Reiffenstuel L. 1. Decret. tit. 40. n. 55. & seq. Pichler pariter eodem Tit. n. 11. Interea nostra conclusio adhuc subsistit, quod *aliqui* saltem contractus valeant, scilicet revocabiliter; ut venditiones, ac aditio hæreditatis, quæ sunt contractus bonæ fidei: item promissiones, & donationes, quæ sunt contractus stricti juris, nec non transactiones, ut colligitur ex citt. Legibus.

Quia

Quin imo omnes reliqui contractus metu initi debent etiam de jure positivo humano valere, qui non sunt clare excepti, & annullati per jus positivum humanum. Ratio hujus est: tales contractus valent de jure naturali: ergo etiam de jure positivo, nisi clarus textus ostendatur, quo fieret recessus a jure naturali; nam talis recessus non est admittendus sine claro textu juris positivi. Ex his

Inferes: Contractus illos, qui ex præfato metu initi valent, posse rescindi, & irritari ad nutum, & arbitrium metum passi. Communis. Ratio hujus habetur 1. ex communibus juribus supra citatis pro Assertione tertia. 2. Ex æquitate naturali, quæ dictat, ut metum passo, & læso fiat adæquata satisfactio pro injuria illata: atqui non fieret talis adæquata satisfactio, nisi per rescissionem contractus injuriosi omnia restituerentur in pristinum statum, & omnia damna illata compensarentur. Quare vi juris naturalis quoque tenetur cuncta restituere, quæ ex contractu tali per metum extorto accepit, & quæ alias reddere debet malæ fidei possessor; si enim hæc omnia non refunderet, non compensaret damnum illatum ad æqualitatem.

Ex quo patet, nostram sententiam non esse nimis rigidam, sed benignam; nam vi hujus metum passo competit exceptio, si res necdum est tradita. Quare, si metum inferens petat rem sibi ex metu promissam, potest metum passus eamdem libere etiam extra judicium denegare, & sic excipere contra ejusmodi petitionem. Si vero rem talem jam tradidisset, competit ei actio, vi cujus metum passus ita debet restitui in integrum, ut ipsi non tantum reddatur res tradita, sed omnia etiam illius emolumenta, & fructus, quos interea percepit ille, qui talem rem mala fide detinuit, sive deinde sit ille ipse, qui vim intulit, sive sit alius, modo malam fidem habeat.

§. III.

Aliqua Quæsita.

QUÆRES 1. Quid dicendum, si metus ex alio fine, quam ad extorquendum contractum fuerit incussus? 554

R. 1. Si metus fuit juste incussus, tunc omnino valet talis contractus, nec potest rescindi. Ratio est: *tum*, quia per talem metum non infertur injuria per rescissionem contractus reparanda. *tum*, quia metus talis non videtur esse causa ejusmodi contractus, ut amplius patebit ex responsione sequenti. Quare

R. 2. Pariter valent, neque rescindi possunt contractus, qui tali metu injuste extorquentur. Sanchez L. 4. de Matrimonio D. 12. n. 3. & seqq. allegans communem, & certissimam DD. sententiam. Herincx D. 1. de Contractibus in communi. n. 50. & D. 3. de Matrimon. n. 4. Reiffenstuel cit. n. 28. Sperellus decisione 6. fori Ecclesiastici n. 4. contra Lugonem, Pichler & alios. Casus sit: Paulus Joannem deprehensum apud filiam suam in vindictam vult occidere, quamvis injuste, neque per has minas mortis cogitat extorquere pecuniam: Joannes vero, ut mortem evadat, offert, & serio promittit pecuniam Paulo. In hoc casu promissio tenet, nec rescindi potest a Joanne. Ita citati.

Prob. 1. Injuria, & metus tantum ex se tendebant ad mortem, & vindictam, quamvis injustam, non autem inferebantur ex intentione extorquendi promissionem pecuniæ: ergo ad hanc promissionem se per accidens habebat metus, & injuria. Quare iste metus injustus non reddit contractum ejusmodi irritabilem.

Confirm. Metus, & coactio non tendebant ad promissionem pecuniæ, sed ad vindictam & mortem: ergo eo ipso nulla coactio versabatur circa promissionem, proinde ea non fuit coacta, sed voluntaria, & spontanea.

Prob. 2. In hoc casu homo ad contractum non impellitur ab alio, sed a se ipso; cum nullus tunc, ut supponitur, exigat contractum, sed contrahens eum voluntarie, sponte, ac proprio motu eligat tanquam medium ad evadendam mortem, vel aliud malum: ergo talis contractus censetur per se non procedere a metu, sed a libera voluntate eligentis, & offerentis eum alteri minitanti malum.

Prob. 3. Involuntarium, quod in ejusmodi contractu reperitur, non est intentum ab incutiente metum, neque ex metu

tu per se, sed tantum occasionaliter, & per accidens provenit, ut jam dictum est.

Prob. 4. a P. Haunoldo, qui etiam ex parte nobiscum videtur sentire. Optabilius est metum passis, valere tales contractus, quam non valere: ergo valent. C. patet ex sæpius dictis. A. p. si enim similes contractus non valerent, vel ad libitum metum passi possent iterum rescindi, sæpe non haberetur medium se liberandi a gravissimis malis, v. g. a morte intentata: sed optabilius est metum similem passis, valere tales contractus, quam non habere medium se liberandi a simili malo gravissimo: ergo. M. constat. Certe ille, qui intentaret mortem, non sineret se flecti a promissione pecuniæ facta in his angustiis, si sciret, alterum, qui fecit talem promissionem, eam non teneri observare postea, sed posse pro libitu rescindere. Igitur potius optabit homo in hoc discrimine constitutus, ut valeat sua promissio, & sic ipsum liberet, quam ut non valeat, & sic medium se liberandi non habeat. Hinc

R. 3. Si etiam ex simili metu alter promittat, aut omnino ineat matrimonium, vel Professionem religiosam faciat, tunc hos actus esse validos, & quidem irrescindibiliter, ut per se patet. Ratio colligitur ex dictis; quamvis enim contractus ex natura sua irrescindibiles sint invalidi, quando ex gravi metu injuste incusso celebrantur, tamen id solum verum est, si talis metus directe ex intentione extorquendi matrimonium, vel alium similem actum sit incussus. Ita laudati DD. Et quis neget matrimonium valere, si Princeps ex intentione, ut se liberet a bello, injuste ab altero inferendo, vel illato, det suam filiam, vel ipsa filia se offerat in matrimonium alteri Principi hosti? Sic etiam validum erit matrimonium, quando Pater in ultionem injuriæ stricto gladio vult occidere adolescentem, impudice repertum cum sua filia, iste vero precibus impetret, ut sibi parcatur, præstita promissione, quod ad compensationem injuriæ velit filiam ejus accipere uxorem. Ita Reiffenstuel. Idem est, si aliquis injuste conjectus in carcerem, nec tamen facile ex eo liberandus, proprio motu eligat filiam judicis ducere, eamque ducat, iterum valet matrimonium; quia metus & injuria

 non

non tendebant ad matrimonium, proin hoc libere & ſponte contrahitur.

Deduces: a fortiori valere promiſſionem illi factam, qui ad metum, vel minas non eſt cooperatus: v. g. Petrus inter latrones conſtitutus promittit ſerio Joanni tranſeunti 10. aureos, ſi eum a latronibus liberet. In hoc caſu, ſi opem præſtat Joannes, & Petrum a periculo eximit, Petrus ei eſt ex juſtitia obligatus ad ſervandum promiſſum, ut fatentur omnes, etiam alias nobis Adverſarii.

555 Objic. 1. Etſi metus non fuerit incuſſus ex intentione contractus, fuit tamen cauſa contractus: ergo contractus talis adhuc eſt injuſte extortus, & irritandus. R. Neg. a. Talis metus injuſtus fuit tantum occaſio, non autem cauſa contractus, utpote qui libere & ſponte a contrahente fuit aſſumptus ad ſe liberandum a malo.

Objic. 2. Si ejusmodi matrimonium valeret, deberet contrahens invitus damnum pati: atqui illi contractus non debent valere, vi quorum innocens debet invitus damnum pati: ergo ejusmodi matrimonium non valet. R. N. M. Hoc matrimonium contrahens voluntarie & libere ex propria intentione eligit, adeoque, ſi aliquod damnum ex eo ſequitur, illud libere, & non coacte patitur.

Objic. 3. Cap. 1. *de his, quæ vi, metusque cauſa fiunt*, videtur tanquam irrita declarari profeſſio metu mortis facta, quamvis non fuerit metus hic directe ad extorquendam profeſſionem incuſſus: ergo. R. N. a. nam ex textu Capituli colligitur, quod metus mortis directe fuerit ordinatus ad extorquendum a muliere ingreſſum in monaſterium; nam famuli, qui debuiſſent dominam ſuam occidere, *ſub tali conditione pepercerunt eidem, quod in monaſterio de Colobris habitum ſuſciperet monachalem.*

Objic. 4. L. *Nec timorem.* 7. ff. *de eo, quod metus cauſa.* dicitur: *Proinde, ſi aliquis in furto, vel adulterio deprehenſus, vel in alio flagitio, vel aliquid dedit, vel ſe obligavit, Pomponius L.* 18. *recte ſcribit, poſſe eum ad hoc edictum* (ſcilicet reſciſſorium talis contractus) *pertinere; timuit enim vel vincula, vel mortem:* ergo

ergo si aliquid promittatur ex metu mortis, etiam non directe incusso ad extorquendam promissionem, talis promissio potest rescindi.

R. 1. cum Sanchez superius allegato n. 14. hanc Legem loqui de casu, quo deprehensus in delicto timet, vel probabiliter suspicatur, fore, ut metu mortis adigatur ad ejusmodi promissionem, vel contractum: in quo casu metus directe tendit ad contractum. R. 2. Hanc legem loqui secundum praxin fori externi, juxta quam præsumitur metus ejusmodi esse incussus ad extorquendum contractum, nisi contrarium probetur. Ita Sperellus apud Reiffenstuel n. 29., ubi etiam notat, esse multum difficile in foro externo probare, quod talis metus, ex cujus occasione contractus sequitur, non sit directe ex intentione contractus incussus. Verum saltem in foro interno nostra Assertio locum habet: imo etiam in foro externo, si clare & certo constet, metum non esse ex intentione contractus illatum.

Objic. 5. Tali metum passo fuit facta injuria: ergo meretur absolvi ab obligatione, quam ex alterius injuria contraxit. R. D. a. fuit facta injuria, quæ tamen per se non influxit in contractum C. a. secus N. a. Ex his

Inferes: parum referre, sive metus fuerit injuste incussus ab ipso contrahente, sive ab alio tertio, dummodo sit directe incussus ex intentione extorquendi contractum; tunc enim ejusmodi contractus est omnino nullus, si sit ex natura sua irrescindibilis: vel valet quidem, sed revocabiliter, si est ex natura sua rescindibilis, saltem de jure positivo.

Ratio *primi* est: quia ad valorem matrimonii, & similium contractuum, qui ex natura sua sunt irrescindibiles, requiritur secundum jura voluntarium, & liberum perfectum, quod est immune ab omni metu injusto, per se & directe impellente ad talem contractum.

Ratio *secundi* est ex L. 14. §. *in hac actione. ff. de eo, quod metus causa.* ibi; *In hac actione non quæritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecerit; sufficit enim hoc docere, metum sibi esse illatum, & ex hac re eum, qui convenitur, etsi crimine* ca-

careat, lucrum tamen sumpsisse. Qui textus, sicut & *§. Pœdius*, etsi loqui videantur de solis lucrativis contractibus, communiter tamen a DD. cum Glossa etiam ad cæteros contractus extenduntur.

Dixi in illatione: *saltem de jure positivo*; de jure enim naturali videtur contrarium dicendum quoad contractus rescindibiles, seu quoad 2. partem illationis, ut observat Haunoldus. Atque contractus onerosos jure naturali non posse rescindi, si tali metu sint initi, suadetur ex rationibus superius propositis n. 545. in responsione 2. ad quæsitum, quas vide.

556 Quæres 2. An contractus ex metu levi, directe ad extorquendum contractum incusso, celebrati valeant, vel saltem sint irritabiles? R. 1. Valent contractus natura sua rescindibiles, si ex simili metu levi ineantur. Ratio est: valent ejusmodi contractus, si per metum gravem extorqueantur: ergo a fortiori, si tantum per metum levem.

R. 2. Valent etiam contractus natura sua irrescindibiles, ex præfato metu celebrati, v. g. Matrimonium, Professio religiosa. Herincx D. 1. de Contract. n. 51. Ratio est: quia alias innumera fere matrimonia rescindi deberent, quibus subinde metus levis injustus causam dedit. Accedit, quod dolus circa accidens notabile non irritet contractum matrimonii, etsi ei causam dederit: ergo neque metus levis.

R. 3. Si metus levis injustus ex intentione contractus sit incussus, & revera det causam contractui ex natura sua rescindibili, tunc iste in foro conscientiæ irritari potest ad nutum metum passi. Sanchez L. 4. de Matrim. D. 9. n. 4. Herincx cit. n. 51. Haunold. Mezger D. 51. de Contractibus in genere Art. 3. n. 7. Holzman. *Prob.* Etiam per metum levem extorquens contractum, injuriam committit, quæ debet reparari per restitutionem in priorem statum & libertatem, media rescissione contractus. Imo, etsi metus sit levis, tamen injuria est gravis, si per eum extorqueatur consensus in contractum, graviter damnosum metum passo. 2. Esto jus civile non concedat in foro externo actionem *quod metus causa.* ob metum levem, id facit

so-

solum ob vitandam multiplicitatem litium, per hoc tamen non vult tollere obligationem conscientiæ, qua metum inferens Coram Deo adstringitur ad reparandam injuriam.

Quæres 3. Quid dicendum de metu reverentiali? R. 1. Metus reverentialis est ille, vi cujus filii parentibus, subditi Superioribus &c. non audent contradicere ob reverentiam. 557

R. 2. Hic metus juxta Pichler est tantum levis: potest autem fieri gravis, si accedat timor alius, quo timetur aliud grave malum, si contradicatur parentibus. Si deinde malum hoc, quod filius timet a Patre sibi inferendum, est contra justitiam, tunc talis metus est injustus: si vero tantum sit contra charitatem, vel pietatem, tunc metus est quidem peccaminosus, & illicitus, non autem est injustus, ut recte notat Lugo D. 22. n. 151. & seqq. Quare non est metus injustus, si filius solum timet jurgia, asperum vultum, offensionem, malam tractationem, quia hæc mala omnia non pugnant contra justitiam; siquidem non lædunt injuste in bonis famæ, honoris, vitæ, vel fortunæ, sed solum ostenditur offensio concepta ex neglectis precibus, aut petitione Patris.

R. 3. Blanditiæ etiam sæpius repetitæ, & satis molestæ non statim inducunt injuriam contra justitiam, etsi aliquam vexationem contineant. Quis enim dicat, mendicos, sæpius satis moleste petentes eleemosynam, injuriam inferre illi, a quo petitur eleemosyna?

R. 4. De metu reverentiali, ac blanditiis idem dicendum, quod de metu alio. Hinc si metus talis reverentialis gravis *injustus* fuerit, eadem locum habent, quæ dicta fuerunt de alio metu gravi injusto. Idem dic de metu reverentiali tantum levi. Videatur Lugo citatus, qui hanc rem exacte discutit.

Dixi: Si metus *injustus* fuerit; summopere enim attendendum est, an talis metus pugnet contra justitiam; nam, si justitiam non violat, tunc non importat injuriam restitutione, vel rescissione contractus reparandam, ut ex generalibus principiis de restitutione, ac de Jure, & Justitia colligitur.

DISSER-



DISSERTATIO II.

De Promissione, & Testamentis in specie.

ARTICULUS I.

De Promissione.

558 AGimus hic de promissione gratuita, liberali, & lucrativa, qua tantum promittens se alteri obligat, non autem ex parte promissarii obligatio aliqua alia mutua respondeat. Hæc describitur, quod sit deliberata fidei obligatio facta alteri homini, & ab hoc acceptata de re aliqua præstanda.

Dixi 1. *Homini*, ut distinguerem promissionem a voto, quo se homo obligat ipsi Deo, & non alteri homini. Dixi 2. *Obligatio facta;* nam de natura promissionis est, ut promittens se intendat obligare alteri. Et per hoc differt promissio a proposito, de quo inferius. Dixi 3. *Et ab hoc acceptata;* nam ad promissionem, ut ea obliget actu, requiritur, ut ea sit acceptata. Quare *promissio stricte*, & *proprie* dicta duo dicit, scilicet oblationem & obligationem ipsius promittentis, ac acceptationem promissarii. Antequam fuit acceptatio facta ab altero, non vocatur promissio, sed *pollicitatio*, neque obligat. Hoc notato breviter examinantur conditiones requisitæ ad validam promissionem.

559 Assero 1. Ad promissionem validam, & obligantem in conscientia, non sufficit semiplena deliberatio, vel voluntarium imperfectum, etsi res promissa tantum sit levis, sed requiritur plena libertas, & advertentia, Haunold, Reiffenstuel in Theol. mor. q. 1. de Voto. n. 4. & Communis aliorum.

Prob. 1. Talis promissio est lex aliqua privata, qua se homo alteri obligat: atqui nemo se alteri censetur velle efficaciter obligare, nisi plenam habeat deliberationem ejus, quod facit: ergo.

Prob·

Prob. 2. Libertas actuum suorum est homini maxime propria, econtra obligationes sunt ei admodum adversæ: ergo tales obligationes cum præjudicio libertatis suæ ab eo non censentur induci sine consensu, & actu perfecte humano, & plene libero.

Objic. 1. Ad peccandum venialiter sufficit semiplena advertentia: ergo & ad se obligandum per promissionem. R. N. c. Peccatum est aliquod malum, ad quod sufficit quivis defectus, qualis jam stat cum semiplena advertentia; quia & cum illa jam aliqualiter amamus objectum vetitum, & malum: Contra promissio est actus positive bonus, inducens obligationem justitiæ, & fidelitatis: atqui ad bonum plus requiritur, quam ad malum, ut aliunde constat.

Objic. 2. Potest aliquis per actum semiplene voluntarium peccare contra justitiam, ac fidelitatem: ergo etiam potest aliquis se per actum talem semiplene liberum obligare ex præfatis virtutibus. R. N. c. quia ad peccandum tanquam malum & defectum, requiritur minus, quam ad positivam obligationem sibi imponendam ex propria voluntate.

Assero 2. Plena libertas requisita ad validam promissionem, 560
votum, vel juramentum promissorium &c. potest stare cum ingenti passione inordinati amoris, iracundiæ &c. Haunoldus cum communi, ac certa Theologorum contra Bartolum, Decium, Jasonem, Felinum apud Sanchez.

Prob. 1. Juxta communem valent matrimonia, & sponsalia in ingenti æstu amoris contracta: ergo idem est de aliis. Ant. est certum; alias enim innumeri tales contractus irritari deberent.

Prob. 2. Valent contractus ex gravi metu justo: atqui similis metus æqualem, vel omnino majorem vim voluntati infert, quam aliæ passiones amoris, odii &c. ergo.

Prob. 3. Non obstantibus similibus passionibus habet aliquis sufficientem libertatem ad committendum peccatum mortale, directe & plene voluntarium; ergo etiam ad promissionem va-

validam; quia ad hanc non majus voluntarium requiritur, quam ad peccatum directe voluntarium.

Objectiones, quæ fieri possunt, vel loquuntur de casu, quo tanta fuit passionis intemperies, ut plenam rationis advertentiam impedierit, uti contingit in motibus primo, & secundo primis, de quibus nostra Assertio non loquitur. Vel loquuntur de casu, quo ex ira aliquis promisit, vel juravit facere rem illicitam, & sine peccato non observabilem: qualem casum continet L. 2. C. *Ad legem Juliam Majestatis.* ubi Dominus ex ira inconsulte, & male juravit, quod nollet unquam servo suo reconciliari.

561 Assero 3. Promissio ante acceptationem non parit obligationem in promittente. Communis, & certa sententia. Prob. 1. ex L. 10. ff. *de donationibus.* Prob. 2. ex ratione, & jure naturali. Obligatio descendens ex promissione non potest intelligi sine mutuo consensu duorum juxta L. 1. ff. *de Pactis*: atqui ante acceptationem promissarii non est consensus duorum in idem: ergo neque tunc datur obligatio ex promissione descendens. 2. Ut promissio obliget, debet promissarius adversus promittentem habere jus activum, in quo fundatur obligatio passiva promittentis: atqui promissarius ignorans, vel non consentiens per acceptationem, non potest acquirere jus activum adversus promittentem: ergo. Unde omnis promissio habet imbibitam hanc conditionem: *Si acceptetur.* Ex hoc

Deduces 1. Promissionem, aut donationem, antequam acceptetur, semper esse revocabilem. Ratio est: quia promissio vel donatio tamdiu est in potestate promittentis, & ab eo revocari potest, quamdiu ex illa nulla resultat obligatio: ergo. antequam acceptetur, semper revocari potest ad libitum promittentis. Hic tamen excipe casum promissionis, vel donationis factæ alicui civitati in ordine ad certa opera, vel officia eidem præstanda: quæ promissio, ut bene probat Herincx contra alios, equidem non valet ante acceptationem, non potest tamen amplius revocari a donante vel promittente: quod alii volunt etiam extendere ad causas pias: dissentit tamen Herincx; quia non omnia, quæ civitatibus conveniunt, statim ad causas pias ex-

extendi debent. Sic etiam promissio infanti facta de emancipatione videtur per ipsas leges acceptari, & hinc non esse revocabiles.

Deduces 2. Promissionem, & donationem etiam juramento firmatam, ante acceptationem revocari posse. Mezger, & alii apud eumdem citati contra Layman. Ratio est: quia juramentum, tanquam accessorium, sequitur naturam actus, cui adjicitur: ergo, si actus ille, videlicet promissio, cui adjicitur, potest revocari, pariter & juramentum est revocabile: patet etiam in sponsalibus juratis.

Petes: Quomodo promissio acceptari possit, ac debeat? 562
R. 1. Potest, ac debet acceptari per signum externum, sufficienter manifestativum acceptationis, & consensus interni. Sola taciturnitas promissarii interdum æquivalet acceptationi, interdum non: æquivalet, & sufficit, quando res promissa promissario est favorabilis; tunc enim, *qui tacet, consentire videtur*, ut habet Reg. J. in 6. secus est, si res promissa sit odiosa promissario; tunc enim locum habet alia regula Juris: *Qui tacet, nec consentire, nec dissentire videtur.*

R. 2. Acceptatio donatarii, vel promissarii debet fieri per ipsum, aut alium ex ejus commissione, ut sic uniatur voluntas promittentis, & promissarii. Si promissarius, vel donatarius sit absens, requiritur ex parte promittentis, & donantis, ut suam promissionem, vel donationem sive per litteras, sive per nuncium significet. Unde non sufficit, si quis tertius, nullum habens mandatum, ejusmodi promissionem aut donationem promissario, vel donatario significet, & coram ipso fiat acceptatio; talis enim non potest repræsentare personam, & voluntatem donantis. Ex parte autem promissarii, aut donatarii requiritur ut & ipse suam acceptationem sive per litteras, sive per internuncium significet promittenti. Neque sufficit, quod coram aliis, ad hoc non deputatis a promittente, enunciet, sese acceptare; quia ad quodlibet pactum requiritur unio voluntatum mutuo significata, quæ non habetur, quamdiu promissarius suam acceptationem non dirigit ad promittentem. Mezger, & Herincx.

563 Dubitabis: Quinam possint pro absente promissario acceptare promissionem? R. 1. Ille, qui a promissario habet mandatum *speciale* ad hoc, vel saltem generale ad omnia pacta ejus loco ineunda. §. 19. Inst. *de inutilibus stipulationibus*. Herincx cum communi DD. contra Lessium, qui videtur asserere, quod sufficiat mandatum quodcunque generale ad quasvis res alterius nomine agendas. 2. Etiam illi, qui alteri, seu promissario, sunt pleno jure subjecti, ut filius non emancipatus Patri, Monachus Prælato, mancipium domino; mancipium enim (idem est de religuis) censetur unius esse juris cum suo Domino; adeoque loco hujus stipulari potest. Aliud est de subditis respectu Principis, famulis respectu Heri, filiis emancipatis respectu Patris &c.: potest tamen Princeps pro subdito, Tutor pro pupillo, Curator pro eo, cui datus est, acceptare. Herincx: qui etiam Notariis publicis negat potestatem hanc pro aliis acceptandi promissiones, non autem illis personis, quibus interest promissionem valere, & adimpleri. Videatur Herincx de promissione n. 18.

Nota etiam 1. Juxta gravissimorum sententiam apud Herincx, promissionem, vel donationem inter vivos non posse amplius acceptari post mortem donantis, vel promittentis. Huic tamen contradicit Mezger cum aliis.

Nota 2. Mortuo donatario ante acceptationem per se extingui donationem, & promissionem; quia potestas acceptandi est personalis, & personæ donatarii affixa: ergo cum hac persona extinguitur. Mezger.

564 Assero 4. Promissio potest ex sola fidelitate obligare: & tunc obligat solum sub levi, etiam in materia gravi, Antonius Mayr, Holzman.

Prob. 1. pars. Pendet ex voluntate promittentis, quomodo se velit obligare, an velit obligationem justitiæ, vel solius fidelitatis resultare ex suo actu: ergo non est ratio, cur talis non possit se ex sola fidelitate obligare.

Confirm. Ex ipsa praxi, qua multi aliqua promittunt alteri, quin intendant ipsi dare strictum jus; volunt enim solum

illi

illi dare testimonium suæ fidei: ergo tales se non obligant ex justitia, sed ex fidelitate.

Prob. 2. pars. Qui alteri promittit aliquid sub fidelitate, non tribuit alteri jus: ergo eo ipso per tale promissum non importatur debitum strictum, quod sub gravi obligaret.

Confirm. Dum aliquis agit contra solam veracitatem, non peccat nisi venialiter: ergo etiam, dum aliquis peccat contra fidelitatem, tantum peccat venialiter; nam veracitas, & fidelitas valde affines sunt in modo obligandi. Ex dictis

Inferes 1. Promissionem *ex titulo justitiæ* in materia gravi 565
regulariter obligare sub gravi. Herincx cum Communi. Ratio est: quia talis promissio tribuit promissario verum jus, quod ubi in re gravi læditur, peccatum mortale committitur. Addit tamen laudatus Herincx Disp. 2. de promissione. n. 30. juxta communem DD. sententiam in violatione promissionis, stricte & ex titulo justitiæ obligantis, longe majorem quantitatem requiri, quam in furto, aliove magis rigoroso debito. Sanchez L. 1. de Matrim. D. 5. n. 24. taxat quantitatem quadruplo majorem, quam requiritur in aliis debitis. Castro Palao vero disp. 2. punct. 8. recurrit ad prudens arbitrium, desumendum ex causa promissionis, & qualitate promittentium.

Inferes 2. Promissionem ex titulo fidelitatis factam, multum differre a promissione ex titulo justitiæ. Ratio est: quia promissio obligans ex titulo fidelitatis non parit jus ex parte promissarii, sed tantum spem, & fiduciam; etenim ex hoc motivo promittens dat alteri fidem suam, & quidem talem, cui tantum debetur spes & fiducia rei promissæ obtinendæ. Ex hoc iterum sequitur, quod ejusmodi promissio solum obliget ex honestate virtutis, non ex jure, quod residet in promissario: hanc vero honestatem si quis violet, non observando suum promissum, tunc equidem peccat, & notam incurrit hominis infidelis, seu talis, qui non est dignus, ut in ejus promissis spes, vel fiducia ponatur. Verum tale peccatum, & malitia est solum levis: quod colligitur exinde; quia veracitas & fidelitas sunt vir-

 tutes

tutes multum affines: & ficut veracitas loquentis exigit, ut ab altero detur fides, vel affenfus dictis talis loquentis, ita fidelitas petit, ut promittenti exhibeatur fpes & fiducia: ergo ficut violatio veracitatis ex genere fuo eft peccatum leve, ita & violatio fidelitatis.

Inferes 3. Plurimas promiffiones in rebus etiam gravibus defacto non obligare fub gravi: vel, quia plerumque animus non adeft fincerus fe obligandi: vel, fi adeft, non vult promittens fe obligare fub gravi, fed tantum fub levi, & ex fola fidelitate.

Inferes 4. Simplex propofitum, & promiffum ex titulo fidelitatis adhuc differre; fiquidem (ut recte difcurrit Lugo D. 23. n. 1. & 92.) propofitum præcife tale eft voluntas præfens aliquid poftea faciendi, nulla fibi ad hoc nova obligatione impofita. Quare proponens non intendit fibi aliquam aliam turpitudinem adjicere contra aliquam fpecialem virtutem, faltem a conftantia diftinctam, fi propofitum non obfervet. Dixi: contra virtutem a conftantia diftinctam; nam etiam ille, qui fine fufficienti ratione propofitum de aliquo bono opere faciendo conceptum non obfervat, venialiter peccare contra conftantiam & perfeverantiam, & turpitudinem venialem inconftantiæ, & levitatis contrahere poteft. Ex oppofito promittens non folum habet animum, voluntatem, ac propofitum faciendi, fed infuper intendit fe aliquo modo ligare, ita, ut fi hoc promiffum non obfervet, id opponatur contra aliquam fpecialem virtutem a perfeverantia diftinctam, nempe contra fidelitatem, vel omnino juftitiam. Quare talis promiffio fortius ftringit, quam fimplex propofitum. Quod autem propofitum poffit dari fine promiffione, patet ex illo Matth. 26. ỽ. 35., ubi Petrus Chrifto dixit: *etiamfi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: quæ verba certe non continuerunt promiffionem; alias enim Petrus tunc emififfet votum, cum fuiffet promiffio Deo facta de meliori bono: quod tamen non eft verum. Fuit ergo fimplex propofitum.

566 Objic. 1. Homines putant, fibi injuriam fieri, fi eis promiffa non fervantur: ergo promiffio ex juftitia obligat, & ejus violatio injuriam inducit. R. 1. Retorq. Homines etiam putant,

sibi injuriam fieri, si quis ipsis in faciem mentiatur, quin tamen obligatio non mentiendi sit ex justitia: ergo. R. 2. N. c. Si talibus hominibus fit injuria, ea non provenit præcise ratione rei promissæ non præstitæ, sed potius ratione vilipensionis promissarii; dum enim aliquis alteri in faciem mentitur, vel ei promissa non servat, videtur illius personam aliqualiter vilipendere, & sic ei inferre injuriam, quæ tamen vilipensio non efficit injuriam gravem.

Objic. 2. Obligatio promissionis transit ad hæredes defuncti: ergo debet esse obligatio justitiæ. R. 1. Retorq. Argum. Obligatio voti realis transit ad hæredes, & tamen non est obligatio justitiæ, sed religionis. R. 2. Tr. a. N. c. quia etiam aliæ obligationes, v. religionis, & fidelitatis possunt transire ad hæredes, ut Lugo explicat cit. loc. ac n. 98.

Objic. 3. Stipulatio, seu promissio stipulata obligat ex justitia: ergo etiam promissio non stipulata. R. D. a. si promittens habuit animum se obligandi ex justitia C. a. secus N. a. Esto enim, in promissione interveniat solemnitas stipulationis, qua unus interrogat: *promittisne?* & alter respondet: *promitto*: si tamen animus se obligandi ex justitia non adsit, obligatio talis non contrahetur. In foro quidem externo datur actio ob stipulationem; sed hoc inde oritur: quia in hoc foro præsumitur animus vere se obligandi ex titulo justitiæ.

Objic. 4. Promissio acceptata est pactum nudum: sed hoc obligat ex justitia: ergo. 2. Promissio onerosa obligat ex justitia: ergo & liberalis. R. ad 1. D. m. sed hoc obligat, si adsit animus se obligandi ex justitia C. m. secus N. m. Pactum nudum est tantum consensus duorum, & placitum in idem, qui consensus potest poni vel ex titulo fidelitatis, vel justitiæ. Ad 2. R. N. c. Promissio onerosa, & reciproca est semper aliquis contractus, in quo se contrahentes censentur mutuo obligare ex justitia: aliud est in contractibus gratuitis, in quibus se unus tantum, scilicet liberaliter promittens obligat, nulla obligatione, sed mero favore resultante ex parte promissarii.

Objic.

Objic. 5. Obligatio in materia gravi obligat ſub gravi: ergo & promiſſio, etſi tantum ex fidelitate ſit facta, obligabit ſub gravi. R. N. a. univerſaliter acceptum; attendi enim debet, an virtus ex genere ſuo graviter obliget: quod ſi non faciat, uti non facit fidelitas, non erit mortale, eam obligationem etiam in materia gravi violare. Et certe mendacium, quatenus præciſe veracitati, & non alteri ſimul virtuti, v. g. juſtitiæ opponitur, eſt tantum veniale, etſi ſit in materia gravi; quia hoc peccatum ex genere ſuo eſt tantum veniale: ergo idem eſt de infidelitate in ſervandis promiſſis.

Objic. 6. Nec juramentum, nec votum obligat ex titulo juſtitiæ, & tamen utrumque obligat ſub gravi: ergo, etſi promiſſio non obliget ex virtute juſtitiæ, tamen obligat ſub gravi. Ant. patet; Juramentum enim, & votum in materia gravi ſub mortali obligant. R. N. c. nam votum, & juramentum inducunt obligationem religionis, quæ eſt longe gravior, quam fidelitatis: ſic non eſt injuria gravis, vocare hominem in teſtem mendacii levis, quamvis ſit talis, vocare Deum in teſtem etiam leviſſimi mendacii.

Leges, & Capitula, quæ forte in contrarium adduci poſſunt, agunt de caſibus illis, ubi promittens ſe voluit obligare ex titulo juſtitiæ. Reliqua, quæ de promiſſione ſuperſunt dicenda, in Reiffenſtuel, & aliis Caſiſtis, ac Canoniſtis videri poſſunt.

ARTICULUS II.

Aliqua de ultimis Voluntatibus.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit ultima Voluntas?

567 Ultima voluntas eſt *juſta mentis noſtræ ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult.* Vel: eſt *gratuita diſpoſitio*

de

de bonis in tempus mortis, seu post mortem. Dicitur ultima, non quasi in vivis semel facta statim sit postrema, & talis, ut non possit in vita amplius mutari; hoc enim est contra rationem ultimarum voluntatum, quæ semper mutari, & revocari possunt, quando, & quomodo illi, qui eas fecit, tempore vitæ suæ placet: cum voluntas hominis ultima sit *ambulatoria usque ad vitæ supremum exitum.* L. 4. ff. *de adimendis Legatis.* Est ergo *ultima*, quia post, & per mortem redditur firma, & talis, ut eam alia non possit sequi. Porro species ultimæ voluntatis sunt sex: scilicet 1. Testamentum. 2. Codicillus. 3. Substitutio. 4. Fideicommissum. 5. Legatum. 6. Donatio mortis causa.

Testamentum, quod inter ultimas voluntates primas obtinet, & infinitarum litium occasio est, definitur ab Ulpiano L. 1. ff. *de Testamentis*, *& ultimis voluntatibus*: *Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum directa hæredis institutione.* Brevius describi potest: *est ultima voluntas, qua directe instituitur hæres.* Itaque hæreditatis institutio est de essentia Testamenti, & hoc primario, & essentialiter distinguit a Codicillo, & aliis ultimis voluntatibus. Censetur autem quis directe institui hæres, quando ita instituitur, ut hæreditatem immediate ab ipso Testatore sibi designatam habeat: ut si Testator dicat: *Cajus sit hæres meus.*

Testamentum principaliter dividitur in solemne, & non solemne. *Solemne*, seu *perfectum*, *ein zierliches Testament*, est, quod habet omnes solemnitates a jure requisitas. *Non solemne*, vel *imperfectum*, aut *privilegiatum* est, quod nullas, vel saltem non omnes habet solemnitates juris, nihilominus tamen ex speciali juris privilegio sustinetur, & valet. Ejusmodi testamenta privilegiata sunt 1. Testamentum ad causas pias. 2. Testamentum inter liberos, factum a Parentibus. 3. Testamentum militis in expeditione bellica. 4. Testamentum rustici. 5. Testamentum tempore pestis. 6. Testamentum publicum, seu ad acta datum, hoc est, vel coram Judice, aut Principe factum, aut ei oblatum.

Solemne subdividitur in *scriptum*, & *nuncupativum*. *Scriptum ein zierliches Testament in Schriften*, est, quod in Scripturam redactum, debito mo-

modo subscriptum, & subsignatum est. Quod etiam *clausum* dicitur; quia necesse non est, ut Testator tenorem hujus manifestet: sed sufficit, si testibus dicat, suam in hac Scriptura contineri ultimam voluntatem. *Nuncupativum, ein von Mund ausgesprochenes Testament*, est, quod sine Scriptura, subscriptione, & subsignatione testium fit, oretenus nominato coram testibus hærede, sive dein Notarius aliquis hanc ultimam voluntatem Testatoris in Scripturam redigat pro memoria, & faciliori probatione, sive non.

Aliæ autem solemnitates sunt pro Testamento scripto, aliæ pro nuncupativo. Hujus posterioris solemnitas consistit in nuncupata directa hæredis institutione coram 7. testibus, specialiter rogatis. *Rogare* autem in proposito idem est, ac testes admonere, & certiores reddere, quare hic sint convocati. Unde non sufficerent testes quicumque transeuntes, vel fortuito præsentes, nec specialiter vocati, & admoniti de re, quæ tractatur.

Ad testamentum scriptum exigitur jure civili 1., ut ultima voluntas vel ab ipso Testatore, vel ejus rogatu ab alio scribatur. 2. Requiruntur 7. testes specialiter rogati, nullo jure testimonium ferre prohibiti, Testatori præsentes. Prohibentur autem in Testamento esse testes 1. mulieres. 2. Impuberes, seu qui necdum expleverunt 14. ætatis annum; nam masculi ante hunc, & fœminæ ante 12 necdum impletum annum vocantur impuberes: postea vero vocantur Puberes, Minorennes, vel Minores usque ad 25. annum expletum, ubi evadunt Majorennes, ac Majores. 3. Furiosi, & his æquiparati Prodigi declarati. 4. Muti. 5. Surdi. Huc etiam revocantur communiter cæci, qui Testatorem videre non possunt. 6. Infames. 7. Inviti, & coacti. 8. Qui sunt in potestate Testatoris, vel testis, vel ambo in potestate tertii. Sic filiusfamilias nequit esse testis in testamento Patris, nec vicissim, nec frater in testamento fratris, si uterque sit in patria potestate; quia personæ in eadem potestate existentes reputantur pro uno corpore familiæ. 9. Hæres: non tamen excluditur Legatarius; cum hujus negotium non principaliter, sed solum secundario geratur. 10. generaliter omnes, qui a lege tanquam improbi, & intestabiles reprobantur. 11. Qui nec testari, nec hæredes institui possunt. Plura de testibus videri possunt in Canonistis. 3.

Requi-

Requiritur, ut singuli testes manu propria subscribant, & sigilla apponant. 4. Totum hoc negotium debet in uno contextu sine notabili interruptione, aut alterius negotii interpositione perfici.

Circa has solemnitates plura adhuc sunt observanda, quæ alii, præsertim Juristæ, fusius examinant, ego vero brevitatis gratia omittere cogor. Hoc solum noto, rem esse periculi plenam, facere velle testamentum solemne; cum illud ob multas solemnitates, quas requirit, facile possit inepte, & invalide confici. Quare semper suadendum, ut testamentum potius ad acta, quam solemne fiat.

Codicillus est ultima voluntas, qua quis de bonis suis disponit absque directa hæreditatis institutione. Potest fieri cum, vel sine testamento: item ante, vel post illud, scripto, vel oretenus. Servit ad hoc, ut illi, qui testamentum facere nolunt, libenter tamen aliqua legata, vel donationes mortis causa facerent, id possint per codicillum ab intestato dictum, seu sine testamento. Servit præterea, ut ii, qui testamentum jam fecerunt, possint illud declarare, mutare, augere, vel minuere, dummodo in hoc posteriori casu salva maneat hæredis institutio; alias enim testamentum prius conditum corrueret. 568

Forma Codicilli testamentarii, sive dein fiat ante, sive post testamentum, non est alia, quam ipsius testamenti, ut ait Holzman; est enim accessorius testamento: ergo imitatur naturam testamenti tanquam sui principalis. Forma vero Codicilli non testamentarii, seu qui absque testamento conficitur, sita est in 5. testibus, qui tamen non necessario debent esse rogati; nec specialiter qualificati: adeoque etiam fœminæ hic testari possunt, modo sint eodem tempore præsentes. Solent tamen excludi personæ legatariæ, ac fideicommissariæ; harum enim personarum negotium in codicillo principaliter agitur, adeoque essent testes in propria causa, quod jura non concedunt, ut notat Holzman de Contractibus n, 714.

Substitutio in genere est unius, vel plurium in locum alterius, aut aliorum in ultima voluntate vocatio. Sicut ergo, 569

qui primo instituitur, & vocatur ad hæreditatem, *institutus hæres*, ita, qui secundo, tertio, quarto &c. loco vocatur, *substitutus* dicitur. Dividitur substitutio in *directam*, & *indirectam*. *Directa* est, quando substitutus consequitur hæreditatem, vel legatum immediate ab ipso Testatore, sine alterius ministerio jus suum transmittentis: quod fit, si testator dicat, *Hæredem instituo Petrum: si vero Petrus hæres non erit, quia forte non volet, vel non poterit esse, utpote impeditus ob mortem, aut legem, Jacobus sit hæres meus.* aut brevius: *Petrus sit hæres meus, cui Jacobum substituo.* Substitutio *indirecta*, quæ etiam fideicommissaria dicitur, est, quando substitutus non immediate ab ipso testatore, sed mediante ministerio alterius, nempe prius instituti, jus suum transferentis consequitur hæreditatem, vel legatum. Contingit ergo tunc, quando hæreditas quidem relinquitur immediate v. g. Sempronio, sed hic *rogatur*, id est, juxta sensum juris, obligatur, & gravatur, ut eam aliquando restituat, vel relinquat Cajo: ut si testator sic dicat: *Sempronius est hæres meus, rogo tamen*, id est, volo, mando, *ut moriturus hæreditatem meam relinquat, vel cedat Cajo.*

570 Hæc substitutio indirecta vocatur *fideicommissum*, quod dicitur *universale*, si hæres immediatus jubetur totam hæreditatem alteri relinquere: *particulare* autem est, si tantum rogatur partem, vel rem certam v. g. aliquod castrum cedere hæredi substituto. Hæres, qui rogatur, hæreditatem illam alteri relinquere, vocatur hæres *fiduciarius*, vel *gravatus*, vel *hæres fideicommissarius*: ille autem, cui restituenda. vel relinquenda est hæreditas, dicitur simpliciter, & sine addito *fideicommissarius*. Ex quo

Colliges, *fideicommissum* esse substitutionem indirectam, qua hæres vel ex testamento, vel ab intestato immediate succedens, gravatur, seu obligatur, hæreditatem totam, vel illius partem mediam, vel tertiam, vel rem certam alteri restituere suo tempore.

Forma fideicommissi per testamentum relicti consistit in solemnitatibus testamentariis, relicti vero per Codicillum in quinq[illegible]tibus, qui & ipsi debent eodem tempore esse præsentes, &

& ſubſcribere, ſi fideicommiſſum ſit ſcriptum. Quodſi fidei committens ſolemnitate quoque Codicillari ſuperſedere velit, poterit fiduciarium coram ſe præſentem oretenus obligare, ut hæreditatem alteri reſtituat: quo caſu ad eam reſtituendam obligabitur in utroque foro: & ſi neget fidei commiſſum, poterit a fideicommiſſario compelli, ut vel juret, fideicommiſſum non eſſe relictum, vel ut illud reſtituat §. ult. Inſt. & L. ult. C. *de fideicommiſſis*. Inſuper fiduciarius a fideicommiſſario cogi poteſt judicis implorato officio, ut hæreditatem adeat, & reſtituat per legem 4. *ad SCtum. Trebellianum*.

Hoc quoque nota, ſi hæres directe & immediate inſtitutus, ſeu fiduciarius, a quo jus transferri debet in ſubſtitutum, hæreditatem non adeat, regulariter evaneſcere fideicommiſſum, niſi nempe cauſa pia eſſet ſubſtituta: in quo maxime differt fideicommiſſum a ſubſtitutione directa.

Nota 2. Fideicommiſſum, uti & alias ultimas voluntates, conſiderari poſſe *objective*, non pro actu voluntatis fideicommittentis, ſed pro re & objecto, quod fidei committitur, vel fideicommiſſi vinculo ligatur. In hoc ſenſu dicitur, hoc caſtrum, hæc domus, hæc Hoffmarchia eſt fideicommiſſum, ſeu eſt neceſſario ex voluntate fideicommittentis reſtituendum aliis, ſeu ſubſtitutis.

Inter ſpecies fideicommiſſi numeratur etiam fideicommiſſum *Familiare*, ſeu *Gentilitium*, quando ſcilicet tota aliqua familia ſubſtituitur. Et hoc eſt valde commune apud illuſtres, qui ita ſua bona immobilia relinquunt, ut Primogenitus alicujus lineæ cum tota ſua linea deſcendentium, iſta autem extincta ſecundo genitus cum ſua linea ſuccedat. Et in hoc ſenſu eſt proprie *Primogenitura*: ſi autem ita ordinetur, ut ſemper natu maximus de tota familia ſuccedat, non attendendo præciſe ad lineam ultimi poſſeſſoris, ſtricte *Majoratus* vocatur, quamquam a nonnullis Primogenitura, & Majoratus confundi ſoleant. Verum hæc res potius ad Civiliſtas, quam Theologos pertinet. Videatur Pichler L. 3. t. 26. n. 9.

Legatum eſt ultima voluntas, qua hæres jubetur, rem certam & particularem alicui tertio præſtare. Ex hoc habes 1., quod 571

quod legatum non possit fieri, nisi circa rem determinatam, ab hæreditate diversam: sic domus, castrum, prædium, quantitas pecuniæ, quæ legantur, debent esse determinata. 2. Legatarium, etsi ignorantem, quod sibi aliquid sit legatum, statim fieri Dominum rei legatæ, postquam hæres adiit hæreditatem, non autem antea, per Legem 32. ff. *de Legatis* 2. dummodo legatum non repudiet. Hoc nihilominus observet Legatarius, se propria authoritate non posse occupare legatum, etiam post aditam hæreditatem: sed debere expectare, donec illud ipsi ab hærede, vel alio ejus nomine tradatur; secus enim incurrit pœnam legis, scilicet amissionem legati. 3. Ad legatum profanum in testamento factum requiruntur eædem solemnitates, quæ ad testamentum, nisi adjuncta sit clausula Codicillaris.

572 *Donatio mortis causa* est ultima voluntas, qua aliquis intuitu mortis sua bona alteri confert, ea intentione, ut morte secuta ipsius fiant irrevocabiliter. Differt a Legato, quia donatio mortis causa debet acceptari a donatario, vel ejus deputatio; alias talis donatio non valet: & quidem hæc acceptatio debet adhuc fieri ante mortem donantis: aliud est de legato, quod non debet positive acceptari, & tamen valet. Debet etiam in tali donatione exprimi, quod ea fiat mortis causa; alias præsumitur esse donatio inter vivos. Si talis donatio fiat ad causam profanam, requiruntur 5. Testes, uti ad omnem voluntatem ultimam circa causas profanas, excepto testamento, quod septem testes exigit.

573 Quæres. Quo jure sit introducta facultas condendi testamentum, vel faciendi ultimam voluntatem.

R. 1. Non habet originem a jure naturali, nec a jure Gentium proprie sumpto. Mezger contra Pichler.

Prob. 1. pars. Vel hæc facultas est de jure naturæ tali, quod jam exstitit ante rerum, & dominiorum divisionem, vel quod subsequitur rerum divisionem? *Non primum:* quia ante divisionem bona omnia erant communia: ergo tunc non dabatur jus transferendi dominium post mortem in certam, & determinatam personam cum exclusione reliquorum hominum. *Non*

secun

secundum : quia etiam post divisionem rerum vi juris naturalis nemo est Dominus alicujus rei post mortem : ergo non potest disponere de re aliqua post mortem. Imo post mortem homo non amplius existit : ergo neque tunc dominium habet, aut exercere potest etiam actione destructiva ; quia etiam ad hoc, ut aliquis actu destructivo, & negativo dominium exerceat, illud deperdendo, requiritur omnino usus libertatis, qui non nisi in vivente esse potest.

Confirm. & explicatur: Etsi testator ante mortem, cum adhuc vivit, & Dominus est, significet, se velle dominium suum transferri per ultimam voluntatem in alium, hoc tamen non vult transferri actu, nisi post mortem : ergo in effectu primum post mortem transfert, & disponit de bonis suis, ubi jam nullius dispositionis, & translationis dominii est capax, loquendo præcise de jure naturæ stricte tali.

Prob. 2. pars. Jus Gentium proprie dictum includit mutuam obligationem Gentium plurium inter se, quæ ordinata est ad communem felicitatem Gentium qua talium : atqui sic se non habet facultas faciendi testamenta, quæ non ordinatur ad plures Gentes qua tales, sed potius ad particulares personas plures unius gentis, nec ordinatur ad felicitatem gentium qua talium, sed tantum personarum privatarum. Verbo, consuetudo testandi apud gentes recepta jam ante leges civiles, non respiciebat plures diversas gentes inter se mutuo consideratas, sed respiciebat particularia membra cujuslibet Gentis.

R. 2. Descendit tamen hæc facultas testandi, & ultimam voluntatem faciendi a jure naturali, & Gentium minus proprie sumpto Mezger.

Ratio *primi* est : quia illud minus proprie est de jure naturali, quod suadente æquitate, & ratione naturali pro communi bono per leges civiles statuitur, aut consuetudine, & usu recipitur : sed ita res se habet circa facultatem testandi, & ultimas voluntates condendi.

Ratio *secundi* est : Jus Gentium late, & improprie sumptum est, quod apud omnes Gentes æqualiter custoditur, & usu

usu recipitur absque mutua obligatione: atqui testamenta, & ultimas voluntates etiam ante juris civilis originem, apud antiquissimas Gentes fuisse usu receptas, constat ex S. Scriptura Gen. 48. ỷ. ult. ex testamento Patriarchæ Jacobi &c. Accedunt historiæ, attestantes de praxi Gentibus usitata jam ante conditas leges civiles. Ex quo

Inferes: Factionem testamenti non esse puram creaturam juris civilis, cum hæc jam ante omnes conditas leges civiles fuerit usu recepta apud Gentes. Id, quod eruitur partim ex dictis, partim ex L. 130. ff. *de V. S.* ubi dicitur: *Lege duodecim tabularum testamentariæ hæreditates confirmantur*: per quod significatur, lege 12. tabularum, quæ fuit prima pars juris civilis, tantum *confirmari*, & ratificari potestatem condendi testamenta tanquam præexistentem, non autem introduci tanquam aliquid novum. Addidit jus civile plures solemnitates, quæ antecedenter apud gentes necdum viguerunt. Hinc factio testamenti *in genere*, & præscindendo ab ista forma essentiali & specifica, quam defacto habet, jam exstitit ante leges civiles.

§. II.

Aliquæ Conclusiones de valore Testamentorum.

574 ASSERO 1. Testamentum privilegiatum, conditum in terris, & a Personis Romano Imperio temporaliter subjectis, deficiens in aliqua solemnitate superius explicata est irritum in foro externo, saltem regulariter. Est Communis contra Bartholum, & alios quosdam.

Prob. Prædictæ solemnitates secundum jus commune Cæsareum sunt de forma substantiali testamenti, & testamentum imperfectum ob defectum alicujus talis solemnitatis est irritatum, & annullatum a Legibus: ergo testamentum deficiens in aliqua tali solemnitate est irritum pro foro externo, saltem regulariter. A. p. ex variis Legibus. sic §. *ex eo.* 7. Instit. *Quibus modis testamenta infirmentur.* dicitur de testamento: *nam imperfectum sine dubio nullum est.* & L. *hac consultissima* 21. C. *de testamentis.*

Ex

Ex imperfecto testamento voluntatem defuncti tenere non volumus. L. *Si unus.* 12. C. *eodem. Si unus de septem testibus defuerit, vel coram testatore omnes eodem loco testes suo, vel alieno annulo non signaverint, jure deficit testamentum.* Ex quibus juribus colligitur, quod hæ solemnitates non præcise ad probationem, sed ad substantiam, & valorem testamenti solemnis saltem pro foro externo pertineant, & quod defectus harum solemnitatum in eodem foro reddat testamentum nullum.

Objic. 1. Leges irritant testamentum sine præscripta solemnitate factum propter præsumptionem fraudis: ergo ubi fraus nulla subest, testamentum valebit, saltem pro foro conscientiæ. 575
R. D. a. irritant ex præsumptione universali, & ob periculum generale fraudis; quia nempe ultimæ voluntates defunctorum generaliter sunt multarum fraudum periculis expositæ C. a. ob præsumptionem particularem, quasi in tali determinato casu esset periculum fraudis N. a. & c. Leges fundatæ in præsumptione & periculo universali valent, & subsistunt, etsi in particulari casu fraus, vel periculum non subsit, ut dixi in Tractatu de LL. Videatur Reiffenstuel in Theol. moral.

Objic. 2. Leges civiles, quæ requirunt 7. vel 5. testes ad valorem testamenti, fovent peccatum, & sunt correctæ per jus canonicum: ergo testamentum, vel ultima voluntas facta sine hac solemnitate, & numero testium valet etiam pro foro externo. A. p. Cap. *Cum esses.* 10. *de Testamentis.* dicit Alexander III. *A divina lege, & SS. PP. institutis, & a generali consuetudine alienum esse, septem, vel quinque testes adhibere in ultima voluntate, uti jubent Leges civiles; cum scriptum sit, in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Ibique ait, valere testamentum, quod Parochianus facit coram Presbytero suo, id est, coram Parocho, & duobus testibus: ergo.

R. N. a. ad prob. dico 1., quod in laudato Capitulo per to *alienum a lege divina &c.* solum significetur, requisitionem 7. testium esse præter legem divinam, seu non esse præceptam lege divina, non autem esse contra legem divinam. 2. Si jus divinum prohiberet, in quibusdam causis plures, quam duos

vel tres teftes exigere, tunc Concilium Tridentinum egit contra præceptum divinum, dum ad valorem matrimonii ultra duos vel tres teftes requifivit præfentiam Parochi tanquam teftis authorizabilis: magis peccaffet Pontifex, dum Can. 3. c. 2. q. 5. ad condemnationem Epifcopi requifivit 72. teftes: quæ exempla ferviunt pro retorfione, & inverfione argumenti. 3. Præfatum Capitulum folum eft intelligendum pro Perfonis Ecclefiafticis, Jurisdictioni imperiali non fubjectis: item pro territoriis illis, in quibus Papa jurisdictionem temporalem exercet. Quare iterum notandum eft, quod Papa pro fuo territorio temporali poffit etiam leges civiles, quales funt leges teftamentorum, condere: extra illud vero circa Perfonas fæculares non poteft aliquid ftatuere in materia profana, & mere politica, nec leges Imperatorum & Principum corrigere, nifi hæ peccatum foveant, ut dictum eft in Tractatu de LL.

Dices: Summus Pontifex cit. Cap. prohibet fub excommunicatione refciffionem teftamenti, coram Parocho, & duobus teftibus tantum facti: ergo talis refciffio fovet peccatum; nam excommunicatio locum non habet, ubi peccatum non eft. R. Papam ibi loqui de cafu, quo quis teftamentum, coram duobus vel tribus teftibus factum in terris dominio temporali Pontificis fubjectis, pertinaciter impugnaret, & legi Pontificiæ pro territorio Papali latæ refragaretur: quod utique peccatum foret. Aft tale peccatum non eft in illis locis, & apud illas perfonas, quas non ftringit laudata conftitutio Pontificia.

Dixi in hac Affertione 1. *Teftamentum non privilegiatum*; fpecialiter enim privilegiatum valet, etfi aliquibus folemnitatibus careat. Dixi 2. *Conditum in terris, & a Perfonis Romano Imperio temporaliter fubjectis*, ob immediate dicta in refponfione ad 2. objectionem. Dixi 3. *Eft irritum in foro externo*; quid enim fit in foro interno, dicetur Affertione tertia. Proinde judex debet tale teftamentum irritum declarare, quæ fententia, utpote fecundum leges lata, eft jufta, & in foro quoque confcientiæ obligat. Dixi 4. *Saltem regulariter* ob conclufionem mox ponendam, qua fit exceptio. Item hæc Affertio eft intelligenda, nifi

nisi alicubi contraria vigeret consuetudo, vel leges municipales aliter disponerent.

Assero 2. Etsi testamentum careat una, vel pluribus solemnitatibus, a jure civili requisitis, valet tamen, etiam pro foro externo, quoad legata, & fideicommissa. 2. Imo etiam quoad institutionem hæredis pro casu, quo hæres, alias ab intestato succedens, ipsemet audivit, & fatetur voluntatem Testatoris. Reiffenstuel L. 3. T. 26. n. 77. & seq., ubi hanc conclusionem exacte pertractat, cujus fundamenta etiam referam. Pichler &c. 576

Prob. 1. pars. 1. ex L. *Non dubium.* 16. C. *de Testamentis.* ibi: *Qui ex testamento, vel ab intestato hæres extiterit, etsi voluntas defuncti circa legata, seu fideicommissa, seu libertatem legibus non sit subnixa, tamen si sua sponte agnoverit, implendi ea necessitatem habeat.*

Prob. 2. ex L. *Etsi inutiliter.* 2. C. *de fideicommissis.* ubi disponitur, quod ille non possit fideicommissum revocare, & repetere, qui hoc, etsi in testamento imperfecto, & defectuoso relictum, alteri solvit, & tradidit. Ratio ibi additur; quia sic tradens, & solvens præsumitur ipse audivisse, & scivisse voluntatem testatoris: ergo lex hæc supponit, quod tunc fideicommissa valeant, si hæres ab intestato succedens audiverit, & sciverit voluntatem testatoris, etsi deinde tale testamentum sit defectuosum, & carens solemnitatibus debitis.

Prob. 3. ex L. *Quæstionem.* 32. seu finali. C. *de fideicommissis.* ibi: *Cum enim res per testium solemnitatem ostenditur, tunc & numerus testium, & nimia subtilitas legis requirenda est; lex etenim, ne quid falsitatis incurrat per duos forte testes compositum testamentum, majorem numerum testium expostulat, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur. Cum autem is, qui aliquid ex voluntate defuncti lucratur (& maxime ipse hæres, cui summa authoritas totius causæ commissa est) dicere compellitur veritatem per Sacramenti Religionem: qualis locus testibus relinquatur, vel quemadmodum ad extraneorum fidem recurratur, propria & indubitata fide relicta?* Ex hac lege habetur, quod si ipse hæres præsens fue-

fuerit teftamento, cum conderetur, & audierit, hoc vel illud fideicommiffum, aut legatum alteri effe relictum, tunc hoc fideicommiffum, vel legatum valere, & non requiri numerum teftium, aliasque fubtilitates, & folemnitates a Legibus alias requifitas; quia in tali cafu, ubi ipfe hæres, de cujus præjudicio agitur, veritatem agnofcit, hæc alio modo per teftes non eft exquirenda. Si vero ille, qui corruente teftamento ab inteftato fuccederet, neget, fe præfentem fuiffe factioni teftamenti, aut fe audiviffe voluntatem teftatoris, tunc in tali cafu poteft hæres in tali teftamento defectuofo, & imperfecto inftitutus, vel ille, cui in eo legatum &c. relictum eft, poteft neganti deferre juramentum: quod fi recufaret hæres ab inteftato, tunc hæreditas devolveretur ad hæredem in teftamento imperfecto inftitutum. Ita habetur cit. L. finali C. *de fideicommiffis.* & §. finali Inft. *de fideicommiffariis hæreditatibus.*

Ex hac ultima lege manet etiam probata pars fecunda conclufionis; nam in illa dicitur generaliter, quod tunc tantum numerus teftium, & nimia fubtilitas fit requirenda, fi res, feu veritas per folemnitatem teftium oftenditur.

577 Objic. 1. Lex illa finalis C. *de fideicommiffis.* tantum loquitur de fideicommiffis, & legatis: ergo inepte a nobis ad teftamenta extenditur. R. N. a. Ratio negandi eft 1., quia lex illa etiam loquitur, & difponit de ipfis teftamentis, ut patet ex iis verbis: *Lex enim, ne quid falfitatis incurrat per duos forte teftes compofitum teftamentum &c.* 2. Teftium folemnitas, & legum fubtilitas in teftamentis eft inventa a jure civili, *ut per ampliores homines perfectiffima veritas reveletur*, & ut fecuriffime evitetur omnis fraus: atqui veritas non poteft perfectior haberi, neque fraus magis evitari, quam fi ipfe hæres, qui ab inteftato fuccederet, & de cujus præjudicio unice agitur, veritatem edicat, hoc ipfo, quod propria talis hominis confeffio fit omnium optima, ac pleniffima probatio, vel potius probationis revelatio: ergo per ipfam fcientiam, & confeffionem talis hominis habetur totum id, quod deberet præftare teftium major numerus: hinc ifte in hoc cafu non requiritur in teftamento, & iftud fine tali folemnitate fuum effectum, & valorem ha-

habet. 3. Inter conditiones ad legem requisitas est etiam, ut ea sit utilis, & necessaria, prout dictum est in Tractatu de Legibus, & communis est doctrina omnium: atqui lex, ad evitandas, fraudes & acquirendam de voluntate testatoris veritatem præscribens solemnitates juris, non est necessaria, neque utilis in præsenti casu, ubi testamentum, ac ultima voluntas per hæredem ab intestato est cognitum, & confessatum: ergo talis lex præscribens solemnitates juris in isto casu non datur, seu se non extendit ad istum casum. m. p. in præsenti etenim casu nunquam potest subesse fraus. Deinde, ubi adest confessio partis adversæ, alia probationis media necessaria non sunt. Denique neque judex attendere potest ad subtilitatem juris, quando ea obest veritati.

Objic. 2. Leges universaliter annullant testamenta debitis solemnitatibus destituta: ergo ea etiam in particulari hoc casu sunt nulla. R. D. a. sine omni exceptione N. a. cum exceptione aliqua, scilicet illa, quæ indicatur in L. final. C. *de fideicommissis*. C. a.

Objic. 3. Leges irritantes imperfecta testamenta fundantur in periculo universali fraudis: ergo, esto in particulari casu, quando hæres ab intestato novit, & confitetur voluntatem testatoris, non subsit fraus, tamen ob universale periculum tale testamentum est nullum. R. D. c. nisi sit specialiter exceptum C. c. secus N. c. Non tantum in uno vel altero particulari casu, sed universaliter in testamento abest omne periculum fraudis, quando hæres ab intestato, tamquam adversarius testamentum minus solemne impugnans, ipsemet scit, & prout ponimus, fatetur, hanc fuisse testatoris voluntatem. Ex his igitur

Colliges, quod in valore suo subsistat testamentum illud, quod quidem solemnitatibus juris civilis caret, cui tamen, dum fiebat, interfuit ille ipse, qui ab intestato deberet succedere. Porro tale testamentum etiam valet, etsi hæres, alias ab intestato successurus, se neget interfuisse testamento, dum condebatur. A fortiori ejusmodi testamentum valet in foro interno; quia aliunde de jure naturæ, & Gentium minus stricte tali valet, & de jure civili non irritatur, imo potius confirmatur. Hinc potest tam hæres in tali testamento scriptus, quam Lega-

 tarius

tarius tuta conscientia relictam sibi hæreditatem, & legata accipere, & retinere: si autem hæres ab intestato hæreditatem, vel rem legatam occupasset, teneretur eas restituere: quodsi non restitueret, possent hæredes & Legatarii scripti uti occulta compensatione, vel agere contra eum. Ita Reiffenstuel cit. L. 3. Decret. tit. de Testamentis, seu 26. n. 98. & seq. deduciturque clare ex assertione posita, & hucusque dictis.

578 Assero 3. Etiam in casu, quo hæres ab intestato factioni testamenti non interfuit, valet testamentum minus solemne *in foro interno* quoad legata, & institutionem hæredis, quamdiu non pronunciatur invalidum. Ita cum antiquis Theologis, ac Juristis plerisque Reiffenstuel tit. de Testamentis n. 106. nec non in Theolog. morali. Pichler n. 30. contra Herincx, Mezger, Holzman, ac plures alios, quia putant similia testamenta etiam pro foro interno esse irrita.

Prob. 1. Ex una parte antecedenter ad jus civile vi juris naturalis, & Gentium saltem improprie talis ejusmodi testamenta valuerunt pro foro interno: ex altera parte non sufficienter probatur, quod per leges civiles sit facta irritatio similium testamentorum pro foro interno: ergo adhuc valent pro foro interno, donec per sententiam judicis rescindantur.

Confirm. Correctio legum præexistentium semper est odiosa, & debet restringi, quantum potest: atqui per leges civiles, quæ requirunt solemnitates istas ad testamentum, corrigitur jus naturale & Gentium præexistens: ergo leges hæ civiles debent restringi, quantum possunt. Cum ergo commode possint intelligi de solo foro externo, hinc de isto solo, non autem etiam de foro interno intelligi debent.

Prob. 2. Alii multi actus & contractus, etsi a lege irritentur, valent pro foro conscientiæ ante sententiam judicis: ergo & testamenta sic irritata adhuc valebunt ante sententiam judicis.

Prob. 3. Leges civiles testamentariæ per se tantum spectant regimen politicum, & forum externum, instruendo judices, quid in tribunalibus, & foro externo observandum, & pro-

pronunciandum ſit: ergo niſi clare indicent, quod velint etiam ante ſententiam judicis jam obligare in foro interno, id non eſt præſumendum. Atqui leges teſtamentariæ non clare exprimunt, quod velint irritare, & obligare ante ſententiam judicis, vel ſaltem ante exceptionem partis adverſæ: ergo. m. ſubſumpta ex ſolutione objectionum patebit.

Verum ut hæc Aſſertio, & alia plura, quæ in rebus mo- 579
ralibus ſemper redeunt, rite penetrentur, ſequentia ex Reiffenſtuel L. 1. Decret. T. 2. de Conſtitutionibus n. 251. & ſeqq. adverte.

1. Dupliciter poteſt actus irritari a lege. 1. pleniſſime: 2. ſolum ſimpliciter. *Pleniſſime* irritatur aliquis actus, alias de jure naturæ validus, quando lex indicat, ſe annullare hunc actum pro omni foro, etiam interno, ac enervare omnem ejus obligationem, etiam naturalem. *Simpliciter* autem irritatur, quando lex quidem annullat, ſed non explicat, an hæc irritatio etiam ſe extendat pro foro interno.

2. Certum eſt, quod actus, pleniſſime irritatus a legibus, nec civilem, nec naturalem obligationem pariat, neque pro foro externo, aut interno ſubſiſtat.

3. Si tantum ſimpliciter ſit irritatus aliquis actus, tunc ille in foro conſcientiæ, ante ſententiam judicis ſecutam, adhuc valet. Ita probabiliter ſentit Reiffenſtuel cit. Pichler eod. Tit. n. 68., quibus conſentiunt Molina, Leſſius, Wadingus, Innocentius, & alii. Ratio eſt: quia ex una parte legiſlatores potuerunt ita ſtatuere, ut lex ſimpliciter, & non pleniſſime irritans tantum valeat pro foro externo, non pro interno, ſaltem ante ſententiam: ergo dicendum eſt, ſic ſtatuiſſe; quia in correctione juris antecedentis, vel ſublatione facultatis antecedentis tanquam in re odioſa, ſemper eſt ſtricta interpretatio facienda, & reſtringi debet, quantum poteſt: atqui hic agitur de correctione juris antecedentis, ſcilicet naturalis permiſſivi, quod valorem horum actuum ſaltem permittit. Accedit etiam, quod ipſo uſu non ſint aliter receptæ præfatæ leges, quam in ſenſu Aſſertionis noſtræ. Plura alia apud laudatos Authores videre poteris.

4. Ter-

4. Termini, quibus lex indicat, contractum etiam pro foro interno esse nullum, sunt similes, aut æquivalentes: *Etiam in foro animæ non suffragentur.* Id etiam potest desumi ex consuetudine, & sensu fidelium, recipiente, & agnoscente communi consensu irritationem ejusmodi plenissimam: vel etiam ex eo, quia alias lex irritans non obtineret suum intentum, & finem, nisi irritatio quoque pro foro interno procederet. Sic impedimenta matrimonii dirimentia communi consensu fidelium censentur irritare matrimonium pro foro etiam interno. Et hoc universaliter contingit in actibus illis, qui semel valide celebrati, amplius rescindi nequeunt; hi enim, si lege irritantur, semper pro foro etiam interno irritari censentur. Ratio hujus est: si tales actus a lege irritati adhuc valerent pro foro interno, lex irritans non posset habere effectum; cum actus tales semel validi per sententiam judicis non possent amplius rescindi, sed deberent deinde etiam pro foro externo in suo valore relinqui. Ex his habes, quod & Professio religiosa, quæ etiam semel valide facta est irrescindibilis, sit plenissime irritata, si emittatur ante 16. ætatis annum, vel ante annum Novitiatus completum. Tridentinum c. 15. sess. 25. *de Regularibus.* Pariter etiam electio, vel collatio beneficii Ecclesiastici simoniace facta, est plenissime irritata, ac proinde neque pro foro interno valet, ut patet ex Cap. *Matthæus. de Simonia.* juncta extravagante *cum detestabile,* eod. Tit. Constat hoc ex ipsis verbis extravagantis, ubi dicitur, quod ejusmodi dispositiones, electiones, postulationes &c. viribus, NB. *omnino* careant: quod per easdem jus *nullatenus* acquiratur: quod ad illorum omnium, quæ ex tali beneficio perceperunt, restitutionem *sub animæ suæ periculo* sint adstricti, quæ utique satis significant omnimodam, ac plenissimam irritationem, etiam pro foro conscientiæ. Adde communem etiam sensum Doctorum & fidelium, qui agnoscit, irritationem hanc etiam pro foro interno procedere.

5. Sunt tamen alii actus, qui solum simpliciter irritati pro foro interno ante sententiam judicis, vel saltem ante exceptionem alterius partis valent, ut alienatio rerum Ecclesiasticarum in casu quidem licito, & sine detrimento Ecclesiæ, absque tamen debitis solemnitatibus facta, quæ quidem a jure irritatur sim-

ſimpliciter, ſed valet in foro conſcientiæ juxta Abbatem Panormitanum apud Reiffenſtuel cit. Ratio eſt: quia in foro conſcientiæ, & ad obligationem naturalem non plus requiritur, quam conſenſus ſolus. Idem tenet Layman L. 1. Theol. moral. T. 4. c. 16. n. 6., ac exemplificat de ludo alearum, de contractu cum pupillo celebrato, de teſtamento minus ſolemni, de pœna ſponſalibus adjecta, de donatione ultra quingentos ſolidos: item de electione, quæ ob defectum alicujus ſolemnitatis, jure tantum poſitivo requiſitæ, irrita eſt, & de nonnullis aliis. Vide Reiffenſtuel in Theolog. moral. T. 8. de Contractibus. diſt. 1. n. 21. & ſeqq.

Objic. 1. Omnes illas leges, quibus teſtamentum imper- 580
fectum dicitur nullum, vel voluntas defuncti non dicitur tenere ſine ſolemnitatibus juris: ergo. R: Illis legibus non pleniſſime, & pro foro quoque interno irritari teſtamenta inſolemnia, neque teſtatorem abſolute inhabilem reddi ad teſtandum, ut colligitur ex probationibus, & dictis.

Objic. 2. Religioſi ſine conſenſu Superiorum ſemper invalide diſponunt de rebus temporalibus: ergo etiam invalide teſtatur aliquis ſine conſenſu legislatoris per teſtamentum imperfectum. R. N. c. & parit. Religioſus enim, cum vi profeſſionis ſuæ ſolemnis ſit incapax dominii, per ſe non poteſt nomine ſuo, & ſine conſenſu Prælati diſponere de rebus temporalibus, ſicut & alius, qui non habet dominium alicujus rei, eam alienare, aut alio modo de ea diſponere nequit; quia non poteſt diſponere de re non ſua. Aſt teſtator, dum facit teſtamentum etiam imperfectum, diſponit de re ſua.

Objic. 3. Judex debet hæredi ab inteſtato adjudicare hæreditatem, alteri in teſtamento imperfecto relictam: ergo talis hæres ab inteſtato jam antecedenter habuit jus, conſequenter jam antecedenter tale teſtamentum non valuit. R. D. a. habuit jus conditionatum, ſi velit agere, vel excipere, & exceptione ac actione hæreditatem illam ſibi obtinere per judicis ſententiam &c. C. c. habuit jus abſolutum N. c.

Objic. 4. Si hæres ab inteſtato per errorem ſolvit legatum, vel fideicommiſſum relictum in Teſtamento defectuoſo, putans ſe

se teneri ad talem solutionem, potest iterum repetere tanquam indebite solutum. L. 7. C. *de condictione indebiti*: ergo idem erit de hæreditate, quam forte per errorem tradidit hæredi insolemniter instituto. Atqui quando solutum repeti potest, nec obligatio naturalis datur L. *naturales obligationes*. 10. ff. *de obligationibus, & actionibus*: ergo neque obligatio naturalis datur ex tali testamento.

R. 1. N. a. nam lex illa nec verbulum habet de relictis *in testamento imperfecto*: adeoque non est ad rem. Ejus verba sunt: *Fideicommissum, vel legatum indebitum per errorem facti solutum, repeti posse, explorati juris est.* R. 2. Tr. a. N. m. subsumpt. nam ea non est universaliter vera, præsertim tunc, quando obligatio naturalis per sententiam judicis tolli potest. Deinde lex *naturales obligationes* unice dicit, quod etiam ex hoc possit colligi, adfuisse naturalem obligationem, si solutum nequit repeti: non autem negat, in aliis quoque casibus, ubi solutum potest repeti, non posse dari obligationem naturalem. Tota lex ita habet: *Naturales obligationes non eo solo æstimantur, si actio aliqua earum nomine competit: verum etiam eo, si soluta pecunia repeti non possit.*

581 Deduces: 1. Plurimum referre in praxi, quid in hac quæstione dicatur; si enim nobiscum teneatur, testamentum tale valere pro foro interno, uti nos putamus, tunc hæres in ejusmodi testamento imperfecto tuta conscientia accipere, & retinere potest hæreditatem, etsi sciat defectum testamenti, & nullitatem ejus pro foro externo: hæres vero ab intestato succedens, nisi velit impugnare testamentum, vel saltem excipere, tenetur ipsi relinquere hæreditatem.

Deduces 2. Si tamen hæres ab intestato exciperet, & non traderet hæreditatem, tunc hæredem institutum in imperfecto testamento, etiam nulla adhuc sententia judicis rescissoria secuta, non posse facere occultam compensationem. Ratio est: quia, ut liceat uti occulta compensatione, debet debitum alterius esse certum, & liquidum: atqui liquidum & certum non est, quod tale testamentum imperfectum, etiam ante sententiam judicis, in foro conscientiæ teneat, cum contraria sententia sit vere probabilis, & a multis egregiis Theologis & JCtis sustineatur: conse-

sequenter etiam non est certum, quod hæres ab intestato succedens, vi testamenti imperfecti alteri, qui est in testamento imperfecto hæres institutus, restituere debeat : ergo.

Deduces 3. Solemnitatem quinque testium ad alias ultimas voluntates, quæ fiunt extra testamentum, requiri ad valorem talium legatorum, fideicommissorum particularium, Codicillorum &c., & non tantum ad probationem, loquendo de foro externo. Pichler n. 33. Ratio est : quia æqualiter requiruntur 5. testes ad has ultimas voluntates, sicut ad testamenta requiruntur septem : atqui 7. testes requiruntur ad testamenta, ut valeant, & non tantum, ut probentur : ergo idem dicendum est de quinque testibus respectu aliarum ultimarum voluntatum. M. p. ex L. fin. C. *de Codicillis.* ubi dicitur : *In omni ultima voluntate, excepto testamento, quinque testes debent adhiberi* : ergo ad alias ultimas voluntates ita requiruntur 5. testes, sicut 7. requiruntur ad testamenta. Est tamen hæc assertio contra alios apud Pichler citatos.

§. III.

Resolvuntur varia.

ASSERO 1. Etsi testamentum profanum ob defectum solemnitatum declaretur nullum, tamen legata pia ei inserta, si 582
de iis legitime constet, subsistunt. Communis. P. Cap. 2. *de Judiciis.* & singulariter Cap. *relatum.* 11. *de Testamentis* : legata pia sunt causa spiritualis, quæ Pontificiæ, non autem Cæsareæ, vel civili dispositioni subjacet.

Objic. Accessorium sequitur naturam principalis : ergo corruente testamento profano ob defectum solemnitatum, corruunt etiam legata pia ; quia hæc sunt accessorium ad testamentum. R. Hanc regulam in Antecedenti assumptam habere tantum locum, quando accessorium non est specialiter privilegiatum : atqui in nostro casu legata pia sunt specialiter privilegiata.

Assero 2. Regulariter, corruente testamento profano, cor- 583
runt etiam legata profana, etsi forte sufficiens solemnitas pro le-

legato adesset. Ratio est: quia ejusmodi legata sunt accessoria testamento, neque sunt specialiter privilegiata: ergo hic procedit regula mox citata. Dixi tamen: *regulariter;* si enim testamento adjecta esset clausula codicillaris, tunc legata talia valerent. De clausula codicillari vide Theologiam moral. P. Reiffenstuel Tr. 8.

584 Assero 3. Legata ad profanas causas facta, pio testamento sine solemnitatibus juris civilis confecto inserta, valent, & sunt præstanda. Ratio est: quia subsistente principali etiam accessoria subsistunt: sed testamentum pium etiam sine solemnitatibus juris civilis tenet, ut mox dicetur: ergo & legata profana eidem inserta subsistunt.

585 Assero 4. Non tantum in terris Pontificiis, sed etiam Romani Imperii, pro foro quoque externo valent testamenta ad pias causas sine solemnitatibus juris civilis, dummodo habeant sufficientem probationem ultimæ voluntatis. Communis apud Reiffenstuel, Mezger, & alios. Prob. 1. ex communi DD. consensu, qui in hoc conspirat. P. 2. ex Cap. *relatum* 11. *de Testamentis.* ubi de testamento ad causas pias ita statuitur: *Mandamus, quatenus, cum aliqua talis causa* (scilicet testamentum pium) *ad vestrum examen fuerit deducta, ea non secundum leges, sed secundum Decretorum* (id est, Canonum) *statuta tractetur, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis.* Hæc constitutio Pontificia concernit præcipue salutem, & favorem animæ: atqui constitutiones Pontificiæ. quæ præcipue concernunt salutem & favorem animæ, non tantum in territorio Pontificio, sed etiam Imperio sunt observandæ. Hæc, & alia plura exacte & breviter habet Reiffenstuel in Theol. mor. Tr. 8. d. 3. n. 20. & seqq. ubi vide.

586 Assero 5. Testamentum posterius insolemne, ad pias causas tamen factum, derogat priori solemni ad causas profanas. Mezger. Sequitur ex Assertione præcedente; nam universaliter posterius testamentum validum derogat priori, quamvis valide confecto: sed testamentum insolemne ad pias causas est validum juxta dicta: ergo derogat priori solemni, quod & annullat.

Asse-

Assero 6. Potest etiam legari res aliena, servatis debitis conditionibus. Prob. textu claro §. 4. Inst. *de Legatis*. item L. 10. C. *de Legatis*. Favet quoque Canon 5. caus. 12. q. 5.

Dixi : *Servatis debitis conditionibus*; nam valet tale legatum, si testator legans scivit, rem esse alienam, non autem, si nescivit: item, si res non sit aliunde exempta a commercio humano, si scilicet non sit publico usui deputata, ut templum, forum &c. vel res ad Ecclesiam spectans.

Nihilominus per hoc non imponitur dominio obligatio, rem suam, quæ fuit legata, cedendi Legatario, etiam pro pretio: sed hæres tenetur talem rem emere justo pretio, vel si Dominus eam vendere nollet, tunc teneretur hæres pro ea Legatario dare æstimationem, ut patet ex variis legibus, præsertim §. 4. Inst. cit.

Objic. 1. Cap. 5. *de Testamentis*. a Gregorio IX. statuitur: *Leges sæculi hoc habent, ut hæres ad solvendum cogatur, si author ejus rem legaverit alienam: sed quia lege Dei, non autem lege hujus sæculi vivimus, valde mihi videtur injustum, ut res tibi legatæ, quæ cujusdam Ecclesiæ esse perhibentur, a te teneantur, qui aliena restituere debuisti* : ergo. R. 1. ex hoc textu ad summum haberi, quod prohibeatur legatum rei alienæ, si ea spectet ad Ecclesiam, sicut & res alienæ ad Imperatorem spectantes non possunt legari. Et hoc gratis transmitto : ast nego per textum citatum invalidari etiam legatum rerum aliarum alienarum. R. 2. Ex verbis hujus Capituli tantum haberi, quod res aliena legata non possit retineri, invito Domino hujus rei, prout & nos fatemur.

Neque lex ista civilis, concedens facultatem legandi rem alienam, fovet peccatum; non enim concedit Legatario potestatem accipiendi, & retinendi rem alienam invito Domino, ut ex dictis constat.

Objic. 2. Magis injustum est, scienter legare rem alienam, quam ignoranter : ergo si legatum rei alienæ ignoranter factum non valet, multo minus valet, si fiat scienter. R. N. suppositum

situm Antecedentis, quod sit iniquum legare rem alienam. Quod autem legatum rei alienæ ignoranter factum non valeat, reddit jus Cæsareum ipsum hanc rationem: *Forsitan enim, si scivisset, rem alienam esse, non legasset.* Ubi Legatario quoque imponitur onus probandi, quod Testator sciverit, rem esse alienam.



ARTICULUS III.

De Contractu, & Lucro ob turpem causam.

588 Contractus ob turpem causam est, quando sub conditione operis turpis aliquid promittitur, ut quando Paulus promittit Sicario 10. aureos, si inimicum suum occidat, vel meretrici, si præbeat usum corporis, aut Judici, si ferat injustam sententiam.

Potest vero talis contractus contingere intra, aut extra materiam justitiæ. Intra materiam justitiæ est, si adimplendo conditionem turpem læditur jus alterius: extra materiam justitiæ, si non læditur jus alterius. Intra materiam justitiæ sunt casus de Sicario, & Judice mox adducti, extra eamdem materiam est casus de meretrice, quæ peccat solum contra castitatem, non contra justitiam.

Quæritur præcipue 1., an contractus ejusmodi valeant? 2. An illud, quod vi talis contractus, adimpleta conditione, traditur, possit accipi, & retineri? Putant Juristæ apud Lessium restituendum esse pretium, acceptum ob facinus, quod leges puniunt: sic juxta hanc sententiam Sicarius deberet restituere mercedem, quam ob patratum homicidium accepit. Aliter sentiunt de pretio accepto ob crimen, quod non punitur a legibus, quale est peccatum meretricum. Alii vero judicant, restituendum esse quodcumque pretium ob turpem causam acceptum. Cajetano, & Soto placet, non posse retineri, & per consequens debere restitui acceptum ob turpem causam solum

tunc

tunc, quando ea est contra justitiam, ut in casu de sicario, & judice: non vero, si sit contra aliam virtutem, v. g. castitatem, ut in casu meretricis. Huc etiam reducitur quæstio de lucro ob honestam causam, præsertim si sit debita ex justitia.

§. I.

Quid juris tribuat contractus ob turpem causam?

ASSERO 1. Contractus turpis ante impletam conditionem 589
turpem nec obligat promittentem ad solvendum pretium, neque alterum ad patrandum facinus, seu purificandam conditionem: imo uterque potest, & debet resilire a contractu. Communissima apud Herincx disp. 2. de Promissione n. 23. & apud Viva p. 5. d. 4. q. 2. Art. 1.

Prob. 1. Non potest esse obligatio ad peccandum: ergo contractus ob turpem causam neutrum obligat ante impletam conditionem. C. p. Talis contractus non obligat e. g. sicarium ad patrandum homicidium; cum hic non possit obligari ad peccandum: neque promittentem obligat ad dandum pretium propter homicidium; promissio enim est conditionata, quæ ex una parte non obligat ad præstandam mercedem non purificata conditione, ex altera autem parte in sicario nulla est obligatio ad purificandam conditionem: ergo neque promittens obligabitur ad solvendum pretium ante positam conditionem.

Prob. 2. ex cap. fin. *de Pactis.* quod sic habet: *Pactiones factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de aliis dicendum, quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum; nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit.* Accedit lex *generaliter. de V. S. ibi: Generaliter novimus, turpes obligationes nullius esse momenti.*

Quod autem ejusmodi contractus ante impletam conditionem debeat rescindi, clare habetur ex Can. *in malis.* caus. 22.

q. 4., ubi S. Isidorus ait: *In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum; impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.* Ex his.

Deduces 1. Si promittens ante impletam conditionem solvit mercedem v. g. sicario, tunc hunc teneri ad restitutionem, nec mercedem retinere posse. Ratio est: quia non impleto contractu solutio etiam non debetur.

Deduces 2. Contractum hunc ob conditionem turpem differre ab aliis contractibus conditionatis honestis in hoc, quod in his, seu honestis, pendente adhuc, & necdum purificata conditione saltem sit obligatio non resiliendi, aut rescindendi contractum, non autem in contractibus turpibus: convenire autem in hoc, quod nullus ex his contractibus obligationem absolutam in promittente inducat solvendi pretium ante præstitam, aut impletam conditionem.

590 Assero 2. Regulariter, & in foro conscientiæ contractus de re turpi, adimpleta turpi conditione, obligat promittentem ad solvendum promissum, & promissarius potest illud acceptare, imo & exigere. Communis apud Lugo d. 8. sect. 3. ex D. Thoma, & apud Herincx d. 2. de promissione n. 36.

Prob. 1. pars 1. Contractus de re turpi eatenus ante impletam conditionem est rescindendus, & non obligat, quatenus obligat ad peccatum: atqui impleta conditione non obligat ad peccatum, cum solutio pretii tunc non sit peccaminosa: ergo contractus hujusmodi adimpleta conditione turpi obligat ad solvendum pretium.

Confirm. Quicumque se alteri obligat ex contractu oneroso ad actionem aliquam bonam, vel indifferentem, ad illam tenetur: atqui in casu Assertionis promittens se obligat ex contractu oneroso ad solutionem pretii, quæ jam adimpleta conditione turpi est actio honesta, vel saltem indifferens: ergo promittens, adimpleta a promissario conditione turpi, tenetur ad solutionem pretii.

Prob.

Prob. 2. Qui ſub conditione turpi deflorationis promittit puellæ matrimonium, tenetur eam, ſecuta defloratione, ducere etiam juxta AArios: ergo non eſt ratio, cur non etiam in aliis contractibus, ſecuta conditione turpi, debeat res promiſſa præſtari a promittente.

Prob. *etiam* 2. *pars.*, ac ſimul prima confirmatur. 1. ex L. 4. ff. *de condictione ob turpem cauſam.* ubi dicitur: *Meretrix turpiter facit, quod ſit meretrix, ſed non turpiter accipit, cum ſit meretrix.* 2. Qui poſuit turpe facinus in gratiam alterius, poſuit rem alteri gratam, & utilem: ergo licet pro re turpi, qua turpi, poſita non poſſit exigi, aut retineri pretium, poteſt tamen retineri, ac exigi pro ea, quatenus eſt grata, & commodata alteri: item pro fidelitate, quæ præſtita eſt. 3. Promittens adimpleta conditione tenetur ejusmodi pretium ſolvere: ergo & promiſſarius poteſt illud exigere, accipere, & retinere:

Dixi: *In foro conſcientiæ;* in foro enim externo a legibus in pœnam talis contractus illicite celebrati ſæpe promiſſario denegatur actio, quamvis in foro conſcientiæ illi debeatur pretium promiſſum. Interim & ipſæ leges aliquoties in foro externo adſtringunt ad ſolvendum hujusmodi pretium, utputa pro opere meretricio.

Aſſero 3. Præcedens aſſertio ſecunda etiam locum habet, 591
etſi conditio turpis ſit contra juſtitiam. Citati. Sic 1. promittens tenetur ſicario ſolvere mercedem pro patrato homicidio, etſi hoc ſit contra juſtitiam. 2. Etiam veneficæ debet dari ſtipendium promiſſum poſito veneficio, quo vi contractus initi nocuit alteri. 3. Judex quoque poteſt exigere pretium, & retinere pro ſententia, quam vi talis pacti turpis injuſte tulit. 4. Pariter cuſtos ſylvæ, concedens extraneis lignationem ob pretium ab iis promiſſum, poteſt hoc exigere, accipere, & retinere. Hi tamen omnes notent, quod, licet poſſint licite accipere, & retinere pretium, datum pro opere turpi, poſtquam hoc impleverunt, teneri tamen omne damnum compenſare, quod tertio ex actione illa turpi eſt ſecutum. Sic ſicarius in defectum mandantis debet compenſare omnia damna, quæ hæredes occiſi ex

tali homicidio patiuntur. Idem est de reliquis cum proportione dicendum. Ratio autem Assertionis est: in simili casu pretium accipitur adhuc pro re emptori grata, & pretio æstimabili, & ad quam promissarius non tenebatur; & quamvis promissarius ponendo opus turpe peccet contra justitiam respectu alicujus tertii, non tamen sic peccat respectu promittentis pretium; quippe cui nullam injuriam infert, & qui libere vult, ac valide potest promittere pretium: ergo.

592 Objic. 1. L. *Pacta.* C. *de Pactis.* ejusmodi pacta irritantur: ergo. R. 1. Retorq. Argum. in pactum sub conditione operis meretricii, & in sponsalia facta sub conditione deflorationis. R. 2. D. a. ejusmodi pacta irritantur, id est, non obligant ante positam conditionem C. a. posita conditione *subd.* non obligant aliquoties pro foro externo, quatenus pro eo non tribuunt actionem promissario C. a. pro foro interno N. a.

Objic. 2. Solutio pretii post patratum homicidium &c. est approbatio homicidii: ergo talis solutio est mala, & prohibita. R. 1. Retorq. Argum. sicut prius. R. 2. N. a. potest enim solvi pretium pro opere malo, quod hic & nunc jam displicet.

Objic. 3. Qui dat præmium pro opere meritorio, & bono, approbat illud, & habet complacentiam: ergo etiam, qui solvit stipendium pro opere malo, hoc approbat. R. 1. iterum retorquendo. R. 2. N. c. Præmium enim ordinarie solvitur pro opere bono, aut saltem grato præmianti; hinc trahit ejus complacentiam: contra pretium potest solvi pro opere malo, quod hic & nunc displicet, quamvis fuerit gratum tunc, dum pretium promittebatur.

Objic. 4. Actio talis v. g. homicidium non potest præmiari: ergo neque pro illa ex pacto potest recipi pretium. R. N. c. Præmium supponit meritum, quod necessario exigit actionem bonam & honestam: pretium autem est propter debitum, quod potest esse ex contractu etiam inhonesto.

Objic. 5. Obligatio hæc solvendi pretium post patratum a promissario facinus allicit promissarium ad peccandum: ergo ea

est

est contra mores, & fovet peccatum, consequenter talis obligatio nulla est, ut patet ex probationibus Assertionis secundæ. A. p. Sicarius, si sciat, sibi ex debito justitiæ post patratam cædem pretium esse solvendum, allicitur ad facinus: si autem sciret, sibi non deberi, nec dandum esse ejusmodi pretium, facile retraheretur ab homicidio, ad quod conducitur: ergo. R. 1. indirecte. Spes remissionis futuræ multos allicit ad peccandum. ergo neque Deus, neque homines deberent offensas remittere; quia ista remissio foret mala, & pugnaret contra bonos mores. R. 2. N. a. Obligatio hæc per se allicit ad actum justitiæ honestissimum, per accidens vero, & ex malitia hominum præbet occasionem criminis.

Objic. 6. Opus spirituale, v. g. administratio Sacramenti, ob suam dignitatem est supra omne pretium, & ideo vendi non potest: ergo etiam opus turpe ob suam vilitatem est infra omne pretium, consequenter etiam vendi, aut pretio æstimari non potest. R. N. supposit. quod opus turpe qua tale, seu peccatum juxta nos vendi, vel pro eo aliquid accipi possit; nam nec peccatum, nec res sacra, aut opus spirituale vendi potest: potest tamen vendi incommodum, periculum &c., quod quis patrando scelus subit in gratiam alterius: item actio, quatenus est commoda, & grata alteri, nec non fidelitas &c. Ex ipsa ratione jure naturæ posset quidem vendi labor intrinsecus in perficiendo opere spirituali, quatenus hic est incommodus, vel gravis agenti. Quia tamen Deus tanquam supremus Dominus jure positivo præcipit spiritualia gratis dari, juxta illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*: ideo contra justitiam peccat Simoniacus vendendo rem sacram, aut laborem intrinsecum illi annexum. Si enim Dominus mandat œconomo, vel administratori suo, ut aliquid gratis distribuat, & hoc non obstante œconomus pretium pro distributione accipiat, peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur. Hinc etiam, quia jure saltem Ecclesiastico beneficia Ecclesiastica gratis conferenda sunt, ideo contra justitiam accipitur pretium pro collatione beneficiorum, quamvis beneficium secum afferat emolumentum temporale. Unde ab Alexandro VII. damnata est sequens propositio ordine 22.: *Non est contra justitiam, beneficia Ecclesiastica non con-*

conferre gratis, quia collator non exigit pecuniam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Objic. 7. Judex vendendo injustam sententiam, & conjux adultera usum sui corporis viro alieno, vendunt rem non suam; etenim nec judex est Dominus sententiæ injustæ, nec conjugata est domina usus sui corporis: ergo talis venditio neque adimpleta conditione obligat. R. N. a & supposit. Siquidem nec judex injustam sententiam qua talem, nec conjux adulterium formale vendunt: sed tantum vendunt incommodum, & periculum, quod ferendo iniquam sententiam, & admittendo adulterium subeunt in gratiam, & delectationem alterius. Vel vendunt actus hos, quatenus aliis utiles & delectabiles, ac sibi periculosos, non autem quatenus malos.

Dices: Judex, & adultera illicite subeunt illud periculum, & incommodum &c.: ergo vi hujus nihil possunt accipere. R. 1. Retorq. Argum. Meretrix fornicando illicite subit incommodum &c. & tamen pro eo potest accipere pretium. 2. Qui post prima sponsalia, inita cum Anna, contrahit matrimonium cum Catharina, illicite facit, & tamen non illicite præstat ea, quæ vi hujus contractus matrimonialis illicite initi debet. 3. Ille, qui votum fecit, quod velit nihil amplius alteri donare, illicite facit quidem donationem, non tamen illicite solvit ea, quæ donavit: & sic de aliis, quæ partim pro retorsione, partim pro ratione responsionis, & negationis serviunt. Quare in forma *neg. conseq.*

Objic. 8. Saltem pretium, quod ante patratum homicidium a sicario accipitur, post patratum illud non potest retineri; quia hoc fuit illicite, & contra justitiam acceptum: ergo. R. N. a. sic enim meretrix, etsi injuste & illicite ante crimen patratum accipiat pretium, non tamen peccat illud retinendo post crimen patratum; mutatur enim circumstantia, ratione cujus acceptio erat injusta.

Objic. 9. Reg. 18. J. in 6. ita habet: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit:* ergo contractus de

re turpi, utpote ab initio nullus, & non obligans, neque poſtea, poſita ſcilicet conditione, obligabit. R. D. a. non firmatur tractu temporis, quod ab initio neque abſolute, neque conditionate ſubſiſtit C. a. quod ab initio ſaltem conditionate ſubſiſtit N. a. Hæc regula juris loquitur de contractu abſoluto ab initio invalido, qui nunquam convaleſcit, non vero loquitur de contractu conditionato; hic enim, quamvis ante impletam conditionem non ſit obligatorius, poteſt tamen obligare purificata conditione: prout fit in propoſito.

Objic. 10. Contractus ſub conditione impoſſibili non valent, excepto matrimonio & ultimis voluntatibus: atqui contractus ſub conditione turpi ſunt etiam ſub conditione impoſſibili; nam in jure, quæ ſunt turpia, reputantur etiam eſſe impoſſibilia: ergo. R. D. M. ſub conditione impoſſibili, quæ eſt ex natura, vel defacto talis c. M. quæ eſt de jure talis *ſubd.* non valent ante poſitam conditionem c. M. poſita conditione n. M. Conditiones defacto, & ex natura impoſſibiles non poſſunt purificari, bene de jure tales, etſi illicite.

Quæres: An etiam debeat ſolvi illud, quod prodige promiſſum eſt, ſi v. g. pro re, quæ valet tantum 10., promittas 593
dare 100. florenos: vel ſi aliquis pro unico uſu corporis promiſit mulieri 1000.? R. probabilius affirmative. Lugo. d. 18. n. 61. Molina, Leſſius, Viva, Alanus Pfeiffer.

Prob. 1. Quia, licet promiſſio talis ſit prodiga, & peccaminoſa, ſolutio tamen non eſt peccaminoſa, imo eſt rationabilis & juſta; quia fit propter jus a promiſſario acceptum: atqui quando ſolutio, & executio promiſſionis poteſt ſine peccato poni, tunc debet hoc fieri, etſi in promiſſione peccatum ſit commiſſum: ergo. 2. Si aliquis promiſſo matrimonio virginem defloravit, etiamſi ipſe ſit nobilis & dives, puella vero pauper, & longe vilioris conditionis; imo etiamſi minori pretio potuiſſet conſenſum, ac copulam impetrare, adeoque promiſſio fuerit prodiga: tamen adhuc poſtea in conſcientia tenetur promiſſum ſervare, & matrimonium cum puella illa inire, ut com-

muniter docent Authores, & patet ex praxi Ecclesiæ ad id obligantis. Ratio ulterior jam est data; quia quamvis promissio sit prodiga, & illicita, non tamen est illicita ejus executio: imo supposito jure, alteri per promissionem collato, est justa, & debita.

Nota tamen, ad tale promissum implendum non esse obligandum, quando ex hoc orirentur scandala, & rixæ, vel alia peccata; quia justitia non obligat ad actum, qui sine scandalo non potest poni. Attendi etiam debet, an non ejusmodi promissio solum fuerit ficta; simulata enim, & ficta promissio nullam obligationem parit.

Dices: Qui promisit alteri usuras, non tenetur eas solvere, nisi juraverit, eas velle solvere: ergo neque, qui prodige promisit aliquid, tenetur illud solvere. R. N. c. In nostro casu promissio quoad excessum censetur esse omnino liberalis, adeoque obligat: sicut si quis pro re, quæ tantum unum valet aureum, vellet 10. pendere, excessum quidem non tanquam justum pretium, sed tanquam donum gratuitum solvendo. Aliud est de usuris; nam illas aliquis promittit 1. non satis libere, sed coacte, quia alias non obtineret mutuum. 2. Neque eas promittit liberaliter, sed tanquam debitas ex mutuo. cum ergo non debeantur ex mutuo, promissio illa non obligat: sicut non obligaret illa promissio, qua promitterentur 100. aurei *tanquam justum, & debitum pretium* pro re valente tantum tres, vel quatuor aureos. Ex dictis.

Resolves: posse fœminam accipere munuscula Amasii, si non sit certa de malo ejusdem proposito, neque verisimilius est, quod malo ex proposito ista donentur: saltem in tali casu, quamvis periculoso, non committitur peccatum mortale. Secus est, si sit certa, ipsum pravo affectu duci; nam in tali casu foveret impurum amorem, & peccaret peccato scandali: quo non obstante posset retinere illa, quæ peccaminose accepit; quia accipiendo non peccavit contra justitiam, sed tantum contra castitatem, & charitatem Alanus Pfeiffer.

§. II.

§. II.

De Conditione operis aliunde debiti.

ASSERO 1. Retineri potest, quod accipitur ob causam honestam, non debitam ex justitia, v. g. pro audiendo sacro, pro abstinendo a blasphemia, luxuria &c., pro deponendo odio, pro revelatione furis, si ad eam non teneris ex justitia, sed solum ex charitate. Communis contra Lessium c. 14. dub. 9. putantem, non posse accipi pretium pro opere debito ex charitate, v. g. pro deponendo odio; cum hujusmodi pretium quasi coacte solvatur. 594

Prob. 1. Medicus tenetur ex charitate mederi extreme indigenti: & tamen potest pretium accipere, & retinere pro opera tali infirmo impensa: ergo. P. 2. Ejusmodi actiones honestæ, quæ non sunt debitæ alteri ex justitia, sunt laboriosæ & difficiles ipsi operanti; cum omnis actus virtutis sit difficilis: & simul sint utiles alteri: ergo si in gratiam alterius exercentur, potest pro illis acceptari, & retineri pretium. Prob. 3. Pro actionibus inhonestis, in gratiam alterius exercitis, potest accipi, & retineri pretium, ut ex §. præc. liquet: ergo a fortiori pro actionibus honestis.

Objic. 1. Ejusmodi pretium non datur libere, sed coacte: ergo illud non accipitur, nec retinetur juste: sicut & usuræ, eoquod coacte solvantur, recipiuntur, & retinentur inique. A. p. Quivis vellet, ut alter has operationes in suam gratiam poneret gratis, & sine pretio, adeoque pretium tantum coacte pendit. R. 1. Retorq. Argum. Licet quilibet mallet, rem, quam pretio emit, sine pretio obtinere, non per hoc venditor injuste pretium recipit ab emptore: ergo a pari. R. 2. N. a. Ratio negandi liquet ex retorsione. 3. Esto, quod tale pretium detur aliquo modo coacte: habetur tamen voluntarium simpliciter tale, quamvis sit mixtum aliquo involuntario: atqui tale voluntarium sufficit ad inducendam obligationem, ut patet ex contractibus initis ex metu justo, seu tali, qui non est contra justitiam, utpote qui valent, nec rescindi possunt, non obstante illo metu. 595

Objic.

Objic. 2. Saltem tunc ejusmodi pretium injuste accipitur, quando datur pro operatione, quæ soli operanti, non autem danti pretium est utilis: ut si des pecuniam tantum, ut alter abstineat a peccato, & se ipsum non damnet: ergo. R. N. a. nam etiam valet emptio, si rem aliquam emis non pro te, sed mere pro altero, ubi tamen nullam utilitatem ex tali re habes. Item satis utilis est talis res, vel actio tibi, quod ea cedat in finem, quem intendis vel in te, vel in alio obtinere per dationem pretii.

Objic. 3. Fingamus: Vovisti Ecclesiæ dare 50. aureos: quia autem voto non vis stare, offert tibi aliquis, vel ipsa Ecclesia 10. aureos, ut eidem satisfacias: In hoc casu istos 10. aureos nec accipere, nec retinere potes: ergo non potes accipere pretium pro actione debita ex virtute religionis. R. N. c. Hoc pretium non ideo reddi debet, quasi pro actu debito ex religione nihil omnino accipi posset: sed ideo, quia sine tali redditione non satisfacis voto. Ratio hujus est; vovisti enim dare Ecclesiæ gratis 50. aureos: atqui taliter non das eidem gratis, sed sub onerosa conditione, ut tibi refundantur 10. imo tali modo, si tibi debent solvi 10., non pendis 50. sed tantum 40., adeoque non satisfacis obligationi tuæ. Hinc perbene nota, conclusionem procedere in casu, quando, etiam accepto pretio, potest adhuc substantia præcepti, vel obligationis adimpleri: si vero ad ipsam substantiam obligationis spectat, ut res aliqua gratis præstetur, & sine accepto pretio, tunc dicta non procedunt, & est obligatio refundendi pretium acceptum, quamdiu currit tale præceptum gratis præstandi rem. Hoc tamen quoque adverte, obligationem reddendi pretium tunc non descendere ex justitia, sed ex illa virtute, ad quam præceptum adhuc obligans pertinet. Videri potest Lugo d. 18. n. 69. & seqq.

Objic. 4. Est simoniacum, promittere, & accipere temporale pro aliquo spirituali: atqui hoc fieret in nostro casu, in quo promitteres mancipio v. g. libertatem, si fidem accipiat, & baptizetur, Petro aureum, si die festo Missam audiat &c. ergo. R. N. m. nam in nostro casu conditionata promissio, & donatio non obligat, nec imponit onus promissario ad ponendum spi-

ſpirituale, quod tamen debet fieri in contractu ſimoniaco. Hinc donatio illa tantum allicit ad ponendam rem ſpiritualem libere. Neque hoc ſimoniacum eſt: ſicut non eſt ſimoniacum, quod per diſtributiones quotidianas Canonici alliciantur ad aſſiſtendum Officio divino: neque ſimonia eſt, ſi alicui reo mortis vita donetur ſub conditione, ut Chriſtianus, vel Religioſus fiat. Accedit ipſa praxis, quam damnare foret inſolentiſſimum, ut ait Suarez. Tandem hæc practice procedunt, quando bonum ſpirituale cedit in bonum ipſius donatarii, non autem donantis; ſi enim cedit in bonum donantis, tunc temporale cenſetur potius in commutationem dari, & animo obligandi ad conferendum ſpirituale. Vide Viva p. 5. d. 4. q. 4. n. 3.

Aſſero 2. Si opus honeſtum ſit debitum ex juſtitia, nihil pro eo accipi poteſt. Communis. Sic nihil poteſt accipi pro non furando, pro reddendo depoſito, pro debito ſolvendo, pro ferenda juſta ſententia. 596

Prob. 1. Ille, qui vendit rem non ſuam, non poteſt accipere, aut retinere pretium: atqui, qui vendit illud, quod debet præſtare ex juſtitia, vendit rem non ſuam, ſed illius, cui ex juſtitia debetur: ergo talis non poteſt accipere, aut retinere pretium.

Prob. 2. Si ex juſtitia debes Petro 100., & accipis ab eo 20., ut inducaris ad ſolvendum ipſi debitum, jam non ſolvis totum, quod debes; debebas enim 100., & ſolvis tantum 80. detractis illis viginti. Accedit, quod Petrus habuerit jus accipiendi 100. ſine onere alio impoſito, quod hic non fit: ergo læditur jus Petri, & peccatur contra juſtitiam, conſequenter exurgit obligatio reſtituendi. Ex his.

Deduces: Nihil poſſe accipere 1. Judicem, ut ſententiam juſtam proferat: 2. nec inventorem: ut rem inventam reddat Domino: 3. neque teſtem, ut teſtificetur veritatem, quando ad teſtificandum obligatur ex juſtitia: 4. neque depoſitarium, ut depoſitum reſtituat Domino: 5. nec a marito licite & juſte poſſe aliquid accipere uxorem, ne adulteret. Ratio horum, & ſimilium eſt; quia hæc opera aliunde ſunt debita ex juſtitia: unde

pro ipsis inique petunt, & recipiunt mercedem, & tenentur ad restitutionem. Idem est dicendum de illo, qui aliquid accipit, ne alterum injuste infamet, vel occidat; nam & ista aliunde jam tenebatur ex justitia omittere.

597 Objic. 1. Juxta L. 2. ff. *de condictione ob turpem causam*. in foro externo non datur actio ad repetendum id, quod traditum est ob opus ex justitia debitum: ergo neque in foro interno restituendum est. R. Tr. A. n. c. In foro externo sæpe denegatur actio ad amputandas lites, ubi in foro interno manet obligatio resarciendi damnum.

Objic. 2. A judice potest vendi sententia injusta: ergo & justa. R. N. c. Sententia injusta, etiam qua commoda, non est debita antecedenter litiganti, adeoque illam vendendo judex non vendit rem alteri jam debitam ex justitia. Aliud est de sententia justa; hæc enim aliunde jam est debita ex justitia litigantibus, qui proinde habent jus, & obligant omnes, præsertim judicem, ut dent sibi rem suam, nempe sententiam illam justam.

Dubitabis: An non possit aliquid accipi a tertio pro justitia alteri debita? v. g. Potestne judex a Cajo pretium accipere pro sententia justa, ferenda in favorem Titii? R. cum Lugo, & Viva sub distinctione: si dat pretium judici in favorem Titii, ne hic in suo jure patiatur læsionem iniquam, tunc judex nihil potest accipere. Ratio est: in tali casu Cajus gerit negotium Titii, & hunc vult servare indemnem: ergo sicut judex pro hoc nihil potest ab ipso Titio accipere, ita neque a Cajo, qui negotium gerit Titii. Si vero Cajus pretium daret in favorem ipsius judicis, ne hic peccet, se periculo infamiæ, aut mulctæ exponat, tunc judex probabilius potest accipere pretium a Cajo. Ratio est: quia aliquis potest pretium accipere ab alio, ne se inebriet, ut abstineat a blasphemia, ne ludat ludo vetito: ergo etiam in hoc casu ob similem causam potest judex pretium acceptare, & acceptatum juste retinere.

Objic. Quamvis aliunde judex tenebatur abstinere ab injusta sententia, tamen non tenebatur ab ea abstinere in Gratiam

Caji:

Caji: ergo poteſt aliquid a Cajo accipere, ut in gratiam ipſius abſtineat. R. N. c. nam judex abſolute ex juſtitia tenetur abſtinere ab injuſta ſententia: ergo abſolute ob hoc, ut non ferat injuſtam ſententiam, vel ut ferat juſtam, non poteſt aliquid accipere.

ARTICULUS IV.

An licitus ſit Cenſus Germanicus?

PEr Cenſum germanicum intelligo illam praxin, qua paſſim 598
in Germania recipiuntur ſingulis annis quinque pro centum, tanquam aliquod intereſſe. Ut hæc res bene percipiatur, debent prius bene legi, & memoriæ imprimi, quæ habet Reiffenſtuel de uſuris, & cenſibus.

Certum autem apud omnes eſt, nihil poſſe recipi pro mutuo qua tali ultra ſortem principalem; tale enim auctarium, quod ultra pecuniam mutuo datam (quæ eſt ſors principalis) reciperetur, eſſet uſura.

Certum eſt 2. Poſſe aliquid exigi, & recipi præter ſortem principalem pro damno emergente, & lucro ceſſante, periculo perdendi, aut difficultate recuperandi ſortem principalem; ſic enim ſolum occaſione, non autem ratione mutui, ſed aliterius juſti tituli auctarium illud acciperetur. Modo quæſtio præcipua remanet, an etiam ſtatutum Principis, vel praxis, & conſuetudo communis poſſit eſſe ſufficiens titulus, occaſione mutui aliquid accipiendi ultra ſortem principalem, poſito etiam, quod periculum ſortis admittendæ non adeſſet, ſi nempe per hypothecam ſors principalis eſſet poſita in ſecuro: dato etiam, quod nullum damnum emergens, vel lucrum ceſſans ſentiret mutuo dans, eoquod mutuo concedat tales pecunias, quas alias otioſas in ciſta reliquiſſet, & quibus interea nullam negotiationem exercuiſſet. In hoc præcipue caſu controverſo procedit concluſio, qua

599 Assero: Licet census Germanicus. Haunold, Reiffenstuel, Holzman, Pichler, & alii contra alios.

Prob. 1. Hic census, quo recipiuntur quinque pro centum, non est usurarius: ergo licet. Conf. patet; ideo enim Adversarii dicunt, eum esse illicitum, quia est usurarius. A. p. In hoc censu non recipitur auctarium ratione mutui, & ex mutuo, sed ratione justi statuti, vel legis, aut consuetudinis concedentis, & transferentis hoc auctarium in mutuantem.

Prob. 2. Princeps supremus ob dominium altum potest transferre dominia rerum, ut patet in præscriptione: ergo sic censetur transferre in censu germanico, ubi concedit, ut occasione mutui aliquid tanquam interesse exigatur ex bonis alienis.

Prob. 3. Judæi non injuste egerunt, neque exercuerunt veras, & in rigore dictas usuras erga Gentiles; quia Deus in hunc finem concessit Judæis dominium & jus in Gentilium bona: ergo etiam modo Christiani non agent injuste, neque exercebunt proprie usuras, etsi aliquid accipiant ultra sortem principalem; quia in hunc finem Respublica per legem, vel saltem consuetudinem concedit ipsis dominium, aut jus in bona mutuatarii.

Prob. 4. Leges fundatæ in præsumptione universali etiam subsistunt, quamvis in particulari casu non subsit res præsumpta, ut patet ex Tractatu de LL.: atqui lex concedens accipere quinque pro centum fundatur in præsumptione universali; præsumit enim, quod universaliter adsit in dante mutuo lucrum cessans, aut damnum emergens, & inde concedit, quod 5. pro 100. possint in annos singulos per modum interesse recipi: ergo talis lex subsistit, etsi in tali particulari casu non subsit res præsumpta, seu lucrum cessans, vel damnum emergens. m. p. ex Recessu Imperii Spirensi, edito anno 1600. §.: *So viel nun.* 152. ibi: *So viel nun diesemnach der Vermuthung halber* (ratione præsumptionis) *das der Creditor sein Geld von solcher Zeit an anlegen, und zugelassener Weiß zum wenigsten von hundert Gulden* 5. *wohl haben möge &c.*

Accedit, quod tale statutum sit multum rationabile; eo enim secluso vix daretur, qui vellet mutuo dare. Habent & miserabiles personæ, quæ suis pecuniis negotiari nequeunt, inde sublevamen. Evitantur etiam lites, si non debet assignari certus titulus alius, præter legem, aut consuetudinem.

Prob. 5. Consuetudo, & praxis recipiendi 5. pro centum est communiter recepta etiam apud timoratos, Religiosos, & Ecclesias, quæ alias non fuissent negotiatæ suis pecuniis, consequenter per dationem mutui non sentiunt damnum emergens, aut lucrum cessans: atqui talis praxis non potest damnari alicujus peccati ergo.

Objic. 1. Usura lucratoria prohibetur jure naturali, & di- 600
vino, neque in ea dispensare potest summus Pontifex, ut habetur Cap. 4. *de Usuris.* ac Clement. un. *tit. eodem.* omnia statuta Principum usurarum exercitio faventia sunt prohibita: imo, qui putavit, has licite exerceri posse, tanquam hæreticus dicitur esse puniendus: atqui accipere 5. pro centum est usura lucratoria: ergo. R. c. M. n. m. nam in nostro casu non accipitur aliquid ratione mutui, sed ratione juris, quod ex lege, vel statuto aliquis habet ad accipienda quinque occasione centum mutuo datorum. Item quinque accipiuntur per modum interesse, ita ordinante lege universaliter procedente, & non attendente ad casum particularem, in quo ratio alicujus interesse cessat: atqui aliquid accipere ultra sortem principalem ratione interesse, non est usura: ergo.

Objic. 2. Respublica tantum permittit, non autem approbat ejusmodi auctaria, occasione mutui accepta: ergo. R. N. a. nam, quod positive approbentur talia auctaria, patet ex praxi tribunalium, ex usu & consuetudine piorum, ac timoratorum, ipsarumque Rerumpublicarum, & Ecclesiarum, quæ ejusmodi auctaria recipiunt occasione pecuniæ mutuo datæ.

Objic. 3. Hoc statutum accipiendi talia auctaria est valde noxium Reipublicæ: ergo non subsistit, saltem in foro con-

scientiæ. R. N. a. Ratio negandi liquet ex dictis ante probationem quintam.

Objic. 4. Iniquum est, ex re non fructifera, uti est pecunia alteri mutuo data, commodum & fructum reportare: atqui hoc fieret in casu conclusionis: ergo. R. Pecuniam non esse omnino sterilem; nam ea, accedente saltem industria hominis, fructum afferre, & utilis esse potest: unde & in pecunia quasi ususfructus constitui valet juxta Leges 1. & 2. ff. *de Usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur.*

Ad objectiones universaliter solvendas nota 1. Non ex titulo mutui creditorem accipere auctarium illud; sed occasione mutui ex consensu Legislatoris. 2. Inter præscriptionem & tale statutum, quo recipiuntur 5. pro centum, non esse in omnibus paritatem: eam autem a nobis solum fieri cum præscriptione ob dominium altum, vi cujus uti in præscriptione, ita in recipiendis illis quinque potest ex rationabili causa alicui a Republica concedi jus in bona alterius; nam & lucrum ex re aliena est sub dominio alto Principis. 3. Neque per nomen census germanici verum a nobis intelligi censum emptum in bonis, aut persona alterius: etenim tota difficultas hæc sine recursu ad illas subtilitates census explicari potest per consensum Principis statuto, ac consuetudine, & praxi sufficienter constantem, vi cujus creditori danti mutuo conceditur jus ad capiendum a debitore lucrum 5. florenorum.

ARTICULUS V.

De Contractu puro, conditionato, in diem, sub modo &c.

601 QUÆRES 1. Quid sit contractus purus, & non purus? R. Contractus *purus* est ille, qui non pendet ab aliqua conditione, modo, causa, die, vel demonstratione. Contra-

tractus *non purus* eſt, qui pendet ab aliquo ex prædictis. Effectus contractus puri eſt, quod res promiſſa, vel in contractum deducta ſtatim debeatur, adeoque ex ejusmodi contractu in continenti exurgat obligatio, & actio. Manzius L. 3. Inſtit. t. 16. §. 2. n. 3. Nihilominus to *ſtatim*, & to *in continenti* debent accipi moraliter cum aliqua latitudine, non autem mathematice & phyſice. Hinc executio, & ſolutio vi contractus puri debita poteſt interdum differri ſecundum prudens judicis, aut aliorum arbitrium, quod facile formari poteſt, ſi penſentur qualitates creditoris, debitoris, & debiti, uti & aliæ circumſtantiæ. Imo in foro conſcientiæ præſumitur creditor conſentire in dilationem ſolutionis, ſi ſcienter, & ſponte absque metu, vel pudore ſaltem reverentiali debitum, cum facile poſſet, non repetat.

Quæres 2. Quid ſit, & quotuplex conditio, quæ poteſt 602
contractui adjici? R. 1. Conditio eſt aliqua qualitas contractui adjecta, quæ ſuſpendit valorem contractus in futurum, ita, ut, ſi illa qualitas & conditio evenerit tempore ſubſequenti, contrahens ſe obligatum velit, ſi autem non evenerit, ſe nolit eſſe obligatum, ut ſi dicas: *Promitto tibi* 100. *aureos*, *ſi Romam iveris.* Ut autem conditio ſit talis, quæ ſuſpendat valorem contractus.

Debet 1. eſſe *extrinſeca*, non autem intrinſeca; nam intrinſecæ conditiones, quæ vel ex natura ſua, vel ex diſpoſitione legis inſunt, non ſuſpendunt valorem, ſed talis contractus ſtatim obligat, quando ſit, non obſtantibus illis conditionibus. Ejusmodi conditiones ſunt: promitto tibi 100. aureos, ſi potero eos dare: voveo hoc, niſi Superior legitime in hoc voto diſpenſaverit: item, ducam te, niſi ſis mihi conſanguinea, aut alio impedimento labores &c. hæ, & ſimiles conditiones non faciunt actum, & valorem ejus conditionatum, uti communiter advertunt DD.; alias enim nullus actus eſſet abſolutus, ſed omnes conditionati: cum cuilibet actui & contractui inſint conditiones iſtæ intrinſecæ.

Debet conditio 2. eſſe *contingens*, ſeu talis, cujus exiſtentia poteſt dari, & non dari: & quidem debet eſſe *de futuro*: hujusmodi enim conditio poteſt ſuſpendere actum; conditio ſiqui-

quidem de præsenti, vel præterito non est proprie conditio, quia non suspendit contractum, vel negotium. Vel enim subest talis conditio? & tunc statim obligat, & valet actus: vel non subest? & tunc non valet, ut patet in istis contractibus: *Promitto, vel do tibi 100. aureos, si meus sis consanguineus: si jam fueris ad Doctoratum promotus, te promoveo ad hoc officium &c.* Idem est de conditione necessaria; hæc enim eo ipso, quod necessario eventura est, non suspendit, neque incertum & dubium reddit valorem contractus, sed talis contractus sub simili conditione initus, statim valet, & obligat: ut si dico: *Promitto tibi 100. aureos, si crastina die sol oriatur.* Quod tamen limitant aliqui in casu, quo contrahentes putarent, conditionem esse contingentem, quæ tamen est necessaria.

Si eventus conditionis contingentis pendeat ex voluntate alicujus tertii, non autem alicujus ex contrahentibus, tunc vocatur conditio *casualis.* ut si sic dicas: *ducam te in conjugem, si pax fuerit sancita: si parentes tui consenserint.* Si vero pendeat ex voluntate illius, quocum contrahis, tunc dicitur *potestativa*: ut: *Ducam te, si fidem Catholicam susceperis.*

Debet conditio 3. esse *possibilis.* Si conditio est impossibilis ex natura rei, ut est ista: *Promitto tibi 10. aureos, si hircocervum occideris.* vel si est impossibilis de facto, ut: *Ducam te, si cœlum tetigeris, si montem aureum in dotem attuleris*, tunc ejusmodi conditiones regulariter vitiant, & annullant contractum. Ratio est: quia eo ipso, quod hæ conditiones purificari nequeant, contractus nunquam valorem suum obtinebit. Ad conditionem impossibilem refertur etiam *turpis*, vel *inhonesta conditio*; quod enim non licet, censemur de jure non posse L. 15. ff. *de conditionibus Institutionum.* Verum quid de his conditionibus sit sentiendum, jam alibi est dictum.

Interea pro foro externo in matrimonio, & ultimis voluntatibus conditiones turpes, & impossibiles habentur pro non adjectis: adeoque præsumuntur absolute valere, non obstantibus ejusmodi conditionibus, nisi constet, quod consensus debitus contrahentis, vel testantis non adfuerit, & nisi in matri-

trimonio apponantur tales conditiones, quæ contra ſubſtantiam, & tria bona ſubſtantialia matrimonii, ſcilicet bonum prolis, fidei, & Sacramenti, pugnent.

R. 2. Si contractus eſt ſub conditione poſſibili, honeſta, extrinſeca, contingenti, & de futuro, tunc quidem ſuſpendit abſolutam obligationem, nihilominus nullus contrahentium ſine conſenſu alterius poteſt reſilire pendente conditione, ſed debet expectare, donec purificetur, vel non purificetur. Et in hoc differunt contractus conditionati ſub conditione honeſta ab illis, qui fiunt ſub conditione turpi. Ex quo

Habes 1. Quod votum ſub conditione reconvaleſcentiæ &c. emiſſum, non poſſit valide revocari, pendente adhuc conditione. Herincx.

Habes 2. Ex contractu conditionato etiam jus conditionatum ad hæredes promiſſarii tranſit, poſito, quod promiſſarius prius moriatur, quam conditio fuerit purificata. Covarruvias, Molina, Palao, Herincx: ac habetur §. *ſub conditione.* Inſtit. *de verborum obligationibus.* Debent tamen excipi ultimæ voluntates, in quibus transmiſſio hæc ad hæredes non habet locum, ſi inſtitutus hæres immediatus, vel legatarius, vel fideicommiſſarius ante impletam conditionem moriatur, ut habetur L. *hujusmodi legatum.* ff. *Quando dies legatorum cedat &c.* Videatur Illſung T. 4. d. 2. q. 6. art. 6. n. 366.

Quæres 3. Quid ſit cauſa? R. Cauſa eſt id, ob quam tanquam præſens, vel præteritum aliquid fit, explicaturque per particulam *quia: v. g. Duco te, quia nobilis es: promitto tibi* 100. *aureos, quia ſtudioſus es.* Si talis cauſa ſit finalis, eique alligetur conſenſus, tunc, ſubſiſtente cauſa valet contractus, ſecus autem eſt invalidus. Imo ſi in tali contractu exprimitur cauſa finalis, tunc is non differt niſi verbis a contractu conditionato ſub conditione de præſenti, vel præterito: adeoque ſubſiſtente cauſa ſtatim valet, nec ſuſpendit valorem, ſicut contractus conditionatus ſub conditione de futuro contingente. 603

Quæres 4. Quid ſit demonſtratio? R. Eſt appoſitio ſigni, exprimens qualitatem demonſtrativam rei, & denotatur per voces relativas *qui, quæ, quod* &c. v. g. *Gemmam dono tibi, qui meus conſanguineus es: lego tibi equum, quem emi a Cajo.* Demon- 604

ſtratio, etiam falſa, non ſuſpendit, nec vitiat valorem contractus, niſi ei fuiſſet alligatus conſenſus. Ratio eſt: quia per ſe tantum inducit errorem accidentalem.

605 Quæres 5. Quid ſit modus? R. 1. Modus eſt onus, gravamen, vel moderamen contractui appoſitum, & explicari ſolet per particulam *ut*. v. g. ſi dicat Teſtator: *Lego Titio mille aureos, ut Jurisprudentiæ ſtudeat, & Doctor fiat: Duco te in ſponſam, ut mecum mercaturam exerceas.* R. 2. Modus adjectus non ſuſpendit valorem contractus, ſed is ſtatim valet, ac obligat, quamprimum eſt perfectus, etſi modus necdum fuerit adimpletus: & in hoc differt contractus ſub modo a conditionato. R. 3. Contractus conditionatus plerumque per particulam *Si*, & modus per particulam *ut* exprimitur. Quamvis autem hoc ordinarie verum ſit, poteſt tamen, & ſolet quandoque exprimi conditio per particulam *ut*, & viciſſim modus per particulam *ſi*: ſed tunc ex circumſtantiis colligenda eſt mens paciſcentium. Si omnibus conſideratis manet dubium, tunc juxta Pichler L. 1. t. 35. n. 5. præſumenda eſt conditio, non modus, per legem 109. ff. *de Conditionibus, & Demonſtrationibus.*

606 Quæres 6. Quid ſit obligatio, vel contractus initus *in diem*? R. 1. Eſt ille, cui adjicitur dies, quo res promiſſa, vel in contractum deducta debet ſolvi. R. 2. Si dies adjectus eſt certus, & certo exſtiturus, v. g. dies 1. Auguſti, tunc obligatio facto contractu ſtatim quidem oritur, & res promiſſa debetur, actio tamen non poteſt intentari, neque res promiſſa efficaciter peti, antequam dies advenerit. Quare phraſi juris dici ſolet: in talibus contractibus *dies quidem ceſſit, ſed nondum venit*: id eſt, res, de qua contractum eſt, ſtatim debetur, ſed non ſtatim peti poteſt ante adventum illius diei: vel, obligatio ad diem quidem nata eſt, ſed tamen dilata ad diem.

R. 3. Si dies adjectus ſit incertus, ſed tamen aliquando certo eventurus, ut v. g. dies mortis paternæ, tunc iterum obligatio promiſſionis in illum diem obligat, & valet ſtatim, ſed non urget ante adventum illius diei, §. *omnis ſtipulatio.* 2.

Inſtit. *de verborum obligationibus.* ibi: *Id, quod in diem ſtipulamur, ſtatim quidem debetur; ſed peti prius, quam dies venerit, non poteſt.* Si vero ſit dies incertus, & ſimul non certo eventurus, ſeu de cujus eventu & exiſtentia dubium eſt, tunc obligatio ſuſpenditur, usque dum tempus illud advenerit; quia virtualiter eſt pactio ſub conditione de futuro contingente. Talis dies incertus eſt tempus pubertatis Titii; poteſt enim Titius mori, antequam ad pubertatem perveniat. Excipe tamen caſum, quo dies fuiſſet adjectus in favorem ſolius promiſſarii: ut ſi puellæ promittantur 100. aurei in diem nuptiarum; tunc enim non ſuſpenditur obligatio, ſed ejusmodi promiſſio ſtatim, ut facta eſt, valet, adeoque, ſi forte ante nuptias moreretur puella, jus petendi 100. transmitteretur ad hæredes puellæ. Ita Pichler L. 1. T. 35. n. 5. ad finem, quem vide.

607 Quæres 7. An obligatio annua, vel menſtrua ſit pura, vel in diem? R. Talis obligatio, vel promiſſio aliquid dandi ſingulis annis, menſibus &c. eſt pura, & non in diem, neque eſt conditionata. §. *At ſi ita.* 3. Inſt. *de verborum obligat.* ibi: *At ſi ita ſtipuleris, decem aureos annuos, quoad vivam, dare ſpondes? & pure facta obligatio intelligitur, & perpetuatur: quia ad tempus non poteſt deberi &c.* 2. L. *Senatus cenſuit.* 35. §. 7. ſeu ult. ff. *de mortis cauſa donationibus, & capionibus.* Reſolvitur, quod obligatio ſolvendi præſtationes annuas ſit una: ergo debet eſſe pura, quia eſt ſimplex, & ſine partibus, ita, ut annua præſtatio contineat tantum plura facta, & plures effectus unius abſolutæ, puræ, & ſimplicis obligationis, juris, ac debiti. Quare non obligat conditionate, *ſi ſcilicet annus venerit*, ſed abſolute & pure. Unde non naſcitur particularis & diſtincta obligatio ad adventum cujuslibet diſtincti anni; ſed una abſoluta manet reſpectu omnium annorum, jam ab initio promiſſionis vel obligationis exiſtens. 3. Obligatio in diem eſt illa, quando dies differendæ ſolutionis gratia, vel in favorem debitoris eſt adjecta: atqui obligationibus annuis &c. dies non eſt adjecta differendæ, ſed multiplicandæ in ſingulos annos ſolutionis gratia, & conſequenter in favorem creditoris, non autem debitoris, qui gravatur: ergo. Ita argumentatur Clar. Manzius

zius L. 3. Instit. t. 16. §. 3. n. 1., ubi clare & solide istam rem examinat.

608 Objic. 1. Vi obligationis puræ res promissa, vel debita statim peti potest: atqui præstationes annuas non potest creditor statim petere, sed debet expectare annum, & tempus: ergo obligatio solvendi præstationes annuas non est pura. R, ex clarissimo Manzio cit. n. 3. ex jure in continenti & statim exigendi præstationes annuas oritur actio, & obligatio quoad hoc, ut creditori permittatur in eum finem debitorem convenire, ut judex declaret, hunc esse debitorem, & debere solvere præstationes annuas: quoad hoc vero, ut debitum, sive promissum annuum exigatur actu, obligatio quoad annum præsentem est quidem pura, quoad sequentes vero annos *quoad effectum* censetur esse in diem. Dixi: *quoad effectum*, non *quoad jus*, & obligationem in actu primo. Hinc in forma D. M. vi obligationis puræ tam quoad jus & obligationem, quam quoad effectum in actu secundo c. M. vi obligationis tantum puræ quoad jus &c. non quoad effectum *subd.* potest statim peti res debita, ut solvatur etiam pro annis sequentibus n. M. ut declaretur, esse jam debita pro annis sequentibus c. M.

Nota etiam 1. Etsi debitor velit unica solutione pendere præstationes omnes simul, quæ deberent pro sequentibus annis pendi, non teneretur eas simul acceptare creditor. Ratio est: quia tempus non debitoris, sed creditoris gratia adjectum est: adeoque solutio non debet esse in arbitrio debitoris, sed creditoris, ut observat Manzius.

Nota 2. Si aliquis alteri aliquid promittat, vel debeat in singulos annos, tunc hoc debitum potest peti ad initium cujuslibet anni. L. 1. C. *Quando dies legati cedat.* ibi: *Si competenti judici annua legata, vel fideicommissa tibi relicta probaveris, ab initio cujusque anni exigendi ea habebis facultatem.*

Objic. 2. Saltem obligatio solvendi annua legata non est una, nec pura, sed est vel conditionata, vel in diem: ergo saltem non omnis obligatio annua est pura, & una. A. p. variis legibus, quæ nimis claræ sunt. Sic L. 16. ff. *de verborum obli-*

obligat. dicitur : *Stipulatio hujusmodi* (ſcilicet in annos ſingulos) *una eſt , & incerta , & perpetua , non quemadmodum ſimile legatum* (ſcilicet in annos ſingulos) *morte legatarii finiretur.* clarius loquitur L. 4. ff. *de annuis legatis.* ibi : *Si in ſingulos annos alicui legatum ſit , Sabinus plura legata eſſe ait : & primi anni purum , ſequentium conditionale ; videri enim hanc ineſſe conditionem , ſi vivat : & ideo mortuo eo ad hæredem legatum non tranſire.* Idipſum clariſſime repetit L. 11. ff. *eodem. Cum in ſingulos annos legatur , plura legata eſſe placet , & per ſingula legata* NB. *jus capiendi inſpicitur.* Ad hanc objectionem certe ponderoſam, qua etiam impetitur concluſio ſuperius poſita de præſcriptione præſtationum annuarum ex legato provenientium , quam etiam nos admittimus.

R. N. a. Ad leges citt. dico cum clariſſ. D. Rath. c. 2. de Uſucapionibus Aſſert. 8. n. 8. & 9. Etiam annua penſio deſcendens ex legato, quoad jus , & obligationem in actu primo eſt una , pura , & ſimplex , ſicut alia ſimilis obligatio ex ſtipulatione , aut quocumque alio titulo proveniens. Ratio hujus eſt : quia jus hoc ex uno titulo legati acquiritur , ſicut alia ſimilia jura ex uno contractu , vel ſtipulatione oriuntur. 2. In L. *Cum notiſſimi.* 7. §. fin. *de præſcript.* 30. *annorum.* annua penſio ex legato , vel alio contractu debita æquiparantur quoad præſcriptionem , quod non poſſet fieri , niſi etiam obligatio ſolvendi legata annua eſſet una , & pura ; alias enim non poſſet , ſicut aliæ ſimiles obligationes ex contractu deſcendentes, una præſcriptione præſcribi , ſed requirerentur tot diverſæ præſcriptiones , quot eſſent anni.

Neque dicas cum Accurſio , annuam penſionem ex legato , & contractu debitam æquiparari in eo , quod in utroque caſu præſcriptio incipiat a tempore ceſſantis ſolutionis annuarum penſionum , non autem in modo præſcribendi. Verum hoc eſt effugium , quod neque ex textu , neque ex ratione colligitur. Hinc

R. 2. Legatum annuæ penſionis quoad effectum transmiſſionis eſt multiplex, & ſuo modo conditionatum , quia tacite

ſubintelligitur conditio: *Si legatarius vixerit*. ideoque hæc conditio ſingulis annis in ordine ad transmiſſionem, & continuationem juris verificari debet. Et in hoc ſimile legatum differt a redditibus aliis annuis ex contractu debitis, utpote qui etiam quoad transmiſſionem puri ſunt, ac perpetui, & ad hæredes tranſitorii: quoad obligationem vero in actu primo, & in ordine ad effectum præſcriptionis nullum eſt diſcrimen; hæc enim etiam in cenſu annuo, qui ex legato debetur, eſt pura, una, indiviſibilis, & durans, quamdiu vivit legatarius, ut colligitur ex rationibus adductis. Videri poteſt clariſſ. Rath. cit.

R. 3. In forma Diſt. cum in ſingulos annos aliquid legatur, plura eſſe legata placet quoad effectum transmiſſionis: *conc.* quoad ipſam obligationem in actu primo, & jus, ac debitum: item in ordine ad præſcriptionem: *neg.*

Objic. 3. contra ipſam ultimam reſponſionem. Saltem præſtationes annuæ, Eccleſiæ debitæ, non poſſunt præſcribi, & quidem ideo, quia ſunt plures diſtinctæ obligationes: ergo. A. conſtat ex L. *Sancius*. 46. §. *ſi vero*. 9. C. *de Epiſcopis & Clericis*. ubi diſertis verbis damnat Imperator omnem annuorum redditūum, ad Eccleſias ſpectantium, præſcriptionem, & quidem ex hac ratione in terminis adjecta: *Cum per unumquemque annum talis actio naſcatur*.

R. cum doctiſſimo Rath, hanc legem non habere authoritatem Juris; ea enim a Godefredo primum ex manuſcriptis exemplaribus a Jacobo Cuiacio inventis Corpori Juris eſt inſerta, in reliquis vero Corporibus omiſſa. Hinc & Bartolus, ac Baldus, & alii in Codicem Juſtinianeum commentantes nullam mentionem de iſta lege faciunt. Imo multi Interpretes, ut ait laudatus, qui alias in præſtationibus annuis, ex ultima voluntate debitis, præſcriptionem in futurum rejiciunt, eam tamen in ſpecie, & nominatim admittunt, ſi ejusmodi annuæ præſtationes fuerunt Eccleſiæ, Monaſterio, vel alteri piæ cauſæ legatæ, ex hac ratione, quia tunc legatum ſit unum, & perpetuum, ideoque una præſcriptione tollatur. Cæterum annuas præſtationes etiam contra Eccleſiam, & piam cauſam poſ-

posse præscribi, colligitur ex Cap. *Olim. de censibus*: juxta quod, cum inter Episcopum Spoletanum, & Clericos plebis Rupinæ quæstio versaretur in eo, quod præfati Clerici, posteaquam pro uno denario Papiensi, valente sex Lucenses, per plurimos annos tantum tres solvissent, eaque de causa veluti, ut putabant, jure præscriptionis tuti, etiam imposterum plus solvere recusassent, Innocentius III. rescripsit, prætensam præscriptionem ideo non esse completam, quod a tempore ejusmodi solutionis ad summum 36. annorum tempus effluxerit. ubi insinuat, præscriptionem tunc fuisse validam, si 40. anni, ad præscriptionem contra Ecclesiam requisiti, fuissent completi. Idem colligitur ex Cap. 6. *de Præscriptionibus*. ubi spatio 40. annorum obligatio solvendi decimas extinguitur. Ex his

Colliges: Legata annua, & contractus annuos in hoc præcipue differre, quod regulariter legata annua non transmittantur ad hæredes legatarii, sed una cum legatario moriatur jus eadem exigendi, & percipiendi: secus vero contingat in censibus annuis ex contractu debitis, ut clare patet ex L. 13. C. *de contrahenda stipulatione*. ubi etiam corriguntur veteres leges, quæ in ff. vel alibi contrarium videntur continere. Haunold Tract. 8. c. 4. n. 336. adjungit etiam hanc differentiam, quod per solutionem 30. annis omissam præscribatur tota obligatio omnium præstationum annuarum, si hæc ex contractu sit orta: si vero ea sit nata ex legato, vel ultima voluntate, tunc præscribatur tantum præstatio primo anno debita. Verum hic videtur sui esse oblitus; nam Tract. 5. c. 2. n. 358. habet, quod 30. annorum spatio possint præscribi annui redditus tam præteriti, quam futuri: item non solum debiti ex oneroso contractu, sed etiam ex legato, & fideicommisso.



DISSER-

DISSERTATIO III.

Resolvuntur aliqua ex Tractatu de Judiciis.

ARTICULUS I.

An Judex debeat ferre sententiam secundum allegata & probata, etiam contra propriam scientiam privatam?

§. I.

Præmittuntur faciliora.

609 NOTA 1. Duplicem in judice posse spectari scientiam: una est *privata*, quam judex extra judicium visu, auditu, vel alio sensu obtinuit: altera est *publica*, quam comparavit ex allegatis, & probatis in judicio.

Nota 2. Certum esse, quod judex regulariter teneatur judicare secundum allegata, & probata, seu secundum scientiam publicam. Patet ex L. *Illicitas.* 6. §. *Veritas.* 1. ff. *de Officio Præsidis.* ibi: *Veritas rerum erroribus gestarum non vitiatur; & ideo Præses Provinciæ id sequatur, quod convenit eum sequi ex fide eorum, quæ probabuntur.* ubi Summarium sic habet: *Judex debet judicare secundum allegata, & probata, non autem secundum conscientiam.*

Jam dubium remanet, an judex possit, ac debeat judicare secundum allegata & probata, etiam contra propriam conscientiam, vel scientiam privatam; id est, an debeat condemnare eum, qui per testes, aut alias probationes convictus est in judicio, quem tamen judex privata scientia certo scit esse innocentem? Ad hoc dubium solvendum

Assero

ASSERO 1. Quando judex non habet omnino certam, ac indubitatam scientiam privatam, tunc tenetur eam deponere, ac judicare secundum allegata & probata. Reiffenstuel L. 1. Decret. tit. 32. de Officio Judicis. n. 35. ac hoc teste communis. Ratio est: quia ordo judicialis exigit, ut Judex secundum allegata & probata procedat; & scientia publica prævalere debet notitiæ privatæ non certæ. Deinde totus ordo judiciarius perverteretur, si ob privatam aliquam notitiam, nondum certam, & fallibilem posset judex relinquere judicialiter allegata & probata. 610

Assero 2. Judex regulariter non potest condemnare illum, qui quidem a judice privata scientia scitur esse reus, sed in judicio nec est confessus, nec convictus, a fortiori, si se in judicio probaverit innocentem. Reiffenstuel cit. n. 36. Haunoldus de jure & Just. Tom. 5. Tract, 2. n. 27. & seqq. Ratio est: quia nec judex inferior a supremo judice, nec hic a Communitate aliam potestatem accipit, quam ut in condemnando procedat secundum allegata & probata; hoc enim exigit utilitas publica, & ne judices prætextu privatæ scientiæ audeant exercere tyrannidem, aut fraudes &c. Imo esset contra omne bonum regimen, dari uni hominum potestatem supra vitam aliorum, sine omni testimonio alio, quam suo: ut loquitur Haunoldus cit. 611

Ex quo resolves, quid dicendum de casu, quem Princeps supremus absque gravibus incommodis non posset agitare in judicio. v. g. an Rex possit ad mortem condemnare illum, quem deprehendit in flagranti opprimentem Reginam suam absque eo, quod hoc crimen in judicium ulterius deducat, & scientiam publicam eliciat, quia nempe tale crimen non expedit vulgari.

Rdebis enim cum Haunoldo cit. n. 31. & Communi aliorum negative. Ratio est; quia Princeps non habet plus potestatis in subditos, quam illi concessum est a Republica, a qua constitutus est Princeps; atqui Respublica non

 potuit

potuit dare hanc potestatem (utpote quam ipsa non habet) ut ob unius testimonium auferatur vita alicui membro suæ Reipublicæ: ergo.

Nihilominus addit Lugo, in hoc puncto posse Principi majorem potestatem concedi quoad causas civiles, ablationem beneficiorum, & bonorum; quia Respublica & Princeps in talia bona habet dominium altum, & potest de iis in bonum publicum disponere. Iterum Lessius apud cit. Haunold observat, conclusionem intelligi, si agatur de crimine mere puniendo; si enim simul ageretur de damno avertendo, quod immineret alias Principi, Reipublicæ vel Innocenti, nisi talis malefactor occideretur, tunc posset Princeps ex privata scientia curare interfici malefactorem. Ratio est: quia etiam privato ex privata notitia licet se, aut rem sibi commissam defendere, & quidem per occisionem alterius, servatis tamen servandis.

612 Assero 3. Quando judex habet certam scientiam privatam pro reo, hoc est, si penitus indubitanter novit, eum esse innocentem, qui tamen secundum allegata & probata ostenditur nocens, tunc primo tenetur omnia media tentare pro liberando Reo ejusmodi. Reiffenstuel cit. n. 37. Haunold cit. n. 36., hæcque conclusio vera est, sive sint causæ civiles, sive criminales. Ratio est: quia hoc dictat obligatio charitatis proximi, & Justitiæ, quæ prohibet proximum injuste lædi, & innocentem condemnari.

Media vero liberandi talem a parte rei innocentem, & secundum allegata reum sunt sequentia. 1. Exactius examinare testes & instrumenta, inquirere singulariter in circumstantias loci & temporis &c. 2. Inquirere causas, ob quas repelli possint accusationes. 3. Dissimulando permittere, ut innocens e carcere fugiat, modo id sine scandalo fieri possit. 4. Aut reum omnino absolvere, & aggratiare, si sit judex supremus, qui habet jus aggratiandi, si vero sit judex inferior, tunc potest reus talem judicem recusare, allegando, quod talis judex ipsi sit necessarius pro teste: imo

imo & ipse judex inferior potest totam causam ad altiorem judicem deferre; & ibi testem pro innocente agere.

Ex quibus patet, vix contingere casum, in quo non possit per præfata media, si adhibeantur, liberari talis innocens, etsi juridice convictus sit ut reus. Posito tamen, quod judex sine gravissimo suo incommodo, quantum nemo ex charitate tenetur subire ad proximum suum liberandum, non possit liberare per præfata vel alia media talem innocentem, tunc sequentes regulæ in duabus conclusionibus proximis statuendæ observandæ sunt.

§. II.

Continuatur præsens materia.

ASSERO 4. In causis civilibus, ubi agitur e. g. de debito solvendo, & in minoribus criminalibus, ubi agitur e. g. solum de mulcta pecuniaria, aut privatione officiorum, potest judex ferre sententiam secundum allegata & probata non obstante privata notitia innocentiæ. Ita Reiffenstuel cit. n. 46., Haunold cit. n. 38., Lessius, Layman, Chrystoph. Chlingensperg. L. 4. instit. Tit. 17. q. 4. Schmalzgrueber & alii apud hos cit. 613

Ratio est: 1. Quia Lex *Illicitas* &c. Notando 2. allegata expresse vult, ut judex secundum allegata & probata, non vero secundum conscientiam, vel privatam scientiam ferat sententiam. 2. Alias Respublica propter bonum commune potest disponere de bonis his subditorum, ut patet in præscriptione. Proinde propter bonum publicum, ne ordo judiciorum pervertatur, aut impediatur prætextu privatæ scientiæ, potest per judicis sententiam disponere de his bonis, eadem adjudicando alteri, cui secundum allegata & probata debentur, quamvis a parte rei, & secundum certam judicis scientiam privatam tamen, ei non debeantur. Hanc enim potestatem ita ferendi sententiam Respublica dare potuit ob dominium altum, & dedisse præsumitur ob utilitatem publicam & legem *Illicitas &c.*

Neque hoc displicere debet innocenti ; quia videt se a judice aliter juvari haud posse , præsertim ; quia juxta Schmalzgrueber L. 1. Decret. T. 32. n. 30. probabiliter per sententiam talem materialiter injustam , utpote fundatam in falsa præsumptione , dominium rei in mulctam alteri adjudicatæ non videtur amitti , imo talis innocens probabiliter retinet jus recuperandi illa bona , quibus per sententiam est privatus , & potest uti compensatione occulta , si aliter recuperare nequeat. Quod tamen intellige , si non sint bona publica , ut Officia , beneficia Ecclesiastica : de his enim Respublica & Ecclesia liberius disponere potest. Unde si aliquis per sententiam judicis , legitimo jure ordinis servato , licet a parte rei sit innocens , illis privetur, etiam dominium illorum peribit. Vide laudatum Schmalzgrueber , & Lessium ibi allegatum.

Confirm. nostra conclusio ex *Capit. Pastoralis* 28. *§. quia vero de officio delegati.* juxta quod &c. ordinarius ad mandatum judicis delegati , *etsi sciat sententiam illius esse injustam , exequi nihilominus tenetur eamdem , nisi apud eum efficere possit , ut ab hoc onere ipsum absolvat.* Idem ergo dicendum in nostro casu : prout & Glossa ibidem ℣. *tenetur* expresse concludit . quod judex debeat pronunciare secundum allegata & probata , non obstante scientia privata, qua scit hominem ejusmodi , contra quem judicat , esse innocentem. Quod roboratur *Clement. finali §. sententiam vero definitivam , de verborum significatione* , ubi dicitur , sententiam definitivam proferri debere ex petitione , & probatione , & aliis actitatis in causa : ergo debet judex posthabita scientia privata , sententiam proferre secundum scientiam publicam judicialiter haustam.

Confirm. iterum. Judex est persona publica : ergo debet sententiam ferre secundum scientiam publicam , non vero privatam, nisi speciale quid obstet.

Objic. 1. Exodi 23. dicitur : *Non suscipias vocem mendacii , nec in judicio plurimorum acquiescas sententiæ , ut a ve-*

ro devies; atqui judex in nostro casu plurium testium judicio acquiesceret, ut a vero deviaret: ergo.

R. D. M. non suscipias vocem mendacii publice & juridice cogniti, neque acquiescas plurium sententiæ non legaliter probantium, ut sic a vero juridice & legaliter devies c. secus n. M.

Objic. 2. C. *cum æterni* 1. *de sent. & re judicata* dicitur: *injuste judicari, quem æterni tribunal judicis reum non habet*; atqui coram Deo non est reus, quem judex privata notitia scit esse innocentem: ergo.

R. In illo Capitulo solum prohiberi, ne Judices odio, vel alia passione aut præmio se excæcari permittant, ferantque sententiam ex simili motivo injusto contra reum, cujus crimen in judicio non satis probatum est. Quod patet legenti totum textum Capituli.

Objic. 3. Lex *Illicitas* 6. potius nobis obest: ait enim: *veritas rerum erroribus gestarum non vitiatur*, & ideo, ut supra in eam legem Glossa ℣. *convenit*, ait, sequenda esse allegata & probata, si judex ea deprehenderit esse vera; secus vero, si ea esse falsa. Item ℣. *probabuntur*, *non esse judicandum secundum allegata & probata, si ab allegatis & probatis veritas rei contraria judici visa fuerit.*

R. Explicando, si ea deprehenderit esse vera veritate publica, vel falsa falsitate publica, & si veritas publice & juridice contraria judici visa fuerit, eoquod allegata & probata secundum leges non subsistant, vel contraria sint legibus.

Objic. 4. Præsumptio debet cedere veritati; atqui allegata & probata in judicio tantum præsumptionem faciunt: ergo debent cedere veritati.

R. D. M. Veritati publice & juridice cognitæ C. M. veri-

tati tantum privatim cognitæ N. M. & trans. m. N. conf. negari etiam posset minor; quia præsumptio differt a depositione testium, depositio enim testium in jure plenam probationem facit, non vero præsumptio, saltem universaliter.

Objic. 5. Obtento fine non debet amplius attendi medium; sed allegationes & probationes tantum sunt media ad veritatem eruendam: ergo si hæc veritas aliunde in judice jam datur, non debent amplius attendi probationes & allegationes illæ judiciales. Subsumo, atqui veritas jam datur in judice aliunde &c.: ergo.

R. D. m. Subf. Datur aliunde veritas jam satis & legaliter cognita N. m. non satis nec legaliter cognita C. m. & N. c. allegationes & probationes sunt medium ordinatum ad veritatem publicam & judicialem eruendam, quæ in nostro casu non datur.

Objic. 6. Juxta Capit. 13. *de restitutione spoliatorum*, *&* *Capit. 44. de sent. Excommunicationis*, non licet alicui exequi sententiam, quam scit certo esse injustam, & juri naturali & divino repugnantem: ergo neque judex potest pronunciare sententiam, quam certo scit esse injustam.

R. 1. Retorq. argum. ex Cap. Pastorali 28. de Officio delegati. Vide confirmat. 1. conclus.

R. 2. N. c. Quod ejusmodi sententia esset injusta; sed foret conformis juri naturali & divino, & potestati, quam habet Respublica in bona temporalia subditorum. Unde est disparitas: quia in istis capitulis dicitur, quod conjuges putatitii, ac laborantes impedimento occulto dirimente non possint exequi sententiam, qua jubentur carnaliter cohabitare: quia jus naturale, & divinum hanc cohabitationem prohibet; Ast non prohibet disponere de bonis subditorum, si exigat utilitas publica.

Objic.

Objic. 7. Depositio testium est in gratiam Rei concessa: ergo non debet verti in ipsius dispendium.

R. D. a. Est in gratiam Rei concessa contra Actorem C. a. etiam contra utilitatem publicam N. a. utilitas publica prævalere debet bono privato talis Rei.

§. III.

Resolvitur præcipua difficultas hujus articuli.

ASSERO 5. Nullo casu judici concessum est, ut hominem secundum publicas allegationes & probationes convictum morti adjudicet, si ejus innocentiam privatim certo cognitam habet. Ita laudati pro 4. conclusione, cum quibus sentiunt Adrianus, Liranus, Abbas, Rosella, Sa, Petrus Navarius, Antonius Mayr, Schmier, Besoldus, König, Pichler, & alil plures in manuscriptis. 614

Prob. 1. & datur disparitas inter causas criminales majores, ac civiles, quia in causis civilibus agitur tantum de bonis externis subditorum, quæ subsunt dominio alto Reipublicæ, quæ de iisdem disponere potest in utilitatem publicam; ast in causis criminalibus majoribus in casu conclusionis agitur de vita & membris innocentis, quæ non subsunt dominio Reipublicæ, sed solius Dei, qui Reipublicæ non dedit potestatem privandi insontem vita vel membris suis. 2. Sententia ejusque executio circa causas criminales majores affert damnum naturaliter irreparabile; non item circa causas civiles, vel criminales minores: siquidem bona fortunæ deperdita per sententiam judicis iterum recuperari possunt, non vero vita vel membra ablata: ergo.

Confirm. Directe occidere innocentem, vel mutilare nunquam licet, nisi Deus det licentiam; ut constat ex S. Scriptura Exodi 23. v. 7. *insontem & justum non occides, quia aversor impium*: imo innocentem directe occidere, vel mutilare, æque intrinsece malum est ac fornicari. Quare sicuti

cuti judex matrimonium, quod secundum allegata publica validum apparet, ipse vero certo invalidum esse scit, nullo modo suadere, & multo minus sententiam ferre potest, ut tales conjuges putatitii carnaliter mutuo adhæreant: cum hæc copula non obstantibus probationibus publicis maneat intrinsece mala. *Capit. inquisitionis de sent. Excom.* Ita a pari ratione non potest per sententiam ad mortem condemnare hominem utut publice convictum, si eum certo privata scientia noscit esse innocentem.

615 Objic. 1. In nostro casu occiditur nocens, nempe secundum allegata & probata: ergo.

R. N. a. & suppositum, quod sola allegata & probata in causa sanguinis possint aliquem facere nocentem juridice, si judex privatam scientiam habeat de innocentia ejusmodi hominis.

Objic. 2. Judex in casu conclusionis tantum indirecte occideret ejusmodi hominem: directe enim intendit servare publicum judiciorum ordinem, cum quo indirecte & per accidens conjuncta est occisio innocentis; atqui occisio indirecta innocentis ex justa causa est licita: ergo. m. patet in obsidione urbis, in qua emissis globis sæpe innocentes pro nocentibus occiduntur.

R. N. M. Quia alias neque judex Reum revera nocentem directe occideret, sed tantum indirecte, quatenus directe solum intenderet ordinem judicialem observare, quod tamen non facile aliquis dixerit. Juxta dicta in Tract. de Jure & Justitia: tunc aliquis directe influit in homicidium, quando mors hominis tanquam finis immediatus, vel tanquam medium ad finem obtinendum intenditur ex natura actionis illius, quæ ponitur; atqui ex natura sententiæ talis intenditur mors, & infertur tanquam medium ad servandum ordinem judicialem: ergo. Ast si emittuntur globi in urbem hostilem, tunc mors innocentum non intenditur

tur tanquam finis, neque tanquam medium: nam finis tantum est nocumentum hostibus inferendum, ac victoria promovenda; medium vero ad hunc finem non est mors innocentum, sed hostium, ac eversio murorum; unde plane mere per accidens cum ejusmodi emissione globorum conjungitur interdum mors innocentum, & ab hoste emittente globos tantum moraliter permittitur.

Objic. 3. Deuteronom. 17. dicitur: *in ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur*: ergo.

R. 1. Retorq. Argum. & opponendo textum Exodi 23. adductum in prima objectione conclusionis præcedentis.

R. 2. Textus ille solum vult, necessarios esse duos testes saltem ad damnandum aliquem capitis; *nemo enim* (ut textus pergit) *occidatur uno contra se dicente testimonium*: non vero vult textus, quod duo testes statim sufficiant, etiam contra certam scientiam judicis.

Objic. 4. Judex est persona publica: ergo debet secundum scientiam publicam judicare.

R. D. c. in causis civilibus C. c. in criminalibus majoribus subdist. quamdiu potest præsumere scientiam publicam esse veram C. c. secus. N. c.

Objic. 5. Nostra sententia aperit viam iniquis judicibus palliandi suas fraudes; dicent enim corrupti, se non posse contra propriam scientiam ferre sententiam: ergo.

R. N. a. Non est periculum hujus incommodi; in foro enim externo non creditur judici, si negligit juris ordinem, & non fert sententiam secundum allegata & probata, imo potius propterea punitur. Unde, si non urgeat propria conscientia, in gratiam alicujus Rei non subibit talia incommoda.

Objic. 6. Non debet plus credi uni testi, quam pluribus: ergo etiam non debet judex plus sibi ipsi credere, quam duobus vel pluribus testibus.

R. N. suppos. quod hic agatur tantum de fide, sed de certa scientia. Concedo, quod major fides non sit habenda uni testi, quam duobus: Ast non debet in nostro casu certa scientia judicis postponi fallibili, imo falso testimonio duorum vel plurium. Vel D. c. Non debet plus sibi ipsi credere Judex, quando tantum habet notitiam fallibilem & probabilem C. c. quando habet evidentem vel certam N. c.

Objic. 7. Potuit Deus Reipublicæ, & Judici dare potestatem, ut insontem, convictum tamen publice morti adjudicet: & hanc potestatem esse judici datam, probat necessitas, ne alias iniqui fraudes suas palliandi ansam habeant: ergo.

R. N. 2. memb. a. Ratio negandi patet partim ex responsione ad object. 5. partim ex eo; quia in adversariorum sententia æquale periculum immineret; nam si sciretur, judicem debere allegata & probata, etiam cognita ut falsa sequi, eodem modo possent ab Actoribus & Accusatoribus subornari falsi testes, & produci falsa acta ad perdendum hominem alias innocentem. Denique abusus doctrinæ ex malitia hominum secuturus non obest illius veritati.

Objic. 8. Juxta dicta in Tract. de Jure & just. potest aliquis membrum sanum in proprio corpore amputare, ut vitam conservet totius corporis, e. g. potest sibi amputare manum, ut possit se exuere vinculis, alias occidendus: ut habet Lugo: ergo etiam ut bonum totius civitatis conservetur, potest hæc membrum sanum & civem insontem occidere, vel morti adjudicare.

R. N. c. & parit. Respublica non habet tantam authoritatem in suos cives, sicut homo in membra vitæ suæ necessa-

cessaria. Etenim civis quilibet est suppositum per se subsistens, non habens essentialem dependentiam a Republica. Contra vero membra corpori humano necessaria essentialiter dependent a corpore reliquo, & ab hoc vitam etiam participant.

Obji. 9. Respublica ob bonum suum commune potest imperare alicui subdito insonti, ut vitam suam exponat periculo: ergo etiam potest morti adjudicare eumdem ob bonum commune.

R. 1. Retorq. Argum. Civis ob bonum commune potest se exponere periculo vitæ: ergo etiam potest se ipsum occidere ob bonum commune, vel potest ipsum Respublica occidere, si aliter Respublica salvari non posset: v. g. si hostis peteret, ut talis a Republica vel a se ipso occidatur.

R. 2. N. c. & parit. exponere se vel alium periculo vitæ ex justa causa non est se directe occidere, sed tantum permittere mortem ab alio inferendam: ast adjudicare aliquem morti est directe ipsum occidere.


Licet occidere amentem, dum me invadit, ac tentat occidere: ratio est; quia de jure naturæ licet vim vi repellere; atqui iste mihi vim facit: ergo. Dein licet amens non peccet formaliter, tamen ejus aggressio est materialiter injusta; atqui ejusmodi innocens judici vim non infert, neque est formaliter, neque materialiter nocens. 2. Hic quæstio est solum de notitia privata innocentiæ Rei, non autem est sermo de notitia habita ex confessione sacramentali: hæc etenim non est humana, sed alterius ordinis, neque ea sine licentia pœnitentis judex uti potest extra sacramentum pœnitentiæ. Quapropter non obstante ejusmodi notitia sacramentali posset innocentem, probatum tamen ut nocentem occidere.

Ex his deduces 1. Conclusionem quartam maxime procedere de causis civilibus, item de criminalibus minoribus, ubi agitur solum de pecuniaria mulcta, vel privatione beneficiorum & officiorum, imo etiam de aliqua molestia, vel 616

afflictione, quæ fubdito non adeo gravis foret, nec cum infamia alicujus momenti conjuncta effet. Ratio eft; quia etiam Refpublica ob bonum commune habet jus inferendi fimilem afflictionem: Ita Antonius Mayr Tract. 8. n. 227. Imo fæpius jam citat. Haunoldus extendit conclufionem quartam ad pœnam Exilii. Proinde in talibus caufis poffet judex fecundum allegata & probata ferre fententiam etiam contra infontem, privatim certo cognitum ut talem, pofito, quod nullum remedium talem innocentem liberandi fuppetat. Neque propterea, quia liberare non poffet innocentem, deberet judex fubire privationem officii fui: quia Reipublicæ pluris intereft, habere & confervare bonos Judices, quam in tali cafu fubditorum etiam innocentium bona defendi. Aliter loquendum eft in criminalibus majoribus; nam potius judex deberet officium dimittere, quam innocentem morti, vel mutilationi adjudicare contra fcientiam certam privatam, non obftante, quod tali dimiffione officii ejusmodi innocenti nihil effet profuturus, ut habet Reiffenftuel L. 1. Decret. T. 32. n. 50. Leffius ibidem allegatus: Ratio eft: quia ex nulla caufa licet directe occidere innocentem certo cognitum ut talem. Quamvis cafus ifte fit metaphyficus, & vix occurrere poffit, fi media omnia liberandi ejusmodi innocentem adhibeantur, prout adhiberi debent.

Deduces 2. Quod ob rationem mox allegatam neque juftitiæ minifter, five carnifex mortis fententiam exequi poffit adverfus condemnatum, quem *certo* fcit effe innocentem. Layman. L. 3. Tract. 6. c. 2. n. 8. Ex quo tamen non fequitur, quod ipfe innocens condemnatus poffit publicæ poteftati pofitive refiftere; quia id fine fcandalo fieri non poteft, fi ejus innocentia publice nota non eft, & infuper talis fubeundo mortem fe tantum permiffive habet. Videatur Layman citat.

ART. I.



ARTICULUS II.

Resolvitur quæsitum notabile de Reo.

AN Reus legitime a judice interrogatus teneatur fateri crimen revera a se commissum, si ob illud timeat pœnam mortis, mutilationis, vel confiscationis omnium bonorum, aut aliam gravissimam, & per celationem veritatis spes sit evadendi? 617

Ante responsionem nota, Reum, si non interrogetur legitime, non teneri crimen suum fateri; v. g. si judex non sit legitimus, si non præcesserit semiplena probatio, vel sufficiens infamia, aut sufficientia indicia de aliquo crimine. Ratio horum est: quia judex non habet jus interrogandi reum, nisi juridice, seu nisi servato juris ordine: ergo neque Reus habet obligationem respondendi, nisi sit interrogatus servato ordine juris. H. N.

R. ad quæsit. affirmative. favet Scotus 4. D. 15. q. 4. §. *in tertio membro.* n. 5. & seqq., ubi dicit, quod non liceat negare tale delictum certo commissum, de quo quis legitime interrogatur. Tenent autem meam sententiam D. Thomas 2. p. q. 69. Covarr., Cajetanus, Navarrus, Sotus, Toletus, Azorius, Lessius, Sanchez, Layman, & plures alii contra multos alios.

Prob. 1. Judex in hoc casu habet jus interrogandi, & exigendi veritatem: ergo & Reo incumbit obligatio eam fatendi, facitque contra authoritatem judicis, si sic interrogatus veritatem occultat: nam jus interrogandi in judice, & fatendi veritatem in reo sunt duo correlativa, quorum unum sine altero esse nequit. 2. Si reus non teneretur fideliter fateri veritatem, non posset juste torturis adigi ad eam fatendam, cum sit iniquum, aliquem torturis adigere ad id, ad quod non tenetur. 3. Præceptum humanum justum obligat cum periculo vitæ, dum imponitur ob bonum commune, grave & necessarium: sed tale est præceptum judicis, sub quo exigit, ut Reus legitime interrogatus verum fateatur, quia bonum commune exigit, ut crimina puniantur, & juridice interrogatus verum fa-

fateatur, ne alias sæpe judicia eludantur cum magno Reipublicæ damno, & multa crimina maneant impunita. 4. Catechismus Rom. de octavo præcepto ait: *De reis autem & sontibus vult eos Deus verum confiteri, cum ex judicii formula interrogantur.*

Dices 1. Judex habet jus præcipiendi Reo ad mortem condemnato, ne fugiat ex carcere, & tamen reo licet fugere: ergo idem est in nostro casu.

R. 1. Si Antecedens est verum, & judex habet jus præcipiendi reo, ne fugiat ex carcere, tunc non licet reo fugere, quia præceptum justum ac legitimum violare per se illicitum est.

R. 2. Transmisso A. N. C. hoc præceptum, ne fugiat reus, non est necessarium bono communi, sicut est præceptum clare fatendi veritatem, quia hæc fuga facile aliis mediis impediri potest.

Dices 2. Testes, a judice interrogati, veritatem dicere non tenentur, si inde sibi aut suis grave damnum timent: ergo neque reus tenetur, si timeat simile damnum.


R. N. C. Nam tunc jus interrogandi in tali casu se non extendit ad testes, sicut ad reum, nisi hoc sit necessarium ad impediendum grave damnum Communitatis: testes enim utpote insontes jus habent, vitam & bona sua, ac suorum consanguineorum conservandi, non autem reus ob crimen ab ipso admissum, & semiplene probatum. Inde discrimen est inter reum & testes, quia hi sunt innocentes, non autem ille.

Reliqua de reo & aliis de judiciis in Theologia morali discutientur.

Hæc modo sint satis Theologo scholastico de Jure & Justitia, Contractibus, Restitutione, & Judiciis, alia plura, quæ ad praxin spectant, in Casistis & Canonistis videri possunt, & Theologia moralis Tomo VI. plura dabit, & docebit.

FINIS.





INDEX

Rerum memorabilium in hoc IV. Tomo contentarum.

NB. Numerus paginam indicat.

Con-


In-

Men-


Menda ſic emenda.

Fol.	Lin.			
2.	10.	li	*lege*	ly.
5.	7.	hypoſtaticæ.	-	hypoſtatice.
6.	10.	extrinſece.	-	intrinſece.
16.	17.	natifitate.	-	nativitate.
eod.	19.	bui.	-	qui.
26.	17.	inutritus.	-	innutritus.
ibid.	penult.	ſanquine	-	ſanguine
27.	7.	Doſithæus.	-	Doſitheus.
31.	ult.	conſumetur.	-	conſummetur.
35.	20.	Hagiogriphos.	-	Hagiographos.
36.	32.	ædificanid.	-	ædificandi.
46.	12.	ſi.	-	qui.
eod.	24.	copax.	-	capax.
47.	4.	ſuppoſſiti.	-	ſuppoſiti.
58.	ult.	artes.	-	partes.
62.	5.	Conſentium.	-	ad Conſentium.
69.	5.	Goneth.	-	Gonet.
ibid.	10.	occulati.	-	oculati.
72.	4.	H.	-	H. N.
72.	33.	poſſunt.	-	poſſent.
75.	32.	habet.	-	haberet.
78.	14.	ſte.	-	eſt.
79.	20.	Patripaſianorum.	-	Patripaſſianorum.
98.	18.	&.	-	eſt.
107.	3.	decrevit tanquam.	-	decrevit Chriſtum tanquam.
112.	22.	Deum)	-	Deum ?)
118.	24.	convificavit.	-	convivificavit.
123.	33.	authocitate.	-	authoritate.
ibid.	34.	derretum.	-	decretum.
126.	27.	loquantur.	-	loquuntur.
127.	17.	Sylogiſmi.	-	Syllogiſmi.
89.	8.	provimnm.	-	proximum.

Fol.	Lin.			
192.	19.	lichetus.	-	Lichetus.
198.	23.	ſanguis.	-	ſanguis.
206.	30.	diſtinquatur.	-	diſtinguatur.
229.	9.	ſylogiſmo.	-	ſyllogiſmo.
264.	16.	tatem.	-	talem.
270.	10.	firei.	-	fieri.
312.	1.	quadotenus.	-	quadatenus.
340t	22.	doneo.	-	donec.
341.	2.	contrarietur.	-	contrarietas.
ibid.	5.	utile.	-	utiles.
ibid.	8.11.&14.	paſſum.	-	baſſum.
348.	15.	qua.	-	quo.
373.	25.	*Quid clarius.*	-	Quid clarius.
382.	26.	Petrs.	-	Petrus.
451.	ult.	proprium proprium.	-	dele ſemel.
461.	22.	ac quæſtus.	-	acquæſtus.
507.	11.	Erhizung.	-	Erſizung.
566.	31.	cœmeteria.	-	Cœmeteria.
604.	7.	diſtinqui.	-	diſtingui.
615.	12.	uo.	-	ſuo.
628.	penult.	infirmorum.	-	infimorum.
629.	14.	extinquit.	-	extinguit.
695.	2.	Subſummo.	-	Subſumo.
719.	22.	ccifivam.	-	occiſivam.
807.	12.	Relioignem	-	Religionem.
815.	14.	ſic ſi habens	-	*dele* ſi.
835.	13.	hæreditatis.	-	hæredis.
844.	10.	*dele* ly poteſt.		
848.	19.	a te	lege	ante.
853.	9.	dominio.	-	domino.
857.	13.	commodata.	-	commoda.
ibid.	ead.	quæ.	-	qua.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0030745



clusio q̄ tn̄ prius nō nota fuit in principijs. Vnde
demonstrationem habet et per discursum distincta e for
et perfecta ac in singulari accepta. Aliquando sit et
quedam nō fuerit cognitum quodam et incognitum cogni
uersali incognitum in particulari cognitum confuse in
distincta cognitione cognitum potest incognitum quo ad
Camilly sophista — Ex quo non sequitur Philosophus sic explicat, excidit et soluit
dubitationi Platonis et camilly qui huiusmodi erat. Sophista
uenit per demonstrationem hanc conclusionem de triangulo
tres duobus rectis in hunc modum occurrebat so
aliquod triangulum quam non habet demonstrationem
oe triangulum habere tres et hoc dicis te scire
lum quod non noueras (non enim illud uidebas
quod non sciebas oe triangulum habere tres q
Dicendum quod Philosophus non esse absurdum ut
R' — te uero Dum enim sola maior tenet
ignorata ignorata qui non cognita in sing
actu perfecte distincte formatum quod non etiam e cogni
ne sua non potest esse nota conclusio: habet cognitionem
confusa imperfecta uniuersali uirtuali quamuis cognit
iam in qua nunc conclusio potest Platonis et in Menone dub
Plat. dubit. — caui sit explicandum ut non necesse sit refugere ad re
Cum enim sic arguitur cum uirtute cognoscere quemque uol
mus uel ignoramus si cognoscimus inuenimus quod uis
discimus per illud quod iam nouimus si uero ignoramus
mus quod exemplum fugitiui serui facile declaratur
seruum dominus facile non nouit quis inuenerit non agn

am

et quod cognitio ista sit praecedens cognitio conclusionis unde
quoniam contraria sint in demonstratione subiectum, affectio, prin Tria in demonstratione
in aliqua necessaria sit anticipata cognitio et similiter
necessaria est praecognoscere de aliquo quid nomen significet de
rea quod sint. Et quod subiectum et principia praecognoscuntur
tiones et tantum quid significet nomina. Affectiones non sunt Affectiones.
t infra etiam docet Aristoteles hic. 24 sunt igitur duae Duae cognitiones
lit et quia est sit et nomine conclusionis in subiecto vero quid sit et quia sit
tr tantum: vero quod cum de subiecto aliquo
quem Aristoteles initio huius libri supponit de
esse cognitum et semper cum cognitione conclusionis etiam an
dixi potissime in demonstratione quod similiter.
alt cognitiones etiam in definitiones

cognitio ex dicta demonstratione et sciam esse id
potuerat non dicere Plato aliter quod sciam eam
em nequaquam gigni sed per quandam reminiscentiam) ideo
cognitionem quandam mediam cognoscendi diversum a perfecta
tionem et est is quo dicimus aliquid scire per alia imperfecta confuse
ersali sive inchoata quadam et imperfecta scientia. Quare constituit de
ti modum illam quo nos scire per ea et demonstrationem asserat et omnis
sophisticam, tum Platonis dubitationem dissolvat. Fit itaque
illam cognitionem ex qua omnis fit cognitio secundum discursum ra
sed ad cognitionem praemissarum quae ante vel tempore vel natura saltem
cognitionem praecedunt et maior quidem tempore minor et simul
ur fiat quem modum cum explicat ipse praecedens facit
t sciam perfecte nisi per demonstrationem formari nec posse in
cognitionem praemissarum tamquam principiorum ignotam cognoscat eo

Adsio